STATE LIBRARY OF PENNSYLVANIA
3 0144 00376378 6

5R
CLASS 878.4 BOOK L76

VOLUME 25

PENNSYLVANIA
STATE LIBRARY

LIBER XLIV.

Cap. I. § 1 *Cum quinque millibus*] Hic aliquid deesse Crevierius existimat. Numerum enim absolute et per se, non adjecta re quæ numeretur, stare in oratione non posse: sed et ipsum numerum vitiatum esse; supra enim XLIII. 12. in supplementum exercitus Macedonici decerni 'peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos.' Neque verisimile videtur, reliquos milites in supplementum decretos ante consulem in provinciam profectos esse. Supra enim Liv. XLIII. 15. narrat post conscriptos milites consules provincias sortitos esse, et Marcium, cui Macedonia obvenerat, extemplo post actas Latinas eo profectum esse. Præterea imperatores in provinciam abeuntes nova supplementa secum adsumunt. Ita Quinctio Macedoniam sortito in supplementum decernuntur tria millia militum Romanorum et trecenti equites, item sociorum quinque millia peditum et quingenti equites XXXII. 8. cum totidem autem militibus a Brundisio transmittens Corcyram tenuit XXXII. 9. Interdum quidem contrarium factum est; verum tum Livius plerumque monet militum partem antea in provinciam missam esse.

Quod in supplementum legionum secum trajecturus erat] Scribe *quod supplementum*. Est enim genus loquendi, quale XXXI. 36. 'Ante prima signa locatis elephantis, quo auxilio tum primum Romani usi sunt.' XXXII. 4. 'Ipsis faucibus imminentes, quam Cœlen vocant.' XXXIII. 8. 'Cum cetratis et cornu dextro peditum, robore Macedonici exercitus, quam phalangem vocant.' Adde ad II. 20. *J. F. Gron. Quod supplementum* Gronovius, ut relativum cum voce sequente conveniat; de quo vide ad XXXII. 30. § 6. Posses tamen minori mutatione *quot in supplementum* legere. Voculas autem *quot* et *quod* ob similitudinem soni in pronunciatione, et quod scribenti verba præiens ea minus distincte enunciarit, in Mss. confundi, frequentissimum est. Exempla vide ad III. 13. § 8. V. 1. § 2. c. 33. § 9. VI. 18. § 5. c. 24. § 7. IX. 18. § 12. X. 16. § 4. XXII. 16. § 1. XXVI. 49. § 9. XXXIII. 14. § 3. XXXIV. 50. § 7. apud Heins. ad Nason. Her. VI. 118. et Corte ad Plinii III. 14. § 5. et IV. 27. § 4.

§ 4 *Prætor, superato Leucata*] Doujatius legendum putat *superato Leucate:* promontorium enim casu recto *Leucates,* urbem et insulam *Leucas* vocari. Sed fallitur. Promontorium enim Græcis dicitur Λευκάτα, Λευκάτη, et Λευκάτας, cujus casus secundus τοῦ Λευκάτα est apud Strab. X. 452. 456. quartus τὸν Λευκάταν apud Scylac. in Peripl. p. 29. Latinis *Leucata* et interdum *Leucate*. Supra XXVI. 26. 'Superato Leucata promontorio.' Ita pro *Leucate* ibi ex scriptis edidi. Virgil. Æn. III. 274. 'Leucatæ nimbosa cacumina montis.' Silius XV. 302. 'Vada Leucatæ.' Contra *ab Leucate,* pro *ab Leucade,* Sigonius emendat XXXVI. 15. § 9. 'Promontorium Leucates' est apud Plin. Hist. Nat. IV. 1. quod eadem forma dic-

17397

tum est, qua ‘ promontorium Pachyni ’ XXIV. 35. a recto nempe Leucate. Id forte Donjatium in errorem pellexit, quod *superato Leucata* dici non posse existimarit. Verum observat Vossius Gramm. III. 10. montium nomina proprie ejus esse generis, cujus esse solent similiter exeuntia ; si vero, quæ vi terminationis muliebria esse debebant, a poëtis in virili usurpentur, id fieri per synthesin, quia respicitur nomen *mons*. Idem obtinet etiam in nominibus promontoriorum, quæ si neutro genere usurpentur, quum respectu terminationis alterius generis esse deberent, id itidem per synthesin fieri existimandum est, ac respici vocem ‘ promontorium,’ ut ex priori Livii loco patet, ubi expresse additam videmus. Ceterum hic locus docet, synthesin illam non solis poëtis usurpatam esse, sed etiam in scriptis aliorum obcurrere.

§ 5 *Ad cunctam militarem disciplinam*] Suspicor *ad unicam militarem disciplinam*. Ut II. 58. ‘ Se unico consule objecto.’ III. 33. ‘ Et in unica concordia inter ipsos summa adversus alios æquitas erat.’ l. VII. c. 1. ‘ Fuit enim vir vere unicus in omni fortuna.’ *J. F. Gron.* Vox *unicus* eo sensu Livio familiarissima est. Præter exempla a Gronov. laudata, vide alia I. 21. III. 55. l. VI. capp. 6. et 22. l. VII. capp. 12. et 25. VIII. 31. IX. 15. XXII. 27. l. XXIII. capp. 11. 21. 42. XXIV. 34. XXV. 28. Aliorum exempla vide apud Passerat. ad Catull. p. 24. ad Propert. p. 150. et apud Torren. ad Valer. Max. II. 3. 3. Nihilominus Gronovii conjectura non sine caussa Jac. Perizonio displicuit, qui ad oram Livii notavit, *cunctam militarem disciplinam* sibi positum videri pro omni genere militaris disciplinæ : quod probo. Indicat enim Livius, milites per Hostilium adactos esse non ad hanc vel illam, sed ad omnes partes disciplinæ militaris observandas. ‘ Cunctus ’ igitur, ut alibi ‘ omnis,’ hic ponitur pro *totus*. Ita ‘ cuncta acies ’ est tota acies IV. 33. ‘ cuncta mœnia ’ sunt omnes partes mœnium apud Sallust. in Jug. c. 57. ‘ Cuncta mœnia exercitu circumvenit :’ ubi vide Cortium, et ad Plinii I. 9. § 1. Eodem sensu ‘ omnis ’ usurpari vidimus ad V. 42. § 1.

§ 6 *Quum arma, viros, equos cum cura inexisset*] Manutius *inspexisset*. Sigon. Illud *inexisset* verbum nequam est et nullum in lingua Latina : quid ni igitur in locum ejus subrogemus *curavisset?* Turneb. Adv. XXIX. 7. Verbum mendosum *inexisset :* fortasse restituetur, si in *instruxisset* mutetur. *Ursin. Cum cura inspexisset* melius est, quam *curavisset*, quod Turnebus conjicit. Nam nec satis usitatum genus loquendi est ‘ cum cura curare,’ nec imperatoris erat arma, viros, equos curare. XXIX. 24. ‘ Singulos milites inspexit.’ *Dukerus.* Sigonius priori ed. nott. emendat *innexisset*, ab ‘ innecto,’ quod vir doctus in margine ed. Curionis exponit ‘ miscuisset.’ In secunda ed. ipse conjecturam tacitus improbavit, et omisit. In illa vero, quæ post ejus mortem edita est, adscivit Manutii conjecturam *inspexisset :* quod unice verum est, et placuit etiam Pighio in Annal. ad a. IↃLXXXIV. p. 377. Id verbum in hac re proprium est, et etiam adhibetur XXIX. 1. ‘ Legiones inde quum inspiceret, plurimorum ex iis stipendiorum milites delegit.’ Auctor B. Alex. c. 56. ‘ Classem, quam parabat, ut inspiceret, Hispalim accedit.’ Ursini *instruxisset* non placet. Ut enim ‘ instruere viros,’ ‘ equos ’ recte dicitur, ita ‘ instruere arma ’ quid sit, non intelligo.

§ 7 *Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac Romani nominis, &c.*] Nonnulla hic deesse unusquisque sentire potest, quorum hæc videtur fuisse sententia: *primus eorum congressus ex dignitate eorum ipsorum ac*

Romani nominis, et in rebus gerendis summe utilis Philippo consuli fuit. Proconsul enim ad exercitum conversus eum ad rem fortiter gerendam hortatus est, eoque consuli tradito Romam reversus est. Paucis post diebus consul concionem apud milites habuit. Locutum hic esse de traditione exercitus apparet, cum subdit, ‘ profectus decimo die, postquam exercitum acceperat, castra movit.’ *Sigon.* Pighius in Annal. ad a. IↃLXXXIV. p. 377. locum depravatum ac mutilum ita supplendum existimat: *Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac nominis Romani, et in rebus deinde gerendis summe utilis fuit. Proconsul enim ad exercitum conversus, eum commendans successori tradidit, ac Romam inde reversus est. Paucis post diebus, &c.* Quod autem Sigonius *ex dignitate eorum ipsorum,* pro *ex dignitate ipsorum,* malebat, necesse non videtur. Nam *ipse* pro ‘is ipse’ sæpe usurpari solet; vide ad v. 43. § 4. Illa, quibus lacunam explet Sigonius, etiam Crevierio displicent: quem enim dicturum, eum summe utilem duci in rebus gerendis fuisse, qui tantummodo hortatus milites ad rem fortiter gerendam statim abierit? odiose insuper geminari voces. Putat vero mentem Livii ex reliquiis ejus non satis adparere, nec alios auctores adjuvare: præstare igitur locum mutilum relinqui.

§ 9 *Adjecit post, scelere partum regnum, veneficia, &c.*] Ita primus distinxit Curio. Priores *adjecit post scelere partum regnum.* Sed recte vidit Crevier. interpungendum esse *adjecit, post scelere partum regnum, veneficia.*

§ 10 *Sensurum in exitu rerum suarum*] Præpositionem delet Muretus. *J. F. Gron.*

Cap. II. § 4 *Menstruum jusso milite secum ferre*] ‘ Frumentum ’ scilicet. Vide Lipsium de Milit. Rom. v. 2. et Schel. ad Polyb. c. 7. *Duk.*

§ 5 *Convocatis itinerum ducibus, quum, exponerent in concilio, jussisset*] Legimus, *et unius diei progressus iter, convocatos itin. duces quum exponere in consilio jussisset, qua quisque duct. esset, summotis iis, quam potissimum peteret, retulit ad consilium.* Pluribus locis apud Livium confusæ sunt hæ voces ‘ consilium ’ et ‘ concilium,’ nonnunquam forte, alibi judicio editorum: itaque libet de illorum differentia, quod potissimum ad Nostrum pertinet, uberius addere. Primo ‘ consilium ’ publicum est senatus: unde Pacuvius XXIII. 3. inducitur dicens, ‘ aut, quod unum liberæ civitatis consilium est, senatus habendus est.’ In eo peccatum XXIII. 22. ‘ Solitudinem curiæ paucitatemque convenientium ad publicum consilium respexerunt.’ Et XXIV. 22. ‘ Quod sicut regnante Hierone manserat publicum consilium :’ sic optimæ membranæ. Male vulgo *concilium.* Deinde ‘ consilium ’ militare imperatorum Romanorum erant legati, tribuni militum, quosque, quoties aliquid deliberandum incidebat, advocabant in consilium. In eo peccatum sæpissime. Sic scribendum VIII. 6. ‘ Agitatum etiam in consilio est,’ nempe consulum T. Manlii, P. Decii. Lib. IX. c. 15. ‘ Dimissa concione consilium habitum :’ a Publilio Papirioque consulibus. XXII. 3. ‘ Cæteris omnibus in consilio’ (apud C. Flaminium) ‘ salutaria magis, quam speciosa, suadentibus.’ XXV. 31. ‘ Marcellus consilio advocato, et adhibitis etiam Syracusanis.’ Et sequenti, ‘ Ibi consilium advocatum,’ a Scipione videlicet. XXVII. 46. ‘ Postero die consilium habitum :’ a Livio et Claudio consulibus. Et, ‘ is tum in consilio aderat :’ moxque ‘ consilio dimisso.’ XXVIII. 26. ‘ consilio dimisso,’ quod P. Scipio convocaverat. Eodemque, c. 29. ‘ citantis nomina damnatorum in consilio.’ XXX. 5. ‘ His præparatis, convocatoque consilio.’ Eodemque libro, c. 31. ‘ est, quod referam ad consilium.’ Et c. 36. ‘ In

consilio, quamquam justa ira omnes,' &c. XXXII. 6. 'Postero die consilium habui.' P. Villius. Eodemque libro, c. 9. 'Consilium habuit, utrum recto itinere.' T. Quinctius. XXXVII. 13. 'Consilium habitum,' (ab Livio præfecto classi) 'utrum extemplo.' Iterumque c. 15. 'Æmilius' (successor ejus) 'consilium advocavit.' Cap. 15. 'Advocato frequenti consilio, legati verba sunt audita:' apud L. Scipionem. XLII. 60. 'Et in consilio apud consulem.' Hoc lib. XLIV. 35. 'Dimissoque consilio Perræbos mercatores.' Consul Æmilius Paullus. Ibidemque, 'quod in consilio agitatum erat.' Cap. 34. 'Cum iis, quos advocaverit in consilium.' Cap. 37. 'ad consilium vocavit.' XLV. 7. 'Et in consilio advocato literas prætoris quum recitasset.' Itemque, 'Adversus advocatos in consilium considere jussit.' Iterumque, 'consilio dimisso.' Cap. 26. 'Pronunciavit de sententia consilii.' Nam et decem legati, more majorum missi, erant 'consilium' imperatorum, provincias constituentium. Idem error in Cæsare admissus III. 3. de Bello Gall. 'Concilio celeriter convocato sententias exquirere cœpit.' Eodemque lib. c. 23. 'Hac re ad concilium delata.' Loquitur de Galba et Crasso legatis vel præfectis Cæsaris. Igitur scribe *consilio* et *consilium*. Erant prætorum *consilium* judices adsessoresque: ideo 'in consilio esse,' 'in consilium ire,' 'mitti' dicebantur. In eo erratum XXIX. 20. 'Cum eo consilio prætorem cognoscere.' Præterea regum 'consilium' sunt consiliarii ipsorum, quos deliberationibus adhibent, ut et ducum regiorum, qui exercitibus præsunt, alii præfecti minores. In eo labes I. 34. 'Ut publicis pariter ac privatis consiliis belli domique interesset.' XXXV. 17. 'Rex, dimissis iis, consilium de bello Romano habuit.' Cap. 19. 'Annibal non adhibitus in consilium.' Ibidemque, 'Ex consilio ita discessum est.' XXXVI. 43. 'et consilium extemplo habuit, faciendumne periculum navalis certaminis foret.' Polyxenidas præfectus classis Antiochi, [immo ipse Antiochus rex.] Lib. XLII. c. 50. 'Perseus consilium habuit.' Cap. 57. 'Sub idem deinde tempus consilium et consul et rex habuerunt.' Cap. 62. 'Consilium habenti regi de summa.' XLIII. 22. 'Ibi consilio advocato.' XLIV. 26. 'Hæc relata regi quum essent, advocato consilio.' Denique 'consilium' est etiam prudentia, astus, vel prudens inventum. Sic oportuit accipi II. 44. 'Diu sustentatum id malum partim consiliis Patrum, partim patientia plebis.' XXXV. 36. 'Sed ut oportuit in consilio fraude cœpto.' l. XXXIX. c. 35. 'Et quum omnia ira, non consilio, gererentur.' Quibus omnibus locis male omnes libri vulgati, quos quidem diversarum editionum ante oculos habeo, *concilium* iterant. Sic Ovidius in Epistola Helenes: 'Quæ mihi sunt comites consiliumque duæ.' Non *concilium:* nam dicit consiliarias vel consiliatrices. Multo minus de Remedio vs. 703. 'Consilium est, quodcumque cano.' Sequitur enim 'parete monenti.' Qui monet, consilium dat: et secunda sors ingenii est bene monenti obedire, ut Minucius apud Nostrum ait XXII. 29. Sic Artis lib. I. vs. 353. 'Proxima consiliis dominæ:' quæ adest vel interest secretis sermonibus. Juvenalis VI. 497. 'Est in consilio matrona.' At vicissim *concilium* interdum significat comitia seu conventum populi cujusque. Ita restituendum XXIV. 37. 'Si ad consulem gravarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium.' Cæsar VIII. 14. de Germanis Rhenum transgressis, 'Qui omnibus rebus subito perterriti, et celeritate adventus nostri et discessu suorum, neque concilii habendi neque arma capiendi spatio dato, perturbabantur.' Nec enim il-

lic paucorum consilium, sed vitio libertatis, ut ait Apollonius Argon. III. 173. Ξυνὴ γὰρ χρειὼ, ξυνοὶ δέ τε μῦθοι ἔασι Πᾶσιν ὁμῶς. Eodem libro de Suevis, Cæsare Rhenum transgresso, c. 19. ‘Suevos, postquam per exploratores pontes fieri comperissent, more suo concilio habito, nuntios in omnes partes dimisisse.’ Significat et communem rempublicam conjunctorum populorum, ut cum XLII. 44. ‘Bœotico concilio discusso’ dicitur, et ibidem legati Romani nuntiant, ‘Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse.’ Sic restituendum XXXIX. 48. ‘Et Messene desciverat a concilio Achaico.’ Est ubi ponitur pro congressu secreto, coitione seu cœtu conspirantium clanculum; unde conjungit interdum Noster ‘concilia coitionesque.’ Id non animadversum IV. 6. ‘Consules, quum per senatum, intercedentibus tribunis, nihil agi posset, concilia principum domi habebant.’ Sed etiam conventus legatorum ab diversis populis sociis *concilium* appellatur. Et sic posuerat Noster XXXIII. 12. ‘Et illos prioribus omnibus conciliis colloquiisque de conditionibus pacis semper disseruisse.’ Non enim tam suam caussam in eo bello jactabant Romani, quam libertatem Græciæ. Unde et cap. seq. recte, ‘Tertio die datur ei Romanorum et sociorum frequens concilium.’ Et ita accipiendum puto XXXIV. 30. ‘Concilio advocato, quum omnes colloquium dandum censuissent.’ Aderant enim, præter Eumenem regem, principes Græciæ, ut apparet ex c. 26. ubi advocat concilium de oppugnandis Argis: ‘Omnium principum Græciæ sententia erat.’ Itaque non adsentior Modio istic legenti *consilio;* etsi jubebat videre Parerga Brissonii, quæ nobis in promtu non sunt. Ambiguum potest videri XXXIV. 33. ‘Ita et tyranno ad consultandum tempus datum est, et Quintius, sociorum etiam principibus adhibitis, habuit concilium.’ Sic nunc vulgati: at Andreas *consilium.* Idque puto verius. Non enim proprie sociorum conventus fuit, sed præfectorum Romanorum apud imperatorem, cui aliquot sociorum sunt adhibiti. Sic XLII. 57. ‘consilio’ apud Licinium Crassum habito interfuerunt Eumenes cum fratre: neque tamen eo id ‘concilium’ fuit. Hinc colligas licet, quid sentiendum sit de eo, quod scribit Barthius Advers. LVII. 7. Dictyi Cretensi ‘consilium’ et ‘concilium’ eandem rem esse, ut aliis quoque non minus probis atque utilibus. *J. F. Gron.* In eo Gronovio adsentior, *in consilio* legendum esse. De differentia utriusque dictionis *consilium* et *concilium* vide etiam G. H. Ursinum in Observ. Philolog. capp. 3. 4. et 5. Sæpius hæ voces in membranis antiquis confunduntur. Vide Burm. ad Nemes. Ecl. I. 51. Seren. Samon. 1018. Oudend. ad Cæs. B. Gall. v. 28. et alios. Ex Livio, in cujus Mss. id frequentissimum est, nullum addo exemplum. Sat multa inde laudavit Gronovius. Reliquas Gronovii emendationes, quarum partem Clericus, nihil monito lectore, in contextum recepit, adversus singularis codicis auctoritatem probandas non esse censeo, quum vulgata lectio commode defendi possit. Pro *convocatis itinerum ducibus* et *exponerent* legit *convocatos itinerum duces* et *exponere;* quod posterius etiam Crevierio placuit, et a Clerico in contextu admissum est. Et quidem *convocatos duces* conjecit, ne quis perperam jungeret *jussisset convocatis ducibus,* eoque exemplo uteretur, ut probaret, verbo ‘jubere’ casum tertium ab optimis scriptoribus addi; quam locutionem Livio indignam esse, toties testatus fuerat. Vide ad XXVII. 24. § 3. Hac conjectura probata, necesse erat Gronovio, ut *exponerent* mutaret in *exponere.* Verum voces *convocatis itinerum ducibus* a verbo *jussisset* disjun-

gendæ, et absolute accipiendæ sunt; quo sensu Perizonius ad Sanctii Minerv. II. 4. p. 180. accipi debere docuit locum Silii XII. 607. 'Cœlicolis raptim excitis, defendere tecta Dardana, et in septem discurrere jusserat arces:' ubi vide quæ notavi. Pari modo consuli potest loco Justini XXVI. 1. 'Cunctantibus privato periculo publicum finire, et deliberandi spatium postulantibus, arcessitis servis, jubet obserari fores, tyrannoque nunciari:' ubi Gronovius invitis iterum codd. malebat *arcessitos servos jubet obserare fores, tyrannoque nunciare.* Præterea *jussisset, exponerent,* pro ut exponerent, familiarem Livio cllipsin esse, vidimus ad X. 41. § 8. et XXXII. 16. § 9.

Quam potissimum peteret, retulit ad consilium] Legendum est *qua:* ut *qua quisque ducturus esset;* nisi *viam* addere malimus, ut paulo post, 'quod iter petiturus esset, ignarus.' *Sigon.* Prima ed. *quam potissimum peteret.* Sigonius corrigit *qua*, nisi, inquit, *viam* addere malimus. Immo non est addenda ea vox, quam Livius voluit intelligendo hinc referri ex sequentibus, 'Restabat aliquantum viæ communis:' *quam peteret* dixit sine dubio intelligendo *viam:* ut in illo 'qua ducturus esset,' sine dubio *via.* Est autem 'petere viam,' legere viam: ut Virgil. Georg. IV. 8. 'sedes apibus statioque petenda.' Cicero ad Att. III. 8. 'Ille incertus, ubi ego essem, fortasse alium cursum petivit.' *J. F. Gron.* Liv. XXII. 2. 'Propiorem viam per paludem petit.' *Duk.* Sigonii conjectura Doujatio placuit; at rectius Gronovium vulgatum defendisse Crevierius censet; nisi quod vocem *viam* non ex sequentibus repetat, sed ex præcedentibus *qua,* nempe via, *quisque ducturus esset.* 'Petere viam,' 'iter,' recte dicitur. Ovidius ex Pont. III. 2. 79. 'qua vos tamen urbe venitis? Quove parum fausta puppe petistis iter?' Art. Amat. III. 613. 'Nomine quum doceat, quid agamus, adultera clavis, Quasque petas, non det janua sola, vias:' ubi vide Burm. Valer. Flacc. I. 91. 'Accepere Deæ, celerique per æthera lapsu Diversas petiere vias.' Curtius IV. 12. 'Ad itinera, quæ hostis petiturus erat, occupanda præmisit.' Præterea, quum antiquiores edd. exhiberent *ad consilium,* Modius demum *ad concilium* dedit. At recte Gronovius priorem lectionem reduxit.

§ 6 *Per Pythium placebat via*] Ita Sigonius edidit, quem vide ad XLII. 53. § 6. Priores præferunt *per Pythoum.*

§ 10 *Decem millia levis armaturæ juvenum*] Crevierius vel delendam putat vocem *juvenum,* ut plane otiosam; vel in ea latere nomen gentis, quæcumque tandem illa sit: ut in altero præsidio, quocum Hippias dicitur jussus tenere saltum ad Lapathunta, diserte exprimitur illud fuisse 'duodecim millium Macedonum.'

§ 12 *Circa Dium stativa habuit*] Confer cum his Diodor. Sicul. in Exc. Peiresc. apud Vales. pag. 309. Mox *per litora,* pro *litore,* legit Crevier. et laudat locum Livii cap. 4. 'Quum ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex.'

Nunc Heracleum, nunc Philam percurrebat] Ita Gronovius 1665. edidit, quum jam antea in prima ed. nott. sic legendum esse ad cap. 5. § 13. monuisset. Similiter etiam vocatur apud Scylac. in Peripl. pag. 61. ubi πρώτη πόλις Μακεδονίας dicitur, et proxime ante Pydnam et Dium memoratur. Alia exempla laudavit Gronov. dicto loco. Antea hic edebatur *Heracleam.* Eodem modo Ἡράκλεια adpellatur apud Polyb. in Exc. Legat. num. LXXVIII. et *Heraclea* apud Plin. Hist. Nat. IV. 10. ad quem locum graviter offendit Harduinus, existimans situm Heracleæ, cujus Plinius ibi meminit, describi a Livio lib.

XXXVI. c. 22. 'Sita est Heraclea in radicibus Œtæ montis:' &c. quum tamen a Livio eo loco describatur Heraclea Trachiniæ sive Trachin, memorata Plinio IV. 7. Illam vero Heracleam, vel Heracleum, cujus hic Livius et Plinius IV. 10. mentionem faciunt, describit Liv. XLIV. 8. 'Heracleum abest a Phila quinque millia ferme passuum, media regione inter Dium Tempeque, in rupe amni imminente positum.' Amnis autem, ad quem Heracleum situm esse Livius ibi tradit, 'Apilus' videtur vocari a Plinio IV. 10. quem Harduinus ibidem male confundit cum Asopo Livii XXXVI. 22. ad Asopum enim sita est Heraclea Trachin. Ceterum, si Gronovius hic et aliis Livii locis recte emendavit *Heracleum*, forte etiam ita apud Plinium legendum est, ut et Ἡράκλειον apud Polyb. præsertim quum Polybium etiam alibi nomen istius urbis eo modo formasse Gronovius docuerit. Insuper Gronovius dicto loco malebat *intercurrebat*; de quo verbo vide ad II. 29. § 4. Ita 'intercursus' XXX. 11. 'Ut pedes Romanus repentino per turmas suas viam dantes intercursu stabilem aciem fecit.' Et 'intercursare' XXI. 35. 'Postero die, jam segnius intercursantibus barbaris, junctæ copiæ.'

CAP. III. § 1 *Ubi propter Octolophum diximus regis castra. Præmitti tamen*] Locus mancus ita restitui potest: *ubi propter Octolophum diximus regis castra Philippi fuisse. Præmitti tamen.* Librarius enim oculos a *Philippi* transtulit ad *Præmitti* ob quandam similitudinem literarum: rem autem ita habuisse, intelligi potest ex XXXI. 36. ubi de rege Philippo cum Quintio dimicante agitur. *Sigon.* Sed Livius XXXI. 36. non Philippum, verum Sulpicium, qui biennio ante T. Quinctium consul fuit, castra ad Octolophum habuisse scribit. *Dukerus.* Sigonii supplementum neque Doujatio, neque Crevierio satisfacit. Et quidem Doujatio, quin plura alia desint, dubium non est: Marcium enim consulem ad duodecimum a Dio milliare per invios montes transgressum in Macedoniam paullo post narrari: ab Octolopho autem ad Dium circiter centum ac viginti millia passuum numerari necesse esse. Crevierius vero observat, ex narratione rerum a Sulpicio adversus Philippum gestarum, quæ obcurrit lib. XXXI. constare, Octolophum ad occiduum Macedoniæ latus situm esse, et longe abfuisse ab Heracleo, et Phila, et Dio, quæ prima Macedoniæ oppida hic Marcio e jugis digresso obcurrunt: vel igitur duplicem locum fuisse, qui Octolophi nomen habuerit, alterum in Dassaretiis, alterum in finibus Perrhæbiæ; vel hic mendum agnoscendum esse. Præterea non quidem tentat explere quæ desunt; credit tamen, regem cujus hic mentio fit, potius Persea fuisse, quam Philippum. Editi ante Sigonium præferunt *Octolopum.*

§ 2 *M. Claudius, Q. Marcius*] *Et Q. Marcius* edidit Froben. an. 1535. quam scripturam omnes retinuerunt usque ad Gronovium. Is autem copulativam, quam non agnoscit prima ed. a. 1665. iterum expunxit.

§ 3 *Turrim Eudieru*] Græca terminatione pro *Eudieri.* Vide hoc lib. ad c. 28. § 7.

CAP. IV. § 4 *Concursum ab illis, si loci satis*] Forte *majoribus copiis atque inf. concurrissent, si loci satis ad expl. aciem fuisset.* J. F. Gron. Doujatius vulgatum tuetur, et *concursum* supplet per *esset*, vel huc revocandum censet verbum *fuisset* ex fine periodi, quasi bis positum foret.

§ 6 *Ab lateribus cum levi armatura conserere*] Hic aliquid vitii esse suspicor; quia *conserere* solum pro 'certamen,' 'pugnam,' 'manum conserere' insolens est. Primum cogitabam, fortassis excidisse *manum* prop-

ter similitudinem literarum in voce *armatura*: sed hoc deinde repudiavi, quia hoc quoque, ut cetera, de iis dicitur, qui pede collato cominus et e propinquo pugnant, quod gravis armaturæ est, non levis; quæ procursando eminus missilibus rem gerit. II. 30. 'Ubi ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere.' Ibid. cap. 46. 'Pilis inter primam trepidationem abjectis temere magis, quam emissis, pugna jam in manus, jam ad gladios, ubi Mars est atrocissimus, venerat.' XXI. 50. 'Romanus conserere pugnam, et ex propinquo vires conferre velle.' XXVII. 16. 'Pilis tantum conjectis, prius pæne, quam consererent manus, terga dedere.' Adde XXVIII. 2. Unde 'procul missilibus pugnam lacessere,' 'missilibus pugnam eludere' et 'pugnam conserere' opponuntur. Vide XXVII. 18. et XXXVII. 16. *Duker.* Vocem vel *manum* vel *pugnam* excidisse, conjicit Crevier.

§ 7 *Neque regredi sine flagitio, atque etiam periculo; sed cedenti ex superioribus locis instare hostis poterat*] Lege, *neque regredi sine flagitio atque etiam periculo, si cedenti ex superioribus locis instaret hostis, poterat.* Et sic quoque conjecerat Muretus. *J. F. Gronov.* Doujatius nihil mutandum censet; sed τὸ *poterat*, quod sequitur, retrahit etiam ad priora 'manere' et 'regredi,' ut pertineat tam ad imperatorem Romanum, quam ad hostem Persea. Sed præfero Gronovii et Mureti conjecturam.

§ 8 *Nec aliud restabat, quam audacter commissum*] *Nec aliud stabat* ed. prima, pro quo mox Frob. 1535. emendavit *restabat.* Deinde vel *commissum* hic notat 'peccatum,' propter sequens 'corrigere,' vel notat 'inceptum,' 'inchoatum;' ut mox hoc cap. 'Egregie ad ultimum in audacter commisso perseveravit.' c. 6. 'Supererat nihil aliud in temere commisso, quam in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes.' Ita 'bellum prospere commissum' VIII. 25. 'felici expeditione bellum commissum' lib. XXXI. cap. 28. Vide Freinsh. Indic. Flori ea voce.

§ 11 *Popillio relicto in custodia jugi*] Si quis pertinaciter vulgatum defendendum existimet, non adversabor. Non displicet tamen *relicto in custodiam jugi*, id est, ideo relicto, ut jugum custodiret, ut ei præsidio esset.

CAP. V. § 5 *Inde tertius, et plures ex ordine*] *Dein tertius* prima ed. quod Froben. 1535. mutavit in *deinde tertius.* Sed vide ad III. 3. § 6. Quum autem *deinde* præcessisset, eam ob caussam Modius permotus fuisse videtur, ut *inde tertius* ederet, quod recentiores omnes retinuerunt. At priscam lectionem nunc demum revocavi. Nam, *dein* post *deinde* inferri, non magis suspectum esse debet, quam si *deinde* post illud inferatur, apud Cic. de Divin. lib. II. cap. 38. 'Illud erat philosophi, totius augurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam:' et aliquoties ad Famil. III. 7. 'An ego tibi obviam non prodirem? primum Ap. Claudio? deinde, imperatori? deinde, more majorum? deinde, quod caput est, amico?'

Qua rupes abscissæ erant] Frobenius *abscisæ.* Et sane sic passim, ac fere ubique optimi atque antiquissimi codices; ut aut abolendum omnino sit *abscissus,* aut non tam membranas, quam rationem aliquam et aurem, decernere oporteat, ubi sit hoc aut illud ponendum. Itaque eo progressi sunt viri docti, ut fecerint 'scindo,' 'scidi,' 'scisum:' nam et *abscidere* pro *abscindere* apud Plautum legi, et non mirum a σχίζω σχιδεῖν *scindo* et *scido* esse. Sed quantitas mediæ in præteritis ostendit, duo verba fuisse *abscindo* et *abscido.* Sunt enim Virgilii Æn. III. 418. 'Hesperium Siculo latus abscidit,' et Ovidii Met. I. 22. 'terris abscidit undas,' et vicissim Ovidii in

Met. XII. 362. ' Abscidit jugulo pectus,' et Senecæ in Phœniss. 193. ' vitæ bona Projecit atque abscidit,' et Lucani l. IV. vs. 503. ' Abscidit nostræ multum sors invida laudi:' (ut quidem in scriptis observavimus) et Martialis III. 66. ' Abscidit vultus ensis uterque sacros.' Jam ' rescindere decretum ' et ' rescindere vulnus ' Latini dicunt, non ' recidere :' at ' recidere sumtum,' non ' rescindere.' Sic et ' proscissam terram:' at ' præcisum os,' et ' percisos,' quod nolo dicere. *J. F. Gron.* Doujatius hic malebat *abscissæ*, quod in ed. Vascos. primum adparuit; nullam tamen sententiæ rationem reddit. Eamdem lectionem defendendam censet Arntzen. ad Aurel. Vict. Epit. cap. 23. § 3. quia ' abscidere ' adhibetur, si de parte aliqua corporis humani detruncata mentio fiat; ' abscindere,' si de aliis rebus sit sermo, quæ vi aliqua abrumpuntur. At vide quæ notata sunt ad XXXI. 34. § 4. et Nic. Heinsium ac Burmann. ad Virg. Georg. II. 23.

§ 6 *Solido procedebat elephas*] Sic recte Gronov. edidit: priores exhibent *præcedebat;* cui verbo hic locus non est. Sæpe ' procedere ' et ' præcedere ' librarii in membranis commutarunt. Vide ad IV. 32. § 10. Epit. Liv. XIII. l. XXXV. c. 34. § 9. et alibi. Caussam vide ad IX. 10. § 7.

§ 8 *Septem millia die Romani processerunt*] Forte *septem millia eo die.* J. F. Gronov. Doujatius et Crevierius vulgatum tuentur, quorum hic *die* exponit per diem, idque obponi putat τῷ *nocte*, quod sequitur paullo post. Non displicet tamen Gronovii conjectura *eo die.* Compendium ꝏ, quo vox *millia* scribitur, ductibus parum differt a τῷ *eo;* unde etiam pro ꝏ *D* librarios perperam *eod*, vel *eodem* dedisse, vidimus, ad XXXI. 21. § 2. Illa vero ductuum similitudo caussa esse potuit, cur vocula *eo* exciderit. Nolim tamen illud *eo* cum Clerico in contextum recipere, præsertim non monito lectore.

§ 12 *Tertio inde die per æque invia*] *Quarto* legendum; priore enim versu dixit ' Tertio die conjunctis copiis eunt,' et supra ' posteri diei ' meminerat. *Sigonius.* Per notas scriptum fuerat *IV. inde die;* nota autem *V.* sollemni errore mutata est in binarii numeri notam *II.* Vide ad XXXVII. 22. § 4.

Quod nec hostis umquam adparebat] *Usquam;* perspicue. *Sigon.* Passim vocabula illa a scribis commutantur. Vide ad XXXIX. 31. § 5. Potest tamen et vulgatum servari, ut *umquam* dicatur ratione totius diei et variarum ejus partium.

Digressi in campos] *Degressi:* nam de descensu loquitur, non discessu, ut supra. *Sigon.* Vide ad IV. 17. § 11.

Inter Heracetum ac Libethrum posuerunt castra] Scribe *Heracleum et Libethrum.* Quod nomen urbis in hac historia fere semper corruptum est. Supra cap. 2. ' Litore nunc Heracleum, nunc Philam percurrebat:' non *Heracleam:* ubi vereor, ne Livius reliquerit *intercurrebat* propter ea quæ diximus ad II. 29. Infra c. 8. ' Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit.' Polybius de hoc ipso in Fragmento apud Suidam: *Σημαία τάξις πολεμικὴ, δι' ἧς τὸ Ἡράκλειον ἥλω·* ubi monuit de eodem Livii loco Valesius. Cap. 9. ' Capto jam Heracleo.' Cap. 10. ' Cum classe ab Heracleo Thessalonicam profectus.' Cap. 35. ' Q. Fabium [Maximum filium suum cum quinque delectis millibus Heracleum mittit.' Plutarchus in eadem re in vita Æmilii Paulli p. 263. *κατεστρατοπέδευσε παρὰ τὸ Ἡράκλειον. J. F. Gronov. Heracetum* demum Modius edidit; corruptius priores *Haracetum;* quod recte Gronov. in *Heracleum* mutavit. Vide ad c. 2. § 11. et c. 8. § 8. Præterea *Libetthyrum* prima ed. pro quo proximæ *Libethrum* dederunt. Et quidem *Libe-*

thra nomen est urbis, *Libethrum* vero fontis. Suidas, Λείβηθρα ὄνομα πόλεως· Λείβηθρος δὲ ὀχητὸς ὑδραγωγικός. Libethra urbs memoratur Pausaniæ in Bœotic. c. 30. Ἐν τῷ Ὀλύμπῳ πόλις οἰκοῖτο Λίβηθρα, ᾗ ἐπὶ Μακεδονίας τέτραπται τὸ ὄρος. Et quidem esse plurale neutrum, constat ex Conon. Narrat. c. 45. Ἐφοίτα μὲν οὖν τακταῖς ἡμέραις ὡπλισμένον πλῆθος Θρᾳκῶν καὶ Μακεδόνων ἐν Λιβήθροις, εἰς οἴκημα συνερχόμενον μέγα τε καὶ πρὸς τελετὰς εὖ πεποιημένον. An igitur etiam hic *Libethra* legendum sit, judicet lector. Fons tamen *Libethra* vocatur Melæ II. 3. et Plinio H. Nat. IV. 9.

§ 13 *Ii vallem, campi quoque partem*] Lege, *ii vallem campique partem, ubi eques tenderet, amplectebantur.* Sic et Muretus. *J. F. Gron.* Pro *ii* insuper legendum videtur *alii.* Nam ii, quorum pars major tumulos tenebat, vallem et partem campi amplecti non poterant. VI. 24. 'Magna pars et in ipso certamine, et post in fuga cæsi; cæteri in castris.' XXX. 24. 'Onerariæ pars maxima ad Ægimurum, &c. aliæ adversus urbem ipsam ad Calidas Aquas delatæ sunt.' Sallustius Jugurth. c. 57. 'Pars eminus glande aut lapidibus pugnare, evadere alii, alii succedere.' *Duk.* Gronovio et Mureto adsentior, legendum esse *campique partem.* Vide ad V. 27. § 1. Cum Clerico tamen ei in contextu locum dare non audeo.

CAP. VI. § 2 *Duobus ex amicis Pellam, alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat*] Neque 'Pella' viri est nomen, neque 'Asclepiodotus' loci. Verba autem illa, *ubi pecunia deposita erat*, omnino sunt aliena. Possis existimare post τὸ *trepidans* interjectum aliquid fuisse, quo narraret Livius, quod breviter innuit c. 10. 'Perseus tandem a pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle imperiis suis obtemperatum non esse, quum trepidans gazam in mare dejici Pellæ, Thessalonicæ navalia jusserat incendi:' ejusque narrationis particulam esse illa, *ubi pecunia deposita erat.* Sed credo potius addidisse librarium, qui invenerat illud adscriptum voci *Pellam*, postquam in hanc transformatum verum nomen exstitit. Etsi enim hoc loco narrandum illud fuisset, tamen, intelligi ex postea narratis more suo Livium id maluisse, certum habeo. Est autem omnino scribendum: *et sub. per alia atque al. pav. cons. et imp. trep., duos ex am., Hippiam, alterum Asclepiodotum, ex præsidiis revocat, omnesque aditus aperit bello:* quam conjecturam suggerunt, quæ habes in hanc rem capp. 2. et 7. Nec mirere *duos ex amicis, Hippiam, alterum Asclepiodotum:* quasi non videremus, τὸ *alterum* esse repetendum. Scimus hoc posse alicui in mentem venire, sed nos id necessarium non esse judicamus. Solet auctor distributiones per voces 'alter,' 'pars,' 'alii,' 'plerique,' 'partim,' 'simul,' quæ vulgo repeti solent, ita concipere, ut semel eas tantum ponat, de quibus largiter ad III. 37. § 8. et XXXV. et XXXVI. 17. § 9. Sic et XLII. 65. 'Quum et hoc et alio omni genere telorum pars vulnerata militum esset, nec facile jam arma fessi sustinerent.' Quod est perinde, ac si diceret 'pars fessi non facile arma sustinerent.' Valerius Maximus II. 5. 'Quæ cum viros suos clandestinis insidiis veneno perimerent, unius ancillæ indicio protractæ, pars capitali judicio damnatæ, centum et septuaginta numerum expleverunt.' Tacitus Hist. II. 100. 'Ita accelerare legiones Cremonam, pars Hostiliam petere jussæ.' *J. F. Gron.* XXXI. 21. 'L. Valerio imperat, ut parte duarum legionum equites, altera sociorum equitatum in hostes emittat:' ubi contra consensum Mss. editum erat *ut altera parte duarum legionum.* Duker. Non dubito quin locus corruptus sit: eidem etiam Gronoviana emendatione com-

modum sensum, qui antea deerat, additum esse, certum est. Locum tamen persanatum esse, præstare nequeo. Quin contra persuasum est, locum mutilum esse, et ea excidisse, quæ ipse Gronovius in initio adnotationis innuit. Ea reparari posse partim ex Livii c. 10. partim ex Diodoro in Exc. Valesian. p. 310. monuit Crevierius, et in hunc fere modum supplenda censet: *Duobus ex amicis, Niciam prof. jussit Peltam, ubi pec. dep. erat, et, quidquid ejus ibi nanciscerctur, in mare dejicere: alterum Andronicum misit Thessalonicam, ut navalia incenderet. Simul Hippiam et Asclepiodotum ex præsidiis revocat.* Ne enim calculum adjicere queam sententiæ Gronovii, adfirmantis Livium ea ex postea narratis hic intelligi maluisse, efficiunt voces *Pellam* et *ubi pecunia deposita erat;* quas, iis quæ excidisse videntur exponendis optime convenientes, ab indoctis librariis additas esse, mihi persuadere nequeo.

§ 3 *Auratis statuis omnibus, &c. in classem congestis, ocius demigrare Pydnam cogit*] Non additur, quos Perseus Pydnam demigrare coëgerit. Intelligi incolas Dii cum omnibus familiis, constat ex Diodoro Sic. in Excerpt. Vales. p. 310. Ὁ αὐτὸς, τοὺς χρυσοῦς ἀνδριάντας ἀνασπάσας ἐκ Δίου, πάντας τοὺς ἐκ τῆς πόλεως ἀναλαβὼν μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἀνεχώρησεν εἰς Πύδναν. An igitur et hic locus mutilus est, ac quædam nobis verba perierunt? Aliter subcurrit Jac. Perizon. qui ad marginem Livii scribendum conjecit *demigrare Pydnam cogitat:* mox enim in fine cap. addi *ad Pydnam refugit.* Verum ita silet Livius, urbis Dii incolas Pydnam demigrare coactos esse: quod eum narrasse ex Diodoro verisimile fit.

§ 4 *Eam non consultam audaciam fecit*] Legendum *non inconsultam audaciam.* Nam contrarium temeritati quærimus: præterea supra eandem sententiam protulit c. 4. 'Nec aliud restabat, quam audacter commissum pertinaci audacia, quæ prudens interdum in exitu est, corrigere.' Quam ergo ibi *prudentem audaciam,* hic *non inconsultam* vocavit. *Sigonius.* Probo Sigonii *non inconsultam.* Ipse nimirum Perseus ignavia sua. Muretus *eam consultam inaudacia fecit:* ut apud Horat. Od. III. 20. 3: 'inaudax.' *J. F. Gron.*

§ 6 *Intrepidus decem dies primam speciem adpropinquantis terroris sustinuisset*] Non intelligo quid sit 'sustinere primam speciem terroris.' An forte legendum *prima specie adprop. terrorem sustinuisset?* ut 'terror adpropinquantis' sit, quem adpropinquans incutit, quo alius adpropinquantis caussa adficitur. l. IX. c. 41. 'Tantum terrorem sui fecit, ut nomen omne Etruscum fœdus ab consule peteret.' XXXVI. 10. 'Ratus terrore ceterarum expugnatarum' (urbium) 'non ultra in pertinacia mansuros.' Eodem modo 'timor,' 'metus hostium' XXI. 56. et XXXVI. 10. Mox voces *per Tempe in Thessaliam* huc inmigrasse ex § præc. iisque nihil hic opus esse, existimat Crevierius. Mihi aliter videtur. Duorum saltuum, per quos Romani evadere possent, § præc. Livius meminerat. Nunc de difficultatibus, quibus Romani impliciti fuissent, utro eorum se recipere conarentur, per partes agit: quum autem de difficultatibus, quæ Romanis in Macedoniam præter Dium inrumpere conantibus superandæ erant, § 14. agens, nominatim hunc saltum memoret; cur idem hic facere prohibendus sit Livius, ubi exponit difficultates ad alterum saltum, si nempe Romani per Tempe in Thessaliam se recipere vellent, me non videre profiteor.

§ 8 *Præter angustias per quinque millia, qua exiguum jumento onusto iter est*] Parum descriptioni Livianæ convenit illa Plinii Hist. Nat. IV. 8. 'Tempe vocantur quinque millium

passuum longitudine, et ferme sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis adtollentibus se dextera lævaque leniter convexis jugis:' ut et illa Æliani Var. Hist. III. 1. Τὸ μὲν μῆκος ἐπὶ τεσσαράκοντα διήκει σταδίους, τόγε μὴν πλάτος, τῇ μέν ἐστι πλέθρου, τῇ δὲ καὶ πλεῖον ὀλίγῳ. De longitudine inter omnes convenit; de latitudine dissentiunt. Tantas esse angustias, 'ut exiguum tantum jumento onusto iter sit,' auctor est Livius; at Plinio est 'latitudo sesquijugeri,' Æliano 'alibi plethri, alibi paullo major.' Præterea Livio 'rupes utrimque ita abscisæ sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit;' Plinio 'dextera lævaque leniter convexa juga.'

Rupes utrimque ita abscisæ sunt] Hæc est principum edd. lectio. Primus deinde Vascos. dedit *abscissæ;* quod secuti editores servaruut, usque dum Gronov. an. 1665. revocaret *abscisæ;* quum jam antea in prima ed. nott. ad c. 5. ita legendum esse monuisset. Vide quæ ibidem notantur.

§ 9 *Hic locus, tam suapte natura infestus*] Hoc non sollicito quidem, etsi non nihil ingratum est propterea, quod statim sequitur 'loca;' nam multa similia sunt in Livio: mallem tamen *Hic saltus.* Paullo ante, 'Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis.' Asinius Pollio ad Cicer. Epist. Famil. IX. 31. 'Saltus Castulonensis, etsi nunc frequentioribus latrociniis infestior factus est.' *Duk.*

Præsidiis regis fuit insessus] *Regiis* malebat Gronov. ad verba seqq. quod etiam probat Crevier. Ita supra hoc cap. 'Quæ utraque regiis tenebantur præsidiis.' Vide ad XXXII. 6. § 6. Infra tamen obcurrit c. 9. 'Ignes ad Enipeum ex regis castris adparebant.' cap. 26. 'Septuaginta quinque millia ab Axio flumine et castris regis aberant:' ad quæ loca nihil viri docti monuerunt. c. 35. 'Quum loca non iniqua esse dicerent, præsidiis autem regis obsideri.' Hic Crevier. iterum conjicit *regiis.* l. XXXIII. c. 11. 'Donis regis inminere credebant:' ita unicus cod. pro quo ex conjectura datum est *regiis.*

§ 10 *Alterum Condylon castello inexpugnabili*] Scribe *alterum ad Condylon.* Et intellige 'præsidium' ex illo 'præsidiis regiis.' Sic enim, non *regis.* J. F. Gronov. Hanc conjecturam, non monito lectore, recepit Clericus. Posses forte *alterum in Condylo, castello inexpugnabili;* ut præpositionem *in* eliserit ultima litera vocis præced. Vide ad X. 13. § 3.

§ 15 *Paullo plus quam mille passuum ad mare relinquant spatium*] Potius *passuum ad mare relinquant spatii.* J. F. Gron. Hanc conjecturam Gronovii non modo probat Nic. Heinsius ad Vell. Pat. II. 110. § 1. verum insuper voculam *quam* delendam censet. Si alterutra emendatio, vel *paullo plus spatii, quam mille passuum,* ut Gronovius, vel *paullo plus spatii, mille passuum, ad mare relinquant,* ut Heinsius legunt, Msti fide niteretur, eam admittendam putarem: utramque enim formulam loquendi probam esse agnosco. Nunc vero, quum vulgata lectio unici codicis auctoritate firmetur, et non minus commoda sit, quam quod viri docti substituerunt, eam minime mutandam existimo: quid enim in hac locutione, 'relinquant paullo plus, quam spatium mille passuum,' culpari possit, non video. Ut vero primum Heinsio respondeam, confiteor equidem Livium sæpissime post τὰ 'plus,' 'amplius,' 'minus,' et similia omisisse particulam *quam,* et tamen eamdem constructionem adhibuisse, quasi eam addidisset. Exempla vide ad XXXI. 34. § 7. et XLI. 12. § 8. Hinc etiam, si codd. eo ducant, hanc, quam Livius toties captavit, elegantiam ipsi non invideo: inde tamen non sequitur, eumdem semper, et præsertim hoc loco, similiter loqui

voluisse. In eamdem enim formulam Livium, vel quemcumque alium scriptorem, etiam invitis Mss. ubique adigere, præceps ac temerarium est. Certe innumeris apud Nostrum locis post illas dictiones *τὸ quam* additur; quibus eodem jure, quo hic, expungi potest. Id tamen si quis tentare auderet, neminem consilium ejus probaturum confido. Quod autem ad Gronovii conjecturam, quam etiam Nic. Heinsius recepit, adtinet, neque eam admittendam arbitror. Nam *paullo plus spatii, quam mille passuum* elliptice dicitur, pro paullo plus spatii, quam spatium mille passuum, secundum ipsius Gronovii doctrinam de Pecun. Vet. I. 10. At ' paullo plus, quam spatium mille passuum ' æque ellipticum est, pro paullo plus spatii, quam spatium mille passuum. Præferendum igitur illud judico, quod codex manu exaratus tuetur.

Ostium late restagnans Baphyri amnis] *Balyri* ed. prima, pro quo Froben. 1535. *Baphyri* reposuit. Βήφυρος vocatur Lycophr. in Cassandr. vs. 274. At Βαφύρας Pausan. in Bœot. c. 30. Ῥεῖ δὲ καὶ ποταμὸς Ἑλικῶν ἄχρι σταδίων ἑβδομήκοντα πέντε· προελθόντι δὲ τὸ ῥεῦμα ἀφανίζεται τὸ ἀπὸ τούτου κατὰ τῆς γῆς· διαλεῖπον δὲ μάλιστα δύο καὶ εἴκοσι στάδια, ἄνεισι δὲ ὕδωρ αὖθις καὶ ὄνομα Βαφύρας ἀντὶ Ἑλικῶνος λαβὼν κάτειστν ἐς θάλασσαν ναυσίπορος· ubi Sylburg. Βαλύρας legendum conjicit, quia hujus nominis fluvius memoratur apud eumdem Pausan. in Messen. cap. 33. Verum, ut ipse vidit, intervallum locorum huic conjecturæ obstat. *Balyras* enim Peloponnesi fluvius est, *Baphyras* Macedoniæ. Præterea Δῖον Πιερικὸν παρὰ χεῦμα Βαφύρα memorat Archestratus apud Athen. VII. 22. ubi vide Casaub. Hoc nomen restituendum videtur Ptolem. III. 13. ubi inter Dium coloniam et Penei fluminis ostia memorantur Φαρύβου ποταμοῦ ἐκβολαί, pro quo, trajectis consonis, legendum videtur Βαφύρου.

Partem planiciei] Prima ed. *partem planitiæ aut Jovis templum, aut oppidum tenet.* Cæsar de B. Civ. I. 43. ' Erat inter oppidum Ilerdam et proximum collem, ubi castra Petreius atque Afranius habebant, planitia circiter passuum trecentorum.' *J. F. Gron. Partem planiciæ* non tantum prima, sed et omnes aliæ edd. usque ad Francof. a. 1578. quæ operarum culpa præfert *planicie;* id vero aperte falsum, non inspectis prioribus excusis, mox Modius mutavit in *planiciei.* Sed recte Gronov. *planiciæ* revocavit. Ita Hirtius in B. Afric. c. 28. ' Consederat cum copiis rex loco natura munito, quod erat ipse excelsior; planicia ex omnibus partibus subjecta.' c. 51. ' E regione oppidi Uzitæ, quod inter sua castra et Scipionis in planicia positum erat :' in B. Hisp. XXVIII. 28. ' Nulla planicia dividit.' Idem vocabulum hac forma apud Hygin. et Frontin. de Limit. et in veteri Inscript. quam Ursinus ad Cæsar. locum laud. edidit, reperiri, testis est Vossius Gramm. III. 35. Pari modo ' segnitia ' et ' segnities ' et alia duplici hac forma antiquis in usu fuisse, vidimus ad XXXI. 6. § 5.

§ 16 *Et saxorum ad manum*] Ed. princeps *Thessalorum ad manum:* pro quo Frob. 1535. vulgavit *et saxorum ad manum.*

§ 17 *Cæcata mens subito terrore*] Forte *occæcata.* J. F. Gron. Vide ad XXII. 43. § 11. Apud Livium quidem ' cæcare ' eo sensu nondum inveni, apud Ciceronem tamen aliosque sæpius obcurrit: quare vulgatum damnare non audeo. Gronovii conjectura displicet etiam Doujatio.

CAP. VII. § 2 *Metarique sub ipso templo*] Vulgatum sine auctoritate Msti haud facile mutandum censeo: non displicet tamen *metatusque,* quod vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit.

§ 5 *Agassam urbem*] Falsi insimulare hunc locum facile possem, quod

nulla illis in locis, quod sciam, est Agassa, ut *Pagausam* restituendum putem. *Turneb.* Advers. XXX. 37. Video quid sit apud Turnebum. At XLV. 27. habes 'Ad Æginium et Agassas diripiendas mittit: Agassas, quod, quum Marcio consuli tradidissent urbem, petita ultro societate Romana, defecerunt rursus ad Persea.' Sine dubio idem oppidum est. An voluit Turnebus *Pagasas?* J. F. Gron. Si Turnebus *Pagasam*, vel *Pagasas* voluit, a vero aberravit. Pagasæ enim urbs est Magnesiæ: at nunc Marcius Macedoniam ingressus ulterius processerat; et quidem, ut præcedentia et sequentia docent, ultra Dium, cujus situs notus est, urbs hic memorata investiganda est. Ego nihil mutandum censeo. Non enim ob aliam caussam locus viris doctis suspectus fuisse videtur, quam quod urbis Agassæ alibi mentionem fieri non repererint. Verum, si omnia nomina urbium aliorumve locorum in suspicionem mendæ vocanda sunt, quod semel tantum apud priscos scriptores memorentur, innumeris adhuc locis monumenta veterum interpolanda erunt: præsertim ubi bella describuntur, in regionibus, quarum minima quæque oppida et loca in tot bonorum scriptorum naufragio non ita nota sunt, gesta. Si quid tamen mutandum erit, vel hic nomen numero multitudinis, vel bis infra XLV. 27. numero singulari proferendum esse puto; ad quem locum videbimus de conjectura Ortelii, *Tagassas* pro *Agassas* legentis.

§ 6 *Quantum procederet longius a Thessalia, eo majorem*] Scribe *quanto*, ut et Muret. *J. F. Gron.* Emendatio Mureti et Gronovii, secundum quam τὰ *quanto* et *eo* adjunctum comparativum habentia componuntur, firmatur locis Livii III. 8. 'Quum circumacto agmine redirent, quanto longius ab urbe hostium abscederent, eo solutiore cura.' XXX. 30. 'Quanto altius elatus erat, eo fœdius cornit.' Similiter tamen *quantum* et *eo* componi solent, licet cuique earum vocum addatur comparativus. Ita III. 15. 'Quantum juniores Patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni tendebant.' Eodem casu etiam componi 'quantum' et 'tanto' constat ex illis quæ notantur ad v. 10. § 5. ubi de eo latius actum est. Hinc vulgatum *quantum* hoc loco servandum puto; in quo mihi adsentiuntur Dukerus et Crevierius.

§ 12 *Quæ super Tempe essent et circa Philan*] *Philam* forma Latina hic et cap. seq. edidit Sigonius; quod a sequentibus editoribus repudiatum Hearne, ejusque exemplo Crevierius revocarunt. Ea forma etiam obcurrit XLII. 67. et XLIV. 3. Nihilominus hic utroque loco prima ed. et reliquæ Sigonio antiquiores *Philan* servant.

CAP. VIII. § 2. *Manenti imperatori prælio dimicandum foret*] Crevierius vocem *imperatori* hic omnino otiosam putat. Idem judicabat Dukerus, cui hoc loco nec vim nec emphasin ullam habere videbatur.

§ 3 *Alii ignarum belli, quæ in dies fortuna novaret*] Transposita videntur vocabula, quum fuerit, *alii ignarum, quæ belli indies fortuna novaret.* Aut saltem distinctio mutanda: *alii ignarum, belli quæ indies fortuna.* J. F. Gron. Non opus est ut vocabula transponantur: sufficit distinctionem mutari. Pronomen relativum non semper in initio periodi poni, sed interdum post primam vel alteram vocem rejici, vidimus ad XXVIII. 12. § 13. Perizonius ad oram Livii conjecit *alii ignarum belli, quæque in dies fortuna novaret.* Non diffiteor facile τὸ *que* a præcedenti *quæ* elidi potuisse, cujus erroris exempla vide ad XXXIX. 16. § 13. minus tamen periculi in solius interpunctionis mutatione esse censeo.

Omisisset e manibus] Hoc usitatius

dicitur 'emittere.' XXI. 48. 'Emissus hostis de manibus est.' XXVIII. 42. 'Quem tum e manibus tuis in Italiam emisisti.' XXXV. 6. 'Hostes e manibus emissos.' Cic. pro Cœlio c. 28. 'Cur Licinium e manibus emiserit.' *Duk.* XXXVII. 12. 'Emissa de manibus res est.' Vide ad XXII. 3. § 10.

§ 6 *Et supra rupes ingentes gurgitibus facit, et intra prorupta*] Forte, *supra rupem ingentes gurgites facit, et infra prorutam in mare evolvendo terram.* J. F. Gronov. Doujatius, proposita hac Gronovii emendatione, testatur sibi placere, *gurgites* pro *gurgitibus*, et *prærupta* pro *prorupta* reponi: cetera non displicere. Crevierius etiam Gronovii emendationem probat; cui et ego adhæreo. Scriptum fuerat *supra rupē ingentes*, vel etiam ultima litera vocis *rupem* exciderat ob primam syllabam seq. vocis *ingentes*, quemadmodum mox his iisdem verbis *prorupta in mare* dederunt pro *prorutam in mare;* vide ad XXXVII. 29. § 5. inde postea alii fecerunt *supra rupes ingentes*, præsertim quum pro *gurgites* vel *gurgitis* sollemni scribarum errore datum esset *gurgitibus*. Vide ad XXII. 8. § 7. Recte deinde *infra* legendum censet pro *intra;* id enim requirit præcedens *supra*. Sæpe autem hæc verba in Mss. confunduntur. Vide ad lib. XXXIV. c. 50. § 3. Denique optime *prorutam* emendavit pro *prorupta;* cujus vocis ultimam literam a sequenti vocula *in* elisam esse, modo vidimus: 'proruta' vero et 'prorupta' innumeris locis commutantur. Vide ad IV. 29. § 3. Doujatii *prærupta* ideo minus placet, quod ad vocem *infra* commode τὸ *rupem*, ex præcedentibus retrahi potest. *Supra rupem et infra*, scilicet rupem, ut apud Cic. ad Famil. IX. 26. 'Supra me Atticus, infra Verrius:' de Nat. Deor. II. 54. 'Partes eæ, quæ sunt iufra id, quod devoratur, dilatantur; quæ autem supra, contrahuntur.' Eodem modo 'cis Padum ultraque' Livius V. 35. 'ante signa circaque' IX. 32. 'supra theatrum circaque' XXIV. 39. 'alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem' XXV. 5. 'intra eam, extraque' XXXI. 34. 'post me erat Ægina, ante Megara' Cic. ad Fam. IV. 5. 'uls et cis Tiberim' Varro de Ling. Lat. IV. 22.

§ 7 *Septum iter hostis credens*] Melius fore *hosti* putat Crevierius. Ita Liv. locutus est IV. 25. 'Obseptum plebi sit ad honorem iter.' IX. 34. 'Hæc plebi ad curules magistratus iter obsepsit.' XLIII. 1. 'Viam tot nationibus in Italiam aperiret.' Invito tamen unico cod. vulgatum non damno. Non minus enim rectum est *hostis*, quam *hosti*. Ita 'arcis munitæ expugnandæ viam cernere' dixit Liv. XXV. 11. ubi etiam potuerat dicere *arci*. Similiter XLI. 23. 'Viam regiæ societatis quæri,' non *societati*.

§ 8 *Heracleum mittit*] Ita etiam hic pro *Heracleam*, ut antea edebatur, emendavit Gronov. ad cap. 5. § 12. Eum autem recte emendasse, aperte hic locus indicat. Sequitur enim mox 'positum;' quod non habet, quo referatur, si *Heracleam* legimus. Si vero probamus *Heracleum*, eo referri potest 'positum.' Nam licet omnia nomina urbium adjectiva generis sequioris adsciscere possint, possunt tamen etiam ejus generis haberi, cujus sunt vocabula similiter desinentia. Vide Vossium Art. Gramm. III. 10. Hic locus effugerat indoctos librarios, qui, τὸ *positum* ad præcedens *Heracleum* referendum esse, non viderunt. Ceteroquin enim, quum *Heracleam* dedissent, emendassent etiam *posita;* quemadmodum mox cap. seq. *capta jam Heraclea*, pro *capto jam Heracleo*, subposuerunt.

CAP. IX. § 2 *Ex regis castris adparebant*] Vide ad c. 6. § 9.

Juvenes etiam quidam Romani] Probabilis est conjectura Lipsii Poliorc.

I. 5. et H. Valesii in Fragm. Polybii e Suida, hæc e Polybio descripta esse. *Duk.*

§ 4 *Bestiis omnium gentium circum complendi*] Omnino videtur legendum *bestiis omnium generum:* ut parva mutatione locus restituatur. *Ursin.* Ita Pompeius in theatri dedicatione inter varia alia spectacula *θηρίων πολλῶν καὶ παντοδαπῶν σφαγὰς ἐποίησε,* sive *ferarum multarum et omnis generis venationes edidit,* apud Dion. Cass. XXXIX. 109. Solent etiam voces 'genus' et 'gens' sæpe a librariis commutari; vide ad XXXIV. 17. § 6. Hic tamen nihil mutandum esse, recte Doujatius vidit, ac monuit, in eo maxime versari ambitionem magistratuum Romanorum, Livii ætate ludos edentium, ut ex longinquis maxime regionibus conquisitas magno studio feras populo exhiberent; et huc pertinere inprimis Cœlii ad Ciceronem epistolas complures, veluti 4. 8. 9. libri VIII. Eodem pertinent querelæ Petron. in Satyr. c. 119. 'Quæritur in silvis Mauris fera, et ultimus Ammon Afrorum excutitur: ne desit bellua dente Ad mortes pretiosa suas, premit advena classes Tigris, et aurata gradiens vectatur in aula, Ut bibat humanum populo spectante cruorem.'

Nec, semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horæ tempus utrumque circulum complebat] Prima ed. *utrumque curriculum.* Quod male profecto mutarunt. Non bene dici de desultore *curriculum* crediderunt, quod vocem acciperent, ut apud Tacitum Ann. XIV. 14. 'curriculo quadrigarum insistere.' Quasi non et *cursum* significaret sæpe apud Plautum. Sed et scribendum existimo *et semel quadrigis, semel desultore misso.* Non, inquit, ita multiplicabantur quadrigarum et desultorum missus, ut nunc: semel quadrigæ mittebantur, dein exhibebantur desultores: et utrumque horum curriculum vix horæ spatium complebat. Ut tamen producerent muneris tempus, varia alia conquirebant genera spectaculorum, in quibus erat illa 'testudo.' *Curriculum* etiam conjecit Lipsius Poliorc. I. 5. *J. F. Gronov.* Ita etiam citat Xylander ad Plutarchi Phocion. ubi vide plura de desultoribus in circo, item apud Valesium ad notas Manssaci in Harpocrationem voce Ἀποβάτης, et apud Salmas. ad Vopisci Carin. c. 19. *Duk. Curriculum* legunt primæ edd. *circulum* demum adparuit in ed. Basil. 1539. Licet vero subinde Sigonius iterum *curriculum* restituerit, sequentes tamen editores *circulum* revocarunt: unde non tantum Lipsio loc. laud. sed et Ludov. Dorleans ad Taciti Ann. XII. p. 632. occasio data est vocem *curriculum* denuo vindicandi: quorum judicio recte Gronov. calculum adjecit, ac docuit *curriculum* hic notare cursum, quo sensu non tantum apud alios scriptores, sed apud Livium etiam usurpatur XLV. 33. 'Spectaculo fuit ei, quæ venerat, turbæ non sceuicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, sed præda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita.' Ceterum pro *nec semel quadrigis,* cujus loco *et semel quadrigis* Grouovius legendum censuit, Onuphr. Panvin. hunc locum ad partes advocans, de Ludis Circens. II. 40. laudat *nam semel quadrigis.* Et ita legere voluisse videtur Dorleans ad Tacit. loc. laud. apud quem tamen operarum errore, ut videtur, nunc editur *nam quadriga semel desultore misso.* Alia ratione loco laboranti obcurrit Jac. Perizon. In margine enim cod. sui legebat *ac semel quadrigis;* vel mox voculam *vix* tollendam censebat. Ex his lector eligat quod verius putet, modo illud *vix* salvum maneat. Invito enim codice integram voculam delere, nimis temerarium puto.

§ 5 *Interdum plures ab adparitoribus*

ludi armati inducebantur] Præpositionem adjecit aliquis recentiorum. In prima ed. non habetur, nec in priori Sigoniana, cui adscripserat Muretus *apparatioribus ludis*. J. F. Gron. *Apparatoribus* in his verbis citat Salmas. ad Lampr. Alexand. Sev. LIII. Hoc non ratione analogiæ, sed auctoritate scriptorum veterum destituitur : *apparitoribus* non potest ferri. *Duk.* Præpositionem prima adjecit edit. Lugd. 1553. unde accepit Paris. 1573. et hinc recentiores. Sed omnino cum viris doctis legendum est *interdum plures adparatioribus ludis*. Sunt autem 'ludi adparatiores,' majori pompa exhibiti, magnificentiores. Cic. in Pison. c. 27. 'Instant post hominum memoriam adparatissimi magnificentissimique ludi.' Liv. XXVII. 6. 'Ludos pro temporis ejus copia magnifici adparatus fecerunt:' ubi vide Gronov. Ita 'adparatæ epulæ' sunt 'splendidæ,' 'opiparæ.' Vide ad XXIII. 4. § 3.

Elegantioris exercitii, quam militaris artis] Expunge vocem *artis*, quæ non est Livii, et sensum obturbat. *J. F. Gron.* Crevierius Gronovio adsentitur ; at Perizonius in margine Livii, una voce transposita, legebat *elegantioris, quam exercitii militaris, artis*. Forte etiam in præcedentibus *inductio ex parte*, pro *in parte*, legendum est : quomodo 'ex altera parte,' 'ex altera' apud Cic. frequens est. Ita pro Mur. c. 20. 'Quæstio peculatus ex altera parte lacrimarum et squaloris, ex altera plena catenarum atque indicum.' In Somn. Scip. c. 5. 'Extrema ex altera parte graviter, ex altera acute sonent.'

Propiorque gladiatorium armorum usum] Ludov. Dorleans ad Tacit. Ann. XII. p. 632. legit *propiorque ad gladiatorum armorum usum*. Verum si ad stilum Livii adtendisset, præpositione *ad* non opus esse novisset, idque familiarissimum Livio esse, ut voci *propior* vel *propius* jungat casum quartum. Vide ad II. 41. § 11. Similiter construitur *prope ;* vide ad VI. 42. § 10. et 'proxime;' vide ad I. 21. § 1. Præterea *usum armorum gladiatorum*, si codicis fide niteretur, non mutandum judicarem : solet enim Livius uni voci jungere duos genitivos, quorum alter ex altero pendet; vide ad XXV. 15. § 11. Verum id, unico Msto adversante, non captandum arbitror.

§ 6 *Quum alios decursus edidissent motus*] 'Edere decursus' et 'edere motus' nemo negabit recte dici. Sed quid est 'edere decursus motus,' in quo *motus* haud dubie secundus casus est? Credo aliquid vitii subesse. Conjici posset *decursus edidissent et motus*, vel *decursu edidissent motus*. Hoc melius videtur : et ita descripsit ex hoc loco Lipsius Poliorc. I. 5. *Duk. Decursu edidissent motus* conjecit etiam Doujatius, quod deinde probavit Crevierius. In vulgata lectione Clericus et Crevierius non *motus*, sed *decursus* pro genitivo habent.

Fastigatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant] *Fastigiatam* ex ed. Sigonii adnotat Hearnius, et habent in his verbis Panvin. de Lud. Circ. II. 10. et Lipsius dicto loco. Sed verum est *fastigatam*. Vide Gronov. ad Livii I. 38. et Perizon. ad Pompon. Mel. I. 4. *Duk. Fastigatam* præfert ed. princeps ; sed *fastigiatam* mox substituit ed. Frob. 1535. quod recentiores servarunt usque ad Gronov. qui a. 1665. priscam lectionem revocavit. Postea Clericus et Crevierius *fastigiatam* prætulerunt. Sed vide quæ notantur ad XXXVII. 27. § 7.

§ 7 *Hinc quinquaginta ferme pedum spatio distantes*] Primæ edd. per notam legunt *Hinc L. ferme pedum*. Modius deinde perperam iterata ultima litera primæ vocis dedit *Hinc CL. ferme pedum ;* quod ultima Gruteri reddidit *Hinc centum quinquaginta*. Gronov. tandem a. 1665. priscam lec-

tionem reduxit, et vocem *centum* recte exposuit.

§ 9 *Quod, et in fronte extrema, et ex lateribus, soli*] Lego *in fronte, extremi:* idque res clamat. *Lipsius*, Epist. Quæst. IV. 13. Similiter etiam in ora ed. Livianæ emendandum conjecit Jac. Perizonius. Sed vulgatum mutare nulla nos cogit necessitas. *Soli et in fronte extrema, et ex lateribus*, id est, soli illi milites, qui consistebant in fronte extrema hujus agminis, et ex utroque ejus latere. Per 'extremam' autem 'frontem' intelligo primam. Eo sensu 'ultimus' pro primus poni, docuerunt viri docti ad Nepot. Attic. c. 1. et Vorst. ad Justin. II. 1.

Prætecta pugnantium more] Forte *prætenta*. Lipsius, Poliorc. I. 5. *Prætenta* nemini displicturum puto. Lib. XXXVII. c. 7. 'Intersepientibus cuniculum, ubi vellent, nunc ciliciis prætentis, nunc foribus raptim objectis.' Sueton. Claud. c. 10. 'Prætenta foribus vela.' Ovid. Met. XII. 376. 'prætentaque sustinet arma.' *Duk. Prætenta* etiam legendum monuerunt Latinus Latinius, et Gronovius in prima ed. nott. Doujatius hic alte dormitavit. Vulgatum enim *prætecta* retinet, idque exponit tecta ex anteriori parte, et ad præcedens *corpora* referri posse existimat. Sed vel tiro deprehendet, *prætecta* ad remotius *scuta* referendum esse. Non habebant scuta supra capita, sed eadem illa scuta habebant prætecta, ne, si supra capita elata haberent, corpora nudarentur. 'Prætegere' verbum est optimæ notæ, quod illustravit Broukhus. ad Prop. III. 12. 12. id tamen hic commodo sensu ferri nequit: non enim scuta erant *prætecta*, sed prætegebant corpora. Nihil itaque restat, quam ut legamus *prætenta*. Verbum autem 'prætendere' proprie esse militare, et de iis dici, qui primo loco ante alios tendunt, hinc transferri a geographis ad loca quæ ante alia jacent, docet Burm. ad Valer. Flacc. V. 167. quia autem, quæ ante alia jacent, ea quasi tegunt, et tuta reddunt, hinc scuta hic dicuntur *prætenta* scilicet corporibus, quæ corpora tegunt, et a vulnere ac telis hostium tuta præstant. Vide Nic. Heins. ad Ovidii Met. VIII. 341. et Met. XI. 511.

Imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur] Istud *imbris in modum*, ut Sallustius loquitur, suspicio de mendo. Magis est, ut Livius scripserit *imbricis in modum*. Imbrex incurvum genus tegularum ad derivandam aquam. Isidorus Orig. XIV. 8. 'Tegulæ vocatæ, quod tegant ædes: Imbrices, quod accipiant imbres.' Glossarius liber *Imbrex*, καλυπτήρ. Plautus et Sisenna. Frustra est vir doctus, qui confundit cum Festi 'Ambrex.' Quod ad Livii sententiam, nil pote aptius. Semper illa coagmentatio et quasi contextus scutorum in testudine amat comparari cum ædium tectis. Plutarch. in Antonio p. 936. Τὸ δὲ σχῆμα παραπλήσιον ἐρέψει γινόμενον, ὄψιν τε θεατρικὴν παρέχει, καὶ τῶν προβλημάτων στεγανώτατόν ἐστι πρὸς ὀϊστοὺς ἀπολισθαίνοντας. Quod ait ὄψιν τε θεατρικὴν παρέχει, non fuit vertendum, ut vulgus interpretum, *speciem theatri præbet*. Neque enim Plutarchus dixit, testudinem formam theatri referre; sed *ea forma tectis ædium non absimilis, et ludicri theatralis spectaculum præbet, et firmissimum munimentum est, &c.* Nam ὄψις hic θέαμα. Imo et testudinem hanc solent in circum inducere voluptatis caussa; et inde traducta res ad usum belli. Vide Livium proximis superioribus verbis diffuse explicantem. *Lipsius*, Epist. Quæst. lib. IV. cap. 13. *Imbricis in modum* legi aliquando volui. Sed nihil opus: et Ammianus quoque ab ista scriptura stat, qui, velut imbrem e tecto, delabi facit tela XXVI. 8. Tamen nec de 'Imbrice' inepte. Et cum tegulari tecto comparat quicumque scriptor apud Suidam: Κεραμωτὸν, τακτικὴ

διάταξις, ὅπερ ἐποίουν Ῥωμαῖοι ἐν παιδιᾶς μέρει. *Tegulare, ordinis quædam instructio, quod Romani faciebant in loco ludicri.* Lipsius, Poliorc. I. 5. Vulgatum adversus Lipsium defendit Juret. ad Paullini vitam B. Martini III. 453. nt Hearnius monuit.

§ 10 *Capto jam Heracleo*] *Capta jam Heraclea* primæ edd. sed *capto jam Heracleo* emendavit Gronov. ad c. 5. § 12. Vide ad c. 2. § 12. et c. 8. § 9.

In Pieriam etiam progressurus] Doujatius *in Pieriam* intelligit in Pieriam ulteriorem, sive borealem; Ptolemæum enim ipsum Dium ponere in Pieria. At potius meminisse debuerat, quemadmodum aliis regionibus, ita etiam Pieriæ non omni tempore eosdem terminos ab omnibus scriptoribus tribui. Nam Ptolemæus quidem III. 13. eam a Lydiæ fluminis ostio extendit ad Peneum, adeoque ad eam refert urbem Dium: verum Strabo, vel qui Strabonem in compendium redegit, ejus terminos flumina hinc Haliacmona, inde Axium memorat, et ita Dium ipsi est extra Pieriam. Ita enim inquit VII. 330. Μετὰ τὸ Δῖον πόλιν ὁ Ἁλιάκμων ποταμός ἐστιν ἐκβάλλων εἰς τὸν Θερμαῖον κόλπον· καὶ τὸ ἀπὸ τούτου, ἡ πρὸς βορρᾶν τοῦ κόλπου παραλία Πιερία καλεῖται ἕως τοῦ Ἀξιοῦ ποταμοῦ. Non eos autem Livium Pieriæ terminos statuere, quos Ptolemæus, etiam ex aliis argumentis patet. Ptolemæus enim, eam regionem extendens usque ad fluvium Peneum, agnoscere debuit, in ea sitam esse urbem Heracleum, quæ tamen hic extra Pieriam est. Similiter infra c. 20. narrat, regem Perseum Pieriam tenere, et tamen consulem ad ripas Enipei castra habere. Enipeus autem fluvius medio ferme spatio est inter Peneum terminum Pieriæ secundum Ptolemæum, et Haliacmona ejusdem terminum secundum Strabonem. Ex his patet non tantum alios Pieriæ terminos Ptolemæum, alios Strabonem dedisse, sed etiam Livium Strabonis sententiam secutum esse, et propterea recte statuisse Dium esse extra Pieriam.

§ 11 *Ubi diversari portantes commeatus possent*] Forte reponendum est *deversari*. Vide ad I. 51. § 8.

CAP. X. § 1 *Perseus, tandem pavore eo, &c. recepto animo, mallet imperiis*] Melius *a pavore recepto animo:* alibi 'Collecto a pavore animo.' Et hoc lib. c. 13. 'Collectis ex necopinato pavore animis.' Corrigo etiam *malle*, pro *mallet*, juxta notam figuram dicendi. *Sigonius.* Senec. Consol. ad Helv. cap. ult. 'Huic parem virtutem exhibeas, oportet, et animum a luctu recipias.' Liv. II. 50. 'Ut respirandi superior locus spatium dedit, recipiendique a pavore tanto animum.' An tamen potius legendum *tandẽ e pavore eo?* ut Livius loquitur in loco altero, quem laudat Sigon. et ita XXI. 5. 'Priusquam tanto ex pavore reciperent animos.'

§ 2 *Traxerat tempus, id ipsum quod accidit, pœnitentiæ*] Scabra oratio. Forte *traxerat tempus in id ipsum quod accidit.* Cessaverat imperio fungi usque ad diem, quo diversa jussus est, spatium scilicet dans regi in pœnitentiam. *J. F. Gron.* A. Perizonius margini Livii adscripsit eo se nihil offendi, quod hic absolute dicatur *traxerat tempus.* At non puto Gronovium existimasse, aliquid scabri illi locutioni inesse: eam enim probam et non infrequentem esse, docuit Cortius ad Sallust. Jug. c. 27. Potius ei displicuisse videtur *id ipsum* absolute positum. Verum et illud non displicet Crevierio, qui 'pœnitentiæ locum relinquens, id ipsum quod accidit' exponit, quod quidem ipsum accidit, nempe ut regem pœniteret. Ceterum Andronicus, qui hic tempus traxisse dicitur, ut pœnitentiæ regiæ locum relinqueret, eo consilio mandata regia exsequi distulisse dicitur, quia se rem Romanis gratam factu-

rum existimabat, apud Diodor. Sicul. in Exc. Peiresc. apud Vales. p. 310. Ἀνδρόνικον δὲ τὸν σωματοφύλακα ἐξέπεμψε εἰς Θεσσαλονίκην, συντάξας ἐμπρῆσαι τὰ νεώρια τὴν ταχίστην· ὃς γενηθεὶς τούτου φρονιμώτερος ἦλθεν εἰς Θεσσαλονίκην· οὐ μὴν ἐποίησε τὸ προσταχθὲν, νομίζων φίλιον τοῖς ὅλοις κρατεῖν Ῥωμαίοις.

§ 3 *Incautior Nicias Pellæ projiciendo pecuniæ partem, quod fuerat nactus*] Freinshemius ad Flori II. 12. § 5. ‘ quod fugerat, nactus,’ vel ‘ pecuniæ quod fuerat nactus,’ expungendo *τὸ partem*. Nec habeo meliora, nisi *κατ' ἐπεξήγησιν* accipias: *projiciendo pecuniæ partem*, nempe omne id, *quod ejus fuerat nactus*. Ita infra c. 20. ‘ Partem, maxime qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse.’ Cæsar de Gall. VI. 30. ‘ Pars in continentes paludes profugit, qui proximi oceano fuerunt.’ Forte tamen *projicienda pecunia raptim, quod fugerat, nactus*, iram scilicet vel indignationem Persei. *J. F. Gronov.* Et hic nihil mutat Crevierius, sed præfert Gronovii expositionem *κατ' ἐπεξήγησιν projiciendo pecuniæ partem*, scilicet id *quod fuerat nactus*. Et id mihi quoque præstare videtur; nam sequitur mox ‘ omne ferme extractum est.’ Id autem non haberet quo commode referri posset, si vel primam Freinshemii, vel ultimam Gronovii conjecturam reciperemus. Ceterum Livio consentiens Appianus ad pecuniam in mare projiciendam a Perseo missum ‘ Niciam ’ vocat in Exc. Peiresc. p. 561. Νικίαν καὶ Ἀνδρόνικον ἐπὶ τὸν καταποντισμὸν τῶν χρημάτων καὶ τὸν ἐμπρησμὸν τῶν νεῶν ἐπεπόμφει. At Diodor. eum vocat Niconem, et missum dicit Phacum ibid. p. 310. Νίκωνα μὲν τὸν θησαυροφύλακα ἐξέπεμψε, συντάξας τὴν ἐν τῷ Φάκῳ γάζαν καὶ τὰ χρήματα καταποντίσαι· ad quem locum Vales. ex Liv. XLIV. 46. docet gazam regiam Pellæ servatam esse, non Phaci. Id etiam colligitur ex c. 23. ‘ Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent.’ Et ex Polyb. Exc. Legat. num. LXXXV. Τοὺς ἐπὶ τὰ χρήματα παρόντας εἰς Πέλλαν ἐξέπεμψεν, ὡς ἐκεῖ παραληψομένους.

Sed in rem emendabilem visus lapsus esse] Lego *sed in errorem emendabilem*. J. F. Gron. Posses etiam *in re emendabili*. At *in errorem emendabilem lapsus*, ut ‘ labi in servitutem,’ de quo vide ad III. 37. § 2.

§ 4 *Andronicum quoque et Nician, ne quis, &c.*] Appian. in Exc. Peiresc. p. 561. Νικίαν καὶ Ἀνδρόνικον συνίστορας ἡγούμενος αἰσχροῦ φόβου καὶ ἑτέροις ἐξαγγέλλειν ἀπέκτεινεν ἀθεμίστως.

§ 5 *Ab Heracleo Thessalonicam profectus*] *Ab Heraclea* edd. ante Gronov. qui *ab Heracleo* emendavit c. V. § 12.

§ 6 *Saxis tormento emicantibus percutiebantur*] *Percuterentur* legendum monuit Crevierius.

§ 7 *Æniam inde petunt*] ‘ Ænia ’ urbs est Perrhæbiæ, quam Livius hic indicare non potuit. At ‘ Ænea ’ est urbs Macedoniæ, Thessalonicæ vicina, quam verisimiliter Marcius petiit, Thessalonicæ obpugnatione omissa. Legendum itaque puto *Æneam*. Vide ad XL. 4. § 9.

CAP. XI. § 3 *Nec minus, quam in altum magnitudine Atho mons, excurrit*] Livius et alii sæpe dicunt, ‘ liuguas,’ ‘ promontoria,’ ‘ terras in altum eminere ’ et ‘ excurrere.’ Livius XXXVI. 15. ‘ Excurrente in altum velut promontorio.’ XXXVII. 31. ‘ In altum lingua mille passuum excurrens.’ Mela ‘ projici ’ et ‘ abire ’ dicit. I. 7. ‘ Promontoria vaste projecta in altum.’ II. 2. ‘ Pallene tota in altum abit.’ Hic tamen mihi suspectæ sunt voces ‘ in altum,’ quia eas tam paucis interjectis repeti non modo plane ingratum, verum etiam non necessarium est. Nam *excurrit* solum satis erat. Liv. XXVI. 42. ‘ Ab intimo sinu peninsula excurrit.’ Florus II. 2. § 19. ‘ Clupea prima a Punico litore quasi arx et specula procurrit.’ Mela III. 1. ‘ Lusitania primum ingenti impetu in al-

tum abit, &c. Qua prominet, bis in semet recepto mari, in tria promontoria dispergitur. Anæ proximum quia lata sede procurrens.' Non *qua in altum prominet*, nec *in altum procurrens*. *Magnitudine* quoque omnino supervacaneum est, nec quemquam alium ita locutum credo. Gatakerus Advers. Miscell. II. 17. hunc locum Livii citans omisit *magnitudine*, et pro *Atho* habet *Athos*. Qui in nominativo *Atho* dixerint, non scio. Vossius de Anal. II. 7. non videtur aliam, quam hujus loci, auctoritatem habuisse. *Duk.* Doujatius existimat, Chersonesi Pallenensis longitudinem comparari cum altitudine montis Athonis, ut 'in altum' hic notet in sublimitatem, quomodo 'in altitudinem' dixit Liv. XXVIII. 5. 'Mons est in altitudinem ingentem cacuminis editi.' Et ita 'altum' pro cœlo poni, exemplis pluribus probat Nic. Heins. ad Nason. Fast. I. vs. 109. Crevierius vocem *magnitudine* eliminandam putat: at mihi tres voces *in altum magnitudine* additæ videntur a sciolo, qui montem hunc præcipuæ altitudinis fuisse noverat; quum Livius potius longitudinem promontorii, quod efficit mons Athos, et promontorii Pallenes inter se comparasse videatur. Mecum Dukerum sentire gaudeo. *Atho* primo casu alibi non inveni: at casu quarto XLV. 30. 'Portus ad Toronem ac montem Athon:' casu tertio XLIV. 28. 'Insula est interjecta Eleæ et Atho:' casu sexto ibid. 'Deductæ naves in portum primum, qui sub Atho monte sunt.' Vide Nic. Heins. ad Virg. Georg. I. 332.

Canastreum] *Canastræum.* Nam Græce Καναστραῖον. *Sigon.* Vide ad XXXI. 45. § 15.

§ 4 *Romanus ad Clitas, quas vocant*] Ita priores edd. Gruteri postrema admisit *ad Clytas*; quam scripturam male Doujatius servavit, licet interim Gronov. a. 1665. *ad Clitas* reposuisset, et ipse conjecisset, locum a declivitate, aut ab obliquitate montium dictum esse, quasi τὰ κλήτη, (putat κλίτη,) vel quasi claves τὰς κλειδάς. In verbis proxime præcedentibus forte legendum *obpugnare adorsi*; vide ad XXXV. 51. § 8.

Cervis etiam objectis] Qui, qualesque essent 'cervi' in re bellica, et in munimentis conficiendis, discere licet ex Julio Cæs. B. Gall. VII. 72. de obsidione Vercingetorigis verba faciente, ubi ita scriptum reliquit: 'duas fossas quindecim pedes latas, eadem altitudine perduxit, quarum anteriorem, campestribus et demissis locis, aqua ex flumine derivata complevit: post eas aggerem et vallum duodecim pedum exstruxit. Huic loricam pinnasque adjecit, grandibus cervis eminentibus ad commissuras pluteorum atque aggeris, qui adscensum hostium tardarent:' et cætera quæ sequuntur. Ex quibus elicimus, fuisse 'cervos' ligneos stipites, truncos seu cippos humi infixos ad hostium impetum retardandum, quod et Livius hoc loco confirmare videtur, inquiens munimentis a Romanis fabrefactis, et cervis objectis viam interclusam. Vocatos autem 'cervos,' et ab aliis stipitibus differre arbitror, quod in supernis cacuminibus veluti bifurcati essent, et acuminati instar animalium cervorum cornua. Ita et 'cervi' appellatæ furcæ, quæ ad casæ agrestis sustentationem figebantur, et eadem de causa. Unde Virgil. Ecl. II. 29. 'Atque humiles habitare casas, et figere cervos.' Ita et a similitudine celeritatis animalis cervi fugientes servos 'cervos' appellatos eadem ratione, docet Pomp. Festus. Idem et Varro refert de Ling. Lat. IV. 30. inquiens, cervos in castris a similitudine cornuum cervorum appellatos, quorum meminit et Tibull. IV. I. 84. 'Qualiter adversos hosti defigere cervos:' male enim qui legunt *nervos:* namque verbum illud *defigere* quis non videt, *nervis*

minime aptari posse? *M. Donatus.* Vide Lipsium Poliorc. II. 11. Ejusdem formæ erant valli, quos describit Livius XXXIII. 5. Vide ad VIII. 38. § 7.

§ 5 *Quia nusquam cumuli adparebant*] De voce 'cumulus' vide ad XXXVIII. 7. § 7.

Non ad eamdem crassitudinem, qua veterem murum] Scribo *qua vetus murus:* et paulo post, pro *structos esse, structi.* Turnebus, Advers. XXIX. 7. Turnebus *qua vetus murus,* deinde *structi:* at mihi placet, his manentibus ut sunt, scribi *monstratum est.* J. F. Gron. Conjecturam Gronovii alteri Turnebi præferendam puto. Posses etiam *moustraruut,* pro *monstrati sunt,* eodem genere erroris, atque illa quæ plura congessi ad XXIII. 29. § 16. *monstrarunt* autem sine addito nomine, de quo vide ad XXXIV. 56. § 11. Crevierius vulgatum tuetur: interpungit nempe post voces *monstrati sunt fornices* media distinctione: in sequentibus autem *τὰ veterem murum* et *structos esse* pendere putat a verbo *dicebant,* vel *dictum est* intellecto, ex sollemni more Livii: considerat autem sequentia tamquam verba addita ab iis, qui fornices monstrarunt, sed obliqua oratione a Livio prolata: unde etiam illa alio genere characterum excudi jussit. Ejus exemplum imitatus sum; quod certe tutius est, quam cum Clerico Gronovii conjecturam admittere.

§ 7 *Et M. Millia Penestarum Illyriorum*] *MM* scribe, id est *duo millia.* Sigon. Ut Sigonius emendat, est in omnibus edd. excepta sola Basil. a. 1554. quæ perperam *M. Millia* præfert. Observat autem Crevierius, Livium narrare XLIII. 23. Persenm ex Penestarum gente mille pedites, ducentos equites revocatos Cassandriam, præsidio ut essent, misisse. Id probare videtur, *eodem,* ut Gronovius ad verba seqq. conjicit, admitti non debere.

A Pleurato inde missi] Lege *et duo millia Pen. Ill., a Pleurato eodem missa,* vel *missi.* J. F. Gron. Doujatius *inde* defendit adversus Gronovium, et exponit ex regione Penestarum Illyriorum. Crevierius vel Gronovii conjecturam probat, vel pro *inde* legit *deinde.*

§ 8 *Quod si, qui inrupere, armati fuissent*] Nullos irrupsisse, satis constat ex cap. seq. Neque inermes id fuissent ausi, nisi si quos vitæ tædium cepisset. Forte *qui irrumperent.* Hoc sensu: si præsto fuissent armati, qui irrumperent in urbem, extemplo eam cepissent. *Jac. Perizon.* Doujatius conjicit *qui perrupere,* id est perfodere. Crevierius *qui perfodere,* vel *qui perrupere.* Vir doctus ad marginem ed. Curionis, *quod si qui irrumpere armati ausi fuissent.* Sed ante omnia Perizonii conjectura placet.

§ 9 *Aliis parte alia in urbem inrupturis*] Forte *tollunt, alii parte alia in urbem irrupturi.* J. F. Gronov. Satis commodam vulgatam lectionem existimo, quam sine codicis auctoritate non mutabo.

CAP. XII. § 2 *Pytho et Philippus Proco, qui occupasset adgredi*] Abeat in malam rem iste *Proco.* Scribe autem cum Freinshemio, *Pytho et Phil. pro eo, qui occ. aggredi, opus factum esse rati.* J. F. Gron.

§ 3 *Inter murum fossamque deprehensi erant*] Ita demum exhibet ultima Gruteri ed. *deprensi* legunt priores. Vide ad II. 29. § 4. Paullo ante *afferrent* ed. princeps, pro quo Frob. 1535. dedit *inferrent.* Vide ad II. 53. § 1.

§ 7 *Ad Toronem classem adpulerunt*] Legendum vel *ad Toronen,* vel *ad Toronam* forma Latina. Oppidum enim *Torone* vel *Torona* dicebatur. Supra XXXI. 45. 'Superato Toronæ promontorio navigantes Acanthum petiere.' Mela II. 3. 'Urbes Toronen et Physcellam atque, unde ipsi nomen est, Mecybernam incingit.' Idem

error etiam est XLV. 30. § 4. Supra etiam XXVIII. 7. bis *Toronem* ac semel *ab Torone* obcurrit; sed, ibi *Thronium* et *ab Thronio* legendum esse, inter viros doctos constat. *Toronen* hic quidem edidit Crevierius: at infra lib. seq. *Toronem* servat.

§ 8 *Obpugnare adorti*] An forte *adorsi?* Vide ad XLIII. 18. § 7.

CAP. XIII. § 3 *Conlectis deinde ex necopinato pavore animis*] Præpositio *ex* exsulat ab edd. antiquissimis. Eam primus addidit Vascos. Et recte. Vide ad c. 10. § 1.

§ 7 *Agros etiam confiderunt se a populationibus tueri posse*] Ita constanter præferunt typis descripti: at Scioppio displicuit verbum *confiderunt* insolita forma; pro quo in Infam. Famiani p. 42. *confidere* legendum censet. Contra Ol. Borrich. in Cogitat. p. 289. vulgatum tuetur, ac docet infinitivo more historicorum posito hic locum esse non posse, quia mox sequitur 'et eruptiones factæ sunt,' neque conjunctionem *et* similem distractionem pati. Addit insuper, *diffidi* pro *diffisus sum* pari modo dixisse Quinctil. Declam. CCLXXXVII. 'Omnes dixissent, caussæ patris diffidisset vir fortis.' Quem locum non integrum esse, ipsa orationis compositio docet: quare Gronovius quidem *diffidit vir fortis*, at Schulting. *diffidisse virum fortem* legendum conjecerunt. Æque *confidi*, ac *confisus sum*, dici posse, ex uno hoc loco probat Vossius Gramm. v. 26.

§ 9 *Per Cydantem Cretensem*] *Cydas*, *Cydam* edit. Itaque *Cydam Cretensem* inquit Cic. Philipp. l. v. c. 5. *Sigon.* Etiam Cic. Philipp. VIII. 9. 'Ne suorum aliquis a Cyda, Lysiade, Curio condemnetur.' His omnibus tamen nondum evicit Sigonius, quemadmodum Cic. a 'Cydas' formavit 'Cydæ,' ita Livium inde formare non potuisse 'Cydantis.' Certe ita etiam est l. XXXIII. c. 3. 'Quingenti Gortynii Cretensium duce Cydante, et trecenti Apolloniatæ haud dispari armatu se conjunxere:' ubi Horrion malebat *Cydate*. Sed vide quæ ibi notavi. Hic igitur veterem scripturam *Cydantem* reduxi.

§ 10 *Gratulatus, quod prospere Macedoniam intrasset*] Forte legendum *gratulatusque, quod prospere*. Facile autem copula *que* a sequenti vocula *quod* elidi potuit. Vide ad XXI. 46. § 5. XXXIII. 42. § 4. Similiter excidit ante vocem *qua;* vide ad XXIII. 48. § 12. ante *quem;* vide ad XXXII. 21. § 14. ante *quibus;* vide ad XXXIV. 49. § 7. ante *quum;* vide ad XXXVIII. 40. § 7. ante *quæ;* vide ad XLI. 2. § 11. Posses etiam *gratulatum*, vel *gratulaturus, quod prospere Mac. intrasset: Perg. inde in regnum.* Sed prius malo. Mox *abiit* demum inveni in ed. Paris. 1573. priores legunt *abit;* quod revocavi.

§ 11 *Oreum Bœotiæ petit*] Utrum *Oropum Bœotiæ*, an *Oreum Eubœæ?* J. F. Gronov. *Oreum* defenditur ab ipso Livio XLIV. 30. 'Novi duces in provinciam venerant, consul Æmilius in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem.' *Oropum* vero Atticæ attribuit, non Bœotiæ, XLV. 27. 'Inde Oropum Atticæ ventum est.' Etsi olim de eo loco certaverint Attici et Bœoti, ut discimus ex Strabone. *Juc. Gronov. Oreum* recte defenditur ex cap. 30. non item, quod in Bœotia ponitur, quam alii omnes urbem Eubœæ fuisse tradunt, et Livius ipse diserte l. XXVIII. c. 5. Si hic *Bœotiæ* scripsit, non video, quomodo erroris absolvi possit. Sed puto veram esse alteram conjecturam J. F. Gronovii *Oreum Eubœæ;* et *Bœotiæ* scribis deberi, quos nonnullæ utriusque vocis literæ eædem in errorem inducere potuerunt. *Duk.* Omnes edd. vett. *petit.* Quum vero § præc. operarum errore *abiit* pro *abit* datum esset, Gruterus etiam hoc loco in ultima ed. *petiit* reposuit; quum potius hic vulgatum *petit* servandum, § præc.

abit restituendum esse docere posset vox ejusdem § *navigat*. Priscam igitur lectionem Livio reddidi. Ceterum in unico cod. legitur *Bætiæ*. Facile autem ex *Oreũ Eubœæ* fieri potuit *Oreũ Bætiæ*.

Cap. xiv. § 2 *Torquis aureus duo pondo*] Gronov. de Pec. Vet. i. 7. p. 36. legendum censet *torquis aureus duaponeo: duapondo* autem et *trepondo*, quorum vocabulorum Quinctil. meminit Instit. Orat. i. 5. pro *duas pondo* et *tres pondo* dici existimat, intellecta utrobique voce *libras*. Literam enim *s* primo pronunciando, mox etiam scribendo elisam esse, ut et in aliis vocibus factum est. Sed pluribus dicto loco videri potest.

§ 3 *Pamphyli legati*] Qui status Pamphyliæ hoc tempore ac deinde fuerit, exponit Norisius Cenotaph. Pisan. Dissert. ii. 11. *Duk.*

Coronam auream, ex viginti millibus Philippeorum factam] Non additur, utrum corona hæc facta sit ex viginti millibus Philippeorum aureorum, an argenteorum; sive utrum æquaverit pretium viginti millium Philippeorum aureorum, an argenteorum. Quum tamen dicatur, *coronam auream*, et *ex viginti millibus Philippeorum factam* esse, verisimile est intelligi Philippeos aureos. Verum ita inmensa ac vix credenda pecuniæ summa in hanc coronam impensa erit, partim si spectemus Pamphylos, qui obtulerunt, populum neque magnum neque divitem; partim si cum hac corona comparemus eas, quas alii obtulerunt. Si quilibet Philippeus aureus undenis florenis nostratibus æstimetur, viginti eorum millia efficient ducenta ac viginti millia florenorum. Jam autem Attalus rex Asiæ, at quam potens ac dives! 'coronam auream ducentum quadraginta sex pondo' Romæ per legatos in Capitolio posuit xxxii. 27. Philippus Macedoniæ rex 'centum pondo coronam auream' xxxvi. 35. Alabandenses 'coronam auream quinquaginta pondo' xliii. 6. Si vero libram auri æstimemus quingentis quinquaginta florenis Hollandicis, corona a Pamphylorum legatis Romæ in cella Jovis posita vel septuaginta, et quod excurrit, millibus florenorum etiam Attali coronam superabit: quod nemini verisimile videbitur. Restat igitur ut locum mendosum existimemus. Posset quidem reponi *ex X. ↀ Philippeorum*. Verum ita adhuc alterum tantum coronam Philippi regis Macedonum superabit. Forte igitur legendum *ex ↀ ↀ Philippeorum*, sive *ex duobus millibus*: ita tantum quinque florenorum millibus minor erit corona Alabandensium. Solent autem notæ numerales *X.* et ↀ in Mss. confundi. Vide ad xxxiii. 14. § 5.

§ 6 *Preces magis, quam postulatio, fuere*] Forte *Prusiæ preces magis, quam postulata, fuere*. J. F. Gron. Necesse non puto, ut invitis membranis vulgatum mutemus. Supra l. viii. c. 33. 'Non tam perpetuæ orationes, quam altercatio, exaudiebantur:' ubi iterum Gronov. sine ullius cod. auctoritate *exaudiebatur*; quum pro recepta lectione stent optimi Mss.

§ 7 *Petere, si possent, &c.*] Hic quoque infuscati aliquid. Non dubium tamen, legendum *et petere*, si integra quæ præcedunt; nec fuerunt, *se iis pollicitum dep. apud sen. futurum petere*. Istorum *se quoque* sensum video: se quoque admitti inter pacificatores, et partem gratiæ in reconciliata pace ferre. Hæreo nonnihil in verbis. Possis, *se quoque in gratia reconciliatæ pacis uti ponerent*. Ciceronis est 'ponere in gratia,' vel 'in gratiam,' lectum pluribus, quam satis intellectum. Est enim alicujus apud aliquem erga ipsum aut pro eo studium commemorare ac laudare. Cœlius ad Ciceronem Ep. 6. 'Amabo, si quid, quod opus fuerit Appio, facies, ponito me in gratiam.' Hoc est, fac, sciat ille, quod ei præstiteris,

etiam te mihi pro illo intervenienti dedisse, ut et ego hac re apud illum ineam gratiam. Ad Att. v. 3. 'Apud Lentulum ponam te in gratiam.' Significabo Lentulo, te pro illo mecum sollicite egisse. Eodem libro ep. 11. 'Apud Patronem te in maxima gratia posui.' Ostendi ei, quod desiderat, id te mihi vehementer commendasse. VI. 1. 'Lepta tua epistola gaudio exsultat: etenim scripta belle est, neque apud eum magna in gratia posuit.' Fidem ei fecit, me tecum de illo sic egisse, ut eum valde devinxerim. Epist. 6. 'At te apud eum (Dii boni) quanta in gratia posui? eique legi literas non tuas, sed librarii tui.' Monitum Tullii est ad eundem II. 25. 'Cum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te, me id fecisse.' Hoc est, me ponas in gratia. Possis etiam deleta præpositione, *se quoque gratia reconciliatæ pacis uti posse.* Foret enim *gratia uti,* ut 'ambitione uti' apud Cic. Fam. v. 20. 'Sane moleste tuli, non illa beneficia tuæ potius ambitioni reservata esse, quam meæ, qui ambitione nihil uterer.' *J. F. Gron.* De locutione 'uti ambitione,' 'gratia,' 'pace,' vide Gronov. de Pec. Vet. III. 17. p. 254. Idem Gronov. in priori ed. nott. ultima verba ita refingenda arbitrabatur: *se quoque in gratia reconciliatæ pacis eos uti:* quod exponit, se quoque illos adhibere tamquam medium, se quoque admitti ab illis inter pacificatores, et partem gratiæ in reconciliata pace ferre. Hearnius autem testatur Pithœum etiam, expuncta præpositione, legisse *se quoque gratia reconciliatæ pacis posse uti;* at vir doctus in margine ed. Curionis conjecit, *se quoque ea gratia reconciliatæ pacis posse uti. Petere se posse uti,* pro 'petere ut uti possit;' de quo vide ad XXXVII. 49. § 1.

§ 8 *Majore parte a se vindicata*] Corrige *ad se vindicata.* Sigon. Optime Sigonius *ad se.* Sic III. 20. 'Consularis officii partem ad se vindicabat.' IX. 43. 'Si alterum exercitum utrinsque victoriæ compotem sinerent fieri, nec ad se sui belli vindicarent decus.' Cic. pro Rabirio Repetund. cap. 9. 'Perpetienda illa fuerunt, ut se aliquando ad suos vindicaret.' *J. F. Gron.* De legatis Rhodiorum, partim Romam et ad consulem, partim ad Perseum destinatis, vide Exc. Legat. Polybii num. LXXXVI.

§ 10 *Inopia insulam premi, amissis, &c. commeatibus*] Hinc Rhodii omnibus legatis hoc bello Romam missis mandarunt, ut frumenti exportandi facultatem a senatu impetrare conarentur. Vide Polyb. Exc. Legat. n. LXXIII. et LXXX.

CAP. XV. § 1 *Caras et Lycios liberos esse*] Antiocho victo pars Cariæ Eumeni, pars Rhodiis, et iisdem Lycia, paucis exceptis, data fuerat. lib. XXXVII. capp. 55. 56. et XXXVIII. 39. Lycios a Rhodiis crudeliter habitos et bello vexatos fuisse, tradit Liv. l. XLI. capp. 6. et 25. sed eos sub ditione Rhodiorum mansisse e XLII. 14. apparet. Victo Perseo jussi sunt præfectos ex Lycia Cariaque deducere. XLV. 22. *Duk.*

Ad utramque gentem scirent indicatum mitti] Scribe *ut scirent indicatum.* Causam enim affert, cur senatus jusserit, extemplo literas ad Caras et Lycios de libertate mitti, ut Rhodii, inquit, legati, qui id ægre laturi erant, scirent scriptum esse. *Sigon.* Gronovius hic tacet, ut vel in sententia Sigonii adquieverit, vel, quid melius reponendum foret, non invenerit. Mihi τὰ *ut scirent indicatum* displicet; neque tamen, quid eorum loco substitui debeat, subcurrit: nisi forte *ad utramque gentem senatusque consultum mitti.* Vide Gronov. ad XL. 41. § 10. Eamdem conjecturam etiam Crevierio in mentem venisse video, nisi quod legerit *et senatusconsultum mitti.*

§ 3 *Principio hujus belli*] Ita demum ed. Basil. 1554. quod recentiores ser-

varunt. Priores *ejus belli.*

§ 4 *Si id ante dubium fuisset, legatorum paullo ante verba*] Forte, *si id adhuc dubium fuisset, leg. paullo ante verba ad certum redegisse.* J. F. Gron. Caussa, cur Gronovius vulgatum mutarit, fuisse videtur vocis *ante* repetitio. Potest esse, Livium, ut Gronovius conjecit, nobis reliquisse. Attamen vocis repetitionem non satis justam caussam esse, ut locus mendæ suspectus fiat, vidimus ad 1. 3. § 9.

§ 5 *Rhodios nuncio in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere*] An *nunciis?* ut ita per contemptum appellet legatos. *J. F. Gron.* Crevierius vulgatum tuetur, et exponit nuncio per orbem terrarum misso, laudato hoc Ciceronis loco ex orat. pro L. Manil. c. 5. ' Tot civium Romanorum millibus uno nuncio atque uno tempore necatis.' Jac. Perizon. ad marginem Livii conjecit *Rhodios nunc in orbe terrarum:* ita ultimæ literæ voci *nuncio* adcreverunt ex sequentibus, *ĩ orbe,* sive *in orbe.* Vulgatum *nuncio,* vel Gronovii *nunciis* non displicet: ut senatus Romanus rideat confidentiam Rhodiorum, qui sibi persuadere possint, se nuncio vel nunciis impetraturos, quod conscripto exercitu erat obtinendum. Vell. Pat. II. 50. ' Festinationem itineris ejus aliquamdiu morata Massilia est, fide melior, quam consilio prudentior; intempestive principalium armorum arbitria captans, quibus ii se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt:' ubi Burmann. locutionem *arbitria belli pacisque agere* inlustravit duobus locis Justini v. 2. et XXII. 2. quibus adde Tacit. Ann. XII. 60. ' C. Oppius et Cornelius Balbus primi Cæsaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare.' Id ' pacis ac belli modum facere' vocat Livius IX. 14. ' Vanissimam increpans gentem, quæ, suarum inpotens rerum domesticis seditionibus discordiisque, aliis modum pacis ac belli facere æquum censeret.'

*Deorum nutu arma sumturos posituros*que] Optime Jac. Perizon. ad marginem Livii conjecit *eorum nutu.* Librarios has voces in Mss. commutasse, vidimus ad XXIX. 11. § 6. Similiter, vel etiam *Rhodiorum,* legendum conjecit Crevierius.

§ 6 *Itane tandem iis pareatur*] In his verbis vix sensum commodum video. Idem etiam de se testatur Dukerus. Parva emendatione ac mutata interpunctione non male subcurrere videtur Crevierius, legendo *Itane tandem? Ni pareatur, ex. de Mac. deportentur, visuros esse, quid sibi fac. sit;* et monet, ultima verba ex oratione Rhodiorum desumta hic per inrisionem repeti. Reliqui omnes interpretes hoc loco silent.

CAP. XVI. § 2 *Et ibi et ex aliis locis*] Prius *et* abest ab edd. primis, et demum comparuit in ed. Paris. 1573. quod sensus respuit, et neglegentia operarum ex ultimis literis præced. vocis *transisset* adscitum videtur. Ex contextu igitur ejeci. Mecum sentiunt Dukerus et Crevierius.

Commeatus rempublicam prospectos in hiemem habere] Vox *rempublicam* vitiosa est. Sæpe autem, admonui, quam facile et quam sæpe lapsi sint librarii in his vocibus *P. R.* et *R. P.* et *PR.* id est *populus Romanus, respublica, prætor* inversis, aut disjunctis, aut conjunctis, contra quam opus erat, literis. Hoc ergo loco idem vitii est: pro *rempublicam* restituendum est *a prætore:* prætorem autem intelligit C. Marcium Figulum classis præfectum, cui commeatus cura erat tradita. Itaque paulo ante dixerat cap. 7. ' Consuli postquam ex alto conspecta classis spem fecit cum commeatu naveis venire.' *Sigonius.* Vestigiis Sigonii insistens Doujatius legendum censuit *commeatus prætorem prospectos in hiemem habere.* Solere autem voces *PR.* et *R. P.* sive *prætor* et *respublica* a librariis confundi, vidi-

mus ad XXXI. 4. § 7. Utrum tamen is error hoc loco commissus sit, admodum dubito; quia, prætorem prospiciendis commeatibus aliquid contulisse, ex superioribus non adparet. Nam consul, prætorem cum classe adventantem conspiciens, spem quidem concepit, naves cum commeatu venire, ut supra c. 7. loco a Sigonio laudato Livius dixit; verum spes illa fefellit: nam addit Livius, eum ab invectis jam portum audisse, onerarias naves Magnesiæ relictas esse: contra vero, quum ad summas annonæ angustias adactus esset, literas a Lucretio adlatas esse, se in castellis expugnatis frumenti copiam invenisse: hinc consulem eo movisse, ut militi frumentum divideret: expugnato deinde Heracleo, jussisse, vias commeatibus subvehendis ex Thessalia muniri, et horreis opportuna loca eligi, cap. 9. Unde patet commeatus terrestri itinere ad hiberna consulis subvectos esse, non vero opera prætoris C. Marcii Figuli præfecti classis; qui post captum Heracleum cum classe profectus oram Macedoniæ maritimam infestavit, et subinde exscensione facta varias urbes frustra tentavit. Vide capp. 10. 11. et 12. Locum tamen non integrum puto, cui qua ratione medendum sit, ulterius cogitandum est.

Ut pro frumento pecuniu Romæ] Ita major Jac. Gronovii ed. sed verisimiliter operarum culpa. Minor enim a. 1678. præfert *pro eo frumento*, ut est in omnibus prioribus; nisi quod ed. Sigonii, quæ post mortem ejus prodiit Venet. 1592. itidem pronomen *eo* omittat. Eumdem errorem postea adoptarunt Doujatius et Clericus; sed emendarunt Hearnius et Crevierius.

§ 3 *Equis CC. ferme opus esse*] *CC.* numerus Manutio est suspectus, et ∞ reponit; ut *mille* equis opus esse scribat. *Sigon.* Notas illas numerales *CC.* et ↀ a librariis commutari, vidimus ad XXXV. 35. § 4. At Doujatius judicat forte *ducentorum* numerum sufficere, quia tantum agitur de equis ad priorem numerum adjiciendis. Adde tantum agi de supplemento equorum maxime Numidarum.

§ 5 *Is pacis semper auctor regis fuerat*] Scribe *regi*. Sic enim Latina locutio postulat. *Sigon.* L. VII. c. 23. 'Auctor Patribus scribendi alterius exercitus.' XXIII. 41. 'Hanno auctor rebellionis Sardis.' XLV. 26. 'Universæ genti auctores desciscendi ab Romanis.' Verum non aliter legunt edd. principes, et *regis* demum operarum errore receptum est in Basil. 1554. Mox pro *servabat* legendum videtur *servarat*. Nam Philippus mortuus non amplius *servabat*.

Quotidie bis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi] Alterutrum, vel *quotidie*, vel *in die*, abesse potest: in quo mihi consentiunt Dukerus et Crevierius. Forte autem delendum est *quotidie*, ac legendum *in diem*; ex cujus interpretatione, olim margini adscripta, et postea in contextum recepta, natum est illud *quotidie*. Ita XXXI. 29. 'Natura enim, quæ perpetua est, non mutabilibus in diem causis, hostes fiunt.' Posses etiam *in dies*, ut vocis *dies* litera ultima exciderit ob initialem seq. Vide ad IV. 33. § 11. Perpetuam enim non esse differentiam, quam inter *in diem* et *in dies* Valla statuit, vidimus ad XXI. 11. § 11. Et ita XXXVIII. 36. 'Feritas inmanium barbarorum, incertusque in dies terror.'

§ 6 *Transfugit: magno usui consuli fuit*] Ita ed. princeps. Proxima et sequentes dederunt *magnoque usui*. Gronovius demum a. 1665. omnesque postea recentiores copulam ejecerunt, quæ tamen necessaria videtur. An igitur legendum *et magno usui?* ut vocula *et* intercepta sit ab ultimis literis præcedentis. Vide ad IX. 41. § 10. Mox § seq. perperam ed. princeps *locum*, *lautiam præberi*, pro quo

proxima *lautia*.

§ 8 *Tribunus plebis eos violenter accusaret*] *Accusarat* perspicue. *Sigon.* *Accusarat* inveni in omnibus edd. ante Sigonium, præterquam in Bas. a. 1554. ubi neglegentia operarum datum est *accusaret*.

Tribu quoque is motus, et operarius factus ad opera publica facienda. Quum eis dimidium ex vectigalibus ejus anni adtributum] Censores variis pœnis animadvertisse in illos quos nota afficiebant, legimus. Namque equum adimebant quandoque, scilicet quem ei e publico in bellicos usus assignatum habebat; vel tribu movebant, hoc est, e honestiore tribu in minus honestam transferebant, uti ex rustica in urbanam, vel ex rustica in rusticam, quod docet Livius XLV. 15. ubi de Claudio censore. Nam in urbanam tribum transferri ignominiosum erat, ut testatum reliquit Plinius XVIII. 3. præterea in Ceritum tabulas referebant, hoc est suffragio spoliabant. Ad hæc ærarium faciebant, id est, (si Pædiano credimus [ad Cic. Divin. c. 3.]) nullum aliud civitatis jus relinquebant in centuria, atque adeo in tribu, quam ut pro capite suo æs penderent. Senatores etiam aliquos notabant, et senatu amovebant. Hæc tantum censoriæ pœnæ genera ex historiis recentiores adnotarunt. Addimus nos, hoc Livii loco moniti, sextum genus, quod erat operarium facere ad opera publica facienda: scilicet, ut pecunias solverent in opera publica impendendas, hoc est, solvendas illis, quibus opus aliquod publicum faciendum locassent censores. Ita apud eundem Livium legimus X. 23. ex pecunia collecta ex fœneratorum damnatione plura opera publica facta, ita et alia opera publica confecta ex pecunia multaticia, a pecuariis damnatis exacta, XXXV. 10. et XXXV. 41. de mulcta quoque fœneratorum quadrigas inauratas, clipeos inauratos in Capitolio positos, et porticum factam extra portam Tergeminam. *M. Donat.* Legendum sine dubio, *tribu quoque is motus, et ærarius factus. Ad opera publica fac. quum eis dim. ex vect. ejus anni attr. ex sen. a quæst. esset.* Confirmat hanc emendationem alius locus, qui XL. 51. habetur, in quo est, ‘ Censores, &c. tres ejecti de senatu: retinuit quosdam Lepidus a collega præteritos. Opera ex pecunia attributa divisaque inter se hæc confecerunt.’ *Ursinus.* Optime hunc locum Ursinus restituit: cujus emendationem non antea viros doctos deprehendisse, mirum est. Passim utraque hæc censorum pœna, ‘ tribu movere,’ et ‘ ærarium facere,’ jungitur. Exempla vide IV. 24. lib. XXIV. capp. 18. 43. et alibi. De ipsa pœna ‘ ærarium facere ’ vide ad XXIV. 18. § 6. Dein censoribus ‘ ad opera publica facienda ’ pecuniam adtributam fuisse, patet ex illis quæ notantur ad XL. 46. § 16.

§ 10 *Ex ea pecunia, quæ ipsi adtributa erat*] Ex hoc Livii loco patet, differentiam illam, quam Car. Sigon. de Antiq. Jur. Provinc. II. 8. statuit inter ‘ pecuniam attributam ’ et ‘ vectigalem ’ cornere. Ait enim, ‘ pecuniam attributam ’ fuisse, quæ hauriebatur ex ærario; ‘ vectigalem ’ vero, quæ ex vectigalibus et tributis colligebatur. At hæc pecunia attributa T. Sempronio, ex vectigalibus fuit collecta; ergo non ex ærario, quod ex ejusdem Livii verbis elicitur, sic scribentis: ‘ censoribus dimidium ex vectigalibus ejus anni attributum ex senatusconsulto a quæstoribus: ex qua pecunia attributa T. Sempronius basilicam faciendam curavit, quæ postea Sempronia appellata est.’ Cæl. Rodig. X. 3. videtur innuere, ‘ attributam pecuniam ’ fuisse, quæ tributi nomine statuceretur, idque ex Liv. XXXIX. 44. scribente de censura Catonis aspera ita in omnes ordines; ‘ ornamenta, et vestem muliebrem, vehicula, et mancipia æsti-

marentur, et his omnibus rebus terni in millia æris attribuerentur.' Item I. 43. ait, 'Unde equites alerent equos, ex publica pecunia emptos, vidnæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent.' Huic sententiæ favere videtur Varro de Ling. Lat. IV. 42. 'Tributum dicitur a tribubus, quod in pecunia, quæ a populo imperata erat, tributim a singulis pro portione census exigebatur.' Cic. in prætura urb. in Verr. I. 13. inquit, 'Ne diutius teneam pecuniam attributam, profectus est quæstor in provinciam.' Quæ verba exponens Asconius, 'attributam pecuniam' esse inquit, 'quæ in militum stipendium de ærario a tribunis ærariis quæstori annumerabatur.' Hæc sententia etsi specifice sustineri possit, tamen generice et in universaliore significatione mihi magis probatur Budæi expositio in prioribus Annotat. in ff. ex tit. de Offic. Quæst. ubi pecuniam attributam 'assignatam' interpretatur. Nam quæ in stipendium militum assignabatur, 'attributa' dicebatur ex Cic. et Ascon. locis adductis; ita et quæ equis alendis assignata erat ex viduarum censu, ex Livio 'attributa' appellata; sic et quæ magistratibus in provinciam proficiscentibus assignabatur, 'attributa pecunia' dicta. Cic. in Pison. c. 35. 'Nonne sestertium centies et octogies, ex ærario tibi attributum, Romæ in quæstu reliquisti?' Idem Cic. consul ad Caninium scribens ad Famil. II. 17. inquit, 'De drachmis centies mille nihil est, quod in isto genere cupiam possim accommodare: omnis enim pecunia ita tractatur, ut præda a præfectis, quæ autem mihi attributa est, a quæstore curetur:' 'attribuere' enim inter ceteras significationes accipitur pro assignare. Cic. in Anton. V. 2. 'Antonius mihi pecuniam attribuit:' et rursus IX. 7. 'Quantique locarint, tantam pecuniam redemtori resolvendam attribuendamque curent:' et ad Attic. l. XII. c. 28. 'Pueros attribue ei, quot et quos videbitur:' et ad Q. Fratr. I. 1. 'Insulæ, quæ erant a Sylla Rhodiis attributæ:' et alibi pluries. Quare hoc in loco pecuniam T. Sempronio attributam 'assignatam' interpretandam puto, sicque omnem difficultatem tolli. *M. Donat.*

Ædes P. Africani pone Veteres ad Vortumni signum] Signum Vortumni haud procul circo maximo fuisse, significat Cic. Verr. I. 59. De eo agunt Donat. de Urbe Rom. II. 15. et Nardin. Rom. Vet. V. 5. *Duk.* Doujatius per 'Veteres' vel intelligit veteres ædes P. Scipionis, vel veteres curias. Quod ad primam sententiam adtinet, probandum erat, novas a scriptoribus antiquis memorari ædes P. Scipionis, et veteres; præterea novas illas fuisse pone veteres ejus ædes. Quod ad alteram, ea jam ante placuerat Lipsio ad Taciti Ann. XII. 24. Is autem per 'veteres curias' intelligit domos illas curiales, quas Romulus unicuique curiæ tribuit, ut in iis homines cujusque curiæ, festis diebus convenientes cum curionibus suis, sacra facerent, et una epularentur. Vide Dion. Halic. Antiq. II. 93. et Festum voce 'Curia.' Eas 'veteres' vocari, quia, quum parum amplæ a Romulo factæ essent, 'novæ' postea proxime compitum Fabricium ædificatæ sunt, docet Fest. in voce 'Novæ curiæ.' 'Veterum' earum meminerunt etiam Varr. de Ling. Lat. IV. 37. et Tacit. loc. land. Contra Donat. de Urb. Rom. II. 27. per 'Veteres' intelligit tabernas, vel domos veteres. Certe 'novas tabernas' memorat Liv. III. 48. 'Seducit filiam ac nutricem prope Cloacinæ ad Tabernas, quibus nunc Novis est nomen.' Idem etiam novas tabernas, dictas argentarias, distinguit a septem tabernis, quæ postea quinque fuerunt, XXVI. 27. 'Eodem tempore

septem tabernæ, quæ postea quinque, et argentariæ, quæ nunc novæ adpellantur, arsere.' Docent autem Donatus l. laud. et Fam. Nardin. Rom. Vet. v. 8. sæpe apud scriptores loca urbis, quæ 'sub Novis,' 'sub Veteribus' vocant, memorari; eorum autem nomine verisimiliter tabernas novas et veteres intelligi.

Laneasque et tabernas conjunctas in publicum emit] Ego *lanienas* puto scribendum, quas Varro *lanignas* appellavit, auctore Nonio. Erant illic tabernæ quædam laniorum. *Turnebus*, Advers. XXIX. 7. *Lanienasque* præter Turnebum hic legendum monuerunt etiam Lipsius ad Tacit. Ann. XII. 24. et Pighius in Annal. ad a. IↃLXXIV. p. 374. Eamdem vocem Varroni II. de Vita Pop. Rom. apud Nonium voce 'Tabernas' restituendam existimat Scalig. ad Catalect. Virg. p. 221. ubi olim legebatur *tabernis ligneis*. Eamdem emendationem *tabernis lanienis* proponit etiam Fam. Nardin. Rom. Vet. v. 8. et *lanienas* has memorari docet ab eodem Varr. apud Nonium in voce 'Expulsim,' et a Plaut. in Epid. II. 2. 15. Contra *tabernis lineis* legendum censet Aus. Popma ad Varron. pag. 591. *tabernis lanignis* Turneb. Adv. XIV. 19. et a lanio 'lanignum' pro lanionium formari docet; cujus sententiam probavit Mercerus ad d. l. Nonii voce 'Tabernas.' Quum autem Varro illo loco testetur, ex tabernis lanienis argentarias factas esse, hinc Nardino loc. laud. ansa data est conjectandi, argentarias illas ea occasione 'novas' dictas esse: de quo quid sentiam, vide ad XXVI. 27. § 2. Id autem vere addit, non omnes tabernas lanienas in argentarias conversas esse. Nam, præterquam ex loco Varronis apud Nonium voce 'Expulsim,' quem laudat, id etiam ex hoc loco constare potest; ubi adhuc 'tabernæ lanienæ' memorantur, quas Sempronius in publicum emit, ut in aream earum basilicam construeret; quum tamen jam diu antea argentariæ fuissent, ut constat ex loco Livii ad verba præcedd. laudato.

CAP. XVII. § 3 *Senatusconsultum Sulpicius prætor ad consulem * post paucos dies recitavit, quibus ante diem * in urbem venturum*] Fœde corruptus locus est, et asterisco notandus. Sententia est, prætorem consuli senatusconsultum recitasse, consulem se in Urbem ad certam diem venturum, et comitia habiturum edixisse, paucisque post diebus et ipsum maturasse, et comitia eo die, qui dictus erat, esse perfecta. Sic IX. 37. 'Profectique ad Fabium consulem legati, cum senatusconsultum tradidissent.' *Sigon.* Fœde corruptum locum hunc, et asterisco notandum censet Sigonius; sententiam vero, prætorem consuli senatusconsultum recitasse; consulem se in urbem ad certum diem venturum, et comitia habiturum edixisse. De mendo adsentior: sed sententiam puto, prætorem ad consulem senatusconsultum misisse, et receptas ab eo literas post paucos dies in senatu recitasse, quibus ille se ante diem (hic deest numerus et nomen mensis) in Urbem venturum significabat. *J. F. Gronov.* Locum non integrum esse, viris doctis adsentior: plura tamen deesse, quam Gronov. credidit, colligere posse videor ex verbis *comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta.* In præcedentibus enim diei dicti nulla mentio occurrit. Omnia igitur aut hoc, aut simili modo supplenda judico: *ad consulem* [*misit, a quo receptas literas in senatu*] *post paucos dies recitavit, quibus* [*in*] *ante diem* (numerus diei et nomen mensis hic excidit) [*comitia edici jussit: se ante id tempus*] *in urbem venturum.* Poterat autem prætor urbanus in diem, quem consules jusserant, comitia edicere. Supra XXII. 33. 'Ab eodem prætore ex senatusconsulto literæ ad consules missæ, ut, si iis

videretur, alter eorum ad consules creandos Romam veniret; se in eam diem, quam jussissent, comitia edicturum.'

§ 4 *Septimo decimo anno, postquam primo consul fuerat*] *Quarto decimo* scribendum: tot enim anni numerantur a priore consulatu Paulli ad posteriorem. Error ex notis numerorum emanavit *XIIII.* et *XVII.* duo enim *II.* et *V.* mutata sunt. Præterea *primum*, non *primo*, in hoc genere dicendum est: sic enim ubique alias. *Sigon.* Crevierius vel *decimo quarto*, vel, si ambo extremi anni numerentur, *decimo quinto* legendum putat. Livium interdum utrumque annum extremum, interdum unum, interdum nullum numerasse, dictum est ad XLII. 10. § 5. Utrum igitur eum hic fecisse statuamus, arbitrarium esse puto. Malo tamen Sigonio adsentiri, ut ita pateat, quo casu librarius a vera lectione aberrans numerum vitiarit. Vide plura ad XXXVII. 22. § 4. Quod vero *primum* pro *primo* legat, de eo vide ad V. 16. § 1.

§ 5 *Cn. Bæbius Pamphilus*] *Tamphilus*, ut supra. *Sigon.* Vide ad lib. XXXI. c. 49. § 12.

M. Ebutius Helva] *M. Æbutius Elva*, ut supra. *Sigonius. Æbutius* per diphthongum scribendum esse, Sigon. monuit II. 19. § 1. ubi vide. Deinde cognomen *Elva* adspirationem non admittere, dictum est ad IV. 21. § 10.

§ 7 *Cuique prætori classis venisset*] Crevierius *evenisset*, vel *obvenisset* legendum monet: ita enim ubique Livium loqui. Et sane *evenisset* exhibet ed. Basil. 1554. pro quo Paris. 1573. *venisset* revocavit. Si alterutrum, vel *evenisset*, vel *obvenisset*, in Msto unico fuisse constaret, id omnino recipiendum censerem. Nunc vero, quum primæ edd. ex eo *venisset* dederint, utrum aliquid mutandum sit, vehementer dubito. Certe 'venire' pro evenire vel obvenire, et apud Livium, et apud alios scriptores, obcurrit. 'Omnia, quæ deinde venerunt' inlustratur IX. 12. § 1. 'si quid in Samnio adversi venisset' X. 45. § 3. 'cui Sicilia provincia sorti venisset' XXIX. 20. § 4. in Mss. optimis legi vidimus. 'Ptolemæo Ægyptus sorte venit' dixit Justin. XIII. 4. § 10. quam lectionem auctoritate Mstorum, et optimorum exemplis adversus alios, qui *evenit* ex conjectura reponunt, defendit Grævius.

§ 9 *Consulibus Italia et Macedonia*] Ita mox 'Consulum, Æmilio Macedonia, Licinio Italia evenit.' *Italia* autem etiam comprehendit Galliam Cisalpinam. Constat ex XLV. 12. 'Licinius profectus in Galliam circa Macros campos ad montem Siciminam et Papinum stativa habuit.' c. 17. 'C. Licinius Crassus, collega in consulatu Paulli, tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat.' Et paullo post ibid. 'Quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret.'

§ 10 *Consulum, Æmilio Macedonia, Licinio Italia evenit*] Et quidem sorte evenit: præcessit enim, 'Designatos sortiri placuit provincias; ut, utri Macedonia consuli, cuique prætori classis venisset, sciretur.' A Livio igitur dissentit Plutarch. qui Macedoniam Paullo sine sorte decretam esse tradit in ej. vit. p. 260. *Κατέστησαν ὕπατον τὸ δεύτερον, οὐκ ἐάσαντες κλῆρον γίνεσθαι, καθάπερ εἰώθει περὶ τῶν ἐπαρχιῶν, ἀλλ' ἐκείνῳ ψηφισάμενοι τοῦ Μακεδονικοῦ πολέμου τὴν ἡγεμονίαν.*

Prætores, Cn. Bæbius urbanam, L. Anicius, &c.] Modo præcessit 'Consulum, Æmilio Macedonia, Licinio Italia evenit.' Videri ergo posset, etiam hic legendum esse *Prætorum, Cn. Bæbio.* Id vero tanto verisimilius existimari posset, quia in fine periodi subjungitur 'est sortitus;' quum, si *prætores* dixisset, potius scripsisset *sunt sortiti.* Sed nihil mu-

to. Nam iniquum foret, Livium, qui passim orationem omni modo variare conatus est, in eamdem loquendi formulam ubique cogi. Neque verum est, Livium, si vulgatum servandum sit, potius *sunt sortiti*, quam *est sortitus*, dicere debuisse. Supra III. 27. 'Legiones ipse dictator, magister equitum suos equites ducit:' ubi vide. Contra si *prætorum* reliquisset, attamen etiam *sunt sortiti* dicere potuisset. IX. 27. 'Consulum Sulpicius in dextro, Pœtelius in lævo cornu consistunt.'

CAP. XVIII. § 1 *Non segniter id bellum Æmilium gesturum*] Ita errore operarum, quem Doujatius et Clericus secuti sunt, edidit Jac. Gronov. quum priores præferant *L. Æmilium*; quod Hearnius et Crevierius restituerunt.

Quæ ad id bellum pertinerent, animo agitabat] Ita edd. principes. Postea 1573. Parisiis vulgatum est *animo cogitabat*, quod recentiores servarunt usque ad Gronov. qui in prima ed. nott. *agitabat* restituendum monuit, eamque lectionem postea recepit. Supra XXI. 22. 'Quum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo.' Ita 'agitare in animo' XXI. 2. 'Ut adpareret, majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum:' 'mente agitare' VII. 35. 'Nunc quæ mente agitem, audite.' VIII. 25. 'Alia nova nihil tum animo tale agitantibus accesserunt auxilia.' Cic. de Senect. c. 12. 'Nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita ganderet, nihil agitare mente posset.' Ovid. Her. XVIII. 54. 'Mente agito furti tempora prima mei.' Justin. VIII. 3. 'Quasi omnia, quæ agitasset animo, ei licerent:' 'agitare secum' Flor. IV. 2. 83. 'Dicitur in illa perturbatione et de extremis agitasse secum:' et simpliciter 'agitare' XXV. 36. 'Circumspicere atque agitare dux cœpit, si quo modo posset vallum circuminjicere:' ubi recte Gronov. vulgatam lectionem adversus Sigonium *cogitare*, pro *agitare*, substituentem defendit. Vide Cortium ad Sallust. Catil. c. 20. § 5.

§ 2 *Omnium primum a senatu petit*] Videtur legendum *petiit*, quomodo etiam Dukerus conjecit. Vide ad XXXVII. 45. § 2.

Navalibus copiis opus est] *Opus esset* aperte legendum. *Sigon.*

§ 3 *Quaque provincia nostra, qua hostium foret*] Vir doctus ad oram ed. Curionis emendat *quaque provincia castra nostra*. Verum id demum inquirere jubentur verbis proximis: 'Utrum intra saltus castra Romani haberent, an jam omnes angustiæ exsuperatæ, et in æqua loca pervenisseut.' Præterea nescio an satis Latine dicatur 'qua provincia Macedoniæ,' quod Latini dicerent 'qua parte,' 'qua regione Macedoniæ.' Nihil igitur mutandum: *qua*, scilicet parte, Macedonia *foret provincia nostra, qua foret hostium*, id est, qua parte foret in nostra potestate, qua in potestate hostium.

§ 4 *Qui dubii suspensæque ex fortuna fidei*] Neque hic viro docto ad marginem ed. Curionis *suspensique* emendanti adsentior. 'Esse suspensæ ex fortuna fidei' eodem modo dictum, ut 'esse bonæ fidei' apud Suet. Aug. c. 42.

Quid ea æstate terra marique rerum gestarum esset] Lege *gestum esset*. J. F. Gronov. Doujatius 'quid rerum gestarum' exponit, quæ res gestæ. Jac. Perizonius vulgatum inlustrat adscripto loco Livii ex XXXVII. 23. 'Extremo agmini loci nihil ad terram relicti erat.' Magis tamen probo Gronovii emendationem. Ita 'nihil relictum esse virium,' non *nihil relictarum*, II. 57. § 3. ubi vide quæ notantur.

§ 5 *Quos L. Æmilio videretur, legaret*] Hoc Lipsius de Milit. Rom. II. 2. ad legatos imperatorum in bello re-

fert. Sed de iis hic non agitur. Vide c. 20. Adde ad XLIII. 1. *Duk.*

§ 6 *Cn. Domitius Ænobarbus*] *Ahenobarbus*, ut supra. *Sigon.* Vide ad XXXIV. 42. § 4.

Bis in exitu anni ejus lapidatum esse nunciatum est; in Romano agro, simul in Veientibus: novemdiale sacrum] Manutius ex ingenio reponit *semel.* Sigon. Possis *nunciatum est; in Romano agro simul et in Veientibus.* Ut c. 34. 'Adventu consulis simul et veris principio.' Possis etiam legere, *nunciatum est in Romano agro, semel in Veientibus.* J. F. Gronov. Passim cognoscimus, quoties lapidaverit, toties novendiale sacrum fuisse. Unde sicut plus vice simplici nunc lapidatum nunciabatur, sic quoque sacra illa repetita esse dicere debuit, et voluit. Immo et ipsæ literæ probant scripsisse Livium, *Bis in ex. anni ejus lap. esse nunciatum est in Rom. agro, simul in Veienti. Bis nov. sacrum factum est.* Jac. Gronov. Bis factum sacrum novemdiale, etiam Dodwellus existimat in Append. Prælect. Camden. p. 678. ad Fragmenta, quæ feruntur, actorum urbanorum diurnorum, in quibus legitur *III. Kal. Aprileis lapidibus pluit in Veienti.* Quæ ibi vir eruditissimus de prodigiis prioris anni, a sequentis anni consulibus ante Latinas celebratas expiatis, disserit, probabili ratione nituntur. Sed quod verbis Actorum significari putat, pluviam illam lapideam non III. Kal. April. factam, sed hunc ultimum diem novemdialis sacri fuisse, mihi non persuadet. Nec facile cuiquam alii, ni fallor, persuadebit, *III. Kal. Apr. lapidibus pluit in Veienti,* idem esse, quod *III. Kal. Apr. fuit ultimus dies secundi sacri novemdialis, quo prodigium in Veienti factum expiatum est.* Nec ullo certo argumento probat, hæc novemdialia sacra octo diebus, quod contendit, conclusa fuisse. Utrumque horum ideo commentus est, ut inter Livium et Acta illa aliqua ratione conveniret. Nam quum consules Idibus Martiis magistratum iniverint c. 19. et Æmilius statim post Latinas pridie Kal. Apr. celebratas in provinciam profectus fuerit cap. 22. non nisi sedecim dies inter Idus Martias et III. Kal. Apr. reliquuntur, quibus gemina illa sacra novemdialia peragi potuerint. Ex his rationibus primus dies primi sacri fuerunt Idus Martiæ, is ipse, quo novi consules iuierunt, postremus XI. Kal. Apr. idemque primus secundi et hujus postremus III. Kal. Apr. Sed hæc omnia plane incerta sunt, et ab acumine ingenii Dodwelliani excogitata ad tuendam fidem Actorum illorum. Qui ea pro genuinis habent, et ostendere conantur, nihil in iis esse, quod a moribus Romanorum, et historia temporum, ad quæ pertinent, abhorreat, multis se difficillimis nodis implicant, quibus explicandis sæpe ad levissimas, interdum etiam absurdas conjecturas confugere coguntur. Mihi quidem, quum dudum suspectam habuissem illorum fidem, dubitationem omnem de hac re exemerunt, quæ Wesselingius Probab. II. 39. disputavit, e quibus manifestum est, ea ab aliquo historiæ et antiquitatis Romanæ non quidem plane rudi, nec tamen satis perito, conficta et pro veris supposita esse, ad fucum faciendum iis, qui omnia, quæ speciem aliquam antiquitatis præ se ferunt, tamquam cœlo missa ἐρικύδεα δῶρα θεῶν suspicere consueverunt. *Duk. Semel,* quod Manutius apud Sigonium et Gronovius reponendum censent, et *simul* sæpe in Mss. commutari, vidimus ad XXIV. 22. § 14. et ita *in Romano agro, semel in Veientibus* positum erit pro semel in Romano agro, semel in Veientibus, eodem modo, quo 'virgis cædi, alii securi subjici, pro alii virgis cædi, alii securi subjici, de quo similibusque plura notantur ad III. 37. § 8. Præterea *in Romano agro, in Veientibus* eodem orationem

variandi studio, quo dixit 'per Volscos, Falernumque agrum.' Vide ad VII. 26. § 9. Verum mihi, æque ac Jac. Gronovio, vulgatum *in Veientibus* displicet; at ob diversam rationem. Ipse eam reddidit, quod, quoties lapidasse nunciatum erat, toties etiam, novemdiale sacrum fuisse, memorandum esset. Id enim non perpetuum esse puto. Nam observatur quidem XXVII. 37. non vero XXXV. 9. ubi, licet 'Ariciæ, Lanuvii et in Aventino lapidibus pluisset,' attamen simpliciter tantum additur 'novemdiale sacrum factum.' Sed manifestius XXXVI. 37. 'Terracinæ et Amiterni nunciatum est aliquoties lapidibus pluisse;' et tamen consulti decemviri renunciarunt, 'ut novemdiale sacrum fieret.' Mihi vero *in Veientibus* displicet, quia post Veios captos et eversos, vel nulla vel rara admodum 'Veientium' mentio obcurrit, at aliquoties 'agri Veientis.' Ita VI. 2. 'Partem unam in agro Veiente Etruriæ obposuit.' Supra vero Livius, quum simile prodigium in agro Veiente accidisse indicare vellet, dixit 'Veiis de cœlo lapidaverat' XXVII. 37. Ob hanc igitur caussam, vel Jac. Gronovii emendationem probo, vel lego *in Romano agro semel, et in Veienti. Novemdiale sacrum, &c. in Veienti* vel repetito ex præcedenti τῷ *agro*, quemadmodum *in agro Veiente* habuimus, et est XXVI. 34. 'Neve ipsi posterive eorum uspiam pararent haberentve, nisi in Veiente, aut Sutrino, Nepesinove agro:' vel *in Veienti* simpliciter, ut VI. 14. 'Fundum in Veiente subjecit præconi.' XLII. 2. 'In Veienti apud Rementem lapidatum:' apud Jul. Obseq. de Prodig. c. 71. 'Veienti lana ex arboribus nata.' c. 90. 'Oleo et lacte in Veiente pluit.' Ita 'in Antiati' Liv. XXII. 1. § 10. ubi vide.

§ 8 *Sexaginta tres Africanas*] Plinius VIII. 17. docet 'Africanas' pantheras esse, in hæc verba de pantheris scribens: 'senatusconsultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam advehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius tribunus plebis, permisitque circensium gratia importari. Primus autem Scaurus ædilitate sua varias centum quinquaginta universas misit. Dein Pompeius Magnus quadringentas decem, D. Augustus quadringentas viginti.' Sueton. Calig. c. 18. inquit, 'Edidit et circenses plurimos a mane usque ad vesperam, interjecta modo Africanarum venatione, modo Trojæ decursione.' Dictæ autem pantheræ 'Africanæ;' eo quod in Africa frequentes sint, et inde in Italiam translatæ, quemadmodum et 'ventum Africanum' ita appellarunt, quod ex Africa flare incipit. Horat. Od. I. 1. 15. 'Luctantem Icariis fluctibus Africum.' Et 'gallinæ Africanæ,' quæ ex Africa ad nos conveluntur, quarum meminit Varro de Re Rust. III. 9. Vocatæ quoque 'pantheræ variæ,' ut a Plinio loco citato, ob maculas quibus sunt conspicuæ, unde et 'mensæ' quædam 'pantherinæ' ab eodem Plin. XIII. 15. hoc est varietate ciborum insignes. Et elegantissime Plautus in Epid. I. 1. 15. scribit, 'qui varie valent, Caprigenum hominum non placet mihi neque pantherinum genus.' Scilicet homines ingenii varii et inconstantis Cicero semper 'pantheras' vocavit, præsertim lib. de Nat. Deor. bis de illis verba faciens I. 31. et II. 50. Ita et jurisconsulti l. 2. D. ad legem Aquil. quamvis et apud eosdem 'panthera' genus retis sit et aucupii, Ulp. l. 11. D. de Act. empt. cujus et meminit Varro de Ling. Lat. IV. p. 26. Suidas quoque ejusdem vocabuli fecit mentionem, licet illius significatum omiserit explicare. Græci animal πανθῆρ, rete πάνθηρον dixere, voces distinguentes, sicuti et res ipsæ significatæ distinguuntur. *M. Donat.* Vide viros doctos ad Suet. Calig. c. 18. et Petron. Satyr. c. 35.

Et quadraginta ursos et elephantos lusisse] Pighius in Annal. ad annum IↃLXXXIV. p. 375. excidisse putat numerum elephantorum, qui circensibus his lnscrunt.

CAP. XIX. § 2 *Bis ex cursu Dyrrachium ejectos*] Manutius legit *rejectos*. Sigon. Hoc verbum de naufragis dici, notavimus ad M. Senecam Controv. III. 16. quale incommodum hi non sunt passi. Potius ergo *rejectos*. Cæsar Gall. IV. 28. 'Tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum cursum tenere posset, sed aliæ eodem, unde erant profectæ, referrentur, aliæ ad inferiorem partem insulæ, quæ est propius solis occasum, dejicerentur.' Vide ad XXIII. 34. *J. F. Gron.* Recte notat Gronov. 'ejici' proprie dici de naufragis. Supra XXXIII. 41. 'Inde profectum eum fœda tempestas obortа prope cum omni classe demersit: multæ naves ejectæ, multæ ita haustæ mari, ut nemo in terram enaverit.' XLIV. 28. 'Pars velis datis ad Chium naves ejecere.' Vide Burm. ad Petron. c. 115. p. 537. Adsentior itaque emendantibus *rejectos*. Quemadmodum enim 'dejici' dicuntur, qui vehementia venti ac vi fluctuum a cursu, quem tenebant, repelluntur, (vide ad XXIII. 34. § 16.) ita 'rejici' dicuntur, qui eodem, unde solverant, referuntur. Cic. Philipp. I. 3. 'Rejectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam.' Tuscul. I. cap. ult. 'Sin, reflantibus ventis, rejiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur, necesse est.' ad Attic. XVI. 7. 'Quum a Leucopetra profectus stadia circiter trecenta processissem, rejectus sum austro vehementi ad eamdem Leucopetram:' pro Cæcin. c. 30. 'Si qui ex alto, quum ad patriam accessisset, tempestate subita rejectus optaret, ut, quum esset a patria dejectus, eo restitueretur.' Cæsar B. Gall. v. 23. 'Ex iis' navibus, 'quæ inanes ex continente ad eum remitterentur, perpaucæ locum caperent, reliquæ fere omnes rejicerentur.'

§ 3 *Id fore intra perpaucos dies*] Ita recte Frob. 1535. et post eum omnes ediderunt. Male enim *infra per paucos dies* princeps ed. 'Infra' et 'intra' sæpissime commisceri, vidimus ad XXXIV. 50. § 3.

§ 4 *Ne quid profectionem suam teneret*] Ita constanter typis descripti usque ad ultimam Gruteri ed. quæ perperam dedit *retineret*. Monuit id Gronov. ad XXXII. 9. § 1. et priori ed. nott. ad h. loc. De verbo 'tenere' hoc sensu vide ad d. l. lib. XXXII.

Pridie Idus Aprilis Latinis esse constitutam diem] Paulo post autem c. 22. ait, Latinas fuisse pridie K. Aprilis; sic enim inquit: 'Ab hac concione Latinis, quæ pridie Kal. Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato.' Aut ergo mendum est, aut diem Latinis prætulit. *Sigon. Pridie Kalendas Apr.* ex cap. 22. et ex Fragmentis Actorum corrigunt Pighius in Annal. ad an. IↃLXXXV. pag. 377. et Dodwell. in Append. Prælect. Camden. p. 682. Si non habuisseut auctoritatem Actorum illorum, non major ratio fuisset hic pro *pridie Idus* emendandi *pridie Kalendas*, quam c. 22. pro *pridie Kal.* scribendi *pridie Idus*. Nam nullo argumento ex Livio ipso ostendi potest, uter locus corruptus sit. Sed quia Acta testantur Latinas *pridie Kal. April.* fuisse, non dubitarunt viri doctissimi, quin c. 22. recte *pridie Kal.* hic perperam *pridie Idus* scriptum sit. Nec potuerunt aliter, quum Fragmenta illa pro certissimæ fidei monumento Antiquitatis haberent. Sed si vera sunt, quæ in iis leguntur, auctori eorum, quod etiam Wesselingius attigit, non optime cum Livio convenit. Nam si Livius hic, quod illi volunt, scripsit, *pridie Kalendas Aprilis Latinis esse constitutam diem*, consequens est Paullum et Octavium non ante diem III. Non. April. id est, non ante per-

petratum in monte sacrificium Latinarum, cui tum quatuor dies, ut notum est, impendebantur, in provinciam exire potuisse. Neque enim quemquam futurum puto, qui non sit judicaturus his verbis, sive *pridie Idus*, sive *pridie Kalendas Aprilis Latinis esse constitutam diem* scripsit Livius, primum diem hujus sacri, et iis, quæ cap. 22. leguntur, consulem et prætorem Cn. Octavium ‘ Latinis, quæ pridie Kalendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde in Macedoniam profectos,’ ultimum designari. Sed si Actis credimus, Paullus et Octavius ‘ Kalendis Aprilis,’ qui, si pridie Kalendas Aprilis Latinis esse ‘ constitutam diem,’ de primo eorum die dictum est, secundus dies Latinarum erat, nondum perfecto soleuni, ‘ paludati egressi sunt urbe in provinciam Macedoniam.’ Hoc si considerassent Pighius et Dodwellus, facile animadvertissent, si hic legatur *pridie Kal. Aprilis*, Livium non alia ratione cum Actis in concordiam posse redigi, quam ut primum conarentur ostendere, verba Livii de ‘ die ’ Latinis ‘ constituta ’ de postremo die earum accipi posse: deinde, si id non possent, docerent, magistratus Romanos non coactos fuisse totos quatuor dies huic sacro interesse, sed religione illius defunctos fuisse, si ei vel uno die operam dedissent; et quod Livius cap. 22. dicit, Paullum et Octavium ‘ sacrificio ’ in monte rite ‘ perpetrato ’ in provinciam profectos fuisse, non necesse esse de ultimo die sacri accipi: in quibus eos non parum laboraturos fuisse arbitror. Qui nobis hoc non auro contra, si Dis placet, carum monumentum concinnavit, videtur verba Livii hoc cap. ‘ Latinis esse constitutam diem,’ et c. 22. ‘ Latinis, quæ pridie Kalendas Aprilis fuerunt,’ de postremo die earum intellexisse; quorum neutrum rationem habet. Utrum autem hic *pridie Kalendas*, an cap. 22. *pridie Idus* legendum sit, non possum decernere; quia, ut dixi, neque pro hac, neque pro illa scriptura ullum argumentum e Livio peti potest. Fragmenti Actorum nulla est apud me auctoritas, nec quidquam aliud ex eo probari potest, quam auctorem illius c. 22. legisse *pridie Kalendas Aprilis*. Duk. Alterutrum locum, vel hunc, ubi *pridie Idus Aprilis*, vel illum c. 22. ubi *pridie Kalendas Aprilis* legitur, mendosum esse, ut vero, uter eorum emendandus sit, definiamus, anceps esse, viris doctis consentire malo, quam cum Sigonio statuere, consules diem Latinis prætulisse. Id enim si factum fuisset, æque Livius monuisset, ac fecit antea de triumpho M. Fulvii XXXIX. 5. Ceterum *pridie Idus*, vel *pridie Kalendas Apriles*, non *Aprilis*, legendum arbitror. Ita enim Livius ubique loquitur his posterioribus historiarum superstitibus libris, excepto uno vel altero loco, ubi id a mala manu mutatum esse videtur. Vide ad IV. 37. § 3.

§ 6 *Sacrificio rite perfecto, primi Alexandrini, legati*] ‘ Sacrificium ’ hic non Latinarum intelligit, sed solenne sacrum, quod consules suscipiebant ineuntes, antequam de republica referrent aut agerent: at paulo ante cum dixit, ‘ sacrificio rite perfecto se et Cn. Octavium, simul senatus censuisset, exituros esse,’ solenne Latinarum intelligit. *Sigon.* Dodwellus loco laud. nec sacrum a consulibus magistratum ineuntibus factum, nec sacrificium Latinarum, sed sacrificium primi diei Quinquatrium, intelligi ex eo colligit, quod legati Romani cap. 20. Quinquatribus ultimis ex Macedonia Romam rediisse dicuntur. Ex ejus sententia sacrificium, de quo hic Livius agit, primo die Quinquatrium rite perfectum, legati Ægyptii auditi, et senatusconsultum de legatis ad reges mittendis factum est; qui quarto die Quinquatrium cum Alexandrinis profecti sunt. Hæc omnia non æque

certa sunt; sed verum esse puto, Livium hic non loqui de sacro Latinarum. *Duk.*

§ 9 *Obsidione ipsam Alexandriam terrebat*] Ita recte ed. princeps. At mox Froben. 1535. substituit *tenebat*, prono ac facili operarum errore; quem etiam a librariis commissum esse, vidimus ad XXIII. 1. § 10. Licet autem in illa lectione vix sanus sensus adpareat, putidum tamen peccatum patienter tulerunt secuti editores usque ad Gronov. qui in priori ed. nott. *terrebat* revocandum docuit, et postea etiam contextui restituit, quamvis ipsam adnotationem omiserit.

§ 10 *Orabant senatum, ut opem, &c. ferret*] *Ferrent* omnes edd. usque ad ultimam Gruteri, vulgati auctorem. Priscam lectionem Livio reddidi, qui vocem *senatus* tamquam conlectivam cum verbo plurali construere solitus est. Vide quæ notantur ad IV. 58. § 4. Ita mox addit 'si legatos misissent,' scilicet senatus, cui soli jus mittendi legatos competebat, et 'Quod si cunctentur facere.'

§ 11 *Abscessurus a mœnibus Alexandriæ*] Ita demum Vascos. at superiores *Alexandreæ;* quæ orthographia sæpius in his posterioribus libris a primis editoribus exhibetur. Exempla vide lib. XLV. cap. 10. 11. et 33. quibus omnibus locis recentiores, ut etiam hoc loco, literam *e* syllabæ penultimæ in *i* mutarunt. Eamdem scripturam non tantum in hac voce, sed et aliarum urbium nominibus, quæ apud Græcos in penultima syllaba ει habent, optimos codd. servare, vidimus ad XXXI. 45. § 3.

§ 13 *C. Popillium Lænatem, et C. Decimium, C. Hostilium*] Scribe *Lænatem, C. Decimium, et C. Hostilium.* Sic enim loquitur paullo post in iisdem legatis nominandis. *Sigon.* Lectio quæ Sigonio non sine caussa displicuit, demum obvia fuit in ed. Basil. a. 1554. Ei se mederi credebat copulam trajiciendo ante ultimi legati nomen. At, si priores edd. inspicere operæ duxisset, deprehendere potuisset, legendum esse *et C. Decimium, et C. Hostilium;* quod recte recepernnt Paris. a. 1573. Quod autem ad locum paullo post, in quo Livium, eosdem legatos nominantem, sic loqui Sigonius testatur, innuere videtur eum, qui c. 29. obcurrit: ita quidem tempore Sigonii ibi edebatur, sed et primæ edd. et recentiores nunc itidem legunt *Legati Romani C. Popillius, et C. Decimius, et C. Hostilius.* Ceterum C. Hostilium filium fuisse C. Tubuli, qui a. IDXLIV. prætor fuit, conjicit Pighius in Annal. ad annum IDLXXXIII. p. 370. quin etiam ipsum quoque prætorem fuisse statuit biennio ante, A. Hostilio Mancino, et A. Atilio Serrano consulibus, cujus anni comitia in Livio lib. XLIII. post cap. 3. periernnt: non enim verisimile videri, C. Hostilium, nisi eo honore functum, tam speciosæ legationi deputatum, ac collegis Popillio consulari, et Decimio prætorio adjunctum fuisse. At argumentum pro prætura C. Hostilii admodum infirmum est. Senatus enim plerumque observare solebat, ut ex tribus legatis, quos ad res sociorum ac regum fœderatorum inspiciendas mittebant, unus esset consularis, alter prætorius, tertius qui neque consulatu, neque prætura functus erat. Vide ad XXXI. 2. § 3 Inde igitur potius efficiendum videtur C. Hostilium hoc tempore nondum prætnram gessisse, et pro Hostilio illo alium quærendum esse, qui ante biennium hunc honorem obtinuit.

CAP. XX. § 1 *Quinquatribus ultimis adeo exspectati venerunt*] Vulgatissimum est, Quinquatria fuisse festa, quæ Minervæ seu Palladi fiebant, ita appellata, quod per quinque dies post Idus, qui inter atros connumerabantur, fiebant, uti Ovidius Fast. III. p. 809. 'Una dies media est, et fiunt sacra Minervæ, Nomina quæ a

junctis quinque diebus habent.' Et Varro de Ling. Lat. v. p. 47. docet Quinquatria fuisse festa Minervæ sacra per quinque dies ab Idibus. Gell. II. 21. 'Quod quinquatrus,' inquit, 'dicimus, quod quinque ab Idibus dierum numerus sit, atrus nihil significet.' Porphyrion, enarrans illud Horatii Ep. II. 2. vs. 197. 'At potius puer, ut festis quinquatribus olim,' scribit, quinquatrus a quinque diebus dici, qui dies ad ferias Minervæ pertinent, propterea quod festæ solemnitates ejusdem Deæ per hoc spatium celebrabantur. Cic. in Epist. ad Fam. XII. 25. 'Quinquatribus egi causam tuam, non invita Minerva.' Et rursus II. 12. 'Ita tumultuosæ conciones, ita molestæ Quinquatriis afferebantur.' Domitianum imperatorem Quinquatria quotannis Minervæ celebrasse solemnia in monte Albano, ita ut et collegium ad magisterium earum institueret, testis est Suetonius in illo c. 4. Quod etiam insigniter describit Juvenalis Sat. II. tam liber et verax, quam contra vani et adulatores Papinius et Martialis. Nero, Agrippinæ matri struens insidias, eam Baias evocavit ad solemnia Quinquatrium simul celebranda, ut docet Suet. c. 34. Errant sane toto cœlo, ut aiunt, qui quinquatrum diem unum solummodo fuisse festum ex Varrone existimant, scribente de Ling. Lat. II. quinquatrum diem unum festum sic appellari, quod erat post diem quintum Idus Martii; quam sententiam et sequutus est Beroaldus in comm. loci citati, qui tamen una cum aliis ejusdem opinionis facile erroris convincitur. Nam Sueton. in Aug. c. 71. scribit: 'Nos, mi Tiberi, Quinquatrus satis jucunde egimus, lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus.' Præterea Livius XXVI. 27. sic habet: 'Interrupit hos sermones nocte, quæ pridie Quinquatrus fuit, pluribus simul locis circa forum incendium ortum:' quo loco *pridie Quinquatrus* interpretandum non dubito 'priorem ex Quinquatriis diem.' Sic et apud Cic. ad Attic. IX. 13. 'Fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua illum usum puto.' Gellius namque X. 24. putat dictum *pridie*, quasi *pristini*, id est, priore die. Sed de re hac clarius Ovidius Fast. III. vs. 809. 'Sunt sacra Minervæ, Nomina quæ a junctis quinque diebus habent. Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro; Canssa, quod est illo nata Minerva die. Altera tresque super strata celebrantur arena, Ensibus exsertis bellica læta Dea est.' Ex his quæ a Livio sunt dicta 'ultima Quinquatria,' facile colligimus, non ultimum quinquatrium, diem videlicet quintum, intelligere, hæc illius verba clare demonstrant: 'Legati ex Macedonia quinquatribus ultimis adeo exspectati venerunt, ut, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit, legatique auditi sunt.' Hunc genuinum sensum verborum Livii esse etsi arbitror, nihilominus et aliam expositionem afferre libet hujusmodi. Habemus ex Festo Pompeio lib. XI. voce 'Minuscula' Quinquatria proprie Minervæ festum fuisse post Idus Martias, aliud vero festum Quinquatrium post Idus Junias, quæ vocabantur 'Quinquatrus minusculæ,' seu 'minores,' et erat festum tibicinum, qui colebant Minervam. Hinc Ovid. Fast. VI. 651. 'Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores. Hinc ades o cœptis, flava Minerva, meis. Cur vagus incedit tota tibicen in urbe, Quid sibi personæ, quid toga longa volunt?' Itaque 'ultima Quinquatria' interpretari possumus hæc minora vocata, quæ postremo tempore celebrabantur, mense scilicet Junio ad differentiam priorum, quibus proprie colebatur Minerva mense Martio; utramlibet accipiat lector expositionem. *M.*

Donat. Posteriorem illam expositionem veram non esse, quisque sponte videre potest. Redierunt enim legati ex Macedonia ante celebratas Latinas, quæ edictæ erant in pridie Idus Aprilis. Ergo ‘ quinquatria ultima,’ quibus advenerunt, de quinquatribus minusculis mense Junio celebratis accipi nequeunt; sed indicatur ultimus dies quinquatrium, qui incidit in IX. Kal. Apriles. Nec melioris notæ est, quod *pridie Quinquatrus* apud Cic. ad Att. IX. 13. exponat priorem ex quinquatriis diem. An ergo ‘ pridie Kalendas,’ ‘ Nonas,’ ‘ Idus’ notant priorem ex Kalendis, Nonis, Idibus diem? Tirones norunt, quum *pridie* Gellius dictum testetur quasi *die pristini* seu *pristino, id est, priore,* etiam *pridie Quinquatrus* dici quasi die priore ante Quinquatrus, ut ‘ pridie Kalendas’ est die priore ante Kalendas. De quinquatribus vide Malaspin. ad d. l. Ciceronis.

§ 2 *Ii nunciant*] Vir doctus legebat *nunciarunt*, vel *nunciabant*, ut in fine capitis repetitur.

§ 3 *Pieriam, quo processit, regem tenere*] Latinus sermo *quo processisset.* J. F. Gron. Non aliter edd. omnes usque ad Francof. a. 1578. ex qua *processit* perperam propagatum est per recentiores usque ad Gronovium.

§ 4 *In otio militem ali, nec plus, quam VI. frumentum habere*] Suspicor legendum esse, *nec plus, quam sex dierum frumentum, habere:* siquidem jam hiems exacta erat, in quam commeatus parati fuerant a prætore. Jam enim consulatum inierat Paullus Idibus Martiis; omnia autem imminuunt legati. *Sigon.* Utut omnia minuant legati, vix tamen verisimile videtur, adeo parum commeatibus prospectum esse, ut circa finem Februarii, vel initium Martii tantum sex dierum frumentum superfuerit. Displicet igitur illud *dierum* a Sigonio interpositum; nec tamen, quid substituendum sit, video. Adscitam igitur vocem iterum ejiciens locum asterisco notavi. Forte legati renunciarunt numerum modiorum frumenti in horreis repositi. Is vero quantus fuerit, non nisi ope cod. integrioris restitui potest. Insuper Jac. Perizon. in margine Livii emendabat *in otio militem vix ali:* qua emendatione opus non esse videtur. Militem enim in otio alere consuli necesse erat, quia hiems aspera rebus gerendis intervenerat, nec tamen plus quam sex * * frumentum habebat.

§ 5 *Si Sp. Claudio circa Lychnidum*] Ita major Jac. Gronovii ed. sed sine dubio operarum sphalmate; minor enim recte *Ap. Claudio*, ut præferunt antiquiores. Et tamen manifestum hunc errorem servant Doujatius et Clericus.

Potuisse ancipiti bello distinere regem] Lege *distineri.* J. F. Gron. Gronovii conjecturam receperunt Clericus et Crevierius, verum ille non monito lectore. Contra Doujatius vulgatum recte tuetur. Si Ap. Claudio satis validus exercitus fuisset, potuisse eumdem illum Ap. Claudium distinere regem ancipiti bello.

§ 7 *Eumenem classemque ejus, tamquam vento adlatas naves, sine caussa et venisse, et abisse*] Videtur significare, classem illam, quum sociis opem non tulerit, parvoque temporis spatio illic manserit, videri potuisse non consilio eo venisse, sed tempestate delatam fuisse. Naves enim, quum vi ventorum aliquo adpelluntur, statim cessantibus illis abeunt. *Victorius,* Var. Lect. XVII. 22. Verba Livii recte quidem explicantur a Victorio, et favet Cic. in Lucullo c. 3. ubi ait, ‘ Et ad quamcumque sunt disciplinam, quasi tempestate, delati, tamquam ad saxum adhærescunt.’ Sed puto ego in illis verbis pusillum quoddam mendum latere, quod tamen pulcherrimam collationem, qua uti voluit Livius, mirifice depravat: idque satis constare potest, quia hujusmodi παραβολαὶ sive εἰκόνες, ut eas

appellat Demetr. Phal. consueverunt sumi a re diversa, proxima tamen naturæ illius, quæ explicatur. Sed enim Livius eo sermone non discesserit ab appulsu navium ad aliquem portum: discesserit autem, quod maxime, ut videtur, oportet, si legamus *aves ἀντὶ τοῦ naves*. Omnes autem norunt, globos certarum avium aliquo ferri quandoque consuevisse impetu ventorum, quæ postmodum, vento illo cessante, statim ab illis locis, ad quæ fortuito delatæ fuerunt, recedunt. Atque hæc similitudo plurimum sane valet ad ostendendum et quasi ante oculos collocandum id, quod hic Livius monstrare in animo habebat. Juvat hanc meam conjecturam, quod legitur apud Strab. v. 221. Καὶ οἱ *τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες ἱστοροῦσι περὶ τῶν* Πελασγῶν, *ὡς καὶ* Ἀθήνῃσι *γενομένων τῶν* Πελασγῶν· *διὰ δὲ τὸ πλανήτας εἶναι καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾷν ἐφ' οὓς ἔτυχε τόπους,* Πελαργοὺς *ὑπὸ τῶν* Ἀττικῶν *κληθῆναι·* atque adhuc magis particulatim de Alcyonibus fortasse intelligi potest ob id, quod de eis scriptum reliquit Aristotel. lib. de Histor. v. 9. ad hunc modum: Πάντων δὲ *σπανιώτατον ἰδεῖν ἀλκυόνας ἐστί· σχεδὸν γὰρ περὶ* Πλειάδος *δύσιν καὶ τροπὰς ὁρᾶται μόνον, καὶ ἐν τοῖς ὑφόρμοις πρῶτον, ὅσον περιϊπταμένη περὶ τὸ πλοῖον ἀφανίζεται εὐθύς· διὸ καὶ* Στησίχορος *τοῦτον τὸν τρόπον ἐμνήσθη περὶ αὐτῆς.* Simile peccatum visitur in codd. Apuleii Metam. v. pag. 167. ed. Elm. 'Protinus tanti mali confinium sibi etiam eximie metuentes, flatus alitis impulsu solito porrectæ super scopulum ilico pernici se fuga proripiunt: statimque conscensis navibus abeunt:' ubi fortasse legendum est *avibus:* quomodo etiam non multo post p. 168. 'avem. Quasi de morte parentis aliquid comperisset, statim navem adscendit, et ad illum scopulum protinus pergit.' Verumtamen nihil nimis affirmo. *R. Titius*, Locor. Controv. xx. 13. Brencmannus, qui excerpta ex ineditis R. Titii libris mecum communicavit, ad marginem adnotarat, Salvinium nihil in Livio mutandum censere; eique *aves* longius petitum, simplicius ac verius *naves* videri. Ceterum 'Eumenem' hic et fere semper hoc libro, interdum etiam supra et libro seq. unicus cod. præfert, sed inperitia librarii: qui, Græcæ linguæ rudis, se ita casum quartum more Græcorum exprimere credidit.

Sicut omnia de Eumene dubia, Attali] Excidit particula, *ita Attali egregie constantem fidem nunciabant.* J. F. Gronov.

Cap. xxi. § 2 *Ut in octo legiones parem numerum tribunorum consules et populus crearent*] Vide Lipsium Milit. Rom. II. 9. *Duk.* Ed. princeps *Uti octo legiones.* Frobenius deinde 1535. dedit *Ut in octo.* Posses etiam *Uti in octo*, ut præpositio *ĩ* sive *in* elisa sit a vocis præced. litera extrema. Vide ad xxxvii. 41. § 8. Præterea etiam *crearet* ed. prima; pro quo eadem Frobenii recte dedit *crearent.*

Cap. xxii. § 6 *Quæ scripsero senatui, aut vobis*] *Senatui et vobis*, vel *ac vobis*, ad marginem Livii scribendum conjecit Jac. Perizon.

Rumores credulitate vestra ne alatis] Hanc sententiam pariter expressit Plutarchus in concione Paulli p. 260. *εἰ δὲ πιστεύουσιν αὐτῷ, μὴ παραστρατηγεῖν, μηδὲ λογοποιεῖν, ἀλλ' ὑπουργεῖν σιωπῇ τὰ δέοντα πρὸς πόλεμον. Sigon.*

§ 8 *Qui exercitus in Macedoniam ducant*] Qui se scire putent, ac doceant, per quas vias et quomodo hæc omnia agenda sint. De hac figura vide Casaub. ad Theophr. Charact. cap. 8. *Duker.*

§ 10 *Contra adversum rumorem esse possunt, quam Fabius fuit*] Respicit versum Ennii apud Cic. de Offic. I. 24. et de Senect. c. 4. 'Unus qui nobis cunctando restituit rem: Non ponebat enim rumores ante salutem.'

§ 12 *Deinde ab iis, qui intersunt gerendis loco, qui hostem, qui temporum opportunitatem vident*] Suspectam ha-

beo hanc lectionem, *qui intersunt gerendis loco, qui hostem.* Malim ita: *qui intersunt gerendis rebus, qui loca, qui hostem.* Sigon. Doujatius parum referre opinatur, utrum lectio Sigonii recipiatur, an vero prisca servetur: nam *gerendis loco* poni pro in loco, id est opportune gerendis. At non vidit, mox subjungi *qui temporum opportunitatem vident.* Mallem *qui intersunt gerendis, qui loca, qui hostem.*

§ 14 *Piget, et otium urbanum*] Edd. antiquiores ignorant copulam *et*, quam addidit Paris. 1573. Id facile patior, quum verisimile sit, particulam illam interceptam esse ab ultimis literis τοῦ *piget*, ut sæpe alibi contigit. Vide ad XXXV. 41. § 7.

§ 16 *Latinis, quæ pridie Kalendas Aprilis fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato*] *Latinis* est tempore Latinarum, quibus diebus Latinæ celebrabantur. Ita 'ludis' II. 36. § 1. ubi plura vide. Deinde *pridie Calend. April.* edd. vett. pro quo *pridie Calendas Aprilis* dederunt Lugd. 1553. et Paris. 1573. quod recentiores servarunt. At malo more Liviano *pridie Kalendas Apriles.* Vide ad c. 19. § 4.

§ 17 *Ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello*] Dele posterius *esse.* J. F. Gron. Illud deleri Doujatius non necessarium judicat. Recte. Vide ad I. 41. § 5. Si quid tamen mutandum, mallem *finem adesse Macedonico bello.* Supra v. l. 'In armis erat tanta ira odioque, ut victis finem adesse adpareret.' Similiter etiam Crevierius scribendum vidit.

CAP. XXIII. § 2 *Per Hippiam legatum trecenta talenta pactus esset*] Hujus legationis mentionem, quæ apud Polyb. in Exc. Legat. num. LXXVII. et LXXXV. obcurrit, in Livio non inveni: sed cum multis aliis excidisse videtur temporum injuria ex fine libri XLIII. ut eo loco notavi.

Pantauchum misit] Ita recte Gron. 1665. edidit. Priores male præferunt *Pantaucum.* Vide ad XLII. 39. § 7.

§ 3 *Medeone Labeatidis terræ*] *Medione*, ut ante dixi ad XXXVI. 11. § 10. ex Stephano. Quamquam Polybius lib. II. cap. 2. et seqq. Μυδιωνίους vocat, non Μεδιωνίους. *Sigon.* Verum est, Μεδίων memoratur Stephano, verum πρὸς τῇ Αἰτωλίᾳ, sive juxta Ætoliam, sita esse dicitur; quod urbi hic memoratæ convenire nequit, sed potius Medioni Acarnaniæ, cujus Livius meminit lib. XXXVI. capp. 11. et 12. Vide quæ ibi notantur. Quærimus hic urbem *Labeatidis terræ*, sive Labeatum, quos Plinius III. 22. in ea parte Illyrici sitos docet, quæ proprie vocatur Dalmatia. Eorum regem Gentium esse, Livius testatur XLIII. 19. ad cujus regnum pertinebat urbs Lissus, ut colligitur ex Livii XLIV. 30. et Polybii Exc. Legat. num. LXXVI. regni autem metropolis erat Scodra. Vide Livii XLIV. 31. Nihil igitur verisimilius adparet, quam illam intelligi Medeona, quæ Stephano Byz. in Epiro sita fuisse dicitur. Ita enim inquit in voce Μεδεών· Ἔστι δὲ καὶ τῆς Ἠπείρου πόλις καὶ κώμη. Et sane terræ Labeatidis urbem non Μεδιῶνα, sed Μεδεῶνα dictam fuisse, indicant vestigia lectionis, licet corruptæ, apud Polyb. in Exc. Legat. num. LXXXV. ubi eamdem, quam hic Livius, historiam narrans dicit, Ὁ δὲ Πάνταυχος ἐξαυτῆς ποιησάμενος τὴν ὁρμὴν, καὶ παραγενόμενος εἰς Μετέωνα, τῆς Λιβιτιάδος· ubi, in nomine urbis unica tantum litera mutata, Ursinus recte ex Livio εἰς Μεδεῶνα τῆς Λαβεάτιδος legendum docuit. Infra etiam cap. 32. 'Medeonem Labeatium gentis urbem' Livius memorat; ubi pariter ita omnes editi præferunt, et Sigonius nihil monet: quem hic *Medionem* Acarnaniæ et *Medeonem* Illyrici urbem perperam confudisse, constat. An autem hic indicentur, qui Μυδιώνιοι vocantur Polyb. l. II. capp. 2. 3. et 4. non liquet. Eorum urbs ibi Μυδιωνία vocatur, et ad mare sita erat.

§ 4 *Cum eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt: et auctore Pantaucho, qui Rhodum, &c.*] Distingue: *Cum eodem ad pec. acc. missi sunt et auctore Pantaucho, qui Rh. legati cum Mac. irent: Par. et Morcus dest.* J. F. Gronov. Potius distinguo *missi sunt, et, auctore Pantaucho, qui Rhodum.* Gentius primo legatum ad Persea misit Olympionem, qui jusjurandum et obsides ab eo exigeret; ei sponte addidit, qui pactam pecuniam curarent: addidit etiam Parmenionem et Morcum, sed a Pantaucho persuasus, qui in Macedoniam primo profecti, ubi regem in verba fœderis jurasse, obsides tradidisse, et pecuniam adnumerasse vidissent, postea cum ipsius Persei legatis in insulam Rhodum abirent. Polyb. in Exc. Legat. num. LXXXV. Εὐθέως ὁ Γέντιος ἅμα τοὺς ὁμήρους ἔπεμπε, τοὺς ὑπὸ τοῦ Πανταύχου καταγραφέντας· καὶ σὺν τούτοις Ὀλυμπίωνα, παραληψόμενον τοὺς ὅρκους καὶ τοὺς ὁμήρους παρὰ τοῦ Περσέως· ἑτέρους δὲ τοὺς περὶ τῶν χρημάτων ἔξοντας τὴν ἐπιμέλειαν· σὺν δὲ τοῖς προειρημένοις, ἔπεισεν ὁ Πάνταυχος τὸν Γέντιον καὶ πρεσβευτὰς συνεξαποστέλλειν· οἵ τινες ἅμα τοῖς παρὰ τοῦ Περσέως πεμπομένοις εἰς τὴν Ῥόδον πρεσβεύωσιν, ὑπὲρ τῆς κοινῆς συμμαχίας· τούτου γενομένου καὶ συνεμβάντων τῶν Ῥοδίων εἰς τὸν πόλεμον, τελέως εὐκαταγωνίστους ἐσομένους ἀπέφαινε τοὺς Ῥωμαίους· ὁ δὲ πεισθεὶς τοῖς παρακαλουμένοις καὶ προχειρισάμενος Παρμενίωνα καὶ Μόρκον ἐξαπέστειλε, δοὺς ἐντολὰς, ὅταν λάβωσι τοὺς ὅρκους παρὰ τοῦ Περσέως, καὶ τοὺς ὁμήρους, καὶ περὶ τῶν χρημάτων γένηται σύμφωνον, πρεσβεύειν εἰς τὴν Ῥόδον. Similiter locum distinxit et intellexit Crevierius, qui insuper totam Livii periodum ita transposuit: *cum Maced. irent: duorum simul regum nomine incitari Rhodios ad bell. Rom. posse. Adj. civ., penes quam unam tum rei nav. gl. esset, nec terra nec mari spem rel. Romanis. Parmenio et Morcus destinantur: quibus ita mand., uti jur., obs., et pec. acc., tum demum Rhodum prof. Ven. Ill. &c.* Caussas mutationis reddit, primo quod in his *duorum simul regum* agnoscere videtur verba Pantauchi, impellentis Gentium ad mittendos Rhodum legatos: deinde quod, ut hæc vulgo conlocata sunt, verbum *destinantur* redundat; at in ordine, quem struit, idem omnino necessarium est: tertio quod Polybius eumdem plane ordinem repræsentat, quem hic restitutum vult. Verum non persuadet. In his enim *duorum simul regum* agnosco Gentium caussam reddentem, cur voluerit, ut legati Rhodum mittendi antea in Macedoniam proficiscerentur, et simul cum Persei legatis Rhodon abirent. Deinde *destinantur* non redundat, si verba distinguantur, ut in contextu feci. Cohærent enim, missi sunt ad pecuniam accipiendam, et, auctore Pantaucho, Parmenio et Morcus destinantur, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent. Antea distinguebatur *cum Macedonibus irent: Parmenio et Morcus destinantur.* Denique non serviliter adeo ordinem, quo Polybius sua proponit, Livius ubique secutus est, ut, ubi in vulgatis edd. ab eo discedit, omnia etiam invitis codd. ad ejus exemplum immutanda sint. Accedit aliter Polybium, aliter Livium hic sua enunciasse. Apud Polybium Pantauchus dicit, Gentio sibi suadenti obtemperante, et Rhodiis belli societatem incuntibus, Romanos facile superari posse: a quibus diversa esse, quæ Livius dixit, ex verbis ejus adparet. Ceterum recte Gronov. *destinantur* edidit. Priores legunt *destinatur.*

§ 8 *Ibi ea, quæ convenerant*] Ita primus Gronovius 1665. edidit; eamque lectionem omnes recentiores servarunt. Superiores, quas vidi, edd. legunt *convenerunt.* Id vero mutandi caussam non video: quare Livio reddidi.

§ 9 *Et, Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum, &c.*] Jac. Perizonius ad marginem Livii conjecit *missi, qui pecuni-*

am acciperent: qui Rhodum, &c. et cum his conferri jussit Polyb. in Exc. Legat. num. LXXXV. Ἔπειτα δὲ τοὺς ὁμήρους παρελάμβανε, καὶ παρεδίδου τοὺς ἑαυτοῦ τοῖς περὶ Ὀλυμπίωνα, &c. Μετὰ δὲ ταῦτα, τοὺς μὲν ἐπὶ τὰ χρήματα παρόντας εἰς Πέλλαν ἐξέπεμπεν, ὡς ἐκεῖ παραληψομένους· τοὺς δὲ πρεσβευτὰς τοὺς εἰς τὴν Ῥόδον, εἰς Θετταλονίκην πρὸς Μητρόδωρον συντάξας ἑτοίμους εἶναι πρὸς τὸν πλοῦν. Similiter etiam ultima Sigonii ed. quæ post mortem ejus Venetiis 1592. prodiit, præfert. Verum, quum edita lectio commodum sensum præbeat, et Livius plerumque mentem Polybii exprimere, non vero semper ejus verba et orationis structuram reddere consuerit, nihil mutandum duco.

§ 10 *Dinone et Polyarato, principibus civitatis*] *Dione* omnes edd. vett. et hic et alibi semper id nomen scribunt; ut XLIV. 29. et XLV. 22. Sed recte Gronovius *Dinone* edidit. Sæpius 'Dinonis' et 'Polyarati,' tamquam principum factionis, quæ apud Rhodios Romanis adversabatur, meminit Polyb. in Exc. Legat. Vide num. LXVII. ubi studii eorum causam dedit, 70. 77. et 87. Mox *princeps junctæ cum Illyriis legationi datus est,* pro *legationis,* malebat Crevierius.

CAP. XXIV. § 1 *Eodem tempore ad Eumenem et ad Antiochum communia mandata*] Verbum huic orationi deest. Ex fine autem cap. proximi *datus est* videri posset, hic supplendum esse *data sunt:* sed potius existimo, plures voces aut integrum versum a fine periodi excidisse. Constat enim ex Polybii Exc. Legat. num. LXXXV. Perseum, quum ordinasset quæ cap. præcedenti narrata sunt, legatos ad Eumenem et Antiochum a prioribus diversos misisse, et quidem ad illum Cryphontem, ad hunc Telemnastum Cretensem; quod ex his Livii verbis colligi nequit: quum tamen de eadem re agi ostendant, quæ Livius de actis inter Eumenem et legatum Persei subdit.

§ 3 *Et Eumenem et Prusiam armatos esse*] *Prusian* est in ed. principe, pro quo Basileenses 1553. dederunt *Prusiam.* Gronovius deinde a. 1665. revocavit *Prusian;* at alterum Clericus: quod etiam præferendum puto, quia Livium alibi semper *Prusiam,* quam more Græcorum *Prusian,* maluisse codd. evincunt; qui et XXIX. 12. potius 'Prusia Bithyniæ rex,' quam 'Prusias,' dixit. Vide Voss. Art. Gramm. IV. 2. et 3. Quin et ipso hoc cap. iterum sequitur *Prusiam.*

§ 5 *Antiochum victorem præmio belli ab Ægypto arceri*] Ipsa Ægyptus præmium belli accipienda: itaque, etsi possis eodem sensu intelligere, quasi sit dictum *ab Ægypto præmio belli,* malim tamen deleri præpositionem. *J. F. Gron.* Id convenit, per 'præmium belli' ipsam Ægyptum intelligi. Itaque Gronovio, *præmio belli Ægypto* legenti, non adversor. Ita enim sine præpositione hoc verbum Livium construxisse, vidimus ad v. 8. § 8. et XXVI. 21. § 6. Posses tamen etiam *a præmio belli ab Ægypto arceri.*

§ 7 *Eumenem falsis gravioribus. Proditor enim*] Manca sententia est. Duas has voces aut his similes intercidisse puto: *falsis gravioribus criminibus oneraruntt.* Quæ hæc crimina graviora sint, exponit 'Proditor enim ac prope hostis habitus.' *Sigon.*

§ 9 *Iterum cum Antiocho, regiis ducibus*] Scribe *cum Antimacho:* ut c. 13. 'Fama fuit, per Cydam Cretensem et Antimachum, qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenem et Persea conditiones amicitiæ.' *J. F. Gron.*

§ 10 *Eropon quoque, qui tum*] Etiam *Eropon* ille falso nomine. Scribe, *Cryphon quoque, qui tum missus est, duabus ad eundem Eumenem jam ante leg. functus erat.* Polybium do auctorem in Excerptis legationibus num. LXXXV. Κρυφῶντα μὲν ἐξέπεμψε πρεσ-

βευτὴν πρὸς Εὐμένη καὶ πρότερον ἤδη ἀπεσταλμένον. Idem restitue inferius c. 27. 'Et ab Eumene Cryphon, ignotis, quæ occulte acta erant, redit.' Et statim sequenti, 'Perseus post reditum ab Eumene Cryphontis spe dejectus.' Nisi ubique *Euryphon* faciendus. Aristoteles, Polit. II. 8. Ἱππόδαμος Εὐρυφῶντος Μιλήσιος. *J. F. Gron.* Nisi terminatio obstaret, conjici posset *Aëropus*, quod notum apud Macedonas et Epirotas nomen erat. Livius XXVII. 32. XXIX. 12. Polyæn. Strateg. IV. 1. § 3. Vide quæ Perizon. ad Ælian. Var. Hist. XII. 43. et quæ alii ad Justin. VII. 2. § 2. adnotarunt. Sed non est cur a Polybio discedatur, etsi *Cryphon* non valde obvium nomen est: nam plura hujusmodi sunt. *Duk.*

§ 11 *Res autem ita se habuit*] Ita Froben. 1535. edidit, et ex eo reliqui in hunc diem. At princeps ed. *ita sese habuit:* a qua cur posteriores discedere voluerint, non video; nisi forte caussa operarum neglegentiæ adscribenda sit.

CAP. XXV. § 1 *Neque bello eum invadere animo habuit*] Lege *in animo habuit*. Sic enim paulo ante c. 8. 'Extrahere ejus tempus æstatis in animo habebat.' *Sigon.* Prima ed. et fidelius eam secutæ *invadere animo habuit*. Mutavit Sigonius: et quidem male. Lucilius lib. XXIX. (apud Non. Marc. voce 'Grave:') 'Habeasque animo, mihi admodum causam gravem fore, quæ me ab ullo commodo abducat tuo.' Varro de L. L. v. p. 55. 'Et istum prolocutum dicimus, cum, animo quod habuit, extulit loquendo.' Sallustius Jug. c. 11. 'Atque ea modo animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur.' Sic Mss. Ovidius Met. IX. 539. 'Quamvis animo grave vulnus habebam.' Auctor de B. Hispan. in literis Cn. Pompeii cap. 26. 'Cohortes animo habeo ad vos mittere.' Cicero Timæo c. 3. 'Quocirca si forte de Deorum natura ortuque mundi disserentes minus id, quod habemus animo, consequimur, ut tota dilucide et plane exornata sibi constet:' ita enim distinguimus, non ut vulgo, *quod habemus, animo consequimur*. Neque 'habere' hic est cupere, ut voluerunt: sed 'habere animo' est propositum habere, constituisse, decrevisse. Ad Attic. I. ep. 6. 'Domum Rabirianam Neapoli, quam tu jam dimensam et ædificatam animo habebas.' *J. F. Gron.* 'In animo habere,' ut Sigonius emendandum censuit, aliquoties apud Livium obcurrere, verum est. Exempla vide XXXIV. 58. et XXXVII. 28. non tamen ideo omnia ad hanc formulam exigenda, eamdemque locutionem variis modis efferendi libertas circumcidenda, aut Livio eripienda est. De locutione 'animo habere' vide Cortium ad Sallust. Jug. cap. 11. ubi monet Gronovium eodem modo *animo esse*, pro *in animo esse*, Livio adseruisse ad XXXI. 18. § 4. Similiter Livius non tantum dixit 'in eodem statu esse,' ut vidimus ad XXXV. 8. § 2. sed etiam 'eodem statu esse.' Vide ad III. 68. § 3.

Non tam quia paternæ inter eos inimicitiæ erant, quam ipsorum odiis inter se accensæ. Non ea, &c.] Si hæc sana sunt, non volo dissimulare me sensum eorum non percipere. Livius duo dicit: unum, Eumenem non favisse victoriæ Persei; alterum, non habuisse animo, bello eum invadere. Deinde causam, cur non volnerit Persen victorem esse, exsequitur, usque ad verba 'Cernebat et Persea:' a quibus incipit exponere, cur eum bello invadere in animo non habuerit. In hac narratione omnia satis perspicua sunt, et summa huc redit, Eumenem inhiasse pecuniæ, et sperasse, se pace inter Romanos et Persen concilianda ab hoc caput unctius relaturum. Sed in ea quæ caussam continet, cur Eumenes non faverit victoriæ Persei, verba *Non ea æmula-*

tio regum non mediocri obscuritate involuta sunt. Nam nec apparet quomodo præcedentibus adnectantur et cohæreant, nec quid sit, quod *non ea regum æmulatio* fuisse dicitur, ut Eumenes æquo animo visurus fuerit, Persen Romanis victis magnas opes magnamque gloriam adipisci. Nam illa ipsa æmulatio causa erat, cur Eumenes non faveret victoriæ Persei. Quid Livius scripserit, plane incertum est. Sed mihi videtur dixisse, præcipuam causam, cur Eumenes non voluerit Romanos a Perseo vinci, fuisse ipsorum inter se æmulationem. Si hæc Livii mens fuit, eam conjectura non audacissima, ut puto, adsequemur, si locum ita legamus: *non tam quia paternæ inter eos inimicitiæ erant, etiam ipsorum odiis inter se accensæ, quam ea regum æmulatio;* id est, expletis e præcedentibus *quia* et *erat*, quia ea regum æmulatio erat. Sed de hoc aliorum judicium esto. Mihi satis est dixisse, cur vulgatam scripturam non intelligam. *Duk.* [Vide Lectt. Var.]

§ 6 *Pacis patrandæ cum Romanis*] 'Pacem patrare' legitur in inscriptione mutila apud Liv. XL. 52. 'perpetrare pacem' XXXIII. 21. An, quorum interventu pax conciliatur, 'pacem patrare' dicuntur? *Duk.* Vide ad II. 26. § 4.

Paciscebatur mercedem, ne bello interesset. M. et D. talenta in utroque non fidem modo se] Inscite interpuncta verba depravant omnem hanc sententiam. Est autem ita distinguendum: *paciscebatur mercedem ne bello interesset mille, et quinquaginta talenta.* Inde *in utroque non fidem modo se.* Utrumque autem intelligit, nec Romanos bello juvaturum, et pacem cum Romanis ei comparaturum. Sic paulo post cap. 27. CCC. talenta Gentio ob belli societatem a Perseo promissa ait. *Sigonius.* Sigonius, distinctione mutata, omnes hic consilnisse turbas putat. Ego tristiora vereor. Appianus in Excerptis Peiresc. pag. 562. Τάλαντα δ' ἦτει τῆς μὲν διαλύσεως χίλια καὶ πεντακόσια, τῆς δὲ ἡσυχίας χίλια. Videtur in Livio deesse aliquid, quod hunc exprimeret sensum: *ne bello interesset mille; pacis conciliandæ caussa mille et quingena talenta.* Tum scribendum *In utrumque non fidem.* Justin. XI. 12. 'Redimendarum sibi captivarum potestatem faciat, inque eam rem magnam pecuniam pollicetur.' Eodemque libro c. 15. 'In quam rem unicum pignus fidei regiæ dextram se ferendam Alexandro dare.' *J. F. Gron.* Livius XXXII. 24. 'Fide in hæc data.' XXVIII. 17. 'In id modo fide accepta, tutum adventum fore.' *Duk.* Dubitari nequit, quin interpunctio a Sigonio damnata vitiosa sit. Ea vero originem habet ex ed. Vascosani; unde in nonnullas propagata est, quum tamen pleræque distinctionem post vocem *interesset* non agnoscant. Præterea sententiam Gronovii, hic aliquid excidisse, verisimillimam reddit Appiani locus laudatus. Et quidem repetitio vocis *mille*, ut omnia media omissa sint, caussa fuisse videtur. Vide ad IX. 11. § 11. Deinde *in utrumque* ut XXX. 12. 'Data dextera in id, quod petebatur, obligandæ fidei.' XXXII. 30. 'In id data fides consuli est, ut in acie aut quiescerent, aut adjuvarent Romanos.' Mox hoc cap. 'Malebat in spem Romanæ pacis non recusare inpensam.' Vide Freinshem. Ind. Curtii in voce 'Dare.'

§ 9 *Et utique alteram, &c.*] Appianus Exc. Peiresc. p. 562. Τῆς μὲν ἡσυχίας οὐκ ἔφη δώσειν οὐδέν· αἰσχύνην γὰρ φέρειν ἀμφοῖν. Τὰ δὲ διαλύσεως οὐ προδώσειν. *Duk.*

§ 10 *Malebat, &c. non recusare inpensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum*] Vide num legendum *non recusare inpensam. Se eam pecuniam perfecta re daturum.* Si tamen servanda est vulgata interpunctio, legendum erit *daturus*, et mox *depositurus:* vel *sed se eam pecuniam.*

§ 11 *An Pellæ pecunia esset*] Crevierius legendum putat *ibi, an Pellæ pecunia esset.*

Cap. xxvi. § 1 *Quum pecuniam tutam et pacem habere per Eumenem, &c. ac receptus protrahere inimicum*] Quid opus argumentis? Locus ipse clamat se pessime habere. Vide an sic queat instaurari: *quum pecunia tantula aut pacem habere per Eumenem, quæ vel parte regni redimenda esset, aut deceptus protr. in. mercede on., et hostes merito ei Rom. posset facere.* Verbum ' protrahere ' sic habes l. xxvii. c. 3. ' Novum in occulto gliscens per indicium protractum est facinus.' xxxiii. 28. ' Quem indicem Pisistratus timens, eo ipso timore ad indicium protraxit.' xlv. 5. ' Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret.' Epitoma cxxvii. ' Nefaria contra Cæsarem molitum indicio suo protraxit.' Valer. Max. ii. 5. 3. ' Unius ancillæ indicio protractæ.' *J. F. Gron.* Mihi magis liquet locum contaminatum esse, quam *deceptus* sententiæ illius convenire: primum, quia avaritia Persei, si, pecunia Eumeni pacis cum Romanis conciliandæ causa data, ab eo deceptus fuisset, reprehendi non posset: deinde, quia non deceptus idem, quod deceptus, facturus, et Romanos Eumeni hostes redditurus erat Perseus. Livius, si recte mentem illius capio, hoc dicit, Persenm pecunia Enmeni danda duas res sibi utilissimas consequuturum fuisse: primum, eo conciliante utique pacem a Romanis impetraturum; deinde, ea impetrata, prodendo, quæ occulte inter se et Enmenem acta fuerant, animos Romanorum ab eo alienaturum fuisse, si intellexissent eum non studio ac benevolentia erga hanc, aut illam partem, ductum de reconcilianda inter eos amicitia laborasse, sed aviditate pecuniæ incensum suam solius utilitatem in ea re spectasse. Nec est, quod quis dicat, non credibile esse, Perseum pro tanto beneficio tam ingrato animo adversus Eumenem futurum fuisse, ut Romanos ei hostes facere vellet. Nam quod in dies a privatis fieri videmus, ut non modo beneficiorum acceptorum facile obliviscantur, verum etiam sæpe optime de se meritis pro gratia odium, injurias, ac damna reddant, si quid in eo lucri et privatæ utilitatis vident, id plerosque reges quoque semper et factitasse, et facturos esse, credi potest ac debet. Intererat autem Persei, si a Romanis in regno relictus fuisset, opes Eumenis minui, eumque quam infirmissimum esse; quod ea maxime ratione efficere poterat, si Romanos odio illius imbuisset, et ei inimicos reddidisset. Si hæc est sententia hujus loci, legi posset, *quum pecunia et tutam pacem habere per Eumenem, &c. et receptus, &c. posset: tutam pacem* dixit Lucan. x. 332. ' Velut in tuta securi pace.' Mille et quingenta talenta, quæ Eumenes pacis conciliandæ causa poscebat, ad regnum comparata, *Tantula pecunia* quidem dici possunt; sed *tantula* mihi nimis longe a *tutam* recedere videtur: *receptus* puto retineri, et exponi posse, Eumene conciliante in amicitiam a Romanis receptus. Sed judicet quisque ex sensu suo. *Duk.* Donjatius primam partem emendationis Gronovianæ rejicit, ac tuetur vulgatum, *quum pecuniam tutam et pacem habere per Eumenem: pecuniam* autem *tutam* exponit depositam, nempe apud Cretam, ut Eumenes volebat. Verum, inter Persen et Eumenem convenisse, ex cap. præc. patet, non ut pecunia, sed ut obsides Cretam mitterentur. Deinde non Eumenes, sed Perseus voluit, ut pecunia Samothracæ in templo deponeretur; ut præter Livium dicto loco narrat etiam Appian. in Exc. Peiresc. pag. 562. At contra Eumenes, quum Samothrace Perseo pareret, probe videbat, eam ibi æque in potestate ejus futuram, quam si Pella non efferre-

tur, et eam ob caussam id agebat, ut certe partem pecuniæ præsentem ferret. Vanum itaque est patrocinium, quo Doujat. *pecuniam tutam* vindicare conatus est, eaque verba defendi non posse videntur. Gronovius in pr. ed. nott. conjecit *quum pecunia tantula pacem habere per Eumenem, &c. ac recepta* (scilicet pace) *protrahere inimicum, &c.* At pleraque eorum, quæ Dukerus conjecturæ ejus, quam postea huic substituit, objecit, etiam contra hanc militant. Quid igitur, si legamus *quum et pecunia tutam pacem habere per Eumenem, &c. et ea recepta protrahere inimicum, &c.? receptus* simpliciter pro in amicitiam receptus paullo durius videtur, et hinc pro *ac receptus* lego *et ea recepta*. Voculam autem *et* interceptam puto ab ultimis literis præced. dictionis *esset*, tum *ac* muto in *ea*. At de hac conjectura arbitrium lectoris esto. Optime vero Gronovius verbum ' protrahere ' illustravit, quod de eo usurpari solet, quod in occulto latens luci exponitur, in lucem prodire cogitur. Valer. Max. I. 5. 8. ' Ut rapacissimi victoris insolentiam dicti tumore protraheret : ' ubi vide Perizon. Tacit. Hist. III. 86. ' Pudenda latebra semet occultans ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur.' Hist. IV. 1. ' Mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos.' Quinctil. Inst. IX. 2. p. 776. ed. Burm. ' His et adversariorum cogitationes, velut secum loquentium, protrahimus :' et Declam. IV. 14. ' Ex illa rudi primaque caligine protractum posuit in vultum :' ubi vide viros doctos.

Parte regni redimenda esset] Id est, emenda esset. Sallust. Jug. c. 29. ' Jugurtha primum tantummodo belli moram redimebat :' ubi vide Cortium. Justin. XLIII. 9. ' Aurum argentumque publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem cognoverant.' Contrario sensu ' redimere bellum ' non est emere bellum, sed potius data pecunia efficere, ne bellum inferatur. Justin. VI. 1. ' Indignum ait, bella non perfici, sed redimi ; hostem pretio, non armis, submoveri.' VII. 5. ' Bellum ab Illyriis, pacta mercede et Philippo fratre dato obside redemit.' Usurpari etiam pro ' rependere,' ' pensare,' docuerunt Burm. ad Nason. Her. XVII. 49. et Cortius ad Sall. Catil. c. 14.

§ 2 *Et tum Gallorum, effusorum per Illyricum, ingens agmen*] Vox ultima non est in prima ed. nec apud Curionem. Gryphio insertam video. Sed quid sibi vult hic τὸ *tum?* in hoc, aut valde fallor, aut latet ea vox, quæ desideratur, sive ea *auxilium*, sive *agmen* fuerit. *J. F. Gron.* Duas ante oculos habeo edd. Gryphianas, alteram an. 1548. alteram an. 1554. sed neutra agnoscit vocem *agmen*, quam demum inveni in ed. Paris. an. 1573. Per hos autem Gallos intelligendi sunt Bastarnæ. Γαλάται οἱ Βαστάρναι καλοῦνται dicuntur Plut. in Æmilio Paull. pag. 259. Postea vero pagg. 260. et 261. eos promiscue modo Βαστάρνας, modo Γαλάτας adpellat. Γαλάτας etiam vocat Diod. Sicul. in Exc. Peiresc. p. 313. Parum referre, utrum Gallicam, an Germanicam gentem dicamus, fuisse enim Gallos Germanis permixtos, existimat Vales. ad Exc. Peiresc. p. 79. Bastarnas tamen non Gallos, sed Germanos fuisse, docent Plinius aliique, quos Livius hic, et Plut. ac Diodor. Sicul. *Gallos* vel Γαλάτας vocarunt exemplo Polybii, cujus tempore verum discrimen inter Gallos et Germanos Græcis adhuc incognitum erat. Vide Cluverii Germ. Antiq. III. 43. Γέται vocantur App. Alexandr. in Exc. Peiresc. 562. Habitarunt autem ad Istrum. Plut. l. laud. Ὑπεκίνει δὲ καὶ Γαλάτας τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον ᾠκημένους, οἱ Βαστάρναι καλοῦνται. Et quidem trans Istrum. Supra XL. 57. et Oros. IV. 20. Hinc ex patria profecti, ut

Perseo opem ferrent, Istrum trajecere. Vide Diod. Sic. in Exc. Peiresc. p. 313. et Appian. Alex. ibid. p. 562.

§ 3 *Veniebant decem millia equitum*] Cum his confer Appian. Alex. in Exc. Peiresc. p. 562.

Jungentium cursum equis] De hoc more Gallorum Pausanias in Phocic. c. 19. Plutarchus in Æmilio Paullo p. 260. Cæsar B. Gall. I. 48. *H. Vales.*

§ 7 *Ad Almanam urbem pervenit*] Ego tamquam tabularum corruptarum hunc scribam accusare possum, qui *Albanam* puto a Livio editum esse: et *Albanopolis* a Ptolemæo Geogr. III. 13. illis in locis ponitur. Erat et ‘ Amantia ’ in Orestide Macedoniæ. *Turneb.* Advers. XXX. 37. De Turnebi conjectura se subdubitare, testatur Ortel. in Thes. Geogr. voce ‘ Almana.’ Ipse vero postea in voce ‘ Almon ’ credit, *Almanam* a Livio vocari, quæ Plinio Hist. Nat. IV. 8. ‘ Almon ’ Thessaliæ oppidum dicitur, et eodem teste ab aliis *Elmon* adpellatur. At neutra intelligi posse videtur. Perseus enim, qui castra ad Enipeum metatus erat, ut Gallis a parte Mædicæ adventantibus obcurreret, neque Albanopolim, quæ versus sinum Hadriaticum sita erat, neque in Thessaliam, cujus oppidum Almon erat, abire debuit, sed ad interiora Macedoniæ versus Thraciam. Et id patet ex Livio, qui Persen ex castris progressum ad Almanam urbem pervenisse, et in ripa fluminis Axii castra posuisse narrat. ‘ Almana ’ igitur urbs fuit Macedoniæ, vel in ripa Axii, vel non longe inde sita, cujus præter Livium nemo meminit.

Circa Desudabam in Medica exercitus Gallorum consederat] *Mædica*, ut ante ex Græcis. Hac de re Plutarchus item in Paullo p. 260. ubi ait, *ὡς δὲ περὶ τὴν Μαιδικὴν καταστρατοπεδεύσαντες ἐμίγνυντο τοῖς παρὰ τοῦ βασιλέως*, &c. *Sigon. In Mædica* omnes ante Sigonium edd. præter solam Basil. 1554. quæ errore operarum *in Medica* præfert. In loco vero Plutarchi, quem Sigonius laudat, perperam typis descripti Μηδικὴν, pro Μεδικὴν, vel Μαιδικὴν, præferunt. Populos enim Asiæ Græcos Μηδοὺς, Thraciæ Μεδοὺς vel Μαιδοὺς vocasse, vidimus ad XXVI. 25. § 6. Adde Casaub. ad Strab. VII. 295. et 316. Ceterum Jac. Gronovius Diss. Epist. ad Livii loc. Geogr. Ep. V. p. 41. præfatus verisimile non esse *Desudabam*, vocem tam bonæ Latinæ monetæ, ante auditum illic Romanum nomen, fuisse adpellationem oppidi, scribendum conjicit *circa Œsymam*, seque ad hanc conjecturam propterea proniorem venire testatur, quod simili errore librarii *Desalces* dederint pro *Œsalces*, XXIX. 29.

§ 8 *Ad Bylazora, Pæoniæ is locus est*] Tempore Philippi, patris Persei, maxima Pæoniæ urbs fuit, qua transitus erat ex Dardania in Macedoniam. Polyb. V. 97. *Φίλιππος ὁ βασιλεὺς κατελάβετο Βυλάζορα, μεγίστην οὖσαν πόλιν τῆς Παιονίας, καὶ λίαν εὐκαίρως κειμένην πρὸς τὰς εἰσβολὰς τὰς ἀπὸ τῆς Δαρδανικῆς εἰς Μακεδονίαν.*

Ab Actio flumine et castris regis] *Ab Axio.* Sic paulo ante: notum flumen est. *Sigon. Ab Actio* in sola est ed. Basil. a. 1554. reliquæ recte *ab Axio.* An insuper *castris regiis?* Vide tamen ad h. lib. c. 6. § 9.

§ 10 *Ecquid aurum, quod, &c. esset, secum adduxisset*] Repone *advexisset.* Ut in commentario de Sestertiis II. 3. et Cæsarem juvabamus. Infra c. 27. ‘ Reliquam pecuniam parvis itineribus veherent.’ XXIII. 38. ‘ Ea ’ pecunia ‘ per L. Apustium legatum Tarentum est devecta.’ XXXII. 2. ‘ Argentum in stipendium impositum primum Romam advexerunt.’ XXXV. 32. ‘ Tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos posset.’ *J. F. Gron.* Vide ad XXXII. 2. § 1. Doujatius de necessitate emendationis Gronovianæ dubitat.

§ 11 *Clondicus regulus eorum*] Bastarnæ, quos Philippus rex exciverat, Clondico duce venerant, ut XL. 58. traditum est. Quem interfectum fuisse a Perseo, scriptum est in Epitoma lib. XLIII. Iterum nunc Clondico duce Bastarnæ a Perseo accersiti veniunt. Ex quo intelligi potest, hoc nomen apud eos esse celebre. Quoniam autem ante diximus, *Elonicum* in eo esse legendum, idem de hoc etiam affirmamus. *Sigonius.* Sic *Elonicus* rursus Sigonius. Sed exemplar primum *Clondicus.* In Appiani Excerptis Peiresc. pag. 562. vocatur Κλοίλιος. *J. F. Gronovius.* Vulgatum Gronovius, ut puto, recte tuetur. Adde verum non esse, quod Sigonius tradit, Clondicum, qui Bastarnas ad Philippum adduxit, postea fuisse interfectum. Qui enim Epit. l. XLIII. interfectus narratur, verius fuit Hispanus. Vide Gronovium ad Epitom. Liv. lib. XLIII. et Hearnium ad Livii XLIII. 4. § 1. Nihil igitur inpedit, quo minus hic idem Clondicus sit, qui memoratur XL. 58.

Nisi aurum obsidesque accepissent] Forte *acceperint.* J. F. Gron. Emendationem hanc probat Crevierius.

§ 12 *Advocato consilio*] Ita præferunt ed. princeps, et bene multæ eam secutæ usque ad Modium, qui vulgavit *concilio.* Adversus quem recte Gronov. cap. 2. § 5. alterum vindicavit, et contextui reddidit.

§ 13 *Ne graviores eos socios habeant, quam hostes Romanos*] Forte *Romani.* Ne Gallos graviores socios habeant Perseus et Macedones, qui eos arcessierint, quam hostes eosdem experiantur Romani, contra quos arcessierint. *J. F. Gronov.* Vulgatum recte Doujatius tuetur. Si enim Livius maluisset *Romani*, scripsisset etiam *ne ipsi*, vel *ne Macedones graviores*, ut, quemadmodum *socios* et *hostes*, ita etiam *ipsi* vel *Macedones* et *Romani* obponerentur. In vulgato optimus sensus est.

§ 14 *Quinque millia equitum sat esse*] A Livio hic dissentit App. Alex. in Exc. Peiresc. p. 565. qui decem millia, sive μυρίους, Bastarnarum memorat; forte quinque millia peditum, ac totidem equitum. Similiter mox cap. seq. Perseus petit quinque millia equitum, at apud App. τὸ ἥμισυ τῆς στρατιᾶς: exercitum autem constitisse dixerat ex decem millibus equitum, et decem millibus peditum.

CAP. XXVII. § 1 *Adparebat in omnibus, mercedem multitudinis timere*] Florebellus removet vocem *in.* Sigon. Dele præpositionem. *Omnibus,* intellige in consilium vocatis. *J. F. Gron.* Doujatius vulgatum tuetur, ac mutat distinctionem *Adp., in omnibus mercedem;* et *mercedem in omnibus* exponit in pecunia, veste, argento, equis. Verum proprie Bastarnæ tantum pecuniam pacti erant, eques denos, pedes quinque, et dux eorum mille aureos, eaque merces erat, quam Perseus timebat. Reliqua, quæ sponte adjecturus erat, vestes, equi, et similia, non merces erant, sed dona: quæ quum tamquam cumulum pactæ mercedi adjecturus esset, ita etiam hanc liberalitatem dispensare poterat, ne eam timere necesse foret. Solum igitur sordide avaro regi timendum erat, quod multitudo sibi pepigerat, et Doujatii interpunctio admitti nequit. Si tamen præpositionem *in* invito cod. deleri displiceat, vide num præstet *Adparebat inde omnibus. Inde* nempe ex illis quæ de perfidia et feritate Gallorum Perseus disseruerat. Solent autem *iñ*, sive *inde*, et *in* a librariis confundi. Vide ad X. 20. § 6.

§ 4 *Perrhæbiæ saltum in Thessaliam traducta*] Forte *per Perrhæbiæ.* Gruter. Ita et sibi scribendum videri, in margine Livii monuit Perizon. ut præpositionem hausisset prima vocis seq. syllaba. Eam quidem conjecturam Clericus in contextum recepit; at rectius vulgatum probat Crevier-

ius. Ita enim Livius et loquitur IX. 39. 'Cum legionibus, ad terrorem traducti silvam Ciminiam exercitus nuper scriptis.' Et ita 'traducere flumen' inlustravimus ad XXII. 45. § 5.

§ 6 *Romanis de se cogitandum fuisset*] Cæsar B. Civ. I. 5. 'Nec tribunis plebis periculi sui deprecandi facultas tribuitur, sed de sua salute die septimo cogitare coguntur.' *J. F. Gron.*

Castra Macedonum, qui ea, &c.] Nemo est, qui non sentiat, sensum hunc non expletum undique esse, quod verba quædam interciderint: nunc, quemadmodum expleri possint, accipiant. Persei regis avaritiam coarguit, qui innumerabiles copias Bastarnarum, quibus facile Romanum exercitum opprimere potuisset, ne sumptum faceret, dimisit. 'Quod ni fecisset,' inquit, 'cogitandum ipsis Romanis de se fuisset, quando neque manere amissa Thessalia potuissent, unde alebatur exercitus' eorum, 'neque progredi, cum ex adverso castra Macedonum essent. Quo facto Perseus,' inquit, 'Romanorum animos confirmavit, et Macedonum, qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitavit.' Eadem sententia iteratur etiam paulo post cap. 35. 'Quæ res Romanis auxit animos, Macedonibus regique eorum haud mediocrem attulit terrorem.' Librarius in errorem inductus est a duabus illis vocibus *Macedonum:* ab una enim ad alteram, mediis verbis præteritis, transiit. *Sigon.* Aliquid excidisse certum est: an vero id, quod Sigonius censuit, vehemeuter dubito. In præcedentibus Livius narrarat, quæ commoda ad Perseum, et contra quæ incommoda ad Romanos redundassent, si Galli retenti et in Thessaliam traducti fuissent. Non videtur igitur nunc inferri posse *Quo facto,* quod Sigonius supplendum putat, sed potius contra *Quod neglecto.* In eumdem sensum Crevierius lacunam integravit, legens *quum ex adverso castra Macedonum* [*essent. Tanta occasione e manibus amissa, Perseus Romanorum animos confirmavit, et Macedonum,*] *qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitavit.* Recte tamen Sigonius judicavit, vocis *Macedonum* repetitionem librario caussam fuisse omnia media omittendi. Id in reliquis partibus operis Liviani sæpius evenisse, ex variorum Mstorum conlatione deprehensum est. Vide ad IX. 11. § 11. In hac vero parte, quæ ex unico cod. servata est, eodem auxilio destituti sumus, et neglegentia librarii non nisi ex sensu scriptoris argui potest. Aliud hujus erroris exemplum indicavit Gronov. ad hujus lib. c. 25. § 7.

§ 7 *Qui ea pepcnderant spe*] Vulgatum non damno. Mallem tamen *qui ex ea pependerant spe.* Ita XXXV. 32. 'Non ex alieno arbitrio pendet.' lib. XXXVI. cap. 42. 'Ex quorum fortuna sua penderet.' XXXVII. 49. 'Ex unica ea spe pendere animos eorum.' lib. XXXIX. c. 5. 'Non pendere ex alterius vultu ac nutu.' Præpositionem igitur elisisse videtur similitudo vocis seq. *ea,* ut alibi in codd. Mss. factum est. Vide ad l. XXXV. c. 50. § 7. XXXIX. 5. § 8. et alibi.

§ 8 *Quum trecenta talenta Pellæ missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus est. Inde decem talenta ad Pantauchum missa*] Verbum *est* nescit prima ed.: in Gryphio a Curione adjectum video. Sed scribendum, *nam quum trecenta talenta missis a G. num., signare eos pec. passus, inde decem talenta ad Pant. misit, eaque præs. dari regi jussit.* J. F. Gron. Prima ed. præfert *trecenta talenta Pellæ missa a G. num., signare eos pec. passus. Inde, &c.* Pro eo vero non Gryphius ex emendatione Curionis, verum Frobenius diu ante Gryphium et Curionem 1535. edidit *trecenta talenta Pellæ missis a Gentio num., signare eos pec. passus est. Inde, &c.* Probo vero Gronovii conjecturam, nisi quod vocem *Pellæ,* quam omittere voluisse

videtur, servandam arbitrer. Supra enim Livius narrat c. 23. 'Et obsides in conspectu omnium dati acceptique: et Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis legatis, Thessalonicæ conscendere jussi.' Etiam Polyb. Exc. Legat. num. LXXXV. *Τοὺς μὲν ἐπὶ τὰ χρήματα παρόντας εἰς Πέλλαν ἐξέπεμπεν, ὡς ἐκεῖ παραληψομένους.* Gronovii conjecturam non monito lectore in contextum adoptavit Clericus.

§ 11 *Quum assidue Pantaucho ad lacessendos*] Legendum *a Pantauco*. Sigon. Oratio sine præpositione, quam Sigonius in contextum adscivit, recte subsistit. Vide ad VI. 11. § 4. Hinc iterum expunxi.

M. Perpennam et L. Petilium legatos] *Perpernam* et *Petillium* ex Capitolinis et Græcis monumentis est scribendum. De his legatis sic Plutarchus in Paulo p. 261. *πρέσβεις ἐλθόντας Ῥωμαίων πρὸς αὐτὸν συνέλαβε, καὶ κατέδησεν.* Appian. in Illyrica hoc factum a Gentio ait, qui diceret, eos non legatos, sed exploratores ad se venisse. *Sigon.* Minus recte ad monumenta Græca Sigonius provocat. In iis enim utrique lectioni præsidium est. Priorem enim *Περπέννην* vocavit Appian. Exc. Peiresc. pag. 562. cui alibi semper etiam *Περπέννας* vocatur. Vide præsertim B. Civ. I. variis locis. Neque aliter passim Plutarch. in Sertor. et in Pomp. At Strabo *Περπέρναν* adpellat XIV. 646. Posterior *Πετήλιος* est, unica litera λ, apud App. in Exc. Peiresc. pag. 562. *Κόϊντος Πετίλιος Κερεάλιος* memoratur Dion. Cass. LXV. 741. et Joseph. B. Judaic. VII. 4. *Πετίλιος στρατηγῶν* apud Plutarch. in Num. p. 74. qui tamen alibi semper *Πετίλλιος* scribere solitus est. Melius provocavit ad monumenta Capitolina, in quibus consul a. IↃLXXVII. Q. PETILLIVS. C. F. Q. N. SPVRINVS, et a. IↃCLXI. M. PERPERNA vocantur. Excipit quidem Ryckius ad Tacit. Ann. III. 62. in lapidibus utroque modo et PERPENNA et PERPERNA scribi: idem dici posset de altero nomine, quod pariter nunc PETILIVS, nunc PETILLIVS scriptum obcurrit. Verum si quorum lapidum auctoritati adhærendum erit, nullis tutius credi posse videtur, quam marmoribus Capitolinis, quæ Verrius Flaccus Augusti ætate Romæ in foro dedicasse vulgo putatur. De nomine 'Perperna' vide Sigon. ad Epit. Liv. lib. LIX. Pighium in Annal. ad ann. IↃCVIII. p. 465. viros doctos ad Justin. XXXVI. 4. et Burm. ad Vell. Paterc. II. 4. De altero nomine 'Petillius' vide ad XXXVIII. 50. § 5.

§ 12 *Ad revocandum, qui pecuniam portabat*] Non minus hoc, quam quod habent etiam quædam edd., *quid pecuniam portabat*, incuria insinuasse existimo, quum legi oporteat *portabant*, ut clarum est ex præcedentibus: 'Pecuniam signatam Illyriorum signo portantibus suis præcipit, parvis itineribus veherent.' Certe non discrepat in numero Liv. XXXIX. 50. 'Missusque qui venenum ferret:' sic quoque ad me Perizonius. *Jac. Gronov.* Si *portabant* præferendum, mallem etiam *ad revocandos:* quia Livius ita loqui solet. Sed nec vulgatum temere spernendum: rem enim ita concipere possumus, plures suorum Persea Pellam misisse, qui pecuniam Gentio promissam adveherent, atque inde Livium loco, quem Sigonius laudavit, dixisse *portantibus suis* et *veherent;* at omnibus unum præcipua auctoritate præfuisse, qui regis nomine cuncta expediret: ejus vero respectu Livium hic dixisse *ad revocandum, qui pecuniam portabat.* Et ita fere Crevierius. Mox pro *ex victo* forte legendum *ex victoria;* ut ultimæ literæ ejus vocis a sequenti *Romanis* interceptæ sint.

§ 13 *Eropon, ignotis, quæ occulte acta erant, redit*] Forte *irritis, quæ occulte acta erant.* J. F. Gron. Hic, et

mox principio cap. seq. *Cryphon* legendum esse, monuit Gronov. ad c. 24. § 10. Mox *evitandæ* Jac. Gronov. ejusque exemplo Clericus ediderunt. Priores omnes *vitandæ*, quod reduxi. Cur enim spernendum sit, non video.

Cap. xxviii. § 2 *Ut inde sparsæ per Cycladas insulas naves, &c. tutarentur*] Crevierius melius futurum existimat *sparsi*, ut referatur ad præfectos classemque potius, quam ad pristes. Posses etiam *sparsas*.

§ 3 *Naves Eudamumque præfectum earum, inviolatas, atque etiam benigne adpellatos*] Haud dubie ad propius digniusque respexit Livius, immo accepit, quasi posuisset ante *Rhodios in navibus Eudamumque*. Scribe ergo *inviolatos atque etiam benigne appellatos dimiserunt*. Ab eadem ignorantia inferius *circumvectus mittit:* nam sic prima exemplaria, et nihilo melius recentiores *circumvectos*. Verum est enim, *circumvecti propere, ac summotis terrore hostium navibus, onerarias, datis, qui prosequerentur, decem lembis, in Macedoniam mittunt*. Nempe Antenor et Callippus, præfecti classis Macedonicæ. At quia interjectum est 'Cassandreæ deductæ naves Tenedum cum trajecissent,' putarunt de illis alterum dici non posse. *J. F. Gron. Inviolatos* legendum esse, sequens *adpellatos* docere potuit. In verbis seqq. *circumvectos*, pro *circumvectus*, primi dedere Paris. 1573. Gronovius deinde conjecturam *circumvecti mittunt* in contextu recipi voluit, sed typographi aberrantes vulgarunt *circumvectis mittunt*, quod recentiores omnes servarunt.

§ 5 *Ita ut in totum prosecuti*] *Tutum* lege. *Sigon. In totum* quidem primæ edd. Verum Vascos. ejusque exemplo alii *in tutum* emendarunt, quod Basil. 1554. iterum mutarunt, priori revocato: unde Sigonio necesse fuit denuo monere *in tutum* legendum esse. Solent autem 'tutus' et 'totus' a scribis commutari. Vide ad xxviii. 4. § 7.

§ 6 *Ad classem, jam ad Sigium stantem*] *Sigeum*. Græce enim Σίγειον. *Sigon*. Existimari posset, illud ει in Σίγειον Latine æque per *i Sigium*, quam *e Sigeum* reddi posse. Ejus tamen orthographiæ exemplum me legisse non memini.

§ 7 *Naves, quas Hippagogos vocant*] Ita primum editum vidi a Vascos. quem deinceps omnes secuti sunt. Superiores habent *hippagogus:* quomodo forte Livius accusativum Græcum ἱππαγωγοὺς efferre voluit. Ita *sarissophorus*, pro *sarissophoros* σαρισσοφόρους, plures præferunt Mss. xxxvi. 18. § 2. *apocletus*, pro *apocletos* ἀποκλήτους, unus cod. pluresque edd. vett. xxxvi. 28. § 8. quo etiam ducunt vestigia trium aliorum codd. *apoclestus* præferentium. Ejusdem generis est 'Gordiutichos' xxxviii. 13. § 11. 'Silenu come' est in ed. antiq. xxxviii. 15. § 7. 'turris Eudieru' etiamnum editur xliv. 3. § 3. In Didascaliis comœdiarum Terentii passim 'Græca Menandru,' 'Græca Appollodoru' obcurrit. Et ita apud Auson. in Profess. Burdeg. carm. 13. 'Ceu musa Simonidei' emendat Heins. ad Nason. Her. vii. 97. ubi Scalig. *Cei* præferebat. Malo tamen pleraque horum, apud Livium certe, errantibus librariis tribuere. De 'navibus hippagogis' vide Scheff. de Milit. Nav. iv. 1. p. 257. ubi ex hoc Livii loco laudat *hippagogas*.

§ 10 *Et concitatio remorum, directæque in se proræ, hostes adpropinquare adparuisset*] Hic parum abest, quin adfirmem emendandum *aperuisset:* neque enim *apparuisse* huic orationi convenire videtur, nisi *concitatione* legas, et *directis in se proris:* quod et verius puto. *Turneb.* Advers. xxix. 7. Dan. Heinsius apud Elzevirios minima mutatione *concitatione remorum directæque in se proræ*, ut *directæ proræ* sit casus secundus. Eamdem lectionem

Gronovii ed. prima expressit; cui postea displicuisse videtur *directæ proræ* numero singulari dici de multis navibus, unde classis Antenoris constabat. Hinc idem Gronov. 1665. reposito *τῷ concitatio*, potius *apparuisset* mutavit in *aperuisset*, licet ipsi Turnebo hæc sua conjectura minus adriserit. Solent autem librarii verba 'apparere' et 'aperire' commutare in Mss. Vide ad III. 15. § 9. VI. 2. § 11. c. 20. § 10. X. 24. § 5. XXVIII. 24. § 2. et alibi.

§ 12 *Qui propiores continenti litori erant*] An *continentis*? J. F. Gronov. Perizonius ad Sanctii Minerv. IV. 4. 599. conjicit forsan melius *continentis* legi; sed tamen recte quoque dici posse concedit *continens litus*, hoc est, litus continentis, inhærens continenti, cum oppositione ad litus insulæ. Laudat etiam Crevierius locum Horat. Od. I. 18. 22. 'Parum locuples continente ripa.'

In Erythream enarunt] Legi posset *in Erythram*. Hujus enim urbis nomen non tantum numero pluvium *Erythræ*, sed etiam unitatis *Erythra* effertur apud Stephan. Byz. voce Ἐρυθρα, et Vell. Pat. I. 4. Quum tamen semper Livio vocetur 'Erythræ,' id non urguendum existimo, et *in Erythream* cum Doujatio intelligo terram. Vide ad XXXVII. 12. § 10. Verum ita cum diphthongo legendum est *Erythræam*. Non modo enim Steph. Byz. auctor est, a nomine hujus urbis deduci vocem Ἐρυθραῖος, sed plures etiam supersunt numini cum inscriptione ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ, quos Harduinus recensuit in Numm. Popul. et Urb.

§ 14 *Octingenti ferme Gallorum occisi*] Olim edebatur per notas numerorum *DCCC. ferme Gallorum*, pro quo is, qui ultimæ Gruteri editioni præfuit, substituit *Septingenti*. Hunc errorem in priori nott. ed. Gronovius emendavit, et postea a. 1665. priscam lectionem etiam in contextum adscivit.

CAP. XXIX. § 1 *C. Popillius, et C. Decimius, et C. Hostilius*] Ed. Basil. 1539. ejusque exemplo aliæ recentiores prius *et* omiserunt sine ulla caussa. Supra c. 19. 'C. Popillium Lænatem, et C. Decimium, et C. Hostilium legatos, &c. miserunt.' Recte igitur Gronov. voculam, quam ed. princeps exhibet, loco restituit.

§ 2 *Sanctitas templi insulæque*] Per 'sanctitatem' intelligendum esse jus asyli, docuit Spanhem. de Præst. et Us. Numism. Diss. IX. 666. Ita XLV. 5. 'Utrum nos, hospites Samothraces, vere accepimus, an falso, sacram hanc insulam, et augusti totam atque inviolati soli esse? Quum creditæ sanctitati adsentirentur omnes.' XXXV. 51. 'In fano lucoque, ea religione eoque jure sancto, quo sunt templa (asyla Græci adpellant).' Præterea hinc colligit, non tantum ipsa templa hoc jure asyli gavisa esse, sed etiam totas urbes, æque ac nunc tota insula Delos, et insula Samothrace priore Livii loco.

§ 3 *Quum aliquas alto præferri*] Forte *prætervehi*. J. F. Gron. Sic tamen XXIX. 32. 'Raptique gurgite et in obliquum prælati.' XXIX. 14. 'Thuribulis ante januas positis, qua præferebatur.' Etiam de ipsis navibus XXVIII. 30. 'Unius prælata impetu lateris alterius remos detersit.' *Jac. Perizon.* A. Perizonius sequentia ad marginem ed. Livianæ qua uti solebat, adnotavit: 'Imo *præferri* bonum: ut 'naves per altum ferri,' c. 28. dixit, pro vehi, sic *præferri* valet 'præterferri,' seu 'prætervehi.' Vide XXIX. 14. et c. 32. Sic mox c. 31. 'præfluens' pro præterfluens.' Hæc ille. De hoc usu præpositionis *præ* vide quæ notantur, etiam ab ipso J. F. Gronovio, ad XXIX. 32. § 8.

Parte per Cycladas disposita] Ita primum ed. Francof. 1578. Sed antiquiores typis descripti *per Cyclades*.

Alterum tamen malo, quia Livius alibi, etiam hoc et præcedenti cap. more Græcorum *Cycladas*, quam Latinorum *Cyclades*, dicere maluit.

§ 5 *Quibus poterat Popillius aut Eumenis naves subcurrebat: sed vecti nocte*] Lego *quibus poterant, Pop. aut Eum. naves succurrebant, sed interdiu; nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant.* J. F. Gron. Priorem partem emendationis Gronovianæ *poterant* et *subcurrebant* probant Doujatius et Crevierius. Eam etiam, non monito lectore, in contextum recepit Clericus. Reliquam partem *sed interdiu* Doujatius non necessariam pronunciat. Cujus etiam sententiæ fuisse videntur Clericus et Crevierius, qui partim in contextum non admiserunt, partim in notis non memorarunt. Neque video, quid boni ea pars emendationis Livio conferat. Subjiciendo enim *sed vecti nocte* satis indicat, priora interdiu gesta esse. Mecum sentit Dukerus, addens, si quid in his verbis mutari debeat, se malle *sed evecti nocte*. Ideo enim fefellisse, quod plerumque nocte furtim binis aut ternis lembis e portu evehebantur.

§ 6 *Per id fere tempus legati Macedones Illyriique simul Rhodum venerunt*] Polyb. in Exc. Legat. num. LXXXVII. Τῶν περὶ τὸν Παρμενίωνα καὶ Μόρκον, τῶν παρὰ τοῦ Γεντίου, καὶ σὺν αὐτοῖς τοῦ Μητροδώρου παραγενομένων εἰς τὴν Ῥόδον. Ita, non καὶ Μόρκον, καὶ τῶν παρὰ τοῦ Γεντίου, legendum. Confer reliqua cum hoc loco Livii.

CAP. XXX. § 1 *Jam veris principium erat*] Mense Aprili urbe se exiturum promittit L. Æmilius c. 19. Quemadmodum igitur ‘ veris principio ’ in provinciam venit? Forte *Jam ver præceps erat.* Similiter pro eo, quod c. 34. ‘ adventu consulis simul et veris principio,’ legere possis *vere præcipiti.* J. F. Gron. Dodwell. in Append. Prælect. Camden. p. 755. et de Cyclis Diss. x. 12. hoc non ad rationes anni Juliani, sed ad veteris anni Romani exigendum contendit. *Duk.*

§ 3 *Etritum et Epicadum, inpigros viros*] Ita primum a Modio editum invenio. Priores omnes constanter *Ettritum.* Quid verius sit, nescio. Tutius tamen esse puto sequi primam ed., quæ ad unici cod. exemplum formata est.

§ 4 *Honuni Dardanorum principis filium*] *Menunium* vocat Polybius apud Athenæum lib. x. p. 440. Ἀποκτείναντα δὲ καὶ Πλεύρατον τὸν ἀδελφὸν γαμεῖν μέλλοντα τὴν Μηνουνίου θυγατέρα αὐτὸν γῆμαι τὴν παῖδα. *J. F. Gron.* Illud etiam observandum est, eo loco Pleurati filium, Gentii fratrem, ‘ Pleuratum ’ vocari, qui Livio hic ‘ Plator ’ dicitur. Id autem nomen inter Illyrios usitatum fuisse videtur. Certe Philippus Macedoniæ rex et Achæi quibusdam Cretensibus auxilio miserunt Ἰλλυριοὺς τετρακοσίους, ὧν ἡγεῖτο Πλάτωρ. ‘ Plator ’ dux Philippi etiam memoratur XXVIII. 6.

Etutam pacto fratri eum invidisse] Scriptores Latini plerumque puellam ‘ viro pactam,’ raro ‘ virum ’ puellae ‘ pactum ’ dicunt. Lubet id ostendere collatis in unum aliquot locis veterum, quorum multa alii sparsim adnotarunt. Livius I. 2. ‘ Cui pacta Lavinia ante adventum Æneæ fuerat.’ Cic. ad Att. v. 9. ‘ Cujus filia pacta est Artavasdis filio.’ Plautus in Trinumm. v. 2. 59. ‘ Hæc tibi pacta est Callicli filia.’ Tacit. Ann. I. 55. ‘ Quod Arminius filiam ejus alii pactam rapuerat.’ Ann. II. 43. ‘ Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum ejus, pacta erat.’ Plinius Hist. Nat. l. XV. c. ult. ‘ Cum pacta illa esset Cæsari.’ Quintil. Declam. CCCXLIII. ‘ Ille rapuisset puellam alii destinatam, alii pactam.’ Eodem modo Ovid. Epist. Hermiones vs. 95. Epist. Ariadnes vs. 92. Epist. Cydippes vs. 185. Nonius voce ‘ Speratam,’ et Arnob. IV. p. 140. His adductus hic quoque pri-

mum tentabam legere *pactam fratri;* sed deinde nihil movendum putavi propter auctoritatem Livii IV. 4. ' Ut, in quam cuique fœminæ convenisset domum, nuberet, ex qua pactus vir esset domo, in matrimonium duceret.' In Vell. tamen I. 1. non multum dubito, quin pro vulgato *quod pactæ ejus nuptias invaserat*, melius sit *pactæ ei*, quod volebat Manutius. *Duk.* Quæ hic ' Etuta,' infra c. 32. ' Etleva ' vocatur, ubi vide Sigon. Crevierius ad eum locum conjicit fortasse idem esse nomen ' Etuta ' et ' Etleva ;' fortasse altero in loco vitium esse ; nihil quoque vetare judicat credere, Etutam aut mortuam, aut repudiatam fuisse. Neque ego certiora adferre possum.

§ 5 *Intemperantia vini*] Polybius ibid. διὰ τὴν πολυποσίαν πολλὰ ποιεῖν ἀσελγῆ κατὰ τὸν βίον, νύκτωρ τε ἀεὶ καὶ μεθ' ἡμέραν μεθύοντά. *J. F. Gron.* Utrumque locum de Gentio e Polybii XXIX. descripsit Athenæus X. 11. Ad eumdem viri docti pertinere putant, quod apud Ælian. V. H. II. 41. legitur : Καὶ ἕτερος Ἰλλυρίων βασιλεὺς γενναῖος πίνειν καὶ οὕτως ἑαυτῷ ἀκρατῶς. Nam plane probabile est, ibi, quod Scheffero et Perizonio visum fuit, pro γενναῖος legendum esse Γέντιος, quidquid tricetur Kuhnius. Pro ἑαυτῷ, quod turbas dedit, considerent alii, an scribi possit εἰώθει. *Duk.*

§ 9 *Caravantium in Caviis*] E Plinii VI. 8. et Ptolemæo *in Cerauniis* videtur restituendum. ' Caulici ' etiam ad Ionium sinum a Stephano ex Hecatæi libris ponuntur. *Turnebus*, Advers. XXX. 37. Fateor vocem *Ceraunii* sive *C'aũii* facile, compendii notis tantum omissis, in *Cavii* mutari potuisse: id autem adhuc verisimilius fiet, si inox pro *Durnium* cum Sigonio *Burnium* scribendum, et a Ptolemæo Βοῦρνον vocatum fuisse credamus. Βοῦρνον enim aut Ceraunionum oppidum, aut certe non longe a finibus eorum remotum fuit. Quo minus tamen Turnebi et Sigonii conjecturas probare possim, illud obstat, quod Ceraunii et Burnum vel Burnium nimium a regno Gentii distare videantur. Labeates enim, quorum rex Gentius exstitit, siti fuerunt in ea parte Illyrici, quæ Dalmatia vocatur, et quidem ubi regio illa Macedoniæ contermina est. At Ceraunii, in quorum regione vel finibns situm erat Burnum vel Burnium, sedes habuerunt in altera Illyrici parte, Liburnia dicta, et quidem in media ferme Liburnia, ut Caravantio, a fratre Gentio in Ceraunios misso, transeunda fuerit tota Dalmatia cum magna Liburniæ parte. In Liburnia situm esse Burnum constat ex Procop. B. Goth. I. 16. Μόνος δὲ Οὐλιγίσαλος Γότθοις ἐς Λιβουρνίαν ἠγήσατο, καὶ σφίσι Ῥωμαίων ἐν χωρίῳ Σκάρδωνι ἐς χεῖρας ἐλθόντων ἡσσηθέντες τῇ μάχῃ ἀνεχώρησαν εἰς Βοῦρνον πόλιν. Utrum vero tantum terrarum spatium cum exercitu peragrare a populis, per quos iter faciendum erat, permissum fuisset, admodum dubito. Accedit, in Illyrico plures populos et oppida reperiri, quæ non nisi ab uno memorantur, et ab illis veterum, qui dedita opera geographiam scripserunt, silentio prætereuntur. Cavendum itaque est, ne nomina minus nota in notiora commutando, præsertim invitis Mss. nubem pro Junone amplectemur. Diffiteri tamen nolo, Plinium Hist. Nat. III. 22. in Dalmatiæ descriptione Ceraunos populum et Burnum castellum memorasse, at Burnistas populum in Liburnia ibid. c. 21.

Durnium oppidum] *Burnium.* Ptolemæus enim II. 17. meminit oppidi Illyrici nomine Βοῦρνον : et Plinius III. 21. populorum Burnistarum in Illyrico. *Sigon.*

§ 11 *Bullianorum et Apolloniatum*] Lege *Bulinorum*, qui sunt, auctore Stephano, populi ad Illyrium : Βουλῖνοι, inquit, ἔθνος περὶ Ἰλλυρίαν. *Si-*

gon. Alterum *l* expungi necesse non est, ac legi potest *Bullinorum.* Nam Βουλινοὶ quidem, præterquam apud Steph. Byz. etiam vocantur apud Scylac. in Peripl. p. 16. et 25. *Buliones* apud Plin. Hist. Nat. III. 23. ac Βουλιμεῖς apud Dion. in Perieg. vs. 387. *οὕς τινες διὰ τοῦ ν' γράφουσι Βουλινεῖς ἢ Βουλινοὺς,* ut ibidem Eustath. testatur: at contra colonia 'Bullidensis' memoratur in Macedonia apud Plin. Hist. Nat. IV. 10. 'Bullidenses' apud Cæsar. B. Civ. III. 12. 'Bullienses' Cic. in Pison. c. 40. ubi *Bullidenses* legendum existimat Ursinus. 'Bulliones' ad Fam. III. 42. Eorum urbs Βουλλὶς vocatur Ptolem. III. 13. et *Bullis* Cæsari B. Civ. III. 40. Alii pro *ov* vel *u* efferunt hæc nomina per *v* vel *y.* Hinc 'ager Byllinus' est XXXVI. 7. § 19. ubi vide quæ notavi: urbs Βύλλις apud Steph. Byz. ea voce, et *Byllis* apud Cic. Phil. XI. 11. ubi vide Ferrar. *Bullinorum* igitur edi jussi.

Circa Genusuum amnem] *Genusum* credo scribendum. *Turneb.* Advers. XXX. 37. Cæsar. B. Civ. III. 76. 'Transductoque exercitu flumen Genusum.' Livius *Genusuum* vocat, et corrupte; item Ptolemæus Πανύασον III. 13. Lucanus v. 462. 'quam volucer Genusus, quam mollior Apsus Circumeunt ripis.' *Ursin.* Vide Palmer. Græc. Ant. I. 24. Cellar. Geogr. Ant. II. 13. 658. Relandi epist. quam Hesselius ad se scriptam Vibio Sequestri præfixit, et Oudend. ad Lucani v. 462. 'Panyasus' autem Ptolemæi a 'Genuso' diversus est. Vide Palmer. Græc. Ant. I. 22. Teste Hearnio ad h. l. *Genusus* in Penting. Tab. *Genesis* vocatur. Videndas etiam monet Placidi Porcheroni notas ad Ravennat. Anonym. Geogr. *Genussuum* mox § 12. præferunt edd. principes, quæ hic legunt *Genusuum.* Et ita etiam ed. Bas. 1539. recepit. Unicum autem sibilum requiri, constat etiam ex loco Lucani laudato.

§ 13 *Et ad ea, quæ habebat, auxilia Parthinorum juventutis duobus millibus, &c.*] Suspicor addendam vocem ita: *assumptis Parth. juv. duobus millibus.* Sic enim paulo ante 'Assumptis ad eum exercitum, quem habebat, Bulinorum auxiliis.' *Sigon.* Verbum *assumptis* non fuit in libro veteri, estque ab Sigonio additum. Nos id non opus esse putamus, sed, quod deesse arbitratur ille, latere in vocabulo *juventutis:* adeoque scribendum, *et ad ea, quæ habebat, auxilia Parth. junctis duobus millibus peditum, et eq. ducentis, (peditibus Ep., eq. Agalsus præerat) parabat ducere in Ill.* Verbum habes XXIV. 34. 'Naves junctæ aliæ binæ ad quinqueremes, demtis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur.' *J. F. Gron. Partinorum* omnes typis descripti ante Sigonium, qui addita adspiratione emendavit *Parthinorum.* Vide ad XXXIII. 34. § 11.

Peditibus Epicadus, equitibus Agalsus præerat] De voce 'Epicadus' vide viros doctos ad Suet. Aug. c. 19. Alius Epicadus, a Gentio interfectus, modo memoratus est hoc cap. Deinde *Algalsus* princeps ed. quod proxima Frob. a. 1535. in *Agalsus* mutavit. Priscam lectionem revocavi.

§ 15 *Tum classis*] De rebus ab Anicio prætore gestis adversus Gentium regem Illyriorum dicere cœperat. Eas igitur hoc loco persequebatur, maxime vero eas, quas mari gesserat, quas ita ordiebatur: *Tum classis.* Desideratur etiam initium rerum earum, quas terra gessit: nam de deditione urbium loquitur, quum ait, 'die toto ei tradiderunt se.' *Sigon.* Supplementum suum, quod Doujatiano substituit, Crevierius partim, quod ad naves aliquot Gentii ab Anicio captas, ex Appiano desumtum esse testatur, partim se ex conjectura, quam maxime licuit, probabili ad ea, quæ præcedunt et sequuntur apud Livium, adcommodasse. Monuit insuper, per classem, qua Anicius adver-

sus Illyrios pugnavit, se intelligere eam, quæ ipsum et copias advexerat.

Cap. xxxi. § 2 *Id quod belli caput fuerat*] Cur *fuerat?* An forte legendum *id quod belli caput erat?*

§ 3 *Barbana ab regione occidentis*] *Barbenna* vocatur apud Vibium Sequestr. de Flumin. 'Barbenna Illyrico mari miscetur.' Longius a recepta lectione recedit uterque cod. quo Hesselius usus est: scribunt enim *Babenna*. Proxime accedunt Excerpta ex Bocchacio, quæ idem Vibio subjunxit pag. 217. 'Barbena fluvius in Illyricum decurrens.' Interim tamen ex hoc Livii loco constat Barbanam Illyrio sive Hadriatico mari non misceri, nisi Oriundis fluminis alveo.

§ 4 *Incidunt Oriundi flumini*] Videtur mihi sic ab Livio dici, qui aliis Drilo; qui fluvius est in ora Dalmatiæ, ex Scordo monte profluens, Ptolemæo teste II. 17. Super eum situm est Scodra oppidum, Plinio III. 22. auctore. *Ortelius* in Thes. Geogr. voce 'Drilo.' 'Drilonem' vocant Strabo, Plinius, et Ptolemæus, ut notat Bochartus I. 23. de Coloniis Phœnic. Scylax 'Arionem' vocat. *H. Vales.*

Quod, ortum ex monte Scodro] Ita hoc loco constanter editur, ut et mox 'mons Scodrus.' At 'Scordus' vocabatur xliii. 20. 'Hi, transgressi jugum Scordi montis, Scodram labore ingenti tandem pervenerunt:' ubi vide quæ notantur. Similiter etiam hic, literis transpositis, *Scordo* et *Scordus* legendum puto. Eodem errore apud Polyb. in Exc. Legat. num. lxxvi. in ultima ed. nunc legitur ἦλθον εἰς Σκόρδαν· ubi cod. Mstus habet εἰς Κάρδαν. Ursinus vero recte εἰς Σκόδραν emendandum docet.

§ 10 *Flumine Barbana navigat in lacum Labeatum*] *Barbano* edd. principes. *Barbana* emendat Sigonii ἔκδοσις. Vide ad § 3. Præterea *Labeatium* supra formavit hoc cap. et infra cap. seq. At duplici forma dici solet 'Labeatæ' et 'Labeates,' ut vidimus ad xliii. 19. § 3. a priori fit *Labeatûm* pro Labeatarum, a posteriori *Labeatium*. Ita non tantum dixerunt 'Apolloniatæ,' sed etiam 'Apolloniates,' unde est 'Apolloniatium.' Vide ad xxvi. 25. § 2.

§ 11 *Multis millibus armatorum actis ex ea regione*] Ut Virg. Æn. vii. 804. 'Agmen agens equitum.' Forte tamen *coactis*. J. F. Gron.

§ 12 *Navem eamdem secundo amni Scodram demisit*] *Eadem* omnes typis descripti ante Sigonium, qui recte emendavit *eamdem*.

§ 15 *Vix gladiatorio accepto decem talentis ab rege rex*] Multi olim etiam ingenui operas suas arenæ certa mercede locabant, ut depugnarent: eorum mercedem 'gladiatorium' in neutro genere a Livio vocari, videor observasse. Sensus enim hujus loci est, pluris conduci gladiatorem, quam quanti in bellum Gentius conjectus est. *Turneb.* Advers. xxix. 7. Scioppius ad Sanctii Minerv. iv. 4. supplet *auctoramento, præmio*. Sic quoque Lipsius Saturn. I. 7. Sed idem Saturn. II. 5. suspicatur legendum, *vix gladiatorio auctoramento ab rege rex, ut in eam fortunam recideret*. Quod recidit verba *decem talentis*, ut glossam puto, rationem levem quidem, sed tamen aliquam, habet: nam hoc e cap. 27. intelligi poterat; sed quomodo *accepto* abesse possit, non video. J. Laurentius Polymath. I. 5. 'gladiatorium' hic interpretatur potestatem gladii in urbe gestandi. Nihil absurdius nec insulsius dici potest. Et tamen hoc ex eo recoxit Pitiscus ad Suet. Aug. cap. 32. et satis inepte addidit Turnebum illud longe aliter explicare: plane quasi vel ipse dubitaverit, vel quemquam, qui vel micam salis habet, dubitaturum putaverit, utra explicatio præferenda sit. *Duk.*

Cap. xxxii. § 3 *Etlevam uxorem*]

Paullo ante c. 30. uxorem Gentii regis 'Etutam' vocavit. Videndum an unam hanc habuerit. *Sigon.* Vide ad cap. 30. § 4.

Scerdilio Pleuratoque] 'Scerdiletum' libris superioribus dixit. Est enim nomen regulis Illyricis familiare. *Sigon.* Verum est, tempore Sigonii et adhuc diu postea multis locis Livii nomen Scerdileti memoratum fuisse. Verum postea Gronov. ad XXVI. 24. § 9. ex cod. integerrimo et ex Polybio id 'Scerdilædus' scribendum esse monuit, et in contextum adoptavit; quod hic etiam restituendum censui. Idem et sibi videri Dukerus monuit.

§ 4 *Bello Illyrico intra triginta dies perfecto*] Diebus viginti perfectum, scribit Appian. B. Illyr. p. 761. *Sigon.* Perperam *bello Illyrico* omnes edd. usque ad Gronov. qui recte *Illyrio* edidit. Vide ad Epit. Liv. lib. XX.

Cum parente, conjuge, liberis, ac fratre] Ita demum præfert Heinsii Elzeviriana. Omnes priores *conjuge, ac liberis, ac fratre:* quod revocavi.

§ 6 *Nec minus terroris a classe Romana et periculo maritimæ oræ habebat. Thessalonicæ Eumenes, &c.*] Hæc lectio primum adparuit in ed. Frob. 1535. Ed. princeps præfert *habebat Thessalonica. Eumenes et Athenagoras præerant.* Neutrum tamen satis placet; non vulgatum, quia non video, quomodo Persei terror a classe Romana distingui possit a terrore ejusdem Persei propter adventum Octavii prætoris, quum tamen Octavius classi Romanæ præfuerit, et hinc, qui Octavium timuit, etiam classem ejus timuerit: non ea lectio, quam obfert ed. princeps, quia non adsequor, cur magis memoretur terror Thessalonicæ, quam aliarum urbium, quæ in ora maritima Macedoniæ sitæ erant. An legendum, *Nec minus terroris a classe Rom. Thessalonica et maritima ora habebat?* Certe in sequentibus Livius per partes narrat, qua ratione saluti Thessalonicæ et oræ maritimæ consulere Perseus conatus sit. Vel lege cum Roëllio *et periculi maritima ora habebat. Thessalonicæ, &c.*

§ 7 *Eo et Androclen præfectum mittit*] Legendum *Androclem.* Ἀνδροκλῆς enim format Ἀνδροκλέα apud Thucyd. VIII. 65. et Pausan. in Messen. c. 5. Id autem Latinis est *Androclem*, quomodo etiam Crevierium edere video.

Æniam mille equites] Græcis est Αἴνεια, quod Latine *Ænia* et *Ænea* reddi potest. Ultimum tamen malo, ut distinguatur ab Ænia urbe Perrhæbiæ. Vide ad XL. 4. § 8.

§ 9 *Ad præsidium Pythoi et Petræ*] *Pythii.* Utriusque meminit Plutarchus in Paullo. *Sigon. Pythium*, ut vulgo perperam legitur, in *Pythium* mutandum esse, jam monuit Sigonius ad XLII. 53. § 6. Πύθεον vocatur Ptolemæo Geogr. III. 13. 'Pythii' et 'Petræ' meminit quidem Plutarch. in Æmil. Paull. p. 262. at ejus interpres locum non intellexit. Excusum nunc exstat, etiam in optimis edd. Ἐπεὶ δὲ ἐπυνθάνετο μίαν εἰσβολὴν ἔτι μόνον ἄφρουρον ἀπολείπεσθαι, τὴν διὰ Παῤῥαιβίας παρὰ τὸ Πύθιον καὶ τὴν πέτραν. Redditur autem *Quum superesse audiret transitum per Perrhæbiam, secundum Pythium atque eam rupem.* At litera majuscula legendum est παρὰ τὸ Πύθιον καὶ τὴν Πέτραν, et vertendum *præter Pythium et Petram.* 'Saltum ad Petram' memorat Livius XLV. 41. § 4.

Quibus præpositi erant Histiæus, et Theogenes, et Midon] *Milo*, ut ante (XLII. 58. § 7.) ex Plutarcho. *Sigon.* Similiter etiam cap. 45. § 2. et 7. in contextum recepit Sigonius, ubi itidem, ut hoc loco, priores edd. *Midon* præferunt. Fateor equidem, Μίλωνος meminisse Plutarch. in Æm. Paullo p. 263. Utrum tamen *Milo* Plutarchi idem sit, ac *Midon* Livii, nondum certo constat. Apud Plutarch. enim Perseus, a transfuga Cretensi moni-

tus, Nasicam ab Æmilio Paullo missum esse, ut clam per montem Olympum transiret, Milonem cum decem millibus militum mercenariorum ac duobus millibus Macedonum eodem properare, et hostem prævertere jubet; quæ historia temporum injuria in Livio periisse, et post c. 35. hujus libri excidisse potest. Hic vero Midon cum Histiæo et Theogene præficiuntur quinque millibus Macedonum, qui Pythio et Petræ præsidio forent. Supra XLII. 58. § 7. ubi *Midon Berœæus* olim edebatur, et Sigonius *Milo* legendum censuit, contra Ursinus *Medon* emendandum docuit ex Polyb. Exc. Legat. quæ fragmenta tempore Sigonii nondum typis descripta erant. Idem nomen restituendum etiam puto c. 45. ubi Livius refert, Hippiam et 'Midonem,' ut legunt vett. edd. et Pantauchum se post cladem Persei Berœam recepisse, et effecisse ut ea urbs Æmilio traderetur. Ut enim tanta apud Berœæos auctoritate valuerit, iisque, ut urbem suam Romanis traderent, persuadere potuerit, caussa fuisse videtur, quod ipse Berœæus existens multos ibi cognatos et amicos habuerit. Certe Hippias, qui eodem tempore ex prœlio infelici Berœam aufugit, itidem 'Berœæus' vocatur XLII. 51. Si igitur XLII. 58. ex auctoritate Polybii, et XLIV. 45. ex conjectura pro *Midon* legendum est *Medon*, forte etiam idem error hic commissus, idemque nomen restituendum erit. Certe convenit *Midon* esse corruptum. Ex eo autem minori mutatione *Medon*, quam *Milo*, fieri potest. Neque admodum probabile est, si antiquitus *Milo*, nomen satis notum, scriptum fuisset, librarios id in *Midon* mutaturos. Si vero *Milo* Plut. idem sit, atque ille, quod negare nolo, parva mutatione ex ΜΙΛΩΝ fieri potest ΜΗΔΩΝ.

§ 11 *Huic ut omnis multitudo vacaret*] *Operi huic.* Muret. Doujatius cum Mureto *Operi huic* legendum censet; alioquin enim pronomen *huic* referendum fore ad ripam, vel ad alveum Enipei fluminis. Crevierius etiam *Huic operi* legit. Sed nihil muto, et vocem *operi*, vel *negotio*, vel *rei*, vel similem subintelligo. Cic. in Verr. II. 4. 'Fecerunt etiam, ut ego istum accusarem, a quo mea longissime ratio voluntasque abhorrebat:' ubi Asconius *a quo* exponit, 'a qua re,' 'a quo negotio,' 'accusationis scilicet.' Similiter hoc loco *Huic* est huic rei, huic negotio, munitionis scilicet.

Coactæ cibaria in castra adferebant] Videtur legendum *cocta cibaria*. Supra III. 27. 'Armati cum cibariis in dies quinque coctis adessent.' XXI. 49. 'Edicto proposito, ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent.' XXIV. 11. 'Cum triginta dierum coctis cibariis naves conscenderunt.' XXIX. 25. 'Quinque et quadraginta dierum cibaria, e quibus quindecim dierum cocta, inposita.' XLIV. 35. 'Mille hominibus decem dierum cocta cibaria habere.' Solent autem voces 'coctus' et 'coactus' a librariis confundi. Vide ad l. III. c. 23. § 3. et Burm. ad Sueton. Claud. cap. 38. Et ita apud Colum. VII. 5. § 10. ubi vulgo editur, 'Facit etiam sulfuris triti et picis liquidæ modus æqualis igne lento coactus,' cod. Sangerm. *igne lento coctus* præfert.

Miles jussus ex propinquis silvis] Orsus erat dicere quæ Perseus rex ad famam adventus consulis Pauli parasset, cujus narrationis pars extrema intercidit, una cum initio expositionis ejus, qua, quæ Paulus moliri cœpit, ubi in Macedoniam pervenit, prodit: primis autem his verbis 'Postremo sequi se utrarios ad mare,' quemadmodum inopiam aquarum levaverit in Olympo monte, tradit. Quæ res etiam ex Plutarcho in Paulo p. 262. peti potest. *Sigon.*

Cap. xxxiii. § 1 *Alios alibi modicis intervallis fodere*] Vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit legendum *alios alibi puteos modicis*. Ita Plut. loco, quem mox plenius laudabo, φρέατα πολλὰ παρὰ τὴν ὑπώρειαν ὤρυττε. Sed nihil mutandum puto. Ex sequentibus enim 'vix deducta summa arena' constare videtur, eos non fodisse puteos. Forte igitur Plutarchus auctores alios, quam Livius, secutus est. Livius plerumque in his Polybium sequitur; at Plutarchus se præter Polybium etiam commentariis Nasicæ usum esse testatur. Vide ad § 8. c. 34. § 3. et c. 35. § 11.

§ 2 *Occultos continere latices*] Forte legendum *contineri*. Paullus ex montium adspectu hanc spem concepit, occultos latices in montium visceribus contineri. Plutarch. in Æmil. Paull. pag. 262. Ὁρῶν ὁ Αἰμίλιος μεγὰ καὶ κατηρεφὲς δένδρεσιν ὄρος τὸν Ὄλυμπον ἐπικείμενον, καὶ τεκμαιρόμενος τῇ χλωρότητι τῆς ὕλης, ναμάτων ἔχειν ἀρχὰς, διὰ βάθους ὑποφερομένων, ἀναπνοὰς αὐτοῖς καὶ φρέατα πολλὰ παρὰ τὴν ὑπώρειαν ὤρυττε. *Contineri* legendum conjecit etiam Dukerus.

§ 3 *Vix deducta summa arena*] Puto *diducta*, id est, a loco suo dimota. Ea verba passim a librariis confundi, vidimus ad xxi. 55. § 5. Mox § seq. *adjecit* primus edidit J. F. Gronovius. Priores edd. præferunt *adjicit*.

§ 7 *Placere igitur, tribunum militum*] Hoc Lipsius de Milit. Rom. iv. 10. de omnibus imperiis, etiam quæ militi in castris manenti dabantur, videtur accipere. Sed ex ipso loco patet, de imperiis, quæ ad iter et agmen pertiuebant, agi. Quæ hic de scutis et pilis dicuntur, illustrat idem de Milit. ii. 2. et 4. et v. 9. et quæ de stationibus v. 8. de quibus etiam habet Schelius ad Polyb. c. 2. *Duk.*

§ 8 *Scutum in vigiliam ferre vetuit*] Hic iterum a Livio diversus Plutarch. hastam pro scuto memorat in Æmil. pag. 262. τὰς νυκτερινὰς φυλακὰς ἄνευ λόγχης φυλάττειν.

§ 9 *Deiu, ubi fessi sint*] Ita demum ultima Gruteri ed. ejusque exemplo ceteri recentiores. Omnes priores *deinde, ubi fessi*, quod Livio restitui. Parvum esse confiteor, ac nihil referre, utro modo legatur: at tanto iniquius puto Livii manum temere inmutari.

Sopitos stare] *Stare* non opus erat addi: facile ex præcedentibus repeti poterat. *Duk.*

Conspici ab hoste possit, ipse nihil provideat] Quis non videat legendum *sopitos stare, ut fulg. armis pr. cons. ab hoste possint, ipsi nihil provideant?* J. F. Gron.

Cap. xxxiv. § 2 *Quos advocaverit in consilium*] Hæc veterum edd. lectio est, cujus loco Modius more suo dedit *in concilium*. Sed recte Gronovius priorem lectionem revocavit. Vide ad xliv. 2. § 5.

§ 3 *Arma apta, cibum paratum ad subita imperia*] Vox *cibum* aperte mendosa est. Ego *animum* reponendum puto. Hunc locum sic Græce vertit Plutarch. p. 261. Παρήγγειλε μηδὲν πολυπραγμονεῖν, μηδὲ φροντίζειν, ἀλλ' ἢ τὸ ἑαυτοῦ, καὶ τὴν πανοπλίαν ἕκαστον, ὅπως ἐνεργὸν παρέξει καὶ χρήσεται Ῥωμαϊκῶς τῇ μαχαίρᾳ τὸν καιρὸν παραδόντος τοῦ στρατηγοῦ. *Sigon.* In aliis erat *cibum*: non recte id quidem: sed tamen vereor, quam hoc quoque [*animum*] sit emendatum. Puto *cibum* verius esse. *Muret.* Crevierius etiam vulgatum *cibum* præfert, et sæpius Romanis militibus imperatum observat, ut cibaria cocta in certum dierum numerum haberent. Quod ad dissensum Plutarchi adtinet, vide ad cap. præc. § 1.

§ 4 *Milites, consul, et imperator rumoribus vulgi circumagatur*] Forte scripserat, *in quo exercitu militum consul, et imp. rum. vulgi circ., ibi nihil salutare esse*. Consulem vult rumoribus militum, et imperatorem rumoribus

vulgi non in omnem partem trahi et verti. Simplicius 'militibus' opponeretur 'imperator,' et 'consul' 'vulgo:' sed elegantius illud, et fere ut in proœmio Institutionum, 'non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam.' *J. F. Gron.* Dixit paulo ante consul, unum imperatorem in exercitu providere et consulere, quid agendum sit, debere; cæteros, qui ab illo non sint advocati in consilium, nec palam nec secreto jactare consilia sua. Conveniens ista erat urbanæ concioni oratio. Nam quemadmodum tunc monuerat Quirites c. 22. e terra ne gubernarent, id est, in circulis et conviviis suis, quid imperatori in Macedonia faciendum esset, dissererent; sic jam milites nihil, quod futurum sit, quærere, nec sibi jactandis vulgo suis consiliis, quid rerum gerendum sit, præscribere jubet. Quippe *in quo exercitu milites consulant*, vel *miles consulat, imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil salutare esse:* sic enim legendum levi mutatione existimo. *Jac. Perizon.* Credo locum recte emendari; primum, quia, quum milites ipsi sint vulgus illud, cujus rumoribus milites circumagi dicuntur, minime elegans aut concinnus sermo est, 'milites circumaguntur rumoribus militum,' vel 'vulgus circumagitur rumoribus vulgi:' deinde, quia sufficiebat dici *imperator:* denique, quia 'circumagi' dicuntur, qui ex sese non apti ipsi nullas certas consiliorum et actionum suarum rationes, sed ex aliorum consiliis et actionibus suspensas, habent; quod non convenit in milites, quorum partes sunt ducibus consulentibus et imperantibus parere, non consilium dare. XXVI. 8. 'Terrerique et circumagi ad nutus criminationesque Annibalis flagitiosum ducebat.' Fabius l. XXXIX. c. 5. 'Non pendere ex alterius vultu ac nutu, nec alieni momentis animi circumagi, adstipularique irato consuli tribunum plebis' debere. *Duk.* Perizonii conjecturam probat etiam Crevierius. Præterea Modius, pro veterum edd. lectione *circumagatur*, dedit *circumagitur;* quod Gronovius in priori ed. nott. inprobat: a. vero 1665. priscam lectionem revocavit. Paullo post § seq. *nihil, quid futurum sit* prima ed. cujus loco Froben. 1535. *quod futurum* emendavit.

§ 8 *Alii galeas bucculasque, scuta alii loricasque tergere*] Debetur hæc lectio editioni Froben. 1535. Quod prima præfert ed. *alii galeas bucculasque scutorum, alii loricas tergere*, aperte falsum est: 'bucculæ' enim erant illa galeæ pars, quæ buccam tegebat. Vide Lipsium de Milit. Rom. III. 5. et Stewech. ad Veget. II. 13. Notandum itaque, primam ἔκδοσιν particulam *que* ultimo loco omittere, eamque demum a Frobenio additam esse. Id suspicionem injecit, Livium potius scripsisse *alii galeas bucculasque, scuta alii, alii loricas tergere:* ut vocem *alii* bis scribendam semel omiserint librarii. Ita XXXVII. 11. 'Navium reliquarum ante portum aliæ, aliæ in portu deprehensæ:' ubi pari lapsu vocem *aliæ* multi librarii iterare neglexerunt. Similes errores vide ad XXXVII. 27. § 4.

Mucronemque intueri] Si hoc usum aliquem in prœliis habere potest, hic nihil novandum est. Si non potest, legerem *mucronemque tentare*. Sueton. Ner. c. 49. 'Duo pugiones, quos secum extulerat, arripuit, tentataque utriusque acie, rursus condidit.' Tacitus Hist. II. 49. 'Allatis pugionibus quum utrumque pertentasset.' Explorabant autem milites Paulli aciem mucronis, quod Romani magis punctim, quam cæsim, pugnabant. Vide Lipsium de Milit. Rom. III. 3. *Duk.* Crevierio etiam aliquod vitium in verbo *intueri* latere videtur.

§ 9 *Aut victoria egregia, aut morte memorabili inituros bellum*] Muretus *finituros.* J. F. Gron. Vulgatum om-

nino displicet. Nam 'inire bellum' hic notare nequit incipere bellum: bellum enim non nunc demum geri incipiebat, sed jam per aliquot annos fuerat protractum. Notare etiam nequit descendere in prœlium: non dicam enim *bellum* pro prœlio aut vix aut quam rarissime apud Livium aliosque ejusdem ævi scriptores usurpari, (ut vidimus ad III. 61. § 2.) verum potius scire velim, quo sensu accipiendum sit *victoria egregia, morte memorabili inituros bellum*, id est descensuros in prœlium. An igitur prœlium initurus jam victoriam egregiam obtinuerat, aut jam mortem memorabilem obierat? Si cui locutionem ita intelligendam placeat, eo animo in prœlium descensuros, ut vel victoriam egregiam reportent, vel mortem memorabilem obeant; postulo, ut, eam id notare posse, aliis exemplis inlustretur. *Finituros* probabat etiam Jac. Gronovius ad XLII. 8. § 8. Et solent interdum hæc verba a librariis confundi. Vide ad XXXV. 7. § 3. Verum neque hæc conjectura ab omni parte placet. Nam milites Romani spem quidem concipere poterant, se tantam de Perseo victoriam reportaturos, ut ea bello finem impositura esset; verum pietas in patriam non permittebat, ut crederent, si clade accepta vel omnes occubuissent, propterea senatum ac populum Perseo pacem concessuros. Videant igitur alii, qua ratione loco male adfecto subcurrendum sit. Neutrum verbum *inituros*, vel *finituros* hic satis congruere, judicat etiam Crevierius.

§ 10 *Adventu consulis simul et veris principio*] *Et vere præcipiti* emendat Gronov. c. 30. § 1. Contra Dodwell. locis ibidem a Dukero laudatis, vulgatum tueri conatus est.

CAP. XXXV. § 1]*norum esse. Quæ res Romanis auxit animos*] Hic narrabantur ea, quæ Perseus post Pauli adventum adversus eum se comparans egit, de quibus scribere erat aggressus. Horum autem verborum hæc erat sententia: 'Nunciatum est, Gentium regem superatum, ipsumque cum regno in potestate Romanorum esse. Quæ res Romanis auxit animos: Macedonibus regique eorum haud mediocrem attulit terrorem: et primo supprimere in occulto famam ejus rei est conatus,' &c. *Sigon.*

§ 3 *Quo quæque adcuratius curantur*] Fortasse *celantur*. J. F. Gronov. Conjecturam confirmant loca Livii VIII. 3. 'Quamquam omnia de industria celabantur, &c. tamen per quosdam, &c. indicia conjurationis emanarunt.' Et XXIX. 24. 'Periculum erat, ne vera, eo ipso, quod celarentur, sua sponte magis emanarent.' *Duk.* Gronovii conjectura etiam probabilis Crevierio visa est.

§ 5 *Quum alii præcipites sine responso agendos castris, pronunciavit, post, &c.*] Perfecta hæc sententia non est. Dicturus enim fuit nescio quid ejusmodi: *Cum alii præcipites sine responso agendos castris, alii convenienti cum responso dimittendos diceret, pronunciavit, &c.* Sigon. Videtur deesse *censerent*, nisi illud verbum intelligi commode putes. Neque absurdum sit scribere, *Itaque quum alii præcipites sine responso agerent castris.* Quod est, agendos censerent. Ut XXVII. 20. 'Marcellus Romam veniret, ad purganda ea, quæ inimici decernerent.' XXVI. 8. 'P. Cornelius, cui Asinæ cognomen erat, omnes duces exercitusque ex tota Italia ad urbis præsidium revocabat.' Tacit. Ann. XI. 3. de Vitellio: 'Liberum ei mortis arbitrium permisit:' quæ nihil volunt aliud, quam revocandos, permittendum censuit. *J. F. Gronov. Agerent* eo sensu a Livio adhiberi, vidimus ad XXV. 33. § 5. Potius tamen existimo, aliquid socordia librarii excidisse, et quidem solam vocem *censerent*. Sigonio enim adsentiri nequeo, plura hic excidisse arbitranti, licet ejus sententiam probet

Crevierius, existimans deesse membrum orationis, quod respondeat τῷ *alii*. Puto enim per voculam *alii* intelligi omnes, quos Paullus in consilium advocarat, iisque obponi ipsum Paullum, et quod ei placuit. Doujatius, alterutram Gronovii sententiam probans, vel excidisse opinatur vocem *censerent*, vel legendum esse *agerent*. Insuper illud *præcipites* accipit nominandi casu, ut referatur non ad legatos Rhodiorum, sed ad duces Romanos, qui extemplo Rhodios castris abigendos sine responso existimabant. Mihi tamen præstare videtur, ut accusandi casu accipiamus, et referamus ad legatos Rhodios, quos præcipites castris agi volebant, qui a Paullo in consilium advocati erant. Locutio 'præcipitem aliquem agere' elegans et sæpe obvia est. XXX. 14. 'Quæ regem nobis socium alienasse, atque in arma egisse præcipitem dicatur.' XLII. 30. 'Præcipites ad novanda omnia agebat.' Valer. Max. III. 6. 2. 'Equum conscendit, eumque præcipitem in illud profundum agit.' VI. 3. 1. 'Manlius eras mihi, quum præcipites agebas Senones.' IX. 5. 2. 'Parvi enim habuit, L. Philippum consulem violenter in carcerem præcipitem egisse.' Vide Burmann. ad Phædri v. 7. 39.

§ 7 *Et maxime majoribus natu*] Crevierius existimat Livium potius scripsisse *minoribus natu*. Fervidum enim illud consilium faciendæ sibi viæ per ripam Enipei munitionesque magis sapere juvenilem ardorem, quam senilem prudentiam. Voces 'major' et 'minor' in Mss. sæpius confundi, videbimus ad XLV. 25. § 7.

§ 9 *Missilibus etiam melius et certiore ictu hostes uti*] *Militibus* habet ultima Gruteri ed. Sed veram lectionem *missilibus* Gronovius prima ed. nott. indicavit, et deinde a. 1665. contextui reddidit.

§ 10 *Perrhæbos mercatores Schœnum et Menophilum*] Forte *Cœnum:* id enim Macedonicum nomen esse, notum ex Curtio et Justino. *J. F. Gron.* Locus Justini, quem Gronovius innuit, exstat XIII. 4. ubi Scaliger pro *Scyno* legebat *Cœno*, et intelligebat *Cœnum*, toties inter duces Alexandri Magni apud Diodor. et Curtium memoratum. Verum quum Cœnum illum ante Alexandrum obiisse referant Curtius IX. 3. et Arrian. VI. 1. aliud potius nomen reponendum putat Berneccerus. Contra Gronovius, Scaligerum quidem in homine designando errasse, at non in illius vocabulo, existimat Obs. IV. 15. 243. *Cœnum* enim, non *Scynum*, esse nomen Macedonicum. Id facile in *Scynus* corrumpi potuisse, docet Perizon. in Animadv. Hist. c. 10. p. 439. Nam medio ævo diphthongum *œ* mutatam fuisse in *y*, et ita ex *Cœnus* factum esse *Cynus*, deinde ultimam literam vocis præced. *gens* perperam initio hujus adhæsisse, et hinc enatum esse *Scynus*. Idem et hic accidit. Ultima enim litera proximæ vocis *mercatores* huic adcrevit, et ex *Cœnus* factum est *Scœnus*, tum interposita adspiratione *Schœnus*. Ceterum *Cœnus* etiam dictus est secundus Macedonum rex, qui Cranao gentis conditori successit. Vide Hieronym. Chron. Euseb. ad a. MCCXXXI. is vero unde nomen acceperit, ex Etymol. Magn. ibidem docuit Scalig. p. 67. Paullo ante *dimissoque concilio* edidit Modius, quum primæ edd. præferant *consilio;* quod vindicavit iterum Gronov. c. 2. § 5.

§ 11 *Præsidiis autem regis obsideri*] A Livio hic dissentit Plutarchus, qui in Æmil. p. 262. viam per Perrhæbiam incustoditam ac sine præsidio relictam scribit; pag. seq. autem addit, Persen tum demum eo præsidium misisse, quum ex transfuga didicisset, partem exercitus Romani ea loca petiisse: contra Livius, jam antea transitum illum præsidiis Persei insessum fuisse, non hic modo innuit, sed etiam c. 32. Præterea loca non

iniqua esse mercatores Perrhæbi hic adfirmant; at secundum Plutarch. locus præsidio non erat firmatus διὰ δυσχωρίαν καὶ τραχύτητα. Ceterum *præsidiis autem regiis* legendum conjicit Crevierius. Vide ad hujus lib. c. 6. § 9.

§ 13 *Heracleum cum classe petere*] *Heracliam* et mox § seq. *Heracleam* princeps ed. Sed, *Heracleum* emendandum, monuit Gronov. ad c. 5. § 12.

§ 14 *P. Scipionem Nasicam, Q. Fabium Maximum, &c. Heracleam mittit*] Horum meminit etiam Plutarchus in Paullo p. 262. ὁ Νασίκας ὁ ἐπικαλούμενος Σκιπίων, γαμβρὸς Ἀφρικανοῦ Σκιπίωνος, καὶ Φάβιος Μάξιμος ὁ πρεσβύτατος τῶν Αἰμυλίου παίδων ἔτι μειράκιον ὄν. Meminit etiam *Heracleæ*, quam τὸ Ἡράκλειον vocat. Summam etiam eorum, quos secum Nasica duxerit, subtilius tradit. *Sigon.* Immo in numero dissentit a Livio, qui forte Polybium secutus est; quum Plutarchus, relicto Polybio, sequatur ipsum Nasicam, qui, se octo millia peditum, trecentos et viginti equites a consule accepisse, epistola ad regem quemdam scripsit. Mox *in concilio agitatum* edidit iterum Modius contra fidem priorum edd. *in consilio* præferentium. Intempestivam ejus emendationem corripuit Gronov. ad c. 2. § 5.

§ 15 *Cibaria his præparatu ad classem esse*] Supra § 13. prætor, qui classi præerat, tantum mille hominibus cocta cibaria in decem dies parare jussus est. Hic vero quinque millia militum mittuntur. Unde igitur reliqui cibaria habuerunt? Mox *Pythoam* priscæ edd. pro quo *Pithium* mutandum sæpius Sigonius monuit, et ita passim edidit. Vide ad c. 32. § 9.

§ 19 *Aut parma, aut scuto Ligustino*] Hinc quidam colligere voluerunt, Romanos usum scutorum a Liguribus didicisse, quos refellit Lipsius de Milit. Rom. III, 2. Locum Suidæ in Πάρμη, quem ibidem e Polybio in hac historia sumtum putat, et emendat, nec viri docti inter fragmenta Polybii retulerunt, nec editores Suidæ mentionem emendationis Lipsianæ, etsi non indignæ quæ consideretur, fecerunt. *Dak.* Crevierius ‘parmam’ retulit ad velites, ‘scutum Ligustinum’ ad Ligures, quos in exercitu Æmilii fuisse refert Plutarch. p. 264.

§ 20 *Haud paucis utrimque interfectis*] Si eo die haud pauci interfecti, postero multo plures amissi sunt, non exiguam jacturam militum fecit consul. Hoc mihi non valde probabile videtur, quia in levis armaturæ velitationibus raro multum sanguinis fundebatur. Suspectum habeo *haud*. Dukerus.

§ 23 *Degressus ad imam partem castrorum*] *Digressus* omnes typis descripti ante Gronov. qui *degressus* edidit; et recte, ut puto. Videntur enim castra Romana in collibus fuisse, qui paullatim versus mare descendebant. Ad eam partem quum consul se conferret, rectius *degressus*, quam *digressus*, dicitur. Vide ad IV. 17. § 11.

§ 24 *Perseus, quod in oculis erat*] Jam aggressurus erat dicere, quemadmodum Perseus Nasicæ et Fabio, qui cum magna manu Perseum ab alia parte ut adorirentur missi erant, obstiterit. Et hæc igitur desiderantur, et quemadmodum Paullus post Nasicam sit consecutus. De eodem Paullo loquitur, cum ait, ‘Anni post circumactum solstitium erat.’ Narrat autem, quemadmodum fessos itinere et æstu milites a pugna, cujus facultatem dabat Perseus, cohibuerit. Hæc autem horum verborum futura fuit sententia: ‘Quoniam autem incommodum maxime (nam tempus post circumactum solstitium erat, hora diei jam ad meridiem vergebat) iter multo pulvere et incalescente sole factum erat, lassitudo et sitis jam sentiebatur, et meridie instante magis accessurum utrumque apparebat,

statuit sic affectos recenti atque integro hosti non objicere.' Sic Plutarchus p. 263. parenthesi temporis horam descripsit: *θέρους γὰρ ἦν ὥρα φθίνοντος*. Hac de re sic paulo post agit Paullus c. 38. 'Nihilne interest, utrum militem, quem neque viæ labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum, integrum in tentorio suo arma capere jubeas, atque in aciem plenum virium, vigentem et corpore et animo educas, an longo itinere fatigatum et onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti objicias, recenti, quieto, qui nulla re ante consumtas vires afferat?' *Sigon.*

Cap. xxxvi. (xxxvii.) § 2 *Magis accessurum utrumque*] Cur non *accessuram utramque?* nam intelligitur 'lassitudo et sitis.' Possis tamen subaudire 'malum.' *J. F. Gron.* Vulgatum recte Crevierius tuetur, laudato simili loco Livii ex xxx. 30. 'Tuam et adolescentiam, et perpetuam felicitatem, ferociora utraque, quam quietis opus est consiliis, metuo.' Similiter Sueton. Claud. c. 38. 'Iræ atque iracundiæ conscius sibi utrumque excusavit edicto:' ubi vide Burm. Adde quæ notantur ad ii. 5. § 4. et xxxiv. 58. § 4.

§ 5 *Quantum increscerat æstus*] Ita recte edidit Frob. a. 1535. *increscere* datum erat in ed. principe.

§ 8 *Neque enim ne his cunctationem aperuerat suam*] Forte, *nam ne his quidem cunct. aperuerat suum.* J. F. Gron. Sigonius ad xxxiii. 49. et Schottus Nodor. Cic. iv. 16. *ne* hic pro 'ne quidem' accipiunt. Enim usum hujus particulæ etiam alii observarunt. Vide quæ ad Flori iii. 17. § 2. adnotata sunt. Scriptura tamen aliquot locis, quæ in eam rem adferuntur, variat. *Duk.* De vocula *ne*, pro 'ne quidem,' vide Burm. ad Suet. Aug. c. 35. Et ita Bentl. ex Mss. emendat apud Horat. Sat. ii. 3. 262. 'ne nunc, cum me vocat altro, Accedam?' pro *nec nunc*, et Persium v. 172. similiter locutum docet. Si quid tamen mutandum, Gronovii conjectura nimium a vulgato discedit, et potius lego *neque enim ne his quidem cunctationem*, interposita vocula *quidem*, quæ ex unico cod. neglegentia scribæ excidere potuit; quum variis locis ex aliis Mss. pari incuria librariorum excidisse deprehendatur. Exempla vide v. 38. § 10. vi. 18. § 4. viii. 4. § 10. c. 27. § 10. xxii. 40. § 8. xxxvi. 9. § 9. xxxix. 40. § 11. Crevierius τὸ *quidem* huc revocabat ex verbis proximis *ne hostes quidem*, ubi alieno loco haberi putabat. Duplex autem negatio 'neque enim ne his,' difficultatem movere nequit. Vide ad lib. xxxii. c. 21. § 26. et l. xxxiv. c. 1. § 5. Roëllius malebat *neque enim vel his cunctationem.*

§ 9 *Nasica unus ex omnibus ausus est monere consulem*] Plutarch. p. 263. inflatum re bene ad Olympum contra Persenm gesta hoc aggressum esse scribit. *Sigon.*

Ne hostem quidem ludificutos priores imperatores fugiendo certamen manibus emittere] Non est integrum. Sensum sic habebis: *ne hostem, pridem ludificatum pr. imp., fug. cert. man. emitteret.* Ni malis *qui sit ludificatus.* J. F. Gron. *Ne hostem, qui quidem sit ludificatus, &c. manibus emitteret* legendum conjicit Jac. Perizonius in margine Livii. Minus curate consuluit Doujatius Gronovii notas, quem legisse vult *ne hostem quidem ludificatum.* Rogat autem quo illud *quidem?* et ipse emendat *ne hostem quondum ludificatum.* Sane, 'quidem' et 'quondam' interdum in Mss. confundi, monuit Torrent. ad Suet. Domit. cap. 4. At, si oculis recte usus foret, vidisset Gronov. eodem sensu *ne hostem pridem ludificatum* reponendum censuisse: *pridem* autem magis ad vulgatum *quidem* accedit, quam *quondam.* Solent autem librarii voces 'quidem'

et 'pridem' in membranis antiquis commutare. Exemplum habnimus l. VIII. c. 38. § 10.

§ 11 *Dum in campo patenti hostem habeat*] Forte *cum*, vel *quum habeat*. Vide ad I. 40. § 7.

§ 13 *Multis belli casibus didici*] Sic Plutarch. p. 264. αἱ δὲ πολλαί με νίκαι διδάσκουσαι τὰ τῶν ἡττημένων ἁμαρτήματα, &c. *Sigon.*

Non operæ sit stanti] Lege, *non operæ est*. Lib. IV. c. 8. 'Neque consulibus cum tot popnlorum bella imminerent, operæ erat, id negotium agere.' XXIX. 17. 'Neque ego exsequi possum, neque vobis operæ est audire singula, quæ passi sumus.' *J. F. Gronov.* *Non operæ est*, id est, non vacat. IX. 23. 'Castra habeant repetantque, quibus operæ est trahere bella.' Vide ad IV. 8. § 3.

§ 14 *Haud dubie videre aliqua inpedimenta*] Putabam olim legendum esse *haud dubius videre*. Idem sibi quoque in mentem venisse Dukerus monuit; abstinendum tamen putasse a conjectura, quod sibi alibi quoque invenisse exempla ellipseos participii *ratus* vel alterius ejusdem significationis videtur; cujus nunc judicio subscribere malo. Simile enim participium etiam subintelligendum est VI. 22. 'Extemplo in aciem procedunt, nihil dilaturi, quin periculum summæ rerum facerent: ita paucitati hostium nihil artes imperatoris unici, &c. profuturas esse:' ubi perperam virum doctum *rati*, pro *ita*, legendum conjecisse, monui.

CAP. XXXVII. (XXXVIII.) § 5 *C. Sulpicius Gallus tribunus militum*] Sic quoque Plinius Hist. Nat. II. 12. Legatum Paulli facit Valer. Max. VIII. 11. 1. *Duk.*

§ 6 *Ab hora secunda usque ad quartam horam noctis*] Vide Calvisii opus Chronolog. ad a. mundi ∞ ∞ ∞ IↃCCLXXXII.

Lunam defecturam esse] Sulpicium militibus Romanis prædixisse futuram defectionem lunæ, etiam Plinius H. Nat. II. 12. et Frontin. Strateg. I. 12. § 8. scribunt; Val. Max. eum post defectionem lunæ apud exercitum de causis illius disserusse auctor est. De ea re verba sunt Renaudoti tom. II. Memor. Acad. Reg. Inscript. Dissert. I. p. 25. ed. Amstelod. *Sulpicius Gallus Lieutenant du Consul Emilius Paullus, dans la guerre contre les Perses, voyant les soldats troublés par une éclipse de lune, les rassura en leur expliquant les causes.* Quod Valer. Max. sequutus Sulpicium, *legatum consulis* vocat, et 'post defectionem lunæ' militibus ejus rei causas exposuisse scribit, contra quam Livius, Plinius, et Frontinus tradiderunt, reprehendi non debet, quum auctorem suum habeat. Illud excusari nullo colore potest, quod hoc 'in bello adversus Persas' factum dicit. Quis enim adeo historiæ veteris imperitus est, qui nesciat, neque tum ullum regnum Persarum fuisse, neque Romanos adversus illos bellum gessisse? Sed non possum mihi persuadere, hoc ab eo profectum fuisse. Nam monstri instar foret, virum non inerudítum in tam clara luce historiæ ita caligare potuisse, ut solus non cerneret, quod nemo non videt: quum præsertim Valerius Max. quem ante oculos habuit, scribat, 'quum L. Paulli adversus regem Persen bellum gerentis legatus esset' Sulpicius. Suspicor Renaudotum scripsisse *dans la guerre contre Perses*, et librarium aliquem aut emendatorem speciminum typographicorum, qui sibi aliquid sapere videretur, nescientem ultimo regi Macedonum nomen fuisse *Perses*, credidisse de *Persis*, quorum nomen nemini incognitum est, agi, et temere de suo liberalem auctori cum non levi ejus injuria largitum esse articulum *les*; quem haud scio an aliæ edd. harum Memoriarum ignorent. Joh. Sarisberiensem Policrat. lib. I. cap. ult. omen Paullo post decretum ei bellum adversus Persen factum

referentem in eum errorem incidisse, ut ex rege Perse regem Persarum faceret, observavit Daviesius ad Cic. de Divin. I. 46. Ab eo quoque culpam in scribas transferri posse putarem, nisi addidisset, 'profectus' (consul) 'in expeditionem triumphum non invenit, eo quod rex Persarum perierat, quando filia consulis catulum flebat amissum.' *Duk.* Teste Catone apud Cic. de Senect. cap. 14. 'Quam delectabat C. Gallum defectiones solis et lunæ multo ante nobis prædicere.'

§ 7 *Nunc pleno orbe, nunc senescente exiguo cornu fulgere lunam*] Florebello arridet magis *senescentem.* Sigon. Forte *nunc senescentem exiguo cornu.* J. F. Gron. *Fugere lunam* ed. princeps: quod recte quidem ad senescentem exiguo cornu lunam referri potest, sed non ad eamdem pleno orbe splendentem. Quamvis autem sollemne esse probavi ad XL. 42. § 11. orationi ex duobus pluribusve membris constanti unum addi verbum, quod ad omnia ejus membra referri nequeat, hic tamen præfero lectionem *fulgere*, quam Froben. 1535. priori substituit. Solent autem verba 'fulgere' et 'fugere' confundi. Præter illa quæ dixi ad Silii IV. 88. vide exemplum ad VIII. 10. § 5.

§ 8 *Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est dies*] Ita exhibet ed. prima. At mox Froben. 1535. admisit *Nonas Septembris*, quod reliquæ servarunt usque ad Paris. 1573. quæ ambigue *Nonas Septembr.* dedit. Gronovius denique priscam lectionem *Nonas Septembres* restituit. Vide ad XLI. 16. § 1. Verum Dodwell. in Append. ad Prælect. Camden. p. 752. ex computatione eclipseos hujus, ac tabulis astronomicis evincere conatur, mensis nomen corruptum, ac legendum esse *pridie Nonas Sextiles:* olim autem *prid. Nonas Sext.* scriptum fuisse, idque facile in *pridie Nonas Sept.* et deinde *Septembres* mutari potuisse. Docet deinde, eclipsin hanc accidisse die XXI. Junii Juliani proleptici, eumque diem secundum formam anni veteris non in *pridie Nonas Septembres*, sed in *pridie Nonas Sextiles* ejus anni, quo prœlium inter Æmilium Paullum et Persen decertatum est, incidisse. Eamdem emendationem novis argumentis adstruxit idem Dodwell. Diss. de Cycl. X. § 18. At mense *Septembri*, licet *III. Nonas Septembris*, Persen ab Æmilio Paullo victum esse, itidem tradit Eutrop. IV. 7. ut, si vera sit Dodwelli conjectura, menda hæc admodum inveterata, et ipso Eutropio antiquior esse debeat.

§ 10 *Ardor exercitui ad concurrendum fuerat*] Non intelligo cur Livius hic maluerit scribere *fuerat*, quam *fuit.* Duker. Vide num forte locus distinctione hoc modo adjuvari possit: *Postero die (tantus utrique ardor ex. ad conc. fuerat, ut et regem et cons. &c. accus.) regi promta def. erat.*

Ut regem et consulem suorum quidam] Ita major Jac. Gronovii ed. sed operarum errore, quem fideliter expressit Clericus: omnes enim priores et ejusdem quoque Gronovii ed. minor *ut et regem consulem.*

§ 12 *Ad id, quod pridie prætermisisse pugnandi occasionem videbatur*] *Ad id quod* dictum est pro 'præterquam quod.' *Sigon.* Lib. III. c. 62. 'Ad id, quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur.' Sic XXVI. 45. et XXXII. 40. *Duk. Ad id quod* est 'præter,' 'super id quod,' vel, ut Sigonius reddit, 'præterquam quod:' *ad* pro 'præter,' 'super' poni, vidimus ad XXVI. 5. § 9. Ant. Perizon. ad marginem Livii monuit, τὸ *videbatur* omitti posse, quia mox iterum sequitur. Sed, rationem hanc conjecturæ in Livio præsertim non procedere, vidimus ad I. 3. § 9.

§ 13 *Sacrificio rite perpetrato, ad concilium vocavit*] Cum desint, quos

vocaverit, malim *concilium advocavit*. Sic paulo post XLV. 7. 'Concilio advocato literas cum recitasset.' Item 'adversus advocatos in consilium considere jussit.' *Sigon.* Inveniebat editum Sigonius *ad concilium vocavit:* ideo, cum desint, inquit, quos vocaverit, malim *concilium advocavit*. Huic curvæ conjecturæ ab eo tempore vetus lectio decedere jussa est. Nos eam restituimus, utpote multo elegantiorem, nisi quod *consilium* in locum τοῦ *concilii* sufficiendum. Vide ad II. 54. XXIII. 32. et XXVI. 38. Sed et alia labe suspicor infectum locum. Hiant enim et parum prioribus committuntur illa, *post sermones tamen*. Vide an scripserit Livius, *atque ibi quoque rei gerendæ tempus loq. et int. cons. visus quib. extr., post sermones hanc consul or. habuit.* J. F. Gron. *Consilium* præferunt edd. vett. *concilium* primus dedit Vascos. quod Gryphius, Basileenses 1554. Sigonius, et alii secuti sunt. Sed recte Gronovius restituit *consilium:* intelligitur enim imperatoris consilium militare. Vide Gronov. ad Livii XLIV. 2. § 5. Recte etiam Gronov. vindicavit locutionem 'ad consilium vocavit;' vide ad II. 55. § 10. Ceterum superiora ita interpungenda videntur: *terere vid. tempus. Quum luce prima signum prop. ad ex. in ac. fuisset, tertia demum hora, &c.*

Atque ibi, quod rei gerendæ tempus esset, &c.] Conjectura Gronovii, quam ad verba proxime præcedd. proposuit, admittere, invito unico cod. unde hæc pars operis Liviani publicata est, audacius fore videtur, quam ut laudari possit. Scribendum tamen arbitror *atque ibi quoque, quod rei gerendæ tempus esset*, vel *erat*. In reliquis nihil muto. Quamvis pleriqne existimarent, consulem accusandum esse, quod pridie sine prœlio discessisset, et nunc etiam intempestive ad consilium vocasset; 'tamen' orationem habuit, qua facti rationem reddidit. Sæpe eleganter 'quamquam,' 'etsi' ac similes particulæ omittuntur, sequente τῷ *tamen*. Vide ad XXIII. 19. § 12. et XXVII. 25. § 16. Si quid tamen in illis mutandum, forte legendum est *post sermones tandem*. Solent autem 'tamen' et 'tandem' commutari. Vide ad XXII. 2. § 11. Donjatius voces *post sermones* interpretatur post sermones eorum, qui de cunctatione consulis querebantur. Sed contra mentem Livii, apud quem in initio cap. seq. consul testatur P. Nasicam ex omnibus unum sibi consilium suum denudasse; aliis absentem carpere imperatorem, quam præsentem monere, melius visum esse. Intelligi igitur post sermones ipsius consulis cum ducibus in consilium advocatis de quacumque re habitos. Nam tum etiam 'loquendo et intempestive consultando videbatur quibusdam rei gerendæ tempus extrahere,' ut Livius hoc loco testatur. Roëllius *talem*, pro *tamen*, malebat.

CAP. XXXVIII. (XXXIX.) § 1 *Hesterna die pugnari placuit*] Ita constanter omnes edd. præter Clericum et Crevierium, qui vulgarunt *hesterno die*, ut mox hoc cap. 'Hesterno die explicatam intuentes aciem.' c. seq. 'Hæ dilatæ pugnæ ex hesterno die in hodiernum caussæ fuerunt.' Et ita passim I. 51. VII. 35. XXV. 38. XXVII. 13. XXXII. 21. XL. 10. Unum tantum in Livio locum notavi XL. 9. ubi *hesterna die* obcurrit, qui tamen mendæ suspectus est. Ita 'hodierno die' hoc cap. tum cap. seq. et X. 25. Similiter 'postero die' vide ad I. 12. § 1. 'crastino die' ad III. 20. § 4. 'die uno,' 'primo,' 'tertio' ad VIII. 11. § 15. *Hesterno* igitur servavi.

Denuntiavit mihi suum consilium] Ita primus Corio. At Frobenius ex membrana, ex Frobenio Aldus et Gryphius *denudavit*. Quod mutandum non fuit. Lib. XXIII. cap. 5. 'Nimis detegendo eladem nudandoque.' XXXIX. 15. 'Si

omnia nudavero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor.' XL. 24. 'Ne pœna ejus consilia adversus Romanos nudaret.' XLII. 13. 'Cernebam nobilissimas Asiæ et Græciæ civitates indies magis denudantes judicia sua.' Eodemque lib. c. 63. 'Fama equestris pugnæ vulgata per Græciam nudavit voluntates hominum.' Seneca de Tranquill. Animi: 'Multa incidunt, quæ invitos denudent.' *J. F. Gronov.* *Denunciavit* apud me demum ed. Basil. a. 1554. cujus loco recte Gronov. priscam lectionem *denudavit* revocandam monuit. Supra XXXIII. 21. 'Maritimam oram omnem, quæ nondum animos nudaverat, ad finitimorum motus consurrecturam:' ubi quædam vide. Phædr. in Prologo l. III. vs. 47. 'Stulte nudabit animi conscientiam:' ubi vide Burm. Mox forte legendum *videri possit*, pro *posset*.

§ 5 *Quantum numero nos præstent*] Notat Doujatius, raro verbum 'præstare' hoc sensu cum accusativo jungi, sed 'auferendi' (voluit sine dubio *dandi*) casu magis gaudere. Hujus tamen constructionis duo adfert exempla, alterum ex Quinctil. Instit. I. 1. alterum ex Virgil. Æn. XI. 438. quod utrumque jam diu lexicographi observarunt. Alia ex Livio exempla vide ad VII. 30. § 4. et XXXVII. 30. § 2.

Inplicatam intuentes aciem] Immo *explicatam*. Lib. VII. cap. 23. 'Quum procul visis Romanorum signis, ut extemplo prœlium initurus, explicuisset aciem.' XL. 25. 'Ita ut ne efferendi quidem signa Romanis spatium, nedum ad explicandam aciem locus esset.' Hoc lib. cap. 4. 'Si loci satis ad explicandam aciem fuisset.' *J. F. Gronov.* Lib. IV. c. 21. 'In aggere murisque explicat copias.' cap. 27. 'Planitiem in medio, vel ad explicandas utrimque acies satis patentem, habebant.' VI. 23. 'Nec jam pro castris tantum suis explicare aciem.' l. VIII. c. 19. 'Vix tota extra portam castrorum explicata acie.' XXX. 5. 'Ad primam ferme vigiliam agmen explicaverunt.' Ita 'explicare legiones' Cæsar B. Civ. II. 26. 'explicare equitatum' Auct. B. Afric. cap. 29. 'explicare ordines' vide ad II. 46. § 3. 'explicare agmen' ad II. 59. § 7. et Oudend. ad Front. I. 4. § 2. Pari modo 'explicare naves,' 'classem' dixit Hirtius B. Alexandr. capp. 14. et 15.

§ 7 *Sed fuerimus omnes*] Non capio sensum horum verborum. Si scriptum esset, *sed fuerimus una omnes*, putarem id esse, nulla parte militum ad custodiam sarcinarum detracta. *Duk.*

§ 8 *Atque in acie plenum virium, &c. educas*] Legendum aperte *in aciem*. Sigon. Vide ad III. 62. § 5.

§ 9 *Ardentibus siti faucibus*] Magis placet Florebello *arentibus*. Sigonius. Vix ausim movere: nam et 'ignea' sitis, et 'torrere guttur' atque 'urere' poëtis dicitur. Possis tamen suspicari *arentibus*. Ut apud Ovid. Met. VI. 355. 'Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.' Et VII. 556. 'tepidisque arentia ventis Ora patent.' *J. F. Gronov.* 'Arere' et 'ardere' sæpe in Mss. confundi, docuerunt N. Heins. et Burm. ad Nason. Her. IV. 174. ubi plures codd. præferunt *ardentem sitim*, ipsi vero probant *arentem*. Adde N. Heins. ad Nason. Met. VIII. 289.

Torrentem meridiano sole] Lege *torrente*. Sole enim torretur miles, non torret. Supra XXXV. 5. 'Sol ingenti ardore torrebat minime patientia æstus corpora Gallorum.' Possis forte etiam *torpentem*. Sed alterum equidem præfero. *Jac. Perizon.* Recte: ultima litera *τοῦ torrentem* adhæsit ex initiali vocis seq. Vide ad XXXVI. 43. § 8. Crevierius etiam vulgatum defendi posse putat auctoritate Virg. Æn. IX. 105. 'Per pice torrentes atraque voragine ripas:' ubi Servius *torrentes* interpretatur 'ardentes.'

Hosti objicias recenti, quieto] Vereor ne hic quoque scripserit *requieto*. Est

enim aliud 'quietus,' alind 'requietus.' Ad illud sufficit præsens quies: hoc competit illis, qui aliquamdiu quiete sunt usi. Seneca de Tranquill. cap. 15. 'Danda est remissio animis: meliores acrioresque requieti surgunt.' *J. F. Gronov.* Supra hoc cap. 'Militem, quem neque viæ labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum, integrum.'

Cap. xxxix. (xl.) § 3 *Quum munimentis ea sepissent*] Puto *sepsissent*. J. F. Gron. Vossius Gramm. v. 33. ex hoc loco laudat *sepiissent*, et ex Hieronymo profert *sepivi*. Id Hieronymo non invideo, sed credere nequeo Livium vel *sepiissent*, vel *sepissent* scripsisse, et potius Gronovio adsentior. Simili errore *intersepitus* præfert unus cod. xxxi. 46. § 9. *sæpissent* xxxiii. 5. § 6.

§ 5 *Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus*] Florebellus ita legit: *Si sine ulla sede vagi dim., ut quo vict. nos recip.* Sigon. Si hæc oratio interrogantis est, sententia videtur esse, an sine ulla sede vagi dimicassemus, ut deinde victis hostibus nihil haberemus quo nos reciperemus? aut nulla castra haberemus, quæ victoribus receptaculum essent? Sed, ut, quod res est, dicam, non intelligo locum, ac neque in vulgata scriptura, neque in emendatione Florebelli commodum sensum invenio. *Duk.*

Cap. xl. (xli.) § 2 *Ac ne illo ipso quidem die, aut consule aut rege, quod nec fessos, &c.*] Si plenam hanc sententiam explicuero, tum, quorum verborum jactura facta sit, intelligetur. Sic igitur mihi legendum videtur: *Ac, ne illo ipso quidem die aut consule aut rege optante, pugnatum est, rege quod nec fessos, ut pr. ex via, neque trep. in acie instr., et vixd. comp. aggr. erat; consule, quod in nov. cast. non ligna, non pab. conv. erat, ad quæ pet. ex prop. ag. magna pars nil. e cast. exierat.* Hanc esse sententiam hujus loci, atque similia verba intercidisse, apparet ex eo, quod ait *neutro imperatore volente.* Librarium in errorem impulit vox *rege*, quæ iteratur; in qua scribenda a priore ad posteriorem, cum media verba transcendisset, delapsus est. *Sigon.* Quatuor verba (*optante pugnatum est. Rege*) de conjectura insernit Sigonius. Sed, recte considerata sententia, adhibitaque distinctione necessaria, apparebit nullius vocis jacturam fecisse veterem codicem, præterquam τοῦ *rege:* quod cum repetendum esset, ab librario neglectum est. Ita namque scripsit Livius: *Ac ne illo ipso quidem die, aut consule aut rege, (rege, quod nec fessos, &c. e castris exierat) neutro imperatore volente, Fortuna, quæ plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen.* Hæc integerrima oratio est, et adeo non defecta, ut etiam aliquid supersit: etenim cohærent, *Ac, ne illo ipso quidem die aut consule aut rege volente, Fortuna contraxit certamen.* Cæterum propter interjecta, ut subveniret memoriæ lectoris vel auditoris, adjecit huic orationi divisæ *neutro imperatorum:* quod nihil est aliud quam, *nec rege, inquam, nec consule.* Tale est v. 24. 'Adversus quæ quum optimates ita tenderent:' hinc interponuntur multa, quibus sensus sermonesque optimatium explicantur, antequam cœptæ periodi pars altera compareat: itaque necesse habuit τὸ *quum* repetere: 'Hæc quum fœdis certaminibus agerentur:' sequitur jam, cujus respectu tanto superius dixerat 'quum optimates.' Lib. xxxviii. c. 55. 'Ad hunc prætorem adeo amicum Corneliæ familiæ,' (subjiciuntur argumenta et exempla amicitiæ) 'aut adeo inimicum,' (interponitur rursus aliquid, cur id possit videri) 'cæterum ad hunc nimis æquum aut inimicum prætorem rens extemplo factus L. Scipio:' ubi perperam dederat Andreas *Alii hunc prætorem*, et deinde *alii adeo inimicum.* Cicero Famil. xv. 10. 'Quando id

accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam, &c. quando ergo ita accidit, ut omnium vestro studio tuus consulatus satisfacere posset.' Eodem lib. ep. 21. 'Nam ut illa omittam, quæ civitate teste fecisti, &c. ut hæc recentia, quæ meminero semper, obliviscar, &c. ut hæc igitur omittam.' Philipp. II. 32. 'Cum primum Cæsar ostendisset, se, priusquam proficisceretur, Dolabellam consulem esse jussurum, &c. sed cum Cæsar ita dixisset.' Sic Cæsar Gall. III. 22. 'Alia ex parte oppidi Adcantuanus, qui summam imperii tenebat, cum sexcentis devotis, &c. cum iis Adcantuanus eruptionem facere conatus:' ubi acris ille Ciacconius videndum notat, an hæc verba *cum iis Adcantuanus*, quæ post longam parenthesin repetuntur, delenda sint. Frustra. Ejusdem generis sunt I. 49. 'Octavio Mamilio (is longe princeps Latini nominis erat, si famæ credimus, ab Ulysse Deaque Circe oriundus) ei Mamilio filiam nuptum dat.' Apuleius Apologia pag. 276. ed. Elmenh. 'Zenonem illum antiquum Elea oriundum, qui primum omnium dictionem solertissimo artificio ambifariam dissolverit, eum quoque Zenonem longe decorissimum fuisse.' Additamentum in insulam deportandum censet A. Schottus *eum quoque Zenonem:* nisi legas *eum inquam Zenonem.* Sed errat. Adde quæ ad II. 12. et ad XXV. 27. et ad Senecæ de Ira I. 3. notavimus. *J. F. Gronovius.* Emendationem Gronovii verissimam puto. Ita Liv. III. 19. 'Si quis vobis humillimus homo de vestra plebe, quam partem, velut abruptam a cetero populo, vestram patriam peculiaremque rempublicam fecistis, si quis ex his domum suam obsessam a familia armata nunciaret.' Vide ad II. 12. § 2. XXV. 27. § 1. XXXVIII. 60. § 6. et Cortium ad Plinii V. 3. § 5. Eadem figura etiam apud Græcos occurrit. Ita apud Polyb. II. 14. Παρὰ δὲ τὴν προειρημένην παρωρείαν, ἣν δεῖ καὶ νοεῖν ὡσανεὶ βάσιν τοῦ τριγώνου, παρὰ ταύτην ἀπὸ μεσημβρίας ὑπόκειται πεδία, &c. Pausan. in Attic. I. Λεωσθένην, ὃς Ἀθηναίοις καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησιν ἡγούμενος Μακεδόνας ἔν τε Βοιωτοῖς ἐκράτησε μάχῃ, καὶ αὖθις ἔξω Θερμοπυλῶν, &c. τοῦτον τὸν Λεωσθένη καὶ τοὺς παῖδας ἔγραψεν Ἀρκεσίλαος. Lucian. in Judic. Vocal. pag. 47. ed. Græv. Τὸ δὲ ΤΑΥ τοῦτο, οὐ γὰρ ἔγω αὐτὸ χείρονι ὀνομάσαι ῥήματι, ἢ ᾧ καλεῖται, &c. τοῦτο οὖν ἐτόλμησεν ἀδικεῖν με, &c. D. Lucam in Actib. Apostol. IV. 10. ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, ἐν τούτῳ οὗτος παρέστηκεν ἐνώπιον ὑμῶν ὑγιής.

In novis castris non ligna, non pabulum convectum erat] Alibi potius Livius dicere solet 'in castra convehere.' An tamen vulgatum eo modo defendi potest, quo Gronovius *ubi* pro *quo* defendere conatur adversus Fabrum XXIV. 36. § 10.

§ 4 *Flumen erat haud magnum propius hostium castris*] Nisi scripsit, ut alioqui solet, *propius hostium castra. J. F. Gron.* Livium vocem *propius* sæpissime cum casu quarto construxisse, certissimum est. Vide ad II. 41. § 11. An tamen ita semper loqui voluerit, et omnia ubique ad hanc formulam exigenda sint, merito dubitari potest. Certe nonnulla obcurrunt loca, quibus alia constructio obtinet. Ita IV. 37. 'Propius vero est.' XXV. 11. 'Plures propioresque ætate memoriæ rerum hoc anno tradunt factum.' XXVII. 17. 'Propiorque excusanti transitionem ut necessariam, quam glorianti eam velut primam occasionem raptam.' XLIV. 28. 'Propiores continenti litori erant.' XLV. 19. 'Quum detestabilis altera res et proxima parricidio sit.' Invito igitur unico cod. unde ea pars operis Liviani publicata est, nihil muto. Vide ad Silii I. 13.

§ 5 *M. Sergius Sylus legatus*] *M'. Sergius Silus* ex nummis argenteis, ut ante. *Sigon.* Recte Sigonius *Silus*, pro *Sylus*, scribendum docuit. At prænomen *M.* in *M'.* mutandum non existimo. Vide ad XXXII. 27. § 7. Gronovius, qui ibidem, et XXXIII. 21. § 9. Sigonii conjecturam illam recepit, hic tamen vulgatum servavit.

§ 6 *Placentina et Essernina*] *Æsernina.* Sic enim Græci Αἰσέρνια. *Sigon.* Ita et Latinius legendum monuit. Recte. Vide Sigon. ad XXVII. 10. § 8. et ad Epit. Liv. l. LXXII.

§ 7 *Hora circiter quarta*] Gronovio *hora circiter nona*, sive *IX.* pro *IV.* legenti non adversor. Solent autem notæ numerales *V.* et *X.* in Mss. confundi. Vide ad XXXIX. 29. § 7.

§ 8 *Per aquam ferme genu tenus altam*] *Genustenus altam* edd. principes, pro quo *genu tenus* demum vidi apud Gryphium; unde id Lugdunenses 1553. tum Parisini 1573. et ex eo tempore reliqui adoptarunt, forte arbitrati, alteram scripturam errantibus operis typographorum adscribendam esse. Id pertinaciter non negabo. Quid tamen, si divisis vocibus *genus tenus* scribamus? Vossius quidem illis adsentitur Gramm. VII. 65. qui credunt *tenus* adsciscere vel ablativum singularem, vel et genitivum et ablativum pluralem. Verum ' Corcyræ tenus ' codicum suorum fide Livio vindicavit Gronov. XXVI. 24. § 11. quibus mei et Hearnii Mss. consentiunt: ut etiam genitivum singularem admittere videatur. Olim autem non tantum *genu*, sed et *genus*, ut *gelu* et *gelus*, in usu fuisse, docuit Vossius Gramm. II. 28. III. 35. et IV. 17. Vereor tamen ne *genus* nimis antiquatum sit, quam ut Livio convenire possit; nulla certe similia vocabula eadem forma protulit. *Genus* quidem, pro *genu*, Cic. dixit, sed non nisi in Arateis; ubi plura alia, quæ jam tempore Livii exoleverant, reperiuntur.

Thraces duo id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes; altero eorum occiso, &c.] Satis constat, ne hunc quidem locum integrum esse. Quæ sententia futura sit, non est difficile intelligere: quibus verbis expressa fuerit, nemo unquam divinaverit. Ego tamen, ut sententia elucescat, ita lego: *Cum otium ad flumen esset, neutris lac., hora circ. quarta, jum. e man. cur. elapsum in ulteriorem ripam effugit. Quod cum per aquam ferme genu tenus altam tres milites sequerentur, Thraces duo, id jumentum ex medio alveo in suam ripam trahentes, cum tribus Romanis militibus manum conseruerunt. Jamque Romani, altero eorum occiso, receptoque eo jumento, ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum præsidium in hostium ripa erat: ex his pauci primo, ægre passi popularem in suo conspectu cæsum, ad persequendos interfectores fluvium transgressi sunt.* Eandem sententiam edit Plutarchus p. 264. qui tamen consilium Paulli hoc fuisse scribit. *Sigon.* Locus mendosus restitui poterit, si legatur, *Thraecesque duo id jumentum ex medio alveo in suam ripam traherent, &c.* Ursin. Sigonius, etsi, quæ sententia fuerit, haud difficile intellectu; quibus autem verbis expressa, neminem divinaturum fateatur, ita legere tamen, ut sententia elucescat, se pronunciat: *in suam ripam trahentes, cum tribus Romanis militibus manum conseruerunt. Jamque Romani, altero eorum.* Sic nimirum egerunt illi, qui pannis obsitum nobis Livium dederunt. Ego vero τὸ *trahentes* solummodo in *traherent* mutandum, et duo verba *id jumentum* inducenda pro scholio censeo: tantum abest, ut deesse quidquam, quod a nobis suppleri oporteat, existimem. Considera enim: *hora circiter nona jumentum e manibus curantium* (hominum de parte Romana) *elapsum in ulteriorem ripam effugit. Quod* (jumentum) *quum per aquam ferme genu tenus altam tres mi-*

lites (Romani) *sequerentur, Thraces duo* (Macedonicorum auxiliorum) *ex medio alveo in suam ripam traherent; altero eorum* (Thracum) *occiso, receptoque eo jumento, ad stationem suorum* (tres illi Romani milites) *se recipiebant.* Hic quid desideres? Scripsi autem *hora nona*, non *quarta:* nam et ipse Livius testatur, diem extraxisse in consilio consulem, et Plutarchus p. 264. *αὐτὸς δὲ τὴν ἀπόκλισιν καὶ περιφορὰν ἀναμένων τοῦ φωτὸς ὅπως μὴ κατὰ πρόσωπον μαχομένοις αὐτοῖς ἔωθεν ὁ ἥλιος ἀντιλάμποι, παρῆγε τὸν χρόνον·* et mox *περὶ δὲ δείλην·* denique *ἐννάτης γὰρ ὥρας ἀρξάμενοι μάχεσθαι, πρὸ δεκάτης ἐνίκησαν.* Confusæ scilicet sunt notæ *IX.* et *IV.* Ceterum *τὸ traherent* vidit etiam F. Ursinus. *J. F. Gron. Thracesque duo* et *traherent*, ut Ursinus conjecit, etiam Latinius scribendum monuit. Copula tamen, ut Gronovius vidit, abesse potest. Quod vero Gronovius voces *id jumentum* pro scholio habuerit, et ideo inducendas crediderit, non aliam ob caussam fecisse videtur, quam quod vox *jumentum* præcesserit, et mox *eo jumento* sequatur. At Livium a dictionum repetitione non abhorruisse, multis exemplis docui ad I. 3. § 9. Si igitur codex in his vocibus ejiciendis præiret, eum audiendum arbitrarer: nunc vero stili Liviani observatio efficit ne Gronovio adsentiri audeam. Ceterum jam ad marginem primæ ed. asteriscus adscriptus erat; unde Sigonius ansam adripuisse videtur existimandi quædam hinc excidisse.

Receptoque eo jumento] Voculam *eo* delendam censuit A. Perizonius ad oram Livii sui.

§ 10 *Et cum præsidio*] Persecuturus erat, ut utrimque exercitus ad prœlium concurrissent, initio pugnæ in flumine orto. 'Ergo cum commissum prœlium esset, atque acriter ab utraque parte pugnaretur, Paullus legionem,' inquit, 'in prœlium ducit.' Sic autem etiam Plutarchus p. 264. *ὁ μὲν οὖν Αἰμύλιος ἐκ τῆς σκηνῆς προῆλθε, καὶ τὰ τάγματα τῶν ὁπλιτῶν ἐπιὼν παρεθάῤῥυνεν. Sigon.*

CAP. XLI. (XLV.) § 1 *Inter cætratos et phalangem erat*] Ita Gronov. prima ed. nott. legebat, laudatis duobus locis Livii ex XXXIII. 8. ubi 'cætratis' numero plurali jungit 'phalangem' singulari; eamque lectionem in contextum recepit, et, quamvis ipsam notam curis secundis omitteret, emendationem tamen servavit. Antea edebatur *et phalanges.* In acie Macedonum una tantum phalanx erat, in varia militum genera divisa, qui ex diverso armatu 'aglaspides,' vel 'chalcaspides,' vel 'leucaspides,' vel 'argyraspides' vocabantur, et unius phalangis quasi totidem partes constituebant: quo sensu 'leucaspidem phalangem' mox Doujatius interpretatur de leucaspidibus phalangis. Pro *phalanges*, vel *phalangem*, posset etiam legi *phalangitas*, qua voce Livius sæpe utitur. Vide XLII. 51. XLIII. 18. XXXVII. 40. 'Decem et sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitæ appellabantur. Hæc media acies fuit, in fronte in decem partes divisa: partes eas interpositis binis elephantis distinguebat:' unde patet unam phalangem in acie divisam fuisse in plura agmina. Forte et prisca lectio *phalanges* servari potest, ut ratione partium Livius numero plurali utatur. Eo sensu Plutarcho in Æmil. p. 265. memorantur *αἱ τῶν χαλκασπίδων φάλαγγες.* Vide Crophii Antiq. Maced. III. 5. qui ibid. c. 4. inquirens quinam hic cætrati vocentur, existimat forte intelligi, qui Polyb. IV. p. 449. sive c. 67. 'scutati' dicuntur. In contextu Græco Polybii vocantur *πελτασταί.* Livius autem testatur se 'peltastas' vertere 'cætratos,' XXXI. 36.

§ 2 *Frontem adversus clipeatos habebat: aglaspides adpellabantur*] Videtur

scribendum *argyraspides*, pro eo quod in vulgatis est *aglaspides*. Ursin. An *chalcaspides?* Horum certe meminit Plutarch. p. 265. οἷς καθισταμένοις εἰς τάξιν αἱ τῶν χαλκασπίδων ἐπανατέλλουσαι φάλαγγες ἐκ τοῦ χάρακος ἐπέπλησαν αὐγῆς σιδήρου καὶ λαμπηδόνος χαλκοῦ τὸ πεδίον. *J. F. Gron.* Modo dixerat legionem implevisse intervallum, quod erat inter cætratos et phalangem: nunc addit legionem ita perrupisse, ut a tergo haberet ‘ cætratos,’ a fronte ‘ clipeatos.’ Patet ergo per ‘ clipeatos ’ intelligi phalangitas. Hinc verisimilis fit emendatio Gronovii, *chalcaspides* legentis: phalangitæ enim æreis clipeis utebantur. Vide Crophium Antiq. Macedon. III. 4.

§ 3 *In dextrum cornu, &c. elephantes inducti, et ala sociorum*] Intelligo Romanos in dextrum cornu exercitus sui, sive in primam istius cornu aciem, induxisse elephantos quos habebant, et alam sociorum, ut lævum cornu exercitus hostilis invaderent. Romanos habuisse eo tempore elephantos in exercitu, quamvis eorum non meminerit Plutarch. in vit. Æmil. Paulli, verisimiliter colligo ex hujus lib. c. 5. De verbo ‘ inducere ’ vide ad XXVII. 13. § 11. Consilium, cur id fecerint, fuisse, ut adgrederentur lævum hostium cornu, constat ex § 5. Ceterum quum in exercitu Romano duæ fuerint alæ sociorum, ‘ dextra ’ et ‘ sinistra,’ alterutram earum vocum hic excidisse suspicatur Crevierius. Nec sine caussa, ut videtur. Non enim semper alam dextram in dextro, sinistram in sinistro cornu pugnasse, docuit Duker. ad XXVII. 14. § 3.

§ 4 *Nam sicut pleraque nova commenta mortalium in verbis vim habent, explendo, &c.*] Pro *explendo*, repono *extemplo*, *cum agi*, *non*, *quemadmodum agatur*, *edisseri*, *oportet*, *sine ullo effectu evanescunt*. Sigon. His in verbis suspicio mendi est; quod purgabitur, si *experiendo* pro *explendo* legas: quod cum sententia flagitet, cur non in medium procedat? præsertim cum aberrare nullo negotio potuerit manus librarii a vicina voce, et in propinquam deflectere. *Turneb.* Advers. XXIX. 7. *Extemplo* Sigonii est: nam vetus liber *explendo;* unde faciendum erat *experiendo*. Lib. seq. c. 32. ‘ Leges Macedoniæ dedit, quas ne usus quidem longo tempore, qui unus est legum corrector, experiendo argueret.’ Plautus Rudente I. 3. 1. ‘ Nimio hominum fortunæ minus miseræ memorantur, Quam re ipsa experiundo iis datur acerbum.’ Terent. Adelph. v. 4. 4. ‘ Et quæ putaris prima, in experiendo repudies.’ Symmachus v. 9. ‘ Solis quædam speciosa nominibus usu et experiendo plurimum nocent.’ Sed hæc occupavit Turnebus. *J. F. Gronov.* Scriptum fuerat *expiendo*, vel *exp'iendo*, quod facile in *explendo* corrumpi potuit. Doujatio non omnino displicet *explendo*, si eo sensu accipiatur, quo *experiendo;* Gallice *accomplir*, *exécuter*. Vellem, ut ‘explere’ a Latinis eo sensu usurpari, idoneis exemplis docuisset. Crevierius parum videbat quid sibi tota periodus hoc loco velit: nam neque elephantorum usum in prœliis novum tunc commentum mortalium haberi posse, nec videri nomen sine usu in hac pugna fuisse: immo contrarium satis indicari proxime sequentibus verbis: ‘ Elephantorum inpetum subsecuti sunt socii nominis Latini.’ Non ægre igitur sibi persuaderi pateretur, illam periodum ex alio aliquo loco huc temere inmigrasse: certe, si eam tollas, nihil desiderari. Verum elephantorum usus in prœlio hic ‘ novum commentum ’ vocatur, vel ei comparatur respectu Romanorum, qui iis haud temere ante hæc tempora in prœliis usi sunt. In prœlio quidem cum Antiocho adhibuerunt eos, sed tantum post triarios in subsidio locati sunt, XXXVII. 39.

nunc vero in hostem acti nomen tantum sine usu fuerunt. Hinc demum elephantos, seu vanum eorum impetum, subsecuti socii nominis Latini pepulerunt lævum hostium cornu. Eam ob caussam § præc. voculam *hinc* refero ad solam alam sociorum, cujus impetu primum fuga Macedonum est orta. Particula autem *nam* in initio hujus § caussam reddit, cur id inducti elephanti efficere non potuerint.

Sine usu fuerant] *Fuerunt* legendum. *Sigon.*

§ 6 *In medio secunda legio inmissa dissipavit phalangem*] Videri posset legendum esse *In medium*, vel potius *In medios*, ut ultima litera ejus vocis elisa sit a prima seq. Vide ad IX. 4. § 10. Sed nihil muto. In medio, sive in media parte aciei, secunda legio inmissa, scilicet in hostem, dissipavit phalangem.

§ 7 *Circumagere inmobilem longitudine et gravitate hastam cogas*] Lege *hastas: inmobilem*, scilicet 'phalangem.' *J. F. Gron.* Recte Macedonum phalanx 'inmobilis' vocatur. Supra IX. 19. 'Phalanx inmobilis et unius generis:' etiam 'gravis.' XXXIII. 9. 'Phalanx Macedonum gravis atque inmobilis nec circumagere se poterat.' Licet autem et 'longa' dici possit, nondum tamen caussam video, quæ necessario adigat, ut vulgatum, invito Msto unico, mutemus. Phalangitæ enim sarissis sive hastis longissimis erant armati. Vide XXXI. 39. XXXII. 17. XXXIII. 8. et XXXVII. 42. Et quidem earum longitudinem olim sedecim, postea quatuordecim cubitorum fuisse, testatur Polyb. lib. XVII. cap. 25. Hæc igitur longitudo efficiebat, ut objectæ simul graves forent, et non nisi difficillime moveri potuerint. Receptam lectionem servandam esse, etiam Dukerus censet.

Si vero ab latere, aut ab tergo] Ita demum exhibuerunt Parisienses an. 1573. et post eos ceteri recentiores. Antea edebatur *aut ab latere, aut ab tergo;* quod Livio reddidi.

§ 9 *Quod Pelignis*] Copiosius hæc narrat, et Marrucinos Pelignis addit Plutarchus in Æmilio Paullo. Utrosque memorat Livius c. 40.

CAP. XLII. (XLVI.) § 2 *Confestim Costocus sequebatur Odrysarumque equitatus*] Hic *Costocus* videtur cum *Procone*, qui olim superioribus Livianis insinuaverat, relegandus extra anni lucisque vias. Est enim commentitius, et scripsit Livius *confestim eos Cotys sequebatur.* Jac. Gron. Emendationem hanc firmat addita equitatus *Odrysarum* mentio. Odrysarum enim in Thracia rex Cotys erat. Vide Liv. l. XLII. capp. 29. et 51.

§ 3 *Cujus cædes victores tenebat*] Hæc lectio debetur editioni Gronovianæ 1665. Priores præferunt *cædes victores tenebant.* Paullo ante hoc cap. 'Peditum passim cædes fiebant.' II. 64. 'Sabini quum cædes et incendia circa Anienem flumen fecissent.' Vide ad XXVII. 18. § 19.

§ 7 *Facile conveniebat Romanis, numquam una acie*] Distinctio hæc debetur ultimæ Gruteri editioni. Priores omnes interpunctionem omiserunt. Legendum *Facile conveniebat, Rom. numq. una acie tantum Mac. interfectum:* pro a Romanis interfectum. Vide ad VI. 11. § 4.

Cæsa enim ad viginti millia hominum sunt] Eutrop. IV. 7. 'Cum Perseo autem Æmilius Paullus consul III. Non. Septembris dimicavit, vicitque eum, viginti millibus peditum ejus occisis.' Oros. IV. 20. 'Postea cum eo L. Æmilius Paullus consul dimicavit, et vicit. Nam viginti millia peditum in eo bello interfecit.' Numerum auget Plutarch. p. 266. Λέγονται γὰρ ὑπὲρ δισμυρίους πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν.

§ 9 *Quod si maturius pugnari cœptum esset, ut satis diei, &c.*] Recte. Plutarchus enim p. 264. ait commissum esse prœlium περὶ δείλην. *Sigon.*

Cap. xliii. (xlvii.) § 2 *Cum perpaucis maxime fidis via devertit*] Ita edidit Jac. Gronov. quem Clericus et Crevierius secuti sunt. Reliqui, quos vidi, dederunt *divertit;* quam veram lectionem puto, et restitui. *Devertit* enim, qui de via deflectens hospitium subit; unde 'deversorium,' et 'deverticulum' pro hospitio ponuntur. At 'divertit,' qui a via regia discedens semitam inde in diversa tendentem incedit: et hinc 'diverticulum' est locus, ubi duæ viæ a se invicem recedunt. Vide ad i. 51. § 8. Hinc *divertendi* legendum censeo xxxviii. 15. § 5. et *divertit* xxxix. 53. § 1. 'Diverticulum' apud Terent. Eun. iv. 2. 7. et Suet. Ner. cap. 48. Quin et apud Donat. ad d. l. Terentii legendum videtur: *Diverticulum est, ubi iter de via flectitur. At proprie deverticula dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere devertendum sit.* Ita nunc vineta mea cædens judico.

§ 3 *Quia recta expedita via ierant*] Forte *expediti.* Nisi malis *recta et expedita via ierant*, non arboribus et fruticetis impedita. *J. F. Gron.* Vulgatum Gronovio displicuisse videtur ob duo adjectiva uni nomini sine copulativa juncta. At priorem ejus conjecturam admittere nequeo, nisi antea probatum sit, fugientem Perseum multis sarcinis aliisque rebus, quæ iter ejus morarentur, inpeditum fuisse; cui tum commode obponi possent, qui *expediti* recta via ierunt. Immo contra *expedita via*, qua perpauci celerius Pellam pervenerunt, obponitur mox memorandis 'variis difficultatibus viæ,' quibus 'rex vexatus est.' Posteriorem conjecturam Donjatius rejecit, testatus *recta* sibi adverbium esse. Verum meminisse debuerat, *recta*, licet adverbialiter usurpatum, esse tamen adjectivum, et subintelligi debere vocem *via.* Vide Sanctium Minerv. iv. 4. voce 'via,' et quæ notavi ad iii. 46. § 5. Plene igitur dicendum hic foret *recta via expedita via ierant:* quam locutionem nemo probabit. Potius igitur vel cum Gronovio lego *recta et expedita via:* ut copula *et* intercepta sit a prima syllaba vocis seq. ut sæpe factum est. Vide exempla ad v. 32. § 4. vii. 34. § 5. x. 1. § 5. c. 6. § 3. xxi. 15. § 2. xxiv. 46. § 3. xxvii. 15. § 17. et apud Cort. ad Plinii Ep. iv. 9. § 4. Similiter, eamdem voculam a præpositione *ex* interceptam esse, vidimus ad xxx. 6. § 7. Vel magis vulgatum servo. Interdum enim Livium aliosque scriptores duo adjectiva uni nomini, non adscita particula connectente, addidisse, vidimus ad i. 14. § 7. 'Ire via' inlustravi ad xxii. 2. § 3. Similiter 'ingredi via' ad x. 25. § 4.

§ 5 *Qui Pellæ præerat, Euctus*] Plutarch. in Paullo p. 267. refert, ipsi præsto fuisse Εὔκτον καὶ Εὔδαιον, τοὺς ἐπὶ τοῦ νομίσματος.

§ 6 *Euander Cretensis, Neo Boëtius, et Archidamus Ætolus*] Plutarch. p. 267. Εὐάνδρου τε τοῦ Κρητὸς, καὶ Ἀρχιδάμου τοῦ Αἰτωλοῦ, καὶ Βοιωτοῦ Νέωνος. Hinc ergo, *Neo Bœotius.* Gentile enim nomen terræ Bœotiæ est tam *Bœotius*, quam *Bœotus.* Sigon. Priscæ edd. *Neon*, cui Sigonius substituit *Neo.* At mox sequuti priscam lectionem *Neon* revocarunt. Infra vero xlv. 31. omnes edd. constanter legunt *Neo Thebanus*, qui hic *Bœotius* vocatur. Quare cum Sigonio hic etiam *Neo* malui. Latinos enim nomina Græca, in ων desinentia, indifferenter per *on* vel *o* extulisse, vidimus ad xxxiv. 61. § 10. Passim antiquos codd. et vett. edd. *Bœotius*, vel corrupte *Boëtius* exhibere, ubi postea editum est *Bœotus*, vidimus ad xxxiii. 1. § 1.

Cap. xliv. (xlviii.) § 2 *P. Scipio is erat*] A. Perizonius ad marginem quidem notarat, se malle τὸ *is* hinc abesse; at rectius filius ejus Jac. Perizonius conjecturam paternam transversa linea induxit, ac rejiciendam

indicavit. Supra v. 34. ‘Regem Celtico dabant. Ambigates is fuit, virtute fortunaque præpollens.’ XXI. 46. ‘Periculumque intercursu filii propulsatum. Hic erit juvenis, penes quem,’ &c. Curam consulis de filio Scipione Æmiliano latius describit Plutarch. in Æmil. Paull. p. 266.

Naturalis consulis Paulli] Etsi ex præcedentibus intelligitur, eum filium Paulli fuisse, tamen mihi ‘filius’ hinc vix abesse posse videtur. Potuit excidisse post *Paulli*, quum scriptum fuisset *Paulli F.* vel *Fil.* Duk.

§ 4 *Dianæ, quam Tauropolon vocant*] Non uno loco Diana hoc cognomine colebatur. Vide Gyraldum Hist. Deor. Syntagm. XII. Th. Gale, et Munker. ad Anton. Liber. c. 27. *Duk.* Vide Spanhem. ad Callim. H. in Dian. vs. 113. 174. 187. et Burm. ad Nason. Met. XV. 511.

Diodorus, qui præerat urbi] Hoc e Livio descripsit Frontin. Strateg. III. 16. § 5. *Duk.*

CAP. XLV. (XLIX.) § 2 *Hippias, et Milo, et Pantauchus*] *Midon* priscæ edd. pro quo *Milo* Sigonius hic et mox § 7. edidit, ejusque exemplo recentiores. Sed vide ad c. 32. § 9. Præterea *Pantaucus* antiquiores typis descripti, cujus loco recte postea Gronov. 1667. *Pantauchus* emendavit. Vide ad XLII. 39. § 7.

Hoc idem et aliæ deinceps metu perculsæ] Aut excidit vox *civitates*, vel *urbes*: aut legendum *alii deinceps metu perculsi.* J. F. Gron.

§ 7 *Solonis, qui præsidio erat*] Forte *præerat.* J. F. Gron. Proprie *præsidio erant* milites præsidiarii. Vide ad VI. 6. § 14. et IX. 15. § 3. et XXXIV. 11. § 2. at dux eorum *præsidio præerat.* XXVII. 42. ‘Is enim præsidio ejus loci præerat.’ Dux etiam dicitur ‘præsidio præesse,’ at milites ‘in præsidio esse.’ Supra c. 44. ‘Diodorus, qui præerat urbi, metuens, ne Thraces, quorum duo millia in præsidio erant, urbem in tumultu diriperent.’ Doujatius vulgatum tuetur.

§ 8 *Una tantum spe Bisaltarum auxilii tentati*] Scribe *tentata.* Vide ad IV. 10. *J. F. Gron.* Supra XXXII. 31. ‘Boios, ita ut tentare spem certaminis metuerent, territos audivit.’ XXXVIII. 3. ‘Principes gentis ad tentandum ultimam spem Romam miserunt.’ Doujatius quidem testatur se Gronovii conjecturam non reprehendere, sed nec forte vitiosum esse conjicit *auxili tentati.* Non advertit Livium continuo subjungere, ‘ad quos nequidquam miserat legatos.’ An ergo Perseus *spe auxilii Bisaltarum nequidquam tentati* in concionem processit? Egregiam vero spem! Nihil certius videtur Gronovii emendatione, quam etiam probavit Crevierius.

§ 9 *Adhortando animos confirmarent*] Hanc lectionem, operarum errore in Heinsii Elzeviriana natam, patientius, quam oportuerat, tulerunt viri docti, et recentiores edd. deformare permiserunt, excepto uno Crevierio, qui priorum scripturam *confirmaret* recte revocavit. Nam Perseus quidem cum filio Philippo in concionem processit, non tamen ut Philippus ille aliquid loqueretur, sed per ætatem auditorum misericordiam commoveret. Vitium novissimarum edd. deprehendit etiam Dukerus.

§ 10 *Sed aliquotiens dicere incipientem*] Ita præfert prima ed. eamque scripturam omnes editores, præter Crevierium, constanter servarunt, qui tamen alibi semper, ubi in Mss. et antiqq. edd. ‘totiens,’ ‘quotiens,’ ‘aliquotiens,’ ‘deciens,’ ‘milliens,’ et in similibus vocibus similiter exaratum invenerant, literam penultimam *n* omittere maluerunt. In orthographiam hanc *quotiens* pronior esse videtur Pierius ad Maron. Ecl. III. 72. Quid in utramque partem dici possit, vide apud Dausq. in Orthogr. parte II. voce ‘Quotiens,’ ubi tamen in similibus literam *n* omitten-

dam monet. Vide etiam Anton. Augustin. Emend. II. 6. Omnino additum in his *n* referendum est ad similem orthographiam, qua datum est ‘ trecentensimus,’ ‘sexagensimus’ v. 54. § 5. ‘ semenstris ’ XXI. 43. § 15. ‘ thensaurus ’ XXXIX. 50. § 5.

§ 12 *Rex in domum se recepit*] Lege *Rex inde domum se recepit*. J. F. Gron. Hanc emendationem probo, tum quia ita melius oratio cohæret, tum quia alibi in similibus locutionibus Livius præpositionem omittit. Ita ‘ dilabi domos ’ mox hoc cap. et XXXIX. 16. ‘ discurrere domos ’ XXVII. 53. ‘ reduces domos,’ vide ad XXIX. 27. § 3. Nihil autem in Mss. est frequentius, quam voces *iñ*, sive *inde*, et *in* a librariis confundi. Vide ad X. 20. § 6.

§ 15 *Galipsum eo die*] *Galepsum* lego; nam Stephanus et Plutarchus in Paullo p. 267. Γαληψὸν nominant. *Sigon. Calipsum* prima ed. quod Frob. 1535. in *Galipsum*, sed recte Sigonius in *Galepsum* mutarunt. In loco quidem Plut. quem laudat, vulgo editur ἐν Ἀλήψῳ, at Mss. partim Ἰαληφῷ, partim Γαληψῷ legunt, quod posterius etiam viri docti probarunt. Duplex autem hujus nominis urbs ea parte fuit, altera in Macedonia, altera in Thracia. Prioris meminit Herodot. VII. 122. ubi inter Ἄμπελον τὴν Τορωναίην ἄκρην et Καναστραίην ἄκρην enumerat urbes Τορώνην, Γαληψὸν, Σερμύλην, Μηκύμβερναν, et Ὄλυνθον. Alteram indicat Scyl. in Periplo pag. 64. Εἰσὶ δὲ ἐν Θράκῃ πόλεις Ἑλληνίδες αἵδε· Ἀμφίπολις, Φάγρη, Γαληψὸς, Σισύμη. Hujus mentionem viri docti recte restituerunt Thucydid. IV. 107. ubi male transpositis literis edebatur Γάψηλος: vide præsertim Dukerum ad eum loc. Utramque urbem memorat Stephan. Byz. Γαληψὸς, πόλις Θράκης καὶ Παιόνων. Hoc loco indicatur urbs Thraciæ.

Ad duo millia talentum] Narrat Justin. XXXIII. 2. Perseum Samothracen delatum esse ‘ cum decem millibus talentum.’ At Schefferus, laudato hoc Livii loco, videndum monet, an non lectio Justini depravata sit per eos, qui *II.* Livii pro *X.* acceperunt. Certe, notas illas numerales alibi a scribis confundi, vidimus ad XXXVII. 41. § 6.

CAP. XLVI. (L.) § 2 *Ad omnes conatus regi inpedimento esset*] Ita Gronov. 1665. Neque ulli ea lectio displiceret, si cod. auctoritate niteretur. Livium enim ita locutum esse, vidimus ad XXXV. 38. § 14. Similiter Cic. pro Rosc. Am. c. 4. ‘ Commoditati ingenium, gravitati ætas, libertati tempora sunt inpedimento.’ Cæsar Bell. Gallic. lib. I. cap. 26. ‘ Gallis magno ad pugnam erat inpedimento.’ lib. III. cap. 25. ‘ Sibi ipsis ad pugnam esse inpedimento.’ Hirtius B. Afric. cap. 58. ‘ Quem suis inpedimento ad ultro obcurrendum fore existimabat.’ Paria sunt ‘ prædæ hosti esse;’ vide ad III. 29. § 2. ‘ sibi præmio foret ’ XXIV. 45. ‘ Romanis magno emolumento fuit ’ c. 48. ‘ miraculo ignaris esse ’ XLII. 62. At constanter edd. priores *ad omnes conatus regis*, quod fide unici Msti servari potest.

§ 5 *Sita est in tumulo*] Vide Spanhem. ad Juliani Cæsar. in Probat. p. 400. *Duk.*

Paludes inexsuperabilis altitudinis] Vult Livius, paludes has propterea, quod lacus restagnantes in eas semper aquam infundunt, numquam, ac ne æstate quidem, ita exsiccari, ut pedibus superari possint. Nam ne profundissimi quidem maris tanta est altitudo, ut navibus superari non possit. *Duk.*

§ 6 *Qua proxima urbi est, velut insula eminet, aggeri*] Florebellus addit vocem *arx* hunc in modum, *arx velut insula*. Sigon. Puto excidisse voculam, et scribendum *eminet arx, aggeri operis ingentis imposita*. J. F. Gron. Crevierius, inserta voce *arx*, hoc clarius esse fatetur; dubitat tamen an ita dederit Livius, et potius hic eo

sensu ‘ insulam ’ usurpari existimat, quo per eam vocem interdum intelligitur corpus quoddam ædificiorum inter se cohærentium, a reliquis ædificiis divisum per vicos, quibus undique cingitur : præsertim quum Livius doceat se de ædificio loqui, non de nudo solo, dum adjicit insulam aggeri inpositam esse. Sed virorum doctorum conjecturam præfero.

Qui et murum sustineat, et humore circumfusæ paludis nihil lædatur] Indicat, solum, cui tamquam aggeri ingentis operis arx inposita est, adeo firmum esse, ut murum sustinere possit, et tamen humore paludis undique cingentis lædi nequeat.

§ 10 *Persea Samothracam trajecisse*] *Ad Samothracam* ediderunt Parisienses 1573. idque sequentes servarunt, donec Gronov. in priori ed. nott. moneret, præpositionem a recentioribus additam esse, eamdemque in ed. an. 1665. omitteret. Recte. Vide ad l. XXXIII. c. 42. § 6.

§ 11 *Effusa omnis obviam turba*] *Obvia* ed. princeps, pro quo Frob. 1535. *obviam* reposuit. Supra VII. 36. ‘ Pro se quisque obviam effusi laudant.’ XXXI. 14. ‘ Civitas omnis obviam effusa.’ XXXVII. 37. ‘ Dardanum primum, deinde Rhœteum, utraque civitate obviam effusa, venit.’ XLV. 26. ‘ Tota multitudine cum infulis obviam effusa.’ cap. 35. ‘ Completis ripis obviam effusa multitudine.’

Non bono ac justo rege ob ra] Quædam pauca desunt de gratulatione Amphipolitanorum. Amphipolim enim Paullus venerat. *Sigon.* Ex *ob ra* Crevierius *orba*-[*tos* per duarum literarum trajectionem effecit.

LIBER XLV.

Cap. I. § 1 *Festinatio, celeriter Romam quum venissent*] Tollius in Fortuitis c. 10. apud Hearnium *festinationis celeritate Romam quum ven.* Non opus est emendatione loci sani. *Duk.*

§ 3 *Dein fremitus increbuit*] *Increbruit* legendum esse, existimat Hearnius, ac videndos jubet Pareum in Lex. Crit. in voce 'Increbrescere,' et Voss. Etymol. Ling. Lat. in voce 'Creber.' Adde Vorst. ad Valer. Max. III. 7. 3. Burm. ad Virg. Georg. I. 359. et quæ dixi ad Livii VII. 12. § 7. Orthographiam illam, quam antea servavi, etiam hic recepi.

§ 4 *Tamquam certæ rei gaudium*] Scribe *incertæ:* id enim sensus postulat, cum ait *tamen omen lætum insidebat animis.* Sigon. Quod summi grammatici pugnant legendum *incertæ rei gaudium,* non, ut perscribitur in codd. *certæ rei,* equidem probare non possum: quia animo populus Romanus lætitiam conceperat velut e re certa et indubitata: res enim incerta gaudium non faceret, sed spem quandam metu suspensam et anxiam. Gaudium igitur tanquam certæ rei evanuit: nam rem certam et exploratam populus crediderat, et magno gaudio incesserat; resedit tamen omen, et augurium remansit in animis victoriæ e præcepta lætitia, quæ jam evanuerat. *Turneb.* Advers. XI. 18. Sigonius *incertæ.* Contra quem pugnat Turnebus XI. 18. infeliciter. Populus, ait, Romanus lætitiam conceperat, velut e re certa et indubitata; res enim incerta gaudium non faceret, sed spem quandam metu suspensam et anxiam. At Livius non loquitur hic de re, qualis fuerat, antequam inquireretur, sed qualis post inquisitionem inventa est. Igitur ait *evanuit gaudium.* Quomodo? tanquam rei parum certæ, eoque inane et caducum. *J. F. Gron.* Adsentior viris doctis *incertæ* emendantibus. Prima syllaba ejus vocis hausta erat a litera finali vocis præced. Vide ad V. 27. § 6.

§ 6 *Ante diem decimum Kalendas Octobres, ludorum Romanorum secundo die*] Ex vetere calendario legendum putat Manutius *A. D. XV.* Sigon. Simile indicari videtur Kalendarium, atque illud, quod edidit Gruter. in Inscript. p. CXXXIII. in quo ad prid. Non. Sept. adscribitur LVDI. ROMANI. ad dies octo sequentes LVDI. tum ad XVII. Kal. Oct. LVD. ROM. IN. CIRC. sive 'ludi Romani in circo,' hinc ad quatuor dies sequentes IN. CIRC. Secundum hoc igitur Kalendarium secundus dies ludorum Romanorum in circo erat XVI. Kal. Oct. Verum Kalendarium illud respondet anno a Cæsare emendato, secundum quem mensis September erat triginta dierum: at Perses victus est, quum Romani uterentur anno Numæ, in quo mensis September erat viginti novem dierum. Hinc ludi Romani in circo, qui incidebant in diem secundum post Idus Septembres, in anno Cæsaris quidem septimo decimo, at in anno Numæ sexto decimo Kal. Octob. celebrabantur: et hinc eorum secundus dies erat XV. Kal. Octobr. Nisi ita legimus, convenire nequit, quod infra hoc cap. additur: 'Tertius decimus dies erat ab eo, quo in

Macedonia pugnatum erat.' Nam, ut Liv. refert XLIV. 37. prœlium inter Æmilium Paullum et Persen commissum est pridie Nonas Septembres, a quo ad XV. Kal. Oct. secundum Kalendarium Numæ tredecim dies sunt, utroque termino, et quo pugnatum est, et quo literæ traditæ sunt, numerato, de quo vide ad XLII. 10. § 5. Verum Dodwell. qui XLIV. 37. *prid. Non. Sext.* pro *prid. Non. Sept.* emendandum censuit, hic etiam et cap. seq. § 3. et 12. nomen mensis vitiosum esse, et *VII. br.* seu *Septembr.* pro *VIII. br.* sive *Octobr.* legendum putavit. Hanc sententiam ut verisimilem reddat, per 'ludos Romanos' a Livio memoratos indicari adfirmat Consualia, quos Livium unicos Romanos agnovisse arbitratur. Eo enim teste I. 35. Tarquinium Priscum 'ludos opulentius instructiusque, quam priores reges, fecisse:' eosdem nempe ludos, quales priores reges ediderant. Livium deinde ibidem addere 'Sollemnes deinde annui mansere ludi, Romani, Magnique varie adpellati.' Consualia hæc celebrari die XVIII. Sextilis, teste Plut. in Romul. p. 26. et quidem diem XVIII. mensis Sextilis, qui in anno Numæ tantum XXIX. dierum erat, more Romano vocatum esse *XIII. Kal. Sept.* et hinc diem secundum ludorum incidisse in ante diem XII. Kal. Sept. quem tamen Livius *ante diem decimum Kalendas* vocat. Illud autem duorum dierum discrimen ortum videri ex duobus diebus mensis Augusti addititiis in forma anni Juliani: Livium enim vel ejus librarium fefellisse calculum, quod numerum illum *Kalend. XII.* ad formam Julianam auctiorem pertinere crederet, et hinc, detractis duobus diebus, dedisse *X. Kalend.* quum tamen dies secundus Consualium in forma Pompiliana revera foret *XII. Kalend.* Agnoscit tamen non convenire intervallum XIII. dierum a pugna ad secundum ludorum diem, utrovis modo ludos illos intelligamus, seu de ludis mensis Augusti Consualibus, seu potius de aliis illis mensis Septembris, quos juniorum Kalendaria 'Romanos' adpellant: unde constare putat non adeo certam esse codicum Livianorum etiam consentientium fidem. Vide Dodwelli Append. ad Prælect. Camden. p. 752. et seqq.

C. Licinio consuli, ad quadrigas mittendas ascendenti] *Exscendenti* ex unico cod. edidit Frob. 1531. pro quo Turnebus *escendenti* laudat Advers. XX. 30. ubi hoc verbum, quod in Varr. de L. Lat. IV. 14. restituendum monet, aliis exemplis illustravit. Ita deinde ultima Gruteri ed. exhibuit, pro quo Heinsii Elzeviriana *ascendenti* dedit. Hinc præbita est Gronovio occasio ad verba seqq. ex vestigiis priscæ lectionis *escendenti* emendandi; quod iterum in contextum recepit. Eo tamen relicto, Clericus clam contra fidem datam *ascendenti* reduxit. De eo verbo vide ad II. 28. § 6.

Venire diceret, laureatas literas dicitur] Perspicue vox una desideratur, ut sit *reddidisse laureatas literas dicitur*. Sigon. Primam vocem [*reddidisse*] de conjectura Sigonius addidit. Forte, *tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, laureatas literas reddidit.* Sed et quia exemplar unicum *exscendenti*, non *ascendenti*, legendum *escendenti*, ut et voluit Turnebus. *J. F. Gron.* Cur Gronovius *dicitur* in *reddidit* mutarit potius, quam Sigonii conjecturam probarit, illa caussa fuisse videtur, ne post *diceret* paucissimis interjectis inferatur *dicitur*. Sed vide ad lib. I. cap. 3. § 9. Mihi igitur verisimilius videtur, vocem unam neglegentia librarii excidisse, quam vocem notissimam *reddidit* in *dicitur* mutatam esse. De literis laureatis vide Lindenbr. ad Amm. Marc. XVI. 12. circa finem, Gevart. Lect. Papin. v. 1. et Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. c. 58.

Per circum reveheretur ad foros publicos] De foris publicis vide Argol. ad Panvin. de Ludis Circ. I. 5. et quæ dicta sunt ad XXIX. 37. § 2.

§ 10 *Ludis relictis domos magna pars*] *Domus* edd. ante ultimam Gruteri. Similiter vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit. Vide ad III. 29. § 5.

CAP. II. § 1 *Quos, præter milites sociosque navales, conjuratos haberet*] Ut 'conjurationem' vocare solebant genus quoddam militiæ, a sacramento diversum, ita a militibus *conjuratos* sejunxit Livius; ut 'milites' sint, qui sacramento dixerunt, 'conjurati,' qui una jurarunt simul, non singuli sacramento dixerunt: quibus quia justum militiæ sacramentum deerat, proinde nec justi milites censebantur. 'Socii navales' erant, qui propter census exiguitatem non ad terrestria bella legionesque centuriabantur, sed in classe belloque navali militabant. Polybius VI. 17. πλὴν τῶν ὑπὸ τὰς τετρακοσίας δραχμὰς τετιμημένων· τούτους δὲ παρεῖσι πάντας εἰς τὴν ναυτικὴν χρείαν. *Turneb.* Advers. XI. 18. Quæri tamen potest, qui fuerint hi, qui *præter milites sociosque navales* conjuraverant. Legionarii esse non potuerunt: nam hi nomine militum continentur, et omnes sacramento dicebant. An voluntarii et evocati? Mihi non liquet: hi enim, uti voluntate ducem sequebantur, ita inviti non potuisse retineri videntur, atque adeo neque SCto, quo dimitti juberentur, opus fuisse. Nusquam alibi quidquam de conjuratis *præter milites* inveni. Quæ Sigonius de Ant. Jure Civ. Rom. I. 15. habet, non satisfaciunt. *Duk.* Non satisfaciunt etiam, quæ ad hunc locum notavit Crevierius. Livium autem exponit ex XXII. 38. et per *milites* intelligit adactos sollemni illo militiæ sacramento 'jussu consulum conventuros, neque injussu abituros;' quo qui obligati erant, ii demum justi milites censebantur: per *conjuratos* autem, qui illud tantum jusjurandum dederant, a Livio itidem his verbis descriptum: 'ipsi inter se equites, &c. pedites conjurabant, sese fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros.' Addit, adparere quidem ex eo loco Livii, milites, quum illud posterius jusjurandum sua voluntate jurarent, id tantum fecisse, quum decuriati ac centuriati forent, et proinde post sollemne sacramentum militiæ: sed suspicari posse, immo deberi ex hoc loco ordinem inmutatum esse, postquam illo jurejurando a tribunis adigi cœpti sunt, eosque, qui lecti a tribunis in legionem erant, statim illud jusjurandum dedisse, unde dicerentur 'conjurati.' Verum ex loco illo Livii colligendum videtur, conjurationem illam spontaneam tempore belli Punici secundi in sollemne jusjurandum, quo milites a tribunis adigebantur, mutatam esse; adeoque, qui illud dederant, non amplius *conjuratos* dici potuisse. Vide quæ ad eum locum notantur. Fateor tamen neque me scire, quinam 'conjurati' a 'militibus' distincti hic intelligantur.

§ 2 *A quibus præmissus tabellarius esset. Ad VI. Kal. Octob.*] Et hic vox una deest ad integritatem sententiæ: *A quibus pr. tab. esset, venissent. A. D. VI. K. Octob.* Sigon. Ultimam vocem [*venissent*] ad integrandam sententiam adjecit Sigonius. Potuit levius *quum legati ab L. Æmilio consule, a quibus pr. tab., adessent.* J. F. Gron. *A quibus præmissus tabellarius, venissent* conjecit Gronovius in prima ed. nott. Sed minus a scripta lectione recedit, quod ipsi in repetita lectione in mentem venit.

§ 3 *Ante diem sextum Kalend. Octobris*] Per compendium *Octob.* priscæ edd. quod Paris. 1573. reddit *Octobris*, quum debuisset *Octobres*, ut a Gronov. 1665. factum c. 1. *Ante diem decimum Kalendas Octobres:* ubi itidem *Octob.* edd. vett. et *Octobris* ea-

dem Paris. Vide ad XLI. 16. § 1. Ceterum *VIIb.* sive *Septemb.* pro *VIIIb.* sive *Octob.* legisse Dodwellum, vidimus ad cap. 1. § 6. Vide eumdem Dodwell. de Cyclis diss. X. § 21.

Urbem ingressi sunt, ingentem] Dele fidenter *τὸ sunt;* quod magis impedit, quam juvat, orationem. *J. F. Gron.* Juvabis etiam orationem addenda copula *ingressi sunt, et ingentem.*

§ 6 *In concionem traducti*] 'Producere' de hac re dicunt Latini. III. 64. 'Consules producti ad populum interrogatique.' Sic XXIV. 39. lib. XXVII. capp. 7. 10. XXXVI. 21. Justinus XI. 2. § 8. et Cicero sæpe. Vide Sigon. ad Liv. lib. XXVII. c. 51. et Gronov. ad XXXIII. 46. *Duk.*

§ 7 *Conferta tota urbe Deorum immortalium templa*] Et hic intercidit vox una: *Deorum immortalium templa adierunt.* Sigonius. *Conferta tota urbe Deorum immortalium templa* sine supplemento verbi *adierunt* sententiam absolvere animadverto. *Turneb.* Advers. XI. 18. Rursus immittit Sigonius *adierunt.* Quod non esse necesse animadvertes, si aut *ire* accipies pro *ibant,* aut mutabis in *iere.* Narrat enim, simul atque consul edixisset, ut omnes ædes sacræ aperirentur, pro se quemque profectum ex concione ad grates Diis agendas, et templa ingenti turba hominum conferta vel impleta fuisse. *J. F. Gron.* Omnino recte Gronovius: nec locus aliter intelligi potest. Si autem *ire* in præcedentibus pro *ibant* positum accipitur, ad hæc verba supplendum est *esse,* quod positum erat pro *erant.* Sin autem pro *ire* cum eodem Gronov. emendas *iere,* ad hæc verba supplendum est *sunt.* Et quidem posterius illud præstare videtur. Supra I. 60. § 2. 'Exsulatum Cære in Etruscos ierunt.' IX. 36. 'Iere pastorali habitu.' X. 23. 'Supplicatum iere frequentes viri feminæque:' ubi alii etiam codd. *ire.* XXVII. 18. 'Per aspreta primo, nihil aliud quam via impediti, iere.' XXXV. 9. 'Tria millia peditum iere.' c. 40. 'Tria millia et septingenti pedites ierunt.' XXXVII. 31. 'Ad trajiciendas copias consulis iere.' Ita 'abire' dederunt pro 'abiere;' vide ad III. 31. § 5. et c. 60. § 1. 'coire' pro 'coiere;' vide ad IV. 7. § 7. 'inire' pro 'iniere;' vide ad II. 30. § 12. et V. 32. § 4. 'interire' pro 'interiere;' vide ad VI. 1. § 2. 'redire' pro 'rediere;' vide ad II. 20. § 13. 'subire' pro 'subiere;' vide ad VIII. 10. § 3. 'transire' pro 'transiere;' vide ad X. 46. § 3.

§ 12 *Supplicatio pro concione populi indicta est*] Scribe *populo,* ut is casus regatur a verbo 'indicere,' non a nomine 'concio.' Ita enim dicebant simpliciter *pro concione.* Liv. VII. 10. 'Dictator miris pro concione eam pugnam laudibus tulit.' Tacitus Annal. I. 44. 'Stabant pro concione legiones destrictis gladiis.' *J. F. Gron.*

Ex ante ad V. Idus Octob.] Lege *ex ante diem V. Idus Octobr.* ut supra. *Sigon.* Vide etiam Gifan. Observ. in Ling. Lat. in voce 'Ante diem.' Ceterum hic iterum *Idus Septemb.* legendum conjicit Dodwell. Vide hoc cap. ad § 3.

CAP. III. § 1 *C. Licinius Nerva*] Dodwellus in Append. Prælect. Camden. valde se torquet in explicando fragmento Actorum Diurnorum, in quo Demiphon archipirata pridie Kal. Apr. ante Æmilii et Octavii profectionem in provinciam a Cn. Licinio Nerva legato captus in crucem actus fuisse dicitur. Multa movet, nec quidquam promovet, dum aliis super alias cumulatis, sed omnibus incertis, conjecturis certam esse hujus fragmenti fidem evincere conatur. Vide Wesseling. Probabil. c. 39. 'Legatos' hos apud Livium non omnino necesse esse arbitror pro legatis militaribus haberi, ut nec eos, qui a Paullo ad victoriam de Perseo nunciandam missi sunt. *Duk.* Livius lib. XLIV. post

Gentium regem captum nullam non modo legatorum Licinii et Nervæ Romam missorum mentionem fecit, sed etiam c. 32. refert eum nuncium victoriæ Perpernam Romam misisse; de cujus adventu vicissim hoc libro silet.

Gentium regem captum in ditione populi Romani et Illyricum esse] Distinguendum est post *captum;* nam *in ditione* ad *Illyricum* pertinet: *et Illyricum* potest dici pro *etiam Illyricum.* Sed mihi *et* potius in alium locum transferendum, et legendum videtur *regem captum, et in ditione pop. Rom. Illyricum esse.* Duk.

§ 2 *Senatus in triduum supplicationes decrevit, ut Latinæ edictæ a consule sunt in ante IV. et III. et pridie Id. Novemb.*] Sensus est, Supplicationes edictæ sunt in certos dies, perinde atque Latinæ indici solent: non enim hic de Latinis indicendis loquitur, quippe quæ in quatriduum hoc tempore indicerentur, non in triduum. Præterea lego *in ante d. IIII.* Sigon. ' Sensus est,' inquit Sigonius, ' Supplicationes edictæ sunt in certos dies, perinde atque Latinæ indici solent.' Mihi non modo hæc comparatio, sed omnis omnino mentio ' Latinarum ' hoc loco incommoda, et ab ingenio Livii aliena videtur: sive malis, *in triduum supplicationes decrevit, quæ edictæ a consule sunt;* sive, *supplicationes decrevit, et feriæ edictæ*, nempe illarum supplicationum ergo: ubi quum voci *feriæ* adscripsisset ineptus interpres *Latinæ*, explicatio pro illa, quam putaverant, glossa invasit. *J. F. Gron.* Respice, lector, ad literas, et considera an non omnis hæc molestia in genuinam Livii manum transierit, scribendo *et statim edictæ.* Jac. Gron. Longe aliter de hoc loco sensit olim J. F. Gronovius. In prima enim ed. nott. arbitrabatur, τὸ *ut* non, ut Sigonius faciebat, pro ' perinde atque,' sed pro ' postquam ' sumendum esse: ut intelligatur, postquam consules Latinas in dies aptos edixerint, supplicationes quoque decretas in illos dies. Vel etiam putabat credi posse, dies Latinarum denotari, et unum numerum excidisse, quum fuisset hoc modo: *senatus in triduum supplicationes decrevit: et Latinæ edictæ a consule sunt in ante dies quintum, et quartum, et tertium, et pridie Idus Novembres.* Utramque sententiam postea repetiit Observ. IV. 25. p. 387. sed priorem clarius proponit; nempe triduum, quo supplicationes celebrarentur, futurum esse post Latinas, quarto, tertio, et pridie Idus: hinc etiam ita interpungit: *supplicationes decrevit, ut Latinæ edictæ a consule sunt, in ante quartum, &c.* At recte omnia hæc curis secundis notarum ad Livium omisit, et, quod prius placuerat, silentio quasi damnavit. Nam non modo Æmilius consul jam diu in Macedoniam trajecerat, quum tamen Latinæ ab utroque consule, antequam in provincias abirent, edici deberent; verum etiam hoc anno jam edictæ et celebratæ fuerant. Vide lib. XLIV. capp. 19. 21. et 22. Hic ergo duas novas conjecturas proponit; quarum posterior priori præferenda est, quod nimis temerarium videatur, pro *ut Latine* reponi *quæ.* At præsertim placet Jac. Gronovii conjectura, qui vestigia ac ductus literarum pressius secutus *et statim*, pro *ut Latinæ*, legendum putat. Ad senatum primo pertinebat censere, utrum res gestæ supplicationibus dignæ essent; deinde definire, quot dies supplicaretur. At in potestate consulum erat, eligere et edicere dies, quibus supplicatio celebraretur. Ita exponendus est Cic. ad Famil. VIII. 11. ' Non diu, sed acriter nos tuæ supplicationes torserunt: incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat, se ullo modo pati posse decerni supplicationes, ne,

quod furore Paulli adeptus esset boni, sua culpa videretur amisisse, et prævaricator caussæ publicæ existimaretur. Itaque ad pactionem descendimus: et confirmarunt consules, se his supplicationibus in hunc annum non usuros.' Ad quem locum Manutius, verba *supplicationibus in hunc annum non usuros* expositurus, notat, 'exceptis iis, quæ Ciceroni decernerentur.' Alii ita exponunt: 'se nulli alii imperatori, præterquam Ciceroni, supplicationes decreturos:' sed potius sensus esse videtur, consules promisisse, se has Ciceroni decretas, aut certe petitas supplicationes in hunc annum non edicturos, sed potius dilaturos in annum proximum, quum Curio tribunatu abiisset; ne eas in dies hujus anni comitiales edicendo Curioni potestas cum populo agendi eriperetur. Dies enim supplicationum erant feriæ, quibus, licet comitiales forent, nihil cum populo agi poterat.

Et pridie Idus Novembres] Hic etiam in mensis nomine errorem commissum esse, existimat Dodwell. in Append. ad Prælect. Camd. pagg. 756. et 757. Sibi enim verisimile non videri, Anicium, qui veris principio in provinciam venit, teste Liv. XLIV. 30. et bellum ante perpetravit, quam cœptum esse Romæ auditum est, c. 32. tam seros victoriæ nuncios Romam misisse. Quare pro *Idus VIIIIb.* sive *Novembres*, legit *Idus VIIIb.* sive *Octobres*. Verum emendatio hæc stare nequit, nisi et altera ejus in ultimis verbis cap. præc. admittatur: ceteroquin enim supplicationes Æmilii et Anicii nomine decretæ in eosdem dies inciderent. Eam tamen emendationem admodum incertam esse, constat ex illis quæ dicta sunt ad c. 1. § 6.

§ 3 *Tradidere quidam, legatos Rhodios, nondum missos*] Repone *admissos*. J. F. Gron. Per eos, qui hoc tradidere, innuit Livius Polybium, cujus narratio Exc. Legat. num. LXXXVIII. cum his conferenda est. Admissa Gronovii emendatione, in eo Livius a Polybio in diversa abibit, quod scripserit, legatos Rhodios in senatum admissos, et accepto responso in patriam dimissos esse, antequam victoria de Perseo Romam nunciata foret. Supra lib. XLIV. capp. 14. et 15. Polybius vero, eos non ante admissos esse, quam post relatam victoriam. Verba Polybii sunt, Κατὰ τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ Περσεὺς ἡττηθεὶς ἀνεδίδρασκεν τῇ συγκλήτῳ τοὺς παρὰ τῶν Ῥοδίων πρεσβευτὰς παραγεγονότας ὑπὲρ τοῦ διαλύειν τὸν πρὸς Περσέα πόλεμον προκαλέσασθαι. Ex illis recte colligitur, legatos Rhodios nunciata victoria adhuc Romæ fuisse, et in senatum vocatos esse; non vero eos nondum ante id tempus admissos esse. Et hinc Gronovii conjectura dubia redditur; quæ etiam juvari nequit ex verbis Epitomes hujus libri: 'Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissæ. Rhodiorum, &c. exclusa.' Illa enim pertinent ad ea quæ Livius narrat c. 20. Commode igitur vulgatum servari posse, vel, si quid mutandum, potius legendum arbitror *nondum dimissos*. Ut Livius crediderit, legatos Rhodiorum mox post editam legationem et acceptum responsum dimissos esse: munera enim singulis eorum, ut domum redituris, decreta esse, quæ non acceperint narrat XLIV. 15. Polybius vero, eos adhuc Romæ substitisse, quum legati ab Æmilio de victoria missi advenissent, et in senatum advocatos esse.

§ 4 *Ibi Agepolim principem eorum*] Legendum *Agesipolin*. Hoc enim nomen hominis, ut constat ex multis Polybii locis. Apud quem hæc ipsa oratio est: ἐθλεῖν μὲν ἔφασαν διαλύσοντας τὸν πόλεμον· τὸν γὰρ δῆμον τῶν Ῥοδίων ἑλκομένου τοῦ πολέμου καὶ πλείω χρόνον θεωροῦντα, διότι πᾶσι μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἀλυσιτελὲς καὶ αὐτοῖς δὲ Ῥω-

μαίοις, διὰ τὸ μέγεθος τῶν δαπανημάτων, ἐλθεῖν ἐπὶ ταύτην τὴν γνώμην· νῦν δὲ, λελυμένου τοῦ πολέμου κατὰ τὴν τῶν Ῥοδίων βούλησιν, συγχαίρειν αὐτοῖς. *J. F. Gronov.* Apud Polyb. tamen in Exc. Legat. num. LXXXVIII. bis Ἀγέπολις vocatur, eodem errore; at num. LXXXVI. editur in contextu Ἀγεσίπολις, Ursinus vero in notis laudat Ἀγέπολις: qui ad num. LXXX. notat enm a Polybio modo Ἀγέπολιν, modo Ἀγεσίπολιν vocari.

§ 6 *Nec utilitatum Græciæ, neque cura inpensarum populi Romani*] *Cura* hic positum salebrosam reddit orationem. Non uno loco scribi potest, ut ea lenius fluat. *Duk.* Collocatio verborum etiam displicet Crevierio, qui malebat *neque impensarum populi Romani cura.* Præterea *utilitatum Græciæ* apud primum Curionem inveni; post quem id tum alii, tum Parisini 1573. et hinc omnes posteriores adoptarunt: antiquiores præferunt *utilitatium.* Id probat Vossius Gramm. IV. 14. Similiter 'voluptatium,' 'necessitatium,' 'difficultatium,' 'simultatium,' 'civitatium,' 'tempestatium,' apud Livium aliosque in Mss. obcurrere, vidimus ad VII. 38. § 5. Adde ad ea 'hæreditatium;' vide viros doctos ad Sueton. Aug. c. 66. et Burm. de Vectig. Pop. Rom. c. 11. et 'propinquitatium;' vide eumdem Burm. ad Suet. Oth. c. 1.

§ 7 *In Thessalia exercitu inducto, per biennium Græcas urbes, alias obsideret*] Hæc lectio ex ultima Gruteri ed. ad recentiores profluxit. Posset etiam defendi ita mutata interpunctione: *in Thessalia, exercitu inducto;* ut *in Thessalia* referatur ad *obsideret.* At omnes priores typis descripti constanter *in Thessaliam*, quod recte Dukerus probandum monuit, et Crevierius etiam in contextum iterum admisit.

§ 8 *Romanos audirent*] Lege *audierint.* J. F. Gron.

Cap. IV. § 1 *Et argenti ad summam sestertii decies*] Qui pro *sestertii* scripserunt *sestertium*, non perspectam habuerunt rationem vocis *sestertium*, adverbio numerali junctæ, quam luculenter in libro de Sestertiis expedivit J. F. Gronovius. Si *deciens*, quod ex ed. Basil. adnotat Hearnius, in libro scripto fuit, non peccarunt, qui ediderunt, quod in eo invenerant. Vide adnotata ad Marcellini vitam Thucydidis p. 3. Illud me hic nonnihil moratur, quod non valde apertum est, quid supplendum sit, unde genitivus *argenti* regatur. A præcedentibus *decem pondo* regi non potest: nam decem pondo auri et totidem pondo argenti longe absunt a summa decies sestertii. Sed sensus verborum est, decem illa pondo auri, et id argenti, quod in ærarium intulit Marcellus, effecisse summam decies sestertii. *Duk.* Sensus etiam constitui posset, solum id argenti, quod in ærarium intulit, effecisse summam decies sestertii. Ceterum *ad summam sestertium deciens* edd. principes: *decies* substituerunt Basil. 1539. Vide ad XLIV. 45. § 10. Gronovius deinde *sestertii decies;* qui in priore nott. ed. monuit satis probatum esse, ita scribi oportere, respiciens ad illa quæ biennio ante docuerat in prima ed. commentarii de Sestertio § 11. 13. 16. et alibi, quod postea firmavit de Pecun. Vet. I. 11. Mox de locutione 'in ærarium retulit' vide ad XXXVII. 57. § 12.

§ 2 *Ad Siras terræ Odomanticæ*] Stephanus, Σίρες, ἔθνος Θράκης. Ὀδόμαντται, ἔθνος Θράκης. *Sigon. Odomantidicæ* omnes typis descripti ante Gronovium, qui recte vulgavit *Odomanticæ*, ut etiam legitur ad caput Scholii Sigonii, licet alterum in contextu ipso servarit. Stephan. de Urbib. Ὀδόμαντοι ἔθνος Θράκης. Θουκυδίδης δευτέρᾳ· καὶ Ὀδομαντίς. Ὀδομαντικὴ ἐκ τοῦ Ὀδομαντικός. *Sires* vero Stephani, quos huc advocat Sigonius, alio per-

tinent, ut constat ex vocibus seqq. male a Sigonio omissis: Σίρες, ἔθνος Θρᾴκης ὑπὲρ τοὺς Βυζαντίους. Byzantii enim, super quos siti sunt Sires Stephani, longe ab Odomantica remoti sunt. Nam Odomantæ vel Odomantes habitarunt in ea parte Thraciæ, quæ est inter fluvios Strymonem et Nestum, et a regibus Macedoniæ subacta vulgo Macedoniæ adjectæ nomine censetur. Vide Plin. Hist. Nat. IV. 11. Hinc Ptolemæus III. 13. Macedoniam describens etiam Ὀδομαντικῆς meminit. An igitur potius huc pertinet Σιρρὰ πόλις Θρᾴκης apud Stephanum? ut vel *Sirrha*, vel *Sirrham*, vel *Sirrhas* apud Livium legendum sit.

Per ignobiles tres legatos cerneret] Videtur excidisse *missas*. Muretus. *Missas* satis per se intelligi, existimavit Doujatius. Sed rectius eam vocem, vel *allatas*, necessariam existimavit Crevierius. 'Mox *illacrimasse dicitur sortis humanæ* edd. principes, quod defendi posset, statuendo ellipsin τοῦ *cuussa*. Puto tamen rectius Vascosanum, una litera detracta, dedisse *sorti humanæ*. Supra XL. 56. 'Meo infelici errori solus inlacrimasti.' Silius II. 619. 'Et facto sceleri inlacrimant.'

§ 3 *Quod, qui paullo ante, non contentus*] Gronovius in prima ed. nott. præfatus librum veterem et ex eo ed. Aldinam præferre *quod perpaullo*, inde scribendum conjecit *quod qui perpaullo*. At recte hanc conjecturam postea sponte omisit: omnes enim, quas vidi, edd. in vulgatum conspirant.

Basternarum scivisset auxilia] Prima ed. *civisset*. Scribe *excivisset*. Lib. XXVII. c. 51. 'Metapontinos civitatem universam excitam sedibus suis.' XXVIII. 24. 'Juventute Celtiberorum excita.' XLIV. 27. 'Indignantium se frustra excitos sedibus suis.' *J. F. Gron.* Vulgatas edd. *scripsisset* præferre, Crevierius docuit; id tamen in nullius ed. contextu, sed tantum in capite notæ Gronovianæ inveni: at sine dubio manus vel Gronovii, vel ejus, qui notas editioni a. 1665. composuit, aberravit: *civisset* edd. vett. pro quo *scivisset* reposuit ed. Bas. an. 1554. Inde id recentiores omnes servarunt usque ad Gronovium, qui in prima ed. nott. *civisset* tolerari posse ratus, attamen ex more Livii malebat *excivisset*. Ita IV. 9. 'Optimates Romanos ad auxilium urbis obsessæ excivere.' V. 8. 'Etruriam omnem excitam sedibus magna mole adesse Romani crediderant:' quibus locis plura vide. XXXIV. 18. 'Mercede exciti ab hostibus.' XL. 9. 'Si voce et comploratione nocturna excitus mihi quiritanti intervenisses.' Vide quæ notantur ad XXVIII. 24. § 4.

§ 4 *Postquam, regem Persea consuli Paullo salutem, legit*] Livium ita scripsisse arbitror, *postquam regem Persea consuli Paullo dicere S. legit*, (vel non utendo nota compendiaria *dicere salutem*, sive *salutem dicere*) aut certe *Rex Perseus consuli Paulo S.* Stephanus Schediasm. IV. 8. Verbum *dicere*, quod in omnibus notissima formula Stephanus addendum censuit, commode satis intelligi, neque eo supplemento opus esse puto. Idem, quod mihi, etiam videtur Dukero.

§ 7 *Se suaque omnia in fidem et clementiam populi Romani permitteret*] Non probo, quod Stephanus Schediasm. IV. 9. scribi vult *in fidem et clientelam populi Romani*. Livius multis locis memorat 'clementiam populi Romani.' Vel hoc ipso libro c. 8. 'Cognita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis præbet:' et capp. 17. et 22. Adde quod 'in fidem et clientelam populi Romani se permittere' dicuntur, qui sibi res suas, certe partem earum, sub tutela populi Romani salvas esse volunt. Hoc autem nec Perseus a Romanis sperare poterat, nec hi ei dare in animo habebant, ut quibus decretum esset, ei

nihil relinquere. *Duk.*

CAP. V. § 3 *Sacram hanc insulam, et augusti totam atque inviolati soli esse*] Id est, totam insulam esse ἱερὰν καὶ ἄσυλον, ut Græci vocant. De quo privilegio vide Spanhem. de Præst. et Us. Numism. Diss. IX. p. 666. ed. ult. vel p. 778. ed. sec.

§ 4 *Pollutam homicida sanguine regis Eumenis violavit*] Potius *pollutus.* J. F. Gron. Doujatius *pollutam violavit* exponit polluendo violavit. Sane *pollutam violavit* foret palilogia, de qua vide ad XXII. 10. § 3. Ne tamen vulgatum servari possit, efficiunt additæ voces *sanguine regis Eumenis.* Nam *pollutam sanguine regis Eumenis violavit* indicabit, Perseum in ipsa Samothrace Eumenem insidiis adgressum esse, et in eum percussores subornasse: quod falsum est. Cum Crevierio igitur Gronovii conjecturam probo.

Omnis præfatio sacrorum eos, &c. sacris arceat] Vir doctus ad marginem ed. Curionis conjicit *omnis profanatio sacrorum.* Male. Plinius H. N. XXV. 2. 'Inchoata etiam præfatione religiosa, ut omnibus malis humanis illius potissimum principis semper mederetur majestas.' Suet. Claud. cap. 25. 'Vetere fetialium præfatione adhibita.' Et ita 'præfari' Liv. XXXIX. 15. 'Quum sollemne carmen precationis, quod præfari, priusquam populum adloquantur, magistratus solent, peregisset consul.' Intelligitur autem hæc vel similis formula 'procul este profani:' de qua vide Brisson. de Formul. l. I. p. 2.

§ 5 *Nobilis fama erat, &c. prope perpetrata cædes*] *Fama* accipio casu sexto, at nobilis pro 'notus:' 'prope perpetrata cædes fama nobilis,' id est nota, 'erat.' Vide ad XXXIX. 4. § 8.

§ 6 *Theondam, qui summus*] Ita primus edidit Vascos. et post eum reliqui omnes. Priores legunt *Theondan*, qua forma *Ænean* aliquoties obcurrit lib. I. capp. 1. et 2. quamvis tamen Livius potius terminationes Latinas amarit.

§ 7 *Incestas manus intulisse*] Id est, non castas. Liv. I. 45. 'Quidnam tu, hospes, paras, inquit, inceste sacrificium Dianæ facere?' Tibull. I. 5. 39. 'Num feror incestus sedes adisse Deorum?' ubi vide Broukh. Tacit. Hist. V. 4. 'Profana illic omnia, quæ apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta.' Hinc 'incestare' est polluere. Vide Barth. ad Claud. Paneg. Mall. Theod. 266. et ad Statii Silv. V. 5. 4.

§ 9 *Perseus, evocato Euandro*] Forte *sevocato Euandro*, id est, seorsum vocato, ut cum solo, non audiente Theonda, vel quocumque alio arbitro, conloqueretur. Justin. XXXVIII. 1. 'Sevocatum ab amicis, velut ad secretum sermonem, interficit:' ubi vide Gronov. et Græv. Antea eo loco pariter edebatur *evocatum*, litera sibilante ab ultima vocis præced. *insidiis* intercepta; quod et huic loco fraudi fuisse puto. De errore illo scribarum vide ad XXX. 3. § 7. Verbo 'sevocare' utitur etiam Cic. de Divin. I. 30. 'Quum ergo est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis.' Etiam Curt. X. 7. § 18. 'Iratusque Perdicca hos, qui Alexandri corpus tueri vellent, sevocat.'

Reliqui quid esset, nisi ut fortiter moriatur] Hæc cum interrogatione legenda sunt, hoc modo: *reliqui quid esse, nisi ut fortiter moriatur?* Sigonius. Scribe *esse:* pars enim hæc verborum Persei ad Euandrum. *J. F. Gronov.* Adsentior Sigonio et Gronovio, scribendum *esse*, et hæc verba constituere partem sermonis Persei ad Euandrum. Hinc verba præcedd., 'Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret,' quæ ad eumdem sermonem non pertinent, parentheseos notis includenda, et a proximis ac sequentibus distinguenda videntur. De verbo

'protrahere' vide Gronov. ad XLIV. 26. § 1. 'Fortiter mori' est constanter, magno animo mori. Quinctil. Decl. 38. 'Vince feliciter, id est, peri fortiter.' Vocem *fortis* de animi potius, quam corporis fortitudine sæpe usurpari, notat Gudius ad Phædri I. 5. Adde Græv. ad Cic. pro Quinct. c. 2.

§ 12 *Euandrum sibi ipsum mortem conscivisse*] Ita primus Modius, et post eum recentiores omnes, ediderunt. Priores præferunt *conscisse*, quod Gronovius recte in prima ed. nott. ex vetere libro et Aldina probavit. Id postea in repetitis curis, incertum qua de caussa, neglectum est; quum potius in contextum admissum oportuisset, tamquam vere a manu Livii profectum, qui contractis illis *scisse*, *conscisse* uti amavit. Supra III. 19. 'Si Capitolium ab exsulibus obsessum scissent.' c. 67. 'Hanc ego ignominiam si huic potissimum inminere anno scissem.' IV. 51. 'Quos sibimet ipsos conscisse mortem, satis creditum est.' XXXIII. 29. 'Zenxippum principem gentis id facinus conscisse.' c. 48. 'Alii fugam conscisse ferebant.' c. 49. 'Bellum toto orbe terrarum conscisset.' XXXVIII. 40. 'Eum scisse, non alia redituros Romanos.' XL. 25. 'Quum et venturos scisset, et educere in aciem potuisset.' XLIII. 5. 'Neque scisse futura, neque, si sint facta, probare.' Plura similia vide ad VI. 18. § 10.

CAP. VI. § 2 *Oroandemque Cretensem, &c. adpellat*] Aut scribendum *appellare*, ut referatur ad τὸ *coëgerunt:* aut, quod magis placet, delendum τὸ *que:* ut sit, *rel. coëgerunt. Oroandem Cretensem, cui nota Thr. ora erat, quia merc. in ea reg. fecerat, app.* J. F. Gron. Vide num *que* defendi possit ex illis quæ notat Dukerus ad III. 38. § 2. XXVIII. 12. § 13. et XXXVI. 31. § 7.

Ut se sublatum in lembum] 'Tollere,' vel 'tollere in lembum,' 'in navem' propriæ in hac re locutiones sunt. Silius VI. 500. 'Tollite me, Libyes, comitem pœnæque necisque.' Ovid. Met. XI. 441. 'Me quoque tolle simul: certe jactabimur una:' ita in dicto Juliæ apud Macrob. Sat. II. 5. 'Numquam enim, nisi navi plena, tollo vectorem.' Ita 'tollere' pro tollere in equum, Liv. XXII. 49. 'Comes ego te tollere possum ac protegere.' 'Tollere equo' Ovid. Fast. II. 735. 'Nox superest, tollamur equis, urbemque petamus.' 'Tollere in currum' Ovid. Art. Am. III. 157. 'Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Euœ, Sustulit in currus, Gnosi relicta, suos.' Vide Lambin. ad Hor. Epist. I. 17. 61.

§ 3 *Demetrium est portus in promontorio*] Hujus etiam portus meminit Plutarchus in Paullo p. 268. *Sigon.*

§ 5 *Jam tum, dum pecunia deferretur*] Locus videtur mendosus. Vel enim dicendum fuisset *dum defertur*, vel *quum deferretur*. Vide ad I. 40. § 7. *Jam tum quum* ut X. 21. 'Jam tum, quum ipse ibi cum collega rem pariter gesserit, fuisse tantum bellum.' Præterea non *dum defertur*, vel *quum deferretur*, sed, ut Crevierius monuit, postquam delata est.

§ 7 *Pueri regii apud Macedonas, &c.*] Curtius V. 2. § 13. 'Unus ex regiis pueris.' X. 8. § 3. 'Pueri regiæ cohortis.' Vide Freinsh. ad Curtii VI. 8. § 2. et Perizon. ad Ælian. Var. Hist. XIV. 49. Idem mos fuit apud reges Epiri. Liv. VIII. 24. 'Sotimus minister ex regiis pueris,' nempe Alexandri Epirotæ. *Duk.*

Ea cohors, prosecuta regem fugientem] Ita Gronovius 1665. nulla mutatæ lectionis ratione in notis reddita, quum tamen omnes priores præferant *persecuta*. Verum 'prosequi' usurpari pro sequi, omnibus notum est: 'persequi' autem nonnumquam pro prosequi, vel pro simplici sequi adhiberi, vidimus ad V. 40. § 4. Invitis igitur membranis antiquis nihil videtur mutandum.

§ 9 *Ion Thessalonicensis*] *Io* scribendum: edit enim *Ionis*, Plutarcho auctore in Paullo p. 269. τὰ δὲ παιδία συλλαβὼν αὐτὸς Ἴωνι συνεχείρισεν. *Sigon.* Si recte scribitur 'Dion,' 'Bion,' 'Echion,' 'Amphion,' 'Melanion,' 'Pygmalion,' et alia quamplurima, quæ in genitivo *ionis* habent, alia causa reddi debet, cur hic in nominativo scribendum sit *Io*. In Plinio Hist. Nat. XVIII. 31. *Ion* est nomen astronomi in omnibus edd. quas vidi, excepta secunda Harduini, a qua id abest, et XXXIV. 8. statuarii. *Duk.* Casum secundum edere *Ionis* non tantum ex Plut. constat, sed etiam ex ipso Liv. XLII. 58. 'Iouem Thessalonicensem et Timanora Dolopem iis præfecit.' Inde tamen nondum evictum est, casu recto *Io* potius, quam *Ion*, dicendum esse. Sæpius quidem Latinos ultimam literam nominum propriorum, quæ apud Græcos in ων exeunt, neglexisse, vidimus ad XXXIV. 61. § 10. et ad Epit. Liv. LV. id tamen non adeo religiose observatum est, ut omnia loca, ubi hodie contrarium obtinet, etiam invitis Mss. in hanc formam mutanda sint. Quin etiam Livius censeri posset hic Græcam terminationem *Ion* retinuisse, quia *Io* Græcis est nomen muliebre.

§ 10 *Quorum in templo erant*] Præpositio non habetur in primo exemplari. Scribe, *quorum templum erat.* Plutarchus p. 267. καὶ διαφεύγων ἐπὶ τοὺς Διοσκούρους ἱκέτευεν. *J. F. Gron. Quorum in templo* primum inveni in ed. Vascos. Et posset videri præpositio *in* elisa esse a litera finiente vocis proximæ *quorum*, ut sæpius factum vidimus ad X. 13. § 3. Verum ita etiam vel legendum foret *quorum in templo erat*, vel mox *nulla ope supplices juvantes.* Malo igitur cum Gronov. *quorum templum erat:* et quidem eo magis, quia Perseus eo tempore non erat *in templo;* sed, postquam per posticum ædium egressus frustra fugam tentarat, 'in hospitium redire non ausus in latere templi prope angulum obscurum delituit,' ut Livius modo retulit.

§ 12 *In potestate eum esse*] Gronov. ad Liv. II. 14. § 4. hunc locum laudat, ut illustret locutionem 'esse in potestatem.' Verum omnes, quas vidi, edd. constanter præferunt *in potestate.*

CAP. VII. § 1 *Et, consilio advocato*] Vascos. edidit *concilio*, quod Gryphius 1548. tum Basil. 1554. et hinc recentiores omnes adsciverunt usque ad Gron. qui ad XLIV. 2. § 5. *consilio*, ut priores præferunt, legendum monuit, eamque lectionem 1665. adoptavit.

Q. Ælium Tuberonem] Rupertus Epist. ad Reines. XXXIV. 194. se in altero suo libro corrupte legere testatur *Q. Æmilium Tuberonem.* Omnes tamen, quas vidi, edd. *Q. Ælium* retinent.

§ 2 *Tunc quoque accessio Punici belli fuerat*] Ocius dele verbum *fuerat*, indocti additamentum interpretis. Lib. VII. c. 30. 'Campani, haud parva, ut arbitror, accessio bonis rebus vestris, in amicitiam veniemus vestram.' XXX. 40. 'Verminam etiam Syphacis filium, quæ parva bene gestæ rei accessio erat, devictum.' XXXVIII. 54. 'Nisi et ipsius fama sepulti laceretur, et frater insuper, accessio invidiæ, mactetur.' Seneca ad Marciam cap. ult. 'Nos quoque felices animas et æternas sortiti, quum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis et ipsi parva ruinæ ingentis accessio in antiqua elementa vertemur.' Ita legendum. Valer. Max. V. 7. 'Nec accessio gloriosæ illius pompæ, sed auctor spectatus est.' Non enim *accessor*, non *accensor*, ut volunt. Idem IX. 1. 'Nam Ptolemæus accessio vitiorum suorum vixit.' Sic omnes scripti alicujus numeri, non *accessione:* quasi diceret, præcipuum in Pto-

lemæo non fuisse ipsum, sed vitia, quorum enm jure accessionem vel partem diceres. Nec secus dixerat Noster hoc lib. c. 26. ‘ Quæ vos rabies, inquit, agitat, qui duorum hominum noxæ civitatem accessionem facitis?’ Non *civitatis*, ut editur. Florus III. 1. de Boccho: ‘ ubi diffisus rebus suis, alienæ cladis accessio fieri timet.’ Habes et his infra hoc lib. c. 39. *J. F. Gron.* Gronovio adsentitur Crevierius. Contra Nic. Heins. ad Vell. Pat. II. 26. § 3. invitis libris τὸ *fuerat* non expungendum censet, quum id tolerari posse exempla a se adlata evincant. Ita XXXI. 7. ‘ Minima accessio semper Epirus regno Macedoniæ fuit, et hodie est.’ Monuit etiam Dukerus, neque sibi de possessione dejiciendum videri, etsi facile crederet hic aliquid turbatum esse. Leviora enim adhiberi posse remedia, si quis conjecturis indulgere vellet; quæ variæ nasci possunt. Quod vero Heinsius, si quid mutandum, scribat *utcumque accessio Punici belli fuerat*, ne id quidem necesse judico. De voce ‘ accessio ’ hoc sensu præter Heinsium loc. laud. vide etiam Gebhard. ad Livii XXX. 40. § 3.

§ 3 *Nec ipsius tantum, patris avique, quos sanguine ac genere contingebat*] Locum hunc corruptum esse nemo negabit, qui ad ultima verba *quos sanguine ac genere contingebat* animum adverterit: quasi vero res memoratu digna foret, Persen sanguine ac genere patrem avumque contingere. Aliquid intercidisse, ac legi posse existimat Crevierius, *patris avique, et ceterorum regum, quos sanguine.* Leviori medicina subvenit Jac. Perizonius, qui ad marginem Livii conjicit *patris avique, et quos sanguine.*

§ 4 *Pullo amictus illo Perseus ingressus est castra*] Vide ne legendum sit *Pullo amictu ille ingressus*, et *Perseus* tamquam glossema delendum sit. *Sigonius.* Legendum suspicor *Pullo amictus villo*, vel *Pullo amictus filo Perseus*, id est, pulla veste amictus. Alterum tamen magis probo. Sed omnium tamen maxime *Pullo amiculo Perseus.* Turneb. Adv. XI. 18. et XVI. 20. Vetus lectio erat *Pullo amictus illo Perseus.* Turnebus legit *Pullo amictus villo.* Sigonius suspicatur *Pullo amictus ille ingressus.* Sed aliud me Hercule subest. Mirum, ni ab epitoma scribendi diffusus error, legendumque *Pullo amictu simul filio Perseus:* quasi scriptum fuerit *s̃l filio:* nec nimium adfirmo de verbis, de sententia scio, Livium hoc voluisse. Docent verba seqq. *nullo suorum alio comite:* non dixisset *alio*, si Perseus ingressus solus. Docet et historia: nam Perseus una cum majore filio perductus ad consulem, et inde Romam fuit. Livius post cap. 28. ‘ Et Persea quidem cum majore filio Philippo, traditos A. Postumio, in custodiam misit,’ &c. *Lipsius*, Epist. Quæst. v. 13. Quid si legamus? *Pullo amictus solus Perseus ingressus est castra.* Locus certe mendosus est. Nec satis placet illud *pallio*, quod ab aliis substitutum est. *Ursin.* Scriptus *Pullo amictus illo:* unde nescio quis *pallio.* Sigon. *Pulla amictus abolla:* vel *Pullo amictu ille ingressus.* Turnebus quod editur, vel *filo*, vel *Pullo amiculo.* Fulvius *Pullo amictus solus Perseus.* Lipsius *Pullo amictu simul filio;* Philippo nimirum, qui, minoribus natu ab Ione traditis, apud patrem manserat, et simul cum eo sese Octavio dedidit. Cæterum quia in unico libro verba non semel fuere transposita, de quo et Sigonius queritur, veniebat in mentem, *Pullo amictus Perseus ingressus est castra; filio, nullo suorum alio comite.* J. F. Gronov. *Pullo amictus pallio* primum inveni in ed. Lugdun. 1553. hinc in Paris. 1573. quod reliqui servarunt usque ad Grunerum, cujus postuma ed. Turnebi *Pullo amictus villo* recepit. *Pulla amictus*

abolla Sigonii in prima ed. Scholiorum ejus exstat, quod postea ipse damnavit, altera, quam ejus nomine edidi, conjectura substituta. Lipsii conjectnram probat Doujatius, addita tamen vocula, quam excidisse putabat, hoc modo: *Pullo amictus simul filio Perseus ingressus est castra, nullo suorum alio comite, quam qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret.* Verum, præterquam quod lectio hæc nimium a vulgato recedat, alibi Livium ita vocem *simul* construere non memini, ut notavi ad I. 31. § 3. Crevierius Gronovio adsentitur. Mihi non displicet conjectura Grævii ad Flori IV. 2. § 45. qui legit *Pullo amictus cum filio Perseus,* modo mox pro *faceret* legatur *faciebat.* Si enim *faceret* serves, id indicare videtur, ideo nullum alium, præter filium, comitem ipsi additum esse, ut hic calamitatis socius eum miserabiliorem faceret; quod Romanos quæsisse verisimile non est. At si legas *faciebat,* Livius tantum narrat, quid inde evenerit, quod solo filio comitante castra ingressus sit: nempe inde omnibus miserabiliorem visum esse.

Nullo suorum alio comite] Manutius legit, *nullo suorum alio, præter Philippum filium, comite.* Sigon.

Donec consul lictores misisset] Scribe *misit.* J. F. Gronov. Vide ad I. 7. § 14.

§ 5 *Adversus advocatos in consilium considere jussit*] *In concilium* ed. Paris. 1573. et inde recentiores, donec Gronov. XLIV. 2. § 5. *in consilium* iterum vindicaret, quod etiam 1665. contextui reddidit. *Adversus advocatos* est e regione eorum. XXIV. 49. 'Extremi prope Oceanum adversus Gades colunt.' Vide ad VII. 14. § 9. At secundum Val. Max. V. 1. 8. Paullus Persen 'introductum in tabernaculum lateri suo proximum in consilio sedere jussit, nec honore mensæ indignum judicavit:' sive, ut refert Eutrop. IV. 7. 'juxta se in sella conlocavit.'

CAP. VIII. § 4 *Bello patris tui, quod nobiscum gessit*] Apud Sallust. vulgo editur in Jugurth. c. 17. 'Eas gentes, quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, adtingere.' At Cortius in nonnullis Mss. invenit *quibus nobiscum bellum:* quam lectionem recte rejecit. Caussam tamen facti, quam reddidit, probare nequeo. Prætexit enim, eam locutionem esse contra magnitudinem aut decus populi Romani ac Romani scriptoris. Quasi vero aliquid in eo momenti foret, utrum Romani dicerent, aliquas gentes secum bellum gessisse, an se cum gentibus illis. Certe hoc loco Æmilius Paullus apud victum Perseum fatetur, patrem ejus cum Romanis bellum gessisse. Et ita mox addit, Perseum maluisse, sibi cum Romanis bellum, quam pacem, esse.

Pacis postea, quam cum summa fide adversus eum coluimus] *Cum summa fide* vere Livianum est. Supra XXIII. 14. 'In societate Romana cum fide perstare;' ubi plura vide. XXXII. 1. 'Quæstiones, quas prætor cum fide curaque exercuisset, perficeret.' XL. 50. 'Eam deditionem oppidorum haud cum fide factam.' XLIII. 21. 'In amicitia cum fide permanserant.' Similiter 'cum cura coactum agmen' XXXVIII. 18. § 7. ubi plura vide. Locutio etiam Liviana est 'colnimus pacem adversus eum,' quam inlustravit Gronov. Obs. II. 20.

Et vim bello, et fidem in pace] Invitis libris vulgatum haud temere mutandum censeo. Vide tamen num præstet *et vim in bello, et fidem in pace:* ut præpositio *in* priori loco elisa sit ab ultima litera vocis præced. *vim.* Vide ad X. 13. § 3. Livium autem præpositionem repetere solitum esse, vidimus ad VI. 28. § 6. Et quidem eadem, qua hoc loco, orationis compositione obcurrit I. 45. 'Formatis omnibus domi et ad belli et ad pacis usus.' III. 68. 'Qui vos nec

in armis, nec in otio esse sinunt.' v. 32. 'Prædas passim et ex Salpinati agro, et ex Volsiniensi egerunt.' VII. 1. 'Et ab seditione, et ab bello quietis rebus.' VIII. 1. 'Nec in fide populi Romani, nec in ditione essent.' XXXV. 29. 'Et ex fortuna pugnæ, et ex ingenio ducis conjectans:' ita etiam Auctor ad Herenn. III. 13. 'Contentio est oratio acris et ad confirmandum et ad confutandum accommodata.' Ita cod. Traject. quod et in duobus suis Mss. invenit Jac. Gronov. quem ibi vide.

§ 5 *Non modo spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis, præbet. Hæc Græco sermone*] Val. Max. v. 1. 8. Paullus Persen 'dextra manu adlevavit, et Græco sermone ad spem exhortatus est:' ubi in Pithœi codd. *Graio sermone* reperiri, Hearne ad hunc locum monuit: 'Iis favere videntur Mss. quos *grato*, pro *Græco*, præferre alii monuerunt: 'gratus' enim et 'Graius' sæpissime a librariis confundi, monui olim ad Silii VI. 327.' Verum rectius apud Val. Max. viri docti *Græco* ediderunt, quibus adstipulantur duo codd. Traj. quorum prior voce auctior legit *ad spem vitæ exhortatus est:* quod fere convenit verbis Livii hoc loco. Quod enim ibi *vita*, hic *salus* vocatur. Alios igitur auctores secutus est Plutarch. in Æmil. p. 269. qui narrat Persen, quum ad Æmilium perductus genua ejus supplex amplecteretur, acriter ab eo increpitum fuisse, Æmiliumque Perseo exprobrasse, quod turpem vitam honestæ morti prætulerit. Dissensum scriptorum in hac historia notat Zonar. Annal. IX. 23.

§ 6 *Quum, quid vesper ferat, incertum sit*] Proverbium est, quo Varro usus est, unam Satyrarum inscribens, 'Nescis, quid vesper serus vehat.' Vide Auson. Popmam Conject. ad Varr. Satyr. p. 661. et Erasmi Adagia tit. 'Incertus eventus' p. 867.

§ 7 *Consilio dimisso*] Hæc antiquiorum edd. lectio est; pro quo Modius dedit *concilio*. Sed recte Gronov. ad XLIV. 2. § 5. alterum vindicavit, et 1665. Livio reddidit.

§ 8 *Invitatus ad consulem Perseus*] Val. Max. v. 1. 8. 'Nec' Persen 'honore mensæ indignum judicavit.' 'Invitare' igitur hic accipiendum ad cœnam invitare. Supra I. 57. 'Victor maritus comiter invitat regios juvenes.' III. 14. 'Benigne salutare, adloqui plebis homines, domum invitare, adesse in foro.' XXIII. 4. 'Plebem adulari, salutare, benigne invitare, adparatis accipere epulis.'

CAP. IX. § 2 *Per Europæ plerumque*] *Plerumque Europæ* dixit, ut Sallust. in Jugurtha cap. 21. 'plerumque noctis. Sed ubi plerumque noctis processit.' *Sigon.* Hoc nonnihil dissimile est. Nam in eo supplendum est *tempus*, hic *spatium*, aut aliud hujusmodi. Non rejicio *plerumque;* præferrem tamen *pleraque*, vel *Europam pleramque*. Mela I. 4. 'Pleraque ejus' (Africæ) 'inculta.' Sallust. Jugurth. c. 79. 'Qua tempestate Carthaginienses pleræque Africæ imperitabant.' *Duk.* Locutionem 'plerumque noctis' illustrat Ciaccon. ad d. l. Sallustii. *Plerumque Europæ* dictum, ut 'medium campi,' 'exiguum spatii,' et similia, de quibus vide ad XXVII. 2. § 9. Quod tamen Dukero placet, usitatius est.

§ 3 *Vicesimum ab Carano, qui primus regnavit, Persea numerabant*] Justin. XXXIII. 2. 'Macedonia,' inquit, 'ab Carano, qui primus in ea regnavit, usque ad Perseum triginta reges habuit.' Eusebius autem quadraginta reges Macedoniæ usque ad Perseum nominat; ut dubitandum non sit, quin ex notis numerorum et apud Livium, et apud Justinum menda manaverit, et utrobique *XL.* legendum sit. *Sigon.* Contra Lud. Nonnius Comment. ad Goltzii Græc. p. 208. testatur, se ex Justino audacter *trigesimum* rescribere. Ceterum apud Eusch. Græcum pag. 187. ed. Scal. invenio Μακεδόνων

ἐβασίλευσεν λη′ Περσεὺς ἔτη ι′. ubi legendum ἐβασίλευσεν λθ′. Nam p. 185. refertur Μακεδόνων ἐβασίλευσεν λη′ Φίλιππος ἔτη μβ′. Et Hieronymus in Eusebii Chron. Lat. p. 145. 'Macedonum tricesimus nonus Perses ann. x.' Nihilominus Doujatius exemplo Sigonii Persen *quadragesimum* Macedoniæ regem ab Eusebio recenseri monet.

Regnavit undecim annos] Eum decem annis regnasse, Eusebius et Hieronymus locis modo laudatis statuunt. Secundum Livium regnum accepit Q. Fulvio, L. Manlio consulibus; qui in Fastis Capit. consules fuerunt a. IↃLXXIV. victus et captus est L. Æmilio iterum et C. Licinio consulibus, qui consulatum obtinuerunt anno IↃLXXXV. Livius itaque, undecim annos numerans, alterutrum tantum annum, vel quo regnum adeptus est, vel quo iterum regno excidit, computavit: de quo vide ad XLII. 10. § 5. At forte Eusebius neutrius eorum rationem habuit.

§ 4 *Græciam omnem ac partem Thraciæ atque Illyrici amplexa*] Sigonius in tertia ed. adjecit *potentia*. Non dubium est mihi, quin tale aliquid desideretur: nam pleraque eorum, quæ hic dicuntur, viribus peraguntur, non fama. XXXVI. 32. 'Simul aviditate plura amplectendi hinc excedatis.' l. XXXVII. cap. 54. 'Græci domesticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur.' XXXIX. 44. 'Jacentem hostes superfusi oppresserunt.' *Duker.* Per Sigonii ed. tertiam, intelligitur Veneta, quæ eo mortuo prodiit a. 1592. in ea editum inveni 'Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntæ filium potentia fuit.' Volnisse igitur videtur, Macedonum potentiam fuisse obscura fama. Sed eam lectionem nullus præterea adoptavit, neque ejus vestigium in prima ed. ex unico codice procurata exstat. Adscita autem vox est ex Sigonii conjectura, quod additum ad verba illa ipsius Scholium indicat: 'Ex iis, quæ sequuntur, deesse mihi videtur vox *potentia*, ut sit *potentia fuit.*' Id autem Scholium posteriores editores omiserunt, quia ipsam Sigonii conjecturam ex contextu ejecere. Verum, vel sic etiam hic superesse, ex re fore existimavi. Ceterum *et partem Thraciæ* omnes typis descripti ante Gruterum, qui, nescio cur, *ac partem* edidit, consentientibus omnibus recentioribus.

§ 6 *Qua terrarum ultimus finis Rubrum mare amplectitur*] Forte *ultimos fines.* Lib. XXXVI. 17. 'Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare Rubrum oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit?' lib. XXXVIII. cap. 60. 'Imperium populi Romani propagaverit in ultimos terrarum fines.' *J. F. Gronov.* XLII. 52. 'Nec ante vincere desierint, quam Rubro mari inclusis, quod vincerent, defuerit.' Error inde oriri potuit, quod *finis* quarto casu plurali scriptum fuerat. *Duk.* Omnino probanda videtur Gronovii conjectura: non enim terra ex opinione veterum amplectitur oceanum, sed contra oceanus amplectitur terram. Mela I. 1. 'Hujus medio terra sublimis cingitur undique mari.' Paullo post ibid. 'Hæc ergo ab ortu porrecta ad occasum, et, quia sic jacet, aliquanto, quam ubi latissima est, longior, ambitur omnis oceano.' III. 1. 'Dicta est ora nostri maris; dictæ insulæ, quas amplectitur. Restat ille circuitus, quem, ut initio diximus, cingit oceanus.' Vide Cic. in Somn. Scip. c. 6. Strab. Geogr. I. 100. Plin. H. N. II. 66. et Macrob. ad Somn. Scip. II. 9. Livius autem exemplo omnium veterum per mare Rubrum sive Erythræum intelligit oceanum Indicum. Vid. Barthol. Barrienti Annot. Silvam c. 7. et peculiarem τοῦ μακαρίτου Relandi dissert. de Mari Rubro.

§ 7 *Distractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt, lacerantes viribus*] Velim *dum ad se quisque opes*

rapiunt, laceratis viribus. Infra c. 19. 'Ambo infirmos distractis viribus et omnibus injuriis obnoxios fore.' *J. F. Gronov.* Burm. ad Ovid. Met. I. 626. non sine caussa ægre ferens Clericum Gronovii emendationem in contextum recepisse, verisimillima conjectura, unica tantum litera mutata, legebat *lacerantes vicibus:* quam emendationem probat egregie bellis quatuor vel quinque, inter successores Alexandri Magni gestis, quibus quasi vicibus imperium ab eo quæsitum lacerarunt. Ita *vicibus* pro 'per vices' Manil. II. 153. 'Alternant genus, et vicibus variantur in orbem.' III. 553. 'Et modo deest aliud, modo adest, vicibusque recedit.' vs. 671. 'Cetera nunc urgnent vicibus, nunc tempora cedunt.' Juven. Sat. VII. 239. 'ne turpia ludant, Et faciant vicibus.' 'Per vices' dixit Suet. in Calig. c. 22. Pari modo *vices* pro *vires* Gronov. reddidit Senecæ Controv. I. 1. Triller. Obs. Crit. III. 8. conjicit Livium scripsisse *laceratis urbibus.*

Centum quinquaginta annos] Plerique libri Justini l. XXXII. c. 2. habent *CXCII.* nonnulli, quos inter cod. Acad. Duisburg. *CLII.* quidam etiam *CL.* ut hic Livius. Si initium annorum *CXCII.* ab anno primo Olympiadis *CV.* quo Philippus Amyntæ filius, Alexandri Magni pater, regnare cœpit, ducatur, ab eo usque ad annum primum Olymp. CLIII. et captum Persen sunt integræ Olympiades XLVII. cum tribus annis Philippi et uno Persei, quæ annorum *CXCII.* summa est. Livius initium *CL.* annorum videtur duxisse a morte Alexandri Magni, quæ in annum primum Olymp. *CXIV.* incidit, a quo usque ad finem regni Macedonici sunt anni *CLVI.* quos rotundo numero *CL.* dixisse potuit. *Duk.*

CAP. X. § 1 *Cassandriam inde trajecit*] *Cassandream* edd. Sigonii. Reliquæ omnes vulgatum servant. Vide ad XLIII. 23. § 7.

§ 3 *Ad Alexandriæ mœnia*] *Alexandreæ* edd. principes, pro quo Vascos. demum *Alexandriæ* recepit; cui mutationi caussa fuisse videtur, quod cap. hoc, et cap. seq. in princ. ita in iisdem illis edd. quæ hic et sæpe alibi aliam ortbographiam sequuntur, datum videret. Vide ad XXXI. 43. § 5.

§ 5 *Orantes, ut Rhodum deveherentur*] Quid si *deverterentur?* 'Devertere' enim dicuntur, qui de cursu et itinere instituto deflectunt. XLIV. 43. 'Cum perpancis maxime fidis via devertit.' Cic. de Offic. II. 18. 'Villicis imperavisse, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset.' Gellius III. 13. 'Demosthenes quum ad Platonem pergeret, &c. visum est paullum devertere.' Hoc etiam dici 'deverti,' ostendit Nic. Heinsius ad Ovid. Am. II. 6. 9. ubi pro eo, quod in Sueton. Tib. cap. 12. plerique libri habent, 'Nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin deverteret Rhodum,' probat *deverteretur,* quod in uno scripto apud Casaubon. erat; cum quo etiam alius scriptus et vet. ed. apud Burmannum consentit. Etsi autem *deverterentur* huic loco non male convenit, tamen ob id solum vulgatam scripturam Livii, in qua nihil vitii animadverto, sollicitandam non puto. *Duk.*

§ 6 *In concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt*] *Iidem,* nempe principes Rhodiorum. Non opus igitur, ut cum A. Perizonio legamus *iisdem precibus.*

§ 9 *Ut, quum propriæ simultatis*] Hæc multo forent clariora, si scriberetur, *ut ex unius sen. Rom., cui propr. sim. nulla caussa cum civ. esset, ac., qualis in se un. sen. animus esset, conj.* J. F. Gron.

§ 10 *Penes paucos concitatores vulgi*] Est imprudentium correctorum: nam vetus liber habuit *concitores,* quod

jam non semel Nostro reddidimus. *J. F. Gron.* Parisienses dederunt *concitatores* an. 1573. quum priores rectius legerint *concitores*. Vide ad XXIII. 41. § 2.

§ 11 *Quæ omnia, si tamen populo foret, in capita noxiorum versura*] Suspicor ita legendum: *Quæ omnia, si potestas populo foret.* Nam p̄tas et tam̄ decepisse librarium imperitum videntur. Hanc certe vocem sententia postulat. *Sigonius. Si potestas populo foret* Sigonii commentum: nam exemplar scriptum *si tamen populo foret.* Nec potestati locum hic video: quis enim impediret, ne esset potestas? Scribe, *Quæ omnia, si is animus populo foret, in capita noxiorum versura.* Qualem nempe descripserat, dum ipsos excusat. *J. F. Gron.* In literis secundæ vocis latent clare satis *ea mens:* et ita scribendum censeo, quum ad sententiam hanc tantum pater concurrerit. Livius XL. 34. 'Mens vero ut nova et orationi conveniens esset.' Ad eandem conjecturam se quoque Perizonius delatum mihi significavit. *Jac. Gron.* Doujatius conjicit *si crimen populo abforet.* Sed literarum ductus clamant, Jac. Gronovii conjecturam præferendam esse: eamque etiam Crevierius probavit. Varie huic loco succurrere conatur Triller. loc. laud. Non tantum enim idem quod Jac. Gron. et Perizonio, sibi quoque in mentem venisse monuit, verum insuper scribi posse *si solamen populo foret,* aut *ferret,* vel *si tamen populo gratum foret.*

§ 14 *Excesserunt urbe sub adventu Romanorum*] Ita ed. princeps, pro quo Frob. mox a. 1535. dedit *sub adventúm:* id autem obtinuit usque ad Gron. qui a. 1665. alterum Livio reddidit, licet in notis mutatæ lectionis non meminerit. Utrumque, et 'sub adventu,' et 'sub adventum,' recte dici, vidimus ad II. 55. § 1. quare a prima ed. recedendi rationem non video.

§ 15 *Quam perseverantiam in exsequenda re Decimii lenitas*] Si sensum diligenter attendas, profecto hanc vocem excidisse intellexeris, *Decimii lenitas afferebat.* Sigonius. Doujatius supplet *Decimii lenitas efficiebat;* Crevierius *Decimii lenitas ultro accenderat.*

CAP. XI. § 1 *Antiochus, frustra tentatis mœnibus Alexandriæ, abscesserat*] Livii putem, *Antiochus, frustra tentatis mœnibus, Alexandria abscesserat.* J. F. Gronov. Quod Gronovio Livianum videtur *Alexandria abscesserat,* nihil Doujatium movet, addita hac ex Themidis penetralibus petita ratione: 'qui enim 'mœnia' frustra tentaverat, is 'urbe' abscessisse proprie dici non potest, nisi hic valere velimus JCtorum sententiam, qui, licet 'urbis' adpellationem muris finiant, 'Romæ' tamen, et sic aliarum civitatium, nomina ad continentia ædificia porrigant.' Quasi vero, qui mœnia urbis Alexandriæ frustra obpugnarat, obsidione solnta, 'Alexandria abscedere' dici non posset, quod castra urbi continua non fuissent, sed parvulo spatio inde disjuncta. Ceterum mihi etiam, sed aliam ob caussam, Gronovii emendatio displicet. In verbis enim nihil mutandum, sed, utraque tantum minori distinctione sublata, cum priscis edd. legendum videtur, *Ant. frustra tentatis mœnibus Alex. abscesserat:* quomodo etiam Crevierius edi curavit. *Abscedere mœnibus,* ut 'abscedere a mœnibus' mox hoc cap. 'Postquam a mœnibus abscessum est.' et XLIV. 19. 'Abscessurus a mœnibus Alexandriæ.'

§ 2 *Dum conterritum . . . . haberet*] Legendum *quum conterritum, &c. haberet,* vel *dum conterritum, &c. habet.* Vide ad I. 40. § 7. Mox *recipi Alexandriæ,* et § 7. *Alexandriam recipitur* primus vulgavit Vascos. quum priores ederent *Alexandreæ* et *Alexandream;* quod restitui. Vide ad cap. præc. § 3.

§ 4 *Pelusii validum relictum erat præsidium*] Commodius *reliquerat*. J. F. Gronov. Vide ad XXIII. 29. § 16. Licet autem forte *reliquerat* commodius sit; Clerici tamen consilium, qui conjecturam hanc, inscio lectore, contextui inseruit, probare nequeo.

§ 5 *Ut, quum velit, rursus exercitum induceret*] Lege *vellet*. J. F. Gron.

§ 10 *Circa Rhinocolura*] Ptolemæus et Stephanus Ῥινοκόλοιρα edunt: at Strabo Ῥινοκόλουραν. *Sigon.* Græcis plerisque est Ῥινοκούρουρα et Ῥινοκόρουρα, quibusdam Ῥινοκόλουρα. Loca eorum habet Relandus in Palæstina. Postremum videntur probasse Latini. Nam *Rhinocolura* præter Livium etiam Plinius Hist. Nat. v. 13. Senec. de Ira III. 20. et Ammian. Marcell. XXII. 16. dicunt. Nec sine ratione. Vide Reland. pag. 970. *Duk.* Vide Harduin. ad Plinii loc. laud.

§ 11 *De conditionibus peractis responsum acciperet*] Vox *peractis* Crevierio videtur esse mendosa, pro qua Livium scripsisse conjicit *delatis*. Aliquid latere mendi certum videtur, nisi forte *peractis* exponas 'perfectis;' de quo vide Burm. ad Nason. Her. v. 41.

CAP. XII. § 1 *Præteriit, * navigantibus ostio Nili ad Pelusium, per deserta Arabiæ * ad Memphim incolebant*] Loci manci et depravati hæc futura fuit sententia. Loquitur de Antiocho ad subigendam Ægyptum revertente: 'Navigantibus,' inquit, 'ostio Nili, quod est ad Pelusium, per deserta Arabiæ populi sese dediderunt. Deinde receptus ab iis, qui ad Memphim incolebant, et ab cæteris Ægyptiis partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus descendit.' Locum autem asterisco notavi. *Sigonius.* Sensus: 'postquam dies data induciis præteriit, navigans ab ostio Nili ad Pelusium per deserta Arabiæ ad Memphim, receptusque et ab cæteris Ægyptiis.' *J. F. Gronovius.* Supplementa Sigonii Clericus recepit. At Crevierius ex conjectura fere Doujatii ita edidit: *præteriit, [præfectis maritimarum virium, quæ terrestrem exercitum comitabantur,] navigantibus ostio Nili ad Pelusium, [ipse] per deserta Arabiæ [ingressus Ægyptum, receptusque ab iis, qui] ad Memphim incolebant, &c.* Suspicatur itaque, præter classem Syriacam, quæ Cyprum supra c. 11. missa dicitur, et infra hoc cap. a legatis Romanis dimissa e Cypro memoratur, Antiochum apud se retinuisse aliquas maritimas copias, ut simul terra, simul mari Ægyptum adgrederetur: eas autem hic intelligendas navigasse per ostium Nili ad Pelusium, dum ipse Antiochus terrestri exercitu per deserta Arabiæ Ægyptum petit.

§ 3 *Ad Leusinem transgresso flumen*] Legendum suspicor *ad Eleusinem*. Sic enim vicus in Ægypto vocabatur, ubi grammaticam etiam docuit Callimachus. Suidas in ejus vita: πρὶν δὲ συσταθῆναι τῷ βασιλεῖ, γράμματα ἐδίδασκεν ἐν Ἐλευσῖνι κωμυδρίῳ τῆς Ἀλεξανδρείας. *Turneb.* Advers. XI. 18. Lege *ad Eleusinem* ex Strabone XVII. 800. Meminit et Athenæus lib. XIII. pag. 576. ubi de concubinis Ptolemæi Philadelphi: καὶ Στρατονίκην, ἧς τὸ μέγα μνημεῖον ἐπὶ τῇ πρὸς Ἐλευσῖνι θαλάσσῃ. *H. Vales.* Similiter ex Strabone legendum monuit Ortelius in Thes. Geogr. voce 'Eleusina.'

§ 4 *Tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit*] Cum his conferendus est Polyb. Exc. Legat. num. XCII. ubi inter alia refert, Πρόχειρον ἔχων τὸ δελτάριον, ἐν ᾧ τὸ τῆς συγκλήτου δόγμα κατεγέγραπτο, προὔτεινεν αὐτῷ. Conferendus etiam Val. Max. VI. 4. 3. 'C. vero Popillius, a senatu legatus ad Antiochum missus, ut bello se, quo Ptolemæum lacessebat, abstineret, quum ad eum venisset, atque is promto animo et amicissimo vultu dextram ei porrexisset, in vicem ei suam porrigere noluit, sed tabellas senatusconsultum continentes tradidit.' Ex

utroque hoc loco Ursin. ad d. l. Polyb. librarium codicis unici errasse, et pro *scriptum* legendum esse *senatusconsultum* censuit. Firmat hanc emendationem etiam Justinus, itidem *senatusconsultum* memorans, XXXIV. 3. 'Popillius facessere interim privatam amicitiam jubet, quum mandata patriæ intercedant: prolatoque senatus decreto et tradito, quum cunctari eum videret,' &c. Ursinus existimat librarium Livii scriptum invenisse *SC* (vel potius *SCtum*) et aliud agentem inde fecisse *scriptum*. Sane in his notis sæpe scribas variis modis errasse, vidimus ad XXII. 10. § 1.

§ 5 *Quibus perfectis*] Malim *perlectis:* nam de literis loquitur. *Sigonius.* Scholion hoc Sigonii demum in ultima ejus ed. adparuit, quæ eo mortuo prodiit a. 1592. Eo vero emendat errorem typographicum in prioribus edd. suis admissum: præter eas enim omnes edd. recte *perlectis* præferunt.

Virga, quam in manu gerebat] Ἀμπελίνην βακτηρίαν vocat Polyb. Exc. Legat. num. XCII. Ceterum quod præter Livium Popillio etiam tribuunt Polyb. Valerius Max. Justin. loc. laud. Cicero Phil. VIII. 8. Velleius Pat. I. 10. App. B. Syriac. 131. et Plutarch. in Apophth. 202. solus Cn. Octavio tribuit Plinius Hist. Nat. XXXIV. 6. Sed gravissimum committit errorem, confundens legationem, quam hoc anno obiit C. Popillius, eamque, quam quinquennio postea obiit Cn. Octavius. Priorem auctores modo laudati et inter eos Cic. et Appian. Al. referunt; posteriorem idem App. Al. B. Syr. p. 117. et Cic. Phil. IX. 2. aliique. Perperam igitur Hardninus Plinium loco ultimo Ciceronis aliqua ex parte erroris absolvere conatus est.

Redde responsum, senatui quod referam] Ita interpungendum monuit Jac. Perizon. ad XXVIII. 12. § 13. eamque distinctionem Jac. Gronov. recepit. Antea edebatur *Redde responsum senatui, quod referam.*

§ 7 *Pars Cyprum navigant*] Desidero quo altera pars legationis, quæ tamen trium tantum erat hominum, et cætera omnia communiter egit, abierit. Tum nihil tale Polybius Excerpt. Leg. XCII. qui res in Ægypto et Cypro gestas eidem adscribit, atque utrobique τοὺς περὶ τὸν Ποπίλλιον, qui princeps erat legationis, memorat. Quid multa? Corrige, *inter quos vixdum convenerat pax, Cyprum navigant.* Solet non in membranis tantum, sed et ipsis lapidibus ac nummis, hoc modo *PAXS* scribi, quod quam facile in *pars* transire potuerit, quis non videt? De his fratribus supra c. 11. 'Pace facta Alexandriam recipitur' major a minore. *Jac. Perizon.* Vide Gronov. Diatr. Stat. c. 46. Mox *classem Antiocho dimittunt* ed. princeps, pro quo proxime Frob. 1535. *Antiochi* dedit.

§ 11 *Circa Macros campos ad montes Siciminam et Papinum*] *Macros campos* vocari totum illum tractum inter Parmam et Mutinam, certum tamen aliquem locum in his campis exstitisse in oppidi modum ædificiis exstructum, qui 'Macri campi' diceretur, et circa hunc tractum inter proximas Alpium radices fuisse 'Siciminam et Papinum montes,' docuit Cluver. Ital. Ant. I. 28. 280. Mox forte *hibernavit,* pro *hibernabat,* legendum.

§ 13 *C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat*] Hunc Sardiniam, Cn. Bæbium urbanam, L. Anicium peregrinam jurisdictionem, et 'si quo senatus censuisset,' sortitos fuisse lib. XLIV. c. 17. dixit. Anicius deinde in Illyricum missus est ibid. cap. 21. nec causa dubitandi est, quin prætor urbanus eo absente utramque jurisdictionem, ut mos erat, exercuerit. Is autem erat Cn. Bæbius, non C. Papirius. Cur ergo hunc potius, quam prætorem urbanum, jus inter cives et peregrinos dicere Patres censuerunt? aut quid deinde Cn. Bæbio factum

est? Enm in provinciam missnm fuisse, et C. Papirio jurisdictionem mandasse, non probabile est, quia nec in Livio quidquam legitur, unde id colligi possit; nec ullum exemplum jurisdictionis a prætore urbano alii ob eam causam mandatæ proditum scio. Suspicor Bæbium, Anicio in Illyricum profecto, fato functum fuisse, et senatum post illius mortem Papirio utramque jurisdictionem decrevisse; quemadmodum, prætore urbano mortuo, utraque jurisdictio prætori peregrino decreta fuit lib. XXXIX. c. 39. Sardiniæ autem etiam hoc anno probabile est imperio prorogato præfuisse P. Fonteium Capitonem, qui eam a. IↃLXXXIV. sortitus fuerat, XLII. 15. Nec hoc anno solum, verum etiam sequenti IↃLXXXVI. quo A. Manlius Torquatus, cui ea obvenerat, ex SCto ad res capitales quærendas in urbe retentus est, infra c. 16. *Duk.*

Nam eam quoque sortem habebat] Fateor me ignorare, quid hoc sit: suspicionem quidem meam de Cn. Bæbii morte videtur evertere. E quam plurimis locis Livii constat, senatum consulibus et prætoribus provincias decrevisse, et consules ac prætores eas deinde sortitos fuisse. Vide lib. XXVIII. cap. 31. XXXV. 41. XXXVI. 2. XXXVIII. 42. lib. XLII. capp. 28. 31. l. XLIII. capp. 11. 15. XLIV. 17. Jurisdictiones plerumque duæ sortes erant, et hoc anno fuerant, XLIV. 17. Sed interdum ex SCto tantum una, XXV. 3. XXVII. 36. XXXV. 41. XXXVI. 2. XXXVII. 50. Sorti jurisdictionis peregrinæ interdum nominatim provincia addebatur, ut XXVII. 7. et XXIX. 13. 'Gallia;' interdum, non nominata certa provincia, 'quo senatus censuisset,' XXVII. 22. XLIV. 17. at, cui sors illa evenerat, si ei in provinciam eundum esset, jurisdictionem collegæ prætori urbano ex SCto mandabat, XXVIII. 10. Sorti provinciarum etiam nonnumquam quæstiones addebantur, quas prætores, priusquam in provincias irent, extra urbem exercerent, l. XXXIX. capp. 38. 41. XL. 43. Sed nusquam alibi apud Livium legas, cum provinciis, quæ extra Italiam a senatu decernebantur, v. g. Sardinia, Sicilia, et ceteris ita conjunctam fuisse jurisdictionem, ut provincia et jurisdictio tantum una sors esset; aut ullum prætorem cum provincia extra Italiam jurisdictionem sortitum fuisse. Itaque videant doctiores, quomodo intelligendum sit, quod Papirius hic præter Sardiniam, quæ ei sorte evenerat, utriusque jurisdictionis sortem habuisse dicitur. Nam nec senatus uni prætori Sardiniam cum utraque jurisdictione decreverat, sed aliam provinciam jurisdictionem urbanam, aliam peregrinam, aliam Sardiniam esse voluerat, et ii, quos dixi, urbanam et peregrinam sortiti fuerant, Papirius Sardiniam, XLIV. 17. *Duk.*

CAP. XIII. § 1 *Et Popillius et ea legatio*] Fortassis *Ut Popillius et ea legatio.* Hoc autem dictum, ut notavimus superius, 'Virginius et tribuni, Syphax et captivi.' Nam Popillius erat caput legationis. *J. F. Gronov.* Voculas *ut* atque *et* sæpius in Mss. confundi, vidimus ad XXI. 28. § 8. Crevierius contra *Et Popillius* servandum censet, priusque illud *Et* non sequenti eidem particulæ respondere, sed periodum hanc cum præcedente connectere: in sequentibus vero verbum *rediit*, quod plane superfluum judicat, delendum credit, hoc modo: *Et Popillius et ea legatio, quæ missa ad Antiochum erat, Romam retulit, controversias, &c. Popillius et ea legatio*, pro Popillius et ii legati, inlustrat Cortius ad Sallust. Jug. cap. 16. § 2. 'Popillius et ea legatio,' sive ii legati, pro Popillius et reliqui legati, Gronov. et ego ad Livii lib. III. c. 25. § 4.

§ 2 *Legatorum Romanorum jussu paruisse*] Andabatarum more ad hunc

locum digladiatur Donjatius, notans, 'Legendum videtur in dandi casu *jussis*, vel *jusso*, vel *jussui*; nisi *paruisse* referas ad nomen *senatui*, cui *paruerit Antiochus jussu legatorum*, seu *jubentibus* senatus nomine *legatis*.' Nisi antecessor Parisiensis glorioso JCtorum ordine indignum censuisset, ad exemplum grammaticorum vetustas edd. consulere, didicisset, omnes omnino edd. præferre *jussis* usque ad Gronovianam a. 1665. in qua typographorum errore *jussu* vulgatum est. Eamdem lectionem perperam recentiores servarunt, nisi quod nuper Crevierius priscum *jussis* revocarit.

§ 3 *Ad quam ope, si quid imp. foret, adfuturum regem fuisse*] Legendum puto, *ad quam summa ope*. Sic enim I. 56. 'Rem summa ope taceri jubent.' Item cap. 29. 'Cum bellum utrimque summa ope pararetur.' Et XXVI. 15. 'Ad impediendam rem actam, quæ summa ope approperata erat.' Et Sallust. in Jugurth. c. 25. 'Summa ope euisum est, ne tale decretum fieret.' Et XXVII. 46. 'Summa ope orare.' Sic alias sæpe uterque. Numquam vero *ope* tantum. *Sigon.* Liv. I. 23. 'Bellum utrimque summa ope parabatur.' II. 2. 'Id summa ope tuendum esse.' III. 35. 'Honorem ab se summa ope inpugnatum suppliciter petentes.' l. v. c. 26. 'Patres summa ope evicerunt.' XXIII. 27. 'Summa ope Decius Magius restiterat.' XXIV. 4. 'Huic consilio ejus summa ope obstitere filiæ.' XXX. 7. 'Summa ope et ipsum reparantem bellum.' XXXII. 22. 'Summa ope petendum erat.' XXXVIII. 45. 'Cn. Manlium summa ope tetendisse.' Sallust. Catil. cap. 1. 'Summa ope niti decet.' cap. 38. 'Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas:' ubi vide Cort. 'Summis opibus' dixit Liv. l. XXXVIII. c. 50. 'maxima ope' Sall. Jug. cap. 14. § 20. 'omni ope' Liv. VIII. 16. ubi vide.

§ 4 *Nomine regis et Cleopatræ*] Possis suspicari *regum*. Ut et mox, 'Regibus Ægypti Ptolemæis et Cleopatræ:' nam uterque fratrum regnabat. Polybius Exc. Leg. num. XCV. Ὅτι κατὰ τὴν Αἴγυπτον οἱ βασιλεῖς ἀπολελυμένοι τοῦ πρὸς Ἀντίοχον πολέμου, πρῶτον μὲν εἰς Ῥώμην πρεσβευτὴν ἐξέπεμψαν. Sed tamen etiam eleganter 'reges Ægypti, Ptolemæus et Cleopatra.' De quo id etiam. *J. F. Gronov.* Si cum Gronovio hic *regum*, et mox *Ptolemæis* scribendum, etiam verbis præcedd. legendum videtur *Ptolemæorum legati*. Sed Gronovii conjecturam sibi displicere testatur Donjatius, reddita hac caussa; quia Ptolemæus junior in Cyrenaica et Libya, major in tota Ægypto regnabant ex pacto, quo sancita inter fratres concordia fuerat. Utrum tamen jam eo tempore divisio illa regni inter fratres facta sit, admodum dubito. Certe, eos olim simul regnasse, colligitur ex Justin. XXXIV. 2. Et hinc Polyb. Excerpt. Legat. num. CVII. eos diu post hæc tempora τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βασιλεῖς vocat. Vulgatum etiam tuetur Crevierius, et per 'Ptolemæum regem' intelligit Ptolemæum juniorem, qui solus auxilium imploraverat Romanorum, et propter quem missa legatio a Romanis fuerat. Si autem vulgatum serves, mox 'regibus Ægypti' dicetur de Ptolemæo et Cleopatra, de quo vide ad I. 39. § 2. et Duker. ad Liv. XXXVII. 3. § 9.

§ 9 *Literæ deinde Macedonia adlatæ*] Sic et Justinus XII. 1. 'Epistolæ Antipatri Macedonia ei redduntur.' Facile tamen excidere præpositio potuit. *J. F. Gron.* A. Perizonius vulgatum *Macedonia adlatæ* tuetur, ad marginem Livii adscriptis locis hoc lib. cap. 10. 'navigare Ægyptum:' et cap. 11. 'exercitum Ægyptum induxisse.' Quum tamen hæc pars operis Liviani ex unico cod. servata sit, facile evenire potuit præpositionem *e* excidisse ob vocis præced. *deinde* literam finalem, ac legendum esse *e*

Macedonia adlatæ. Præter exempla quæ notantur ad VIII. 4. § 12. vide ad X. 43. § 11. et XXIX. 19. § 3. In loco etiam Justini, quem Gronov. laudavit, nunc vulgo editur *e Macedonia,* et viri docti in Mss. invenerunt *a Macedonia.* Mox *lætitiam geminarunt* ad marginem Livii conjicit Jac. Perizonius.

§ 10 *Inter Pisanos Lunensesque*] Cluver. Ital. Ant. II. 3. citat *Lucenses* et *Lucensibus.* Hoc verum puto. Nam nusquam, quod sciam, proditum est, 'Lunam' hoc tempore coloniam fuisse. 'Lucam' autem ante novem annos colonia civium Romanorum deducta fuerat, XLI. 13. quæ quod propior erat Pisis, quam Luna, facilius inter Pisanos et 'Lucenses,' quam inter Pisanos et 'Luneuses,' controversiæ de finibus oriri poterant. *Duker.* Vide ad XLI. 13. § 4.

§ 11 *Ti. Sempronium Muscam*] Ita primus edidit Sigonius, ex quo id hausit Pighius in Annal. ad annum IↃLXXXII. p. 368. eum deinde secutus Gruterus ita vulgavit in ed. postrema, unde adoptarunt omnes recentiores. Priores præferunt *T. Sempronium:* quod cur rejiciendum sit, nondum video. Respicienda sunt quæ notantur ad l. XXXIII. c. 36. § 5. Mox *C. Apuleium* edd. antiquiores. *C. Appuleium* dedit Sigon. Vide ad Epit. Liv. l. V.

§ 12 *Masgabæ regis Masinissæ filio*] De voce 'Masgabas' vide Casaub. ad Sueton. Aug. c. 98. Hunc 'Masgabam' eumdem esse, quem 'Massugradam,' Masinissæ ex concubina filium, vocat Sallustius in Jug. cap. 108. existimat Doujatius: sed Masgabam et Massugradam diversos, verum ambo ex concubina natos esse, statuit Spon. in Miscell. p. 147. ubi Masinissæ stemma plenius exhibet, quam illud dedit Sigonius ad XXIX. 31. § 1. Ceterum Frobenii ed. quæ passim *Masanissa* scripsit, in quinque ultimis libris, quos prima ex unico cod. vulgavit, semper dedit *Masinissa,* unde ita etiam in Msto illo lectum fuisse verisimiliter efficio; de qua orthographia vide ad XXIV. 49. § 1.

§ 13 *In Macedoniam misit*] Scribe *misisset.* J. F. Gron.

§ 14 *Quod rogasset eum per legatos senatus, quæ ad bellum opus essent*] Ita ultima Gruteri ed. eamque secutæ recentiores omnes. At priores constanter legunt *quæ ad bellum opus esset,* quasi τὸ *quæ* casu quarto accipiendum foret. Hæc et similia probare videtur Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. 13. p. 622. et c. 15. p. 795. et, quemadmodum ablativus τῷ *opus* additus regitur ab omissa præpositione *cum* vel *in,* ita accusativum addi posse putat per ellipsin præpositionis *ad* vel *propter.* Verum neutra earum addita, nec *opus esset ad quæ ad bellum,* nec *opus esset propter quæ ad bellum,* hic commodum sensum efficere potest. Potius igitur adsentior Vossio Gramm. VII. 8. censenti, licet apud Plautum, Lucretium, et alios *opus* ἀρχαϊκῶς accusativum reciperet, numquam tamen Ciceronem et optimos ita locutos esse. Ut igitur Livium hac stribligine liberaret, optime Gruterum *quæ ad bellum opus essent* edidisse puto. Livium autem ita loqui solere, vidimus ad XXXI. 9. § 4.

§ 15 *Masinissam meminisse, regnum a populo Romano*] Sæpius pronomen *se* a Livio omitti, vidimus ad XLII. 10. § 15. Considerandum tamen, an non hoc loco ab ultima syllaba præcedentis *meminisse* interceptum, ac legendum sit *Masinissam meminisse, se regnum, &c.* Vide ad XXXIV. 11. § 7.

§ 16 *Non se rogare, æquum esse, neque emere ea ex fructibus agri ab se dati, quæ ibi proveniant*] Perizon. ad Sanctii Minerv. II. 12. 242. monuit reciprocum *se* in hoc orationis contextu bis positum ad diversos referri: posterius enim *se* manifeste referri ad Romanos, quos non oporteat emere aliquid ex rebus quas ipsi dede-

rint; prius ad Masinissam, cujus nomine instituitur oratio. Idem Perizon. ad oram editionis qua usus est, mutata vulgari distinctione, ita interpungendum conjecit, *neque emere ea, ex fructibus agri ab se dati quæ ibi proveniant.* Quæ distinctio si probanda est, altera substituta esse videbitur ex inperitia eorum, quibus τὸ *quæ* tot vocibus postponi displicebat. At de eo vide eumdem Perizon. ad XXVIII. 12. § 13. Et sane vulgata distinctio demum adparuit in ed. Vascos. in antiquioribus nulla distinctio, neque post pronomen *ea*, neque post vocem *dati*, exstitit. Præterea Perizon. in ora ejusdem ed. emendat *quæ sibi proveniant*, et *sibi* exponit 'nempe Masinissæ.' Solent autem τὰ *sibi* et *ibi* a scribis confundi. Vide ad XXVI. 26. § 1. Verum ita reciprocum ter repetitum priori loco ad Masinissam, secundo ad Romanos, tertio iterum ad Masinissam referendum foret; quod quin multis displiciturum sit, non dubito. Videndum igitur an non *sibi* referri possit ad Romanos, ut Masgabas patris nomine dicat, Romanos emere non oportere, quod in re a se ipsis data etiam sibi quasi proveniat. At huic interpretationi obstat, quod Masgabas dominium quidem regni Romanis concesserit, sed patri Masinissæ ejus usum vindicarit, qui inter alia in utendis fruendis fructibus consistit. Crevierio inficeta hæc verbositas vocatur: nam *ea quæ ibi proveniant* nihil aliud sonare, quam 'fructus agri:' delet igitur eas voces, tamquam nugatorium interpretamentum ab oscitante librario temere additum, ac Livium dedisse conjicit *nec quidquam emere ex fructibus agri ab se dati.* At Perizonii interpunctione, et emendatione cum interpretatione vel ejus, vel nostra, admissa, verbositas illa evanescere videtur.

§ 17 *Gratulatumque senatui juberent indicare*] Crediderim legendum *gratularique senatui juberēt et indicare.* Turnebus, Advers. XI. 18. Sensum eundem agnosco in veteri scriptura. *J. F. Gronov.* Recte. Sensus enim est, 'et juberent' Masgabam 'senatui gratulatum,' sive postquam senatui gratulatus esset, 'indicare,' &c.

CAP. XIV. § 1 *Ut pretium honoremque debito beneficio addat*] Forte *honoremque verborum beneficio addat.* Justin. XV. 1. 'Ipsius Demetrii privatum omne instrumentum ac familiam reddidit, adjecto honore verborum.' Sueton. Octav. cap. 66. 'Si parcius aut citra honorem verborum.' *J. F. Gronov.* Et Livius XXV. 17. XXVIII. 4. XXX. 15. et XXXVII. 37. *debito* vix ferri posse videtur. Nam etsi senatus, quum Masinissam gratum, et favente populo Romano regnum adeptum esse dicit, non dissimulat, eum Romanis debitorem beneficiorum esse, tamen, ut mos est hominibus non rusticis, se pro beneficio habere significat, quod Masinissa memor eorum, quæ a Romanis acceperat, eos et hoc et superioribus bellis forti fideliqne opera adjuverat. *Verborum* bene quidem congruit ad sententiam, sed longius abit a *debito*, quam ut satis probabile sit illud in hoc degenerasse. *Duker.* Gronovii conjectura Donjatio elegantior videtur, quam ad Livii mentem accommodatior. Necesse autem putat, vocem *verborum* hic intelligi, sed non exprimi; et gravitate Romani senatus dignum, ac propensioni in Masinissam conveniens esse, si dicat Masinissam non tantum agnoscere beneficium Romanorum in se, verum etiam illud pretiosius efficere et honorificentius hac commemoratione. Gronovii conjectura displicet etiam Crevierio, qui docet, eum 'addere honorem verborum beneficio,' qui beneficio a se collato verba addit honorifica: hic vero non agi de beneficio Masinissæ in Romanos, sed Romanorum in Masinissam; fas-

tum enim magnitudinis Romanæ non sivisse eos agnoscere, beneficium in se a rege quamvis potentissimo collatum; in præcedentibus etiam dici, Masinissam id 'facere, quod virum gratum deceat;' viri autem grati esse, extollere beneficium acceptum, non a se datum. Ipse contra *beneficio debito* exponit, beneficio in se Romanorum, quod ipsi debebatur ob constantem in rempublicam fidem. Comiter igitur senatum elevare beneficium suum fatendo, debitum fuisse Masinissæ, quidquid illi præstitum a populo Romano fuerat. Hæc autem sententia verior videtur.

§ 2 *Æquitate sua postea trium regum bellis deinceps*] *Æquitati* hic locum non esse, deprehendit Crevierius. Livium itaque scripsisse credit, *et illum favente pop. Rom. regnum adeptum ac virtute sua. Postea trium regum bellis deinceps, &c.* Hæc enim consentanea ipsi videntur reliquæ orationi, quæ tota in eo est, ut cum Masinissæ gratulatione et modestia certet comitate et laudibus. Et ita de hoc loco sentiebat etiam Dukerus.

§ 3 *Regnique sui cum Romanis inmiscuisset*] Ita demum edidit Gronovius, quum omnes priores dedissent *cum rebus Romanis.* Quum vero in notis vocis ejectæ rationem nullam reddiderit, vel factæ a se mutationis meminerit, nihil etiam in vulgato offendat; non consilio sed casu et operarum aberratione vocem omissam arbitror, quam Livio restitui.

§ 4 *Non esse e republica populi Romani, senatum censere*] Malim *e re populi Romani.* Sigon. Similiter Doujatius. Nescio tamen, quid viros doctos permoverit, ut vulgatum mutarent. Displicere non potuit locutio *esse e republica:* eam enim Livio familiarem esse, editores Liviani ignorare non potuerunt. Exempla ejus vide ad XXII. 39. § 2. At forte τὸ *publica* abundare censuerunt, quum sequatur 'populi Romani.' Verum latere non potuit, sæpius apud Livium reperiri 'publicum,' vel 'respublica populi Romani.' Vel denique forte notandam censuerunt totius orationis compositionem 'esse e republica populi Romani.' Sed ea etiam obcurrit XXXIV. 34. 'Versis itaque subito voluntatibus, facere, quod e republica populi Romani sociorumque esse crederet, imperatori permiserunt.' Similiter 'esse e republica nominis Latini' dixit Livius VIII. 4. Per omnia mecum sentit Dukerus.

§ 5 *Petenti Masgabæ, ut Hanno Hamilcaris filius hospes in locum exigeret*] Desiderantur verba nonnulla, et pro *hospes, obses* lego. 'Petenti,' inquit, 'Masgabæ, ut Anno Amilcaris filius obses in locum' (cujusdam alius obsidis Carthaginiensis, cujus nomen interiit) 'Romanis a Pœnis mitteretur, respondit senatus, haud æquum videri, ut obsides a Carthaginiensibus arbitrio Massanisæ exigeret.' Hæc forte sententia futura fuit, quanquam verba nemo divinare potest: asterisco ergo notetur locus, ut vulnus acceptum indicetur omnibus. *Sigon.*

§ 7 *Quibus ipse comitesque regis*] Possis *regii*, aut *reguli.* Malim *comitesque ejus.* J. F. Gron.

§ 8 *De altero Masinissæ filio Misagene*] *Musicanes* vocatur Valerio Max. v. 1. 1. unde Pighius in Annal. ad a. IDLXXXV. p. 382. censet, in hoc nomine librarios apud alterutrum aberrasse. Quum autem 'Misagenes' etiam aliquoties memoretur l. XLII. capp. 29. 62. 65. 67. et librarius Livianus ubique sibi constet, verisimilius est librarios Valerii Max. lapsos esse, ut etiam docti ad Valer. Max. commentatores censent.

CAP. XV. (XVI.) § 1 *In quatuor urbanas tribus descripti erant libertini*] Hoc loco desiderantur comitia consularia, quibus consules creati sunt Q. Ælius Pætus et M. Junius Pennus, et prætoria, quibus prætores Q.

Cassius, M'. Juventius Thalna, Ti. Claudius Nero, Cn. Fulvius, C. Licinius Nerva, A. Manlius. Præterea initium expositionis rerum a censoribus Ti. Sempronio et C. Claudio gestarum. De quibus loquitur, cum ait *in quatuor tribus urbanas.* Est autem intelligendum, libertinos in quatuor tribus urbanas jam inde usque a Ser. Tullio rege fuisse conjectos, auctore Dionysio IV. 226. post autem, cum per omnes tribus dispersi essent, in easdem quatuor esse redactos a C. Flaminio, et L. Æmilio censoribus, ut est scriptum in Epitoma lib. XX. Nunc vero a Ti. Sempronio Graccho censore in unam Esquilinam urbanam referri, auctore Livio. Neque enim audiendus est ille, qui de Viris Illustr. scripsit: qui ita c. 57. in Graccho tradit: ‘ Censor libertinos, qui rusticas tribus occuparant, in quatuor urbanas divisit.’ *Sigon.* Plures difficultates ex præsentis textus lectione emergunt: quarum prima est, quomodo affirmet Livius ex Claudii ore, jus suffragii censorem non posse civi cuiquam adimere, quum oppositum ad XXIV. 18. § 6. docuerimus ex Gellio et Asconio, palam id confirmantibus. Altera vero, quo pacto dixerit Claudius, libertinis adimi suffragii jus, et qua de causa. Id enim satis obscurum videtur. Tertia, an libertini solum essent descripti in quatuor urbanis tribubus, an et aliqui in rusticis. Diluitur prima difficultas, quia ‘ adimere suffragium’ dupliciter potest considerari, uno modo pro auferre ab eo qui jam suffragandi jus adeptus esset; alio modo esse impedimento, quo minus quis suffragii jus non adipiscatur, quum antea non habuerit. Priori modo censores jus adimere suffragandi potuisse cuicunque habenti, palam fecimus supra [d. loc.] ubi de censoriis notis locuti sumus: nam et referendo in Cærites tabulas, et ærarium faciendo, id præstare poterant censores; sicque Gellii et Asconii dicta interpretanda. Secundo modo Livii verba intelligenda: namque Sempronius censor statuendo libertinos, qui prius non essent censi, censeri posse, si rustica prædia pluris sestertium XXX. millium haberent, excludebat quoque a censu illos, quibus in prædiis rusticis minus dicta summa esset; quod Claudius impugnabat, inquiens id esse adimere libertinis singulis, non solum qui minus sestertium XXX. millium, sed et eorum ordini universo, suffragii lationem, et illis, qui dictam summam non possiderent. Et ratio est, quia, qui incensi erant, suffragium ferre non poterant, quamvis civitatis Romanæ jure donati essent, et in tribu descripti. Quod docuit Nic. Gruchius, inter recentiores plurimæ doctrinæ vir, de Comit. Rom. II. 3. et quoque ex hoc loco comprobari facile potest: et ita censores poterant adimere jus suffragii, hoc est, inhibere, quo minus quis illud consequeretur. Ex quibus etiam facile patet responsio ad secundum objectum. Quod vero ad tertium spectat, dicimus, libertinos homines non solum in quatuor tribubus urbanis descriptos fuisse, sed et in aliquibus rusticis aliquando locatos. Namque Ap. Claudium censorem a. CCCCXLI. libertinos ex quatuor urbanis in alias omnes dispersisse, testati sunt Diodorus XX. 751. et Plutarch. in Publicola p. 100. quod quum nobiles et ingenui iniquissimo animo ferrent, Q. Fabius Rullianus, novem post annos censor, iterum in quatuor urbanas redegit, unde ‘ Maximi’ nomen ab universa civitate obtinuit: quumque subsequentium censorum incuria vel conniventia id minime servatum esset, L. Æmilius Papus et C. Flaminius censores a. IↃXXXII. libertinos, in rusticas tribus dispersos, in quatuor urbanas tantum revocarunt, et esse voluerunt. Postea SCto et hæc series immutata: nam-

que permissum, ut libertini, quibus filius quinquenni major esset, in rusticis censerentur. Postremo Ti. Gracchus a. IↃLXXXV. in solam Exquilinam tribum urbanam eos redegit, quod ex hoc Livii loco colligimus, et ex Cic. de Orat. I. 9. Subsequentibus vero temporibus modo per rusticas tribus libertinos descriptos, modo in urbanas redactos pro dominantium in republica libidine, utque libertinos eosdem vel amore vel odio prosequebantur, vel ut jam aliquando occasio vel necessitas expostulabant, in historia observamus. Et hæc de re hac pro nunc sint satis. Illud profecto non prætermittendum, ne viri doctissimi autboritate studiosi decipiantur, haud veritati consentaneum, quod a Carolo Sigonio de Jure Antiq. Civ. Rom. II. 14. scriptum est ex Livii authoritate hoc in loco, Ti. Gracchum scilicet contendisse, omnes libertinos ab omnibus tribubus repellere; quod falsum esse clare convincitur ex ipsius Livii verbis, scribentis, servatum ut libertini, qui in quatuor urbanas tribus descripti erant, præter eos, quibus ex SCto filius quinquenni major esset, ubi proximo lustro censi essent, ibi et censerentur. Nam disceptatio præsertim censorum erat circa illos, qui nondum censi erant, ut superius satis manifestum factum puto. *M. Donat.* Ex eo, quod paullo post dicit Livius, 'hoc quum ita servatum esset,' evidens est, hæc omnia ante Claudium et Gracchum censores ita servata fuisse. De primo satis constat ex iis quæ ad Epit. Liv. l. XX. adnotata sunt. De duobus aliis unum superest testimonium hujus loci, qui, quoniam Livius in ea re exponenda paucis defungitur, obscuritate non mediocri laborat. Nam ex eo non plane liquet, utrum hæc eodem tempore, quo libertini postremo in tribus urbanas redacti sunt, quod a. IↃXXXII. a L. Æmilio et C. Flaminio censoribus factum est, an ante, an denique post eorum censuram constituta fuerint. Sigonius de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 14. scribit ea post hos censores ita immutata fuisse. Sed hoc nullo certo argumento probari potest. Nam quod libertini ab his in quatuor tribus urbanas redacti dicuntur, id non necesse est de omnibus sine exceptione accipi; quum nihil obstet quo minus et in eorum censura, et ante eam libertinis nonnullis aliquid beneficii a republica tribui potuerit. Præterea si, quod Livius dicit, 'libertinos in quatuor tribus urbanas descriptos' fuisse, id a L. Æmilio et C. Flaminio censoribus factum esse intelligendum est, ut recte putat Sigonius, exceptio addita aperte demonstrat, libertinos, quibus filius quinquenni major erat, ab his in tribus urbanas non descriptos fuisse. Quod si quis quærat, in quibus tribubus ergo ab iis censi fuerint? respondebit ipse Livius, jussos fuisse censeri, 'ubi proximo lustro censi essent,' id est, in aliqua e tribubus rusticis: nam præter urbanas et rusticas aliæ non erant. E quibus verbis simul patet id jam ante hos censores aliis datum fuisse. Nam quum ea, si ad horum censuram non referuntur, nullam certi temporis notam contineant, nemo divinando adsequi potest, quodnam sit 'proximum' illud, quod Livius dicit, 'lustrum.' Quod ad libertinos, qui 'prædia rustica pluris sestertium triginta millium' haberent, attinet, quia de his non idem, quod de libertinis, quibus filius quinquenni major esset, dicitur, incertius est, quando hos censendi jus factum fuerit. Nam quod Perizonius in Dissert. de Lege Voconia p. 169. id Claudio et Graccho censoribus factum scribit, parum probabile est. Primum enim verba Livii, 'hoc quum ita servatum esset,' nihil eorum, quæ ante de libertinis dixerat, ad horum censuram referri patiuntur. Deinde non valde verisimile est Gracchum,

qui primum omnes libertinos omnibus tribubus pellere decreverat, quum obtinuisset, ut omnes in unam tribum urbanam conjicerentur, in eorum numerum eos recipere voluisse, qui ante id tempus numquam censi fuerant. *Duk.* Vide Pighium in Annal. ad a. IDLXXXV. p. 374.

Præter eos, quibus filius quinquenni major ex SCto esset] Hinc Manutius de Civit. Rom. p. 19. et Gruchius de Comit. Rom. II. 4. p. 682. tom. I. Antiq. Rom. recte conjiciunt hos in tribubus rusticis, non in urbanis, censos fuisse. Credi potest, quum ante, ut alii libertini, in una e quatuor tribubus urbanis censerentur, deinde iis beneficio filii quinquennis datum fuisse, ut ex tribubus urbanis ignobilioribus in rusticas honoratiores transferrentur. Ita Cujacius ad l. 194. D. de V. S. Ceterum Manutius et Sigonius hæc ita citant: *quibus filius quinquenni major esset: ex senatusconsulto eos, ubi, &c.* Hoc considerandum arbitror. Movit eos, credo, quod in vulgata scriptura aliquid ineptum esse videbatur: nam nemo *ex senatusconsulto* filium habet, aut habere dicitur. *Duk.* Voces *ex senatusconsulto* inepte hoc loco inseri, existimat Crevierius; easque vel in anteriora rejiciebat, *ex senatusconsulto descripti erant libertini;* vel iis, quæ sequuntur, adjungebat *censeri ex senatusconsulto jusserunt.*

§ 2 *Censeri jusserunt*] Non apparet cur Livius tria de libertinis, quæ ante Claudium et Gracchum censores obtinuerant, referens, de primo præteriti temporis verbo dicat 'descripti erant libertini,' de secundo ac tertio verbis alterius temporis 'eos, &c. censeri jusserunt, et eos, &c. censendi jus factum est;' non *jusserant*, nec *factum erat.* Mallem omnia verbis ejusdem temporis efferri. *Duk.*

Censendi jus factum est] Hoc est, iis datum erat, ut in tribu censeri possent, quum ante censi non fuissent. Unde consequens est eos, qui prædia rustica minoris sestertium triginta millium haberent, tribum non habuisse, et a suffragii latione exclusos fuisse. Nam eos, quos propter prædia rustica, quæ pluris sestertium triginta millium erant, censendi jus factum erat, in una e quatuor tribubus urbanis, non in tribubus rusticis, ut eos, quibus filius quinquenni major erat, censos fuisse, vere, ut puto, tradunt Manutius et Sigonius. Sed quid, si nulla quidem prædia rustica, sed urbana, verum longe pluris sestertium triginta millium possiderent? si majorem summam apud argentarios, aut in fœnore positam haberent, an tamen tribum non habebant, et censu ac suffragii latione excludebantur? Ita videtur existimasse Perizonius in Triade Dissertationum Dissert. I. p. 74. et II. p. 169. Vellem paullo pluribus mentem declarasset, et dubia removisset, quæ, si hæc illius sententia fuit, ex ea oriri possunt. Vir eruditissimus se Livio auctore scribere profitetur, 'tantum' illos libertinos censendi jus factum fuisse, qui prædia rustica pluris sestertium triginta millium haberent. Sed a se addit *tantum*, quod non est in Livio. *Duk.* Crevierius credit hic aliquid excidisse, et sensum vix aliter constare posse, quam si legamus, *in tribubus rusticis censendi jus factum est.* Nam L. Æmilio, C. Flaminio censoribus non actum fuisse, utrum censerentur libertini, sed ubi censerentur. Bene autem eos in tribus rusticas admitti, qui prædia rustica haberent. Posse quidem in mentem venire, non contemnendas fuisse divitias illis temporibus sestertium triginta millia in prædiis rusticis, quum aliquot annis post Cn. Scipionis filiæ dos e publico constituta sit, teste Valer. Max. IV. 4. quadraginta millium æris gravis, id est sedecim millium sestertium: sed facile responderi, hanc ipsam fuisse censorum mentem, ut in tribus rusti-

cas non admitterentur, nisi ditissimi quique ex libertinis. Testatur autem vir doctus, quidquid hic affert, id non pro certo adfirmare in animo sibi esse, sed, in rebus perobscuris, tamquam non omnino inprobabile se lectori expendendum permittere.

§ 3 *Negabat Claudius, &c.*] Ex hac disceptatione Claudii cum Graccho consilium Gracchi intelligitur, quod Livius in iis quæ hic interciderunt, exposuerat. Habebat nimirum in animo, omnes libertinos non modo rusticis, verum etiam urbanis tribubus pellere, et universo ordini libertinorum suffragii lationem adimere. Id quum, contra tendente collega, consequi non posset, hoc tamen obtinuit, ut omnes libertini, et qui ante in rusticis tribubus, et qui in quatuor urbanis censebantur, in unam urbanam, in qua censerentur, et suffragium ferrent, conjicerentur. Ita hoc rectius explicant Manutius et Sigonius, quam Pighius, qui ad annum IↃLXXXIV. scribit Gracchum decrevisse, quatuor urbanis tribubus omnes emovere, qui servitutem servissent, et quibus quinquenni major filius, prædiave rustica pluris sestertium triginta millium non essent; et tum primum in Esquilinam solam conjecisse, qui servitutem servissent, et quibus quinquenni major filius, vel prædia rustica pluris sestertium triginta millium non essent. Hæc aliena sunt a consilio Gracchi, et ab eo, quod, quum id perficere non potuisset, collega concedente obtinuit. *Duk.*

§ 4 *Si tribu movere posset*] Forte legendum *si possit*, id est, 'etsi possit.' Claudius argumentatur, ex eo, quod collega possit civem tribu movere, non sequi, eum omnibus quinque et triginta tribubus emovere posse.

Civitatem libertatemque eripere] Hoc de libertate juris Quiritium accipiendum esse, docent insignes JCti, Noodt Observ. II. 21. et Heinecc. in Append. Antiq. Rom. ad Instit. Juris Civ. lib. I. § 25. Cui civitas adimebatur, retinebat libertatem juris gentium, non libertatem juris Quiritium. *Duk.*

§ 6 *Æsquilinæ sors exiit*] Ita Gronov. 1665. edidit, et postea omnes, quos vidi, recentiores servarunt, præter Doujatium et Crevierium; quorum ille cum edd. vett. *Exquilinæ*, hic *Esquilinæ* dederunt, quam orthographiam Gronovius alibi semper in Livio recepit. Sane in marmoribus antiquis nomen hujus tribus numquam per diphthongum, sed semper vel ESQVIL. vel EXQVIL. scribi solet. Rarissime etiam Græci diphthongum αι in hoc nomine exarando adhibuerunt, licet et ipsi vario modo scribere soliti sint. Vide Dausq. Orthogr. part. II. p. 126.

In ea, &c. libertinos omnes censeri] Sigonius ad initium hujus cap. merito pronunciat, non audiendum esse Aurel. Vict. de Viris Illustr. c. 57. Anna Fabri ibi ei patronum advocat Ciceronem de Orat. I. 9. Sed locum illum Manutius de Civit. Rom. et Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 14. dudum aliter exposuerant. *Duk.*

§ 8 *Et senatu emoti sunt, et equos vendere jussi*] De notis horum censorum scripsit etiam lib. XLIII. capp. 15. 16. 'Septem e senatu ejecti. In equitibus recensendis tristis admodum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt.' Ut mirer admodum, ipsum quasi sui oblitum eadem hoc etiam libro, quod facere haud solitus est, iterasse. *Sigon.* Non ibi solum, verum etiam l. XLIV. c. 16. quædam de his rebus dixerat. Quæ autem lib. XLIII. narrarat, postea lib. XLIV. repetiit, quia censores, postquam perduellionis caussam dixerant, censum vel instauraverunt, vel ante accusationem nondum absolverant: unde ibi prioribus addit, tribu eos movisse, et ærarium reliquisse ipsum illum tribunum plebis P. Ru-

tilium, a quo sibi perduellionis dies dictus erat. Hic vero repetendi caussam habere potuit, ut adderet, omnes eosdem ab utroque et tribu motos, et ærarios factos, neque ullius, quem alter notaret, ab altero levatam ignominiam esse, quod antea omiserat. Id autem ut commode faceret, breviter repetiit quæ supra distinctius et per partes proposuerat. Si quis tamen id Livium memoriæ culpa fecisse malit, per me licet: nam et alibi similia in eo reperiuntur. Ita nomina triumvirorum, qui coloniam Aquileiam deduxerunt, memoravit lib. XXXIX. c. 55. quod iterum facit XL. 34. Ceterum Doujatius mavult *senatu moti sunt*, ut Livius alibi loqui solet.

Et tribu remoti, et ærarii facti] Immo *moti*, ut XLII. 10. XLIV. 16. et sæpe alibi. *J. F. Gronov.* Ant. Perizonius ad marginem Livii notat minori mutatione legi posse *tribu emoti*, ut paullo ante 'omnibus quinque et triginta tribubus emovere posse.' Id verum est. Sed emendationem hanc dubiam facit, quod modo præcessit 'senatu emoti sunt.' Quamvis enim, Livium ab his vocum repetitionibus sibi non cavisse, docuerim ad I. 3. § 9. similia tamen non captanda, nec invitis libris Livio obtrudenda censeo. Vel itaque cum Gronovio *moti* lego, vel vulgatum servo. De constructione verbi 'removere' sine præpositione vide Burm. ad Suet. Tib. c. 42. Mox forte legendum *notarat*, pro *notaret*. Et ita acta horum censorum recensens legisse videtur Pighius in Annal. Rom. ad a. IↃLXXXIV. p. 374.

§ 9 *Ex instituto ad sarta tecta exigenda*] Fortassis trajectis vocibus *ad sarta tecta ex instituto exigenda*. Nam in eo ordine verborum, qui nunc est, verba *ex instituto* magis ad remotiora 'anni et bimensis tempus prorogaretur' referri videntur, quam ad propiora *ad sarta tecta exigenda*. Sed non erat ex instituto, ut censoribus tempus prorogaretur, ut sarta tecta exigerent, et opera quæ locarant probarent. Multa in unico Ms. e quo hic liber publicatus est, transposita esse, adnotat Gronovius ad c. 7. *Duk.*

Anni et bimensis tempus prorogaretur] Dodwell. de Cyclis Dissert. X. § 18. existimat, censores a pontificibus petiisse, ut annus, quo opera ab iis locata fuerant, bimestri spatio augeretur; quod quidem bimestre, si primi anni fini accessisset, etiam quinquennium lustrale aucturum fuerit: petiisse igitur, ut annus mensibus præter modum anni solitum augeretur. Caussam autem petitionis æquissimam fuisse, quod veris anni cyclique rationibus deessent ipsi illi menses, quos lustro suo additos cupiebant; nec ullum inde dispendium sentirent succedentes magistratus, qui ipsi quoque menses legitimos habituri erant. Sed, virum in arte chronologica versatissimum a vero Livii sensu aberrasse, certissimum puto. In dubium non vocabo, utrum hoc tempore, ut annus ordinationi Numæ responderet, duo menses intercalares defuerint; sed potius contendo verba *anni et bimensis tempus prorogaretur* notare non posse, 'annus bimestri spatio per intercalationem augeretur:' non enim 'prorogare' pro intercalare, nec 'tempus anni et bimensis' pro tempus bimensis in anno ponitur. Deinde id eos a pontificibus, quibus solis cura Kalendarii et intercalationis commissa erat, non petiisse, colligi posse videtur ex Cn. Tremellii tribuni intercessione. Quum enim pontifices neque senatui, neque populo rationem reddant, teste Dion. Hal. Antiq. II. p. 133. etiam tribuni plebis acta ac decreta eorum intercessione impedire non potuisse, verius puto; licet forsitan a tribunis plebis ad aliquid faciendum, captis puta pignoribus, vel indicta multa, cogi potuerint. Vide Cic. pro Dom. c. 45. et quæ ibi viri docti notarunt. Secundum receptam lectionem sensus Livii est, censo-

res petiisse, ut ad annuum et semestre spatium, per quod secundum legem Æmiliam censuram gerere poterant, anni et bimensis tempus adderetur, quo sarta tecta exigerent, et opera, quæ locarant, probarent. Quo minus autem Dodwell. verba Livii ita accipienda esse videre potuerit, illud obstitit, quod existimaverit post Ap. Claudium censorem legem Æmilii dictatoris de tempore censuræ gerendæ abrogatam fuisse, et censores iterum per quinquennium magistratum obtinuisse: ita enim illud anni et bimensis tempus in sequentium censorum magistratum excurrisset. Verum hanc ejus sententiam erroris jam convicimus ad x. 47. § 2. ubi vulgari de gestæ censuræ tempore opinioni etiam hunc locum favere docui. Similibus fere argumentis sententiam Dodwelli refellebat Dukerus. Idem hic locus valde Crevierio suspectus est. Primo enim dubitat an 'bimensis' vox proba sit, cujus nullum alibi exemplum reperit. Deinde illud spatium anni et duorum mensium nec cum legitimo censuræ spatio congruere putat; nec videt ad quid referri possit. Credit autem Livium dedisse *anni et VI. mensium:* quod quum hoc modo scriptum esset, primo literam *V* in *B* ob affinitatem soni mutatam esse, inde vero aliquem librarium, quum reperiret *bimensium*, existimasse se operæ pretium facturum esse, si corrigeret *bimensis.* Quum igitur censores intra anni et sex mensium spatium, quo censura finiebatur, sarta tecta exigere, et opera quæ locarant, probare non potuissent, eos postulasse, ut exacto magistratu prorogaretur sibi tempus, non quo totam censuræ vim tenerent, sed cum potestate essent, ad hæc quæ supererant perficienda. Digna hæc sunt quæ viri docti adcuratius perpendant: nam mihi etiam postulatio, *ut anni et bimensis tempus prorogaretur* nimia videtur. Verisimile enim est, hoc prætextu eos prorogationem postulasse, ut compensarent tempus inutiliter elapsum, quum in comitiis perduellionis accusarentur: eos autem, ex quo sibi perduellionis dies dictus esset, donec judicium populi de se factum foret, nihil publici negotii gessisse, Livius tradidit XLIII. 16. At judicium illud perduellionis nequaquam tantum temporis duravit. A quo etiam hanc prorogationem censores postularint, utrum a senatu, an a populo, quæri potest, quum Livius non memorarit, et simile aliud exemplum obcurrere non meminerim. Eos id a senatu postulasse, Pighius scribit ad a. IↃLXXXIV. p. 374. Utrum tamen ea senatui potestas fuerit, diligentius videndum est. Forte, ut in prorogatione imperii solebat, ea de re ex senatusconsulto ad populum in comitiis agendum fuit; Tremellius autem, ne senatusconsultum fieret, intercessit. Sed nihil definio.

Cn. Tremellius tribunus] Ita constanter omnes edd. Pighius tamen in Annal. ad a. IↃLXXXV. p. 381. et passim alibi, eum vocat 'C. Tremellium Flaccum.' Quem etiam 'Cn. Tremellium' memoratum XXX. 26. § 11. 'C. Tremellium' vocasse, vidimus. Memoratur quidem 'C. Tremellius' inter decemviros, qui agrum Ligustinum et Gallicum bello captum viritim diviserunt XLII. 4. At quis illum eumdem, qui hic memoretur, esse præstare potest? Ut autem fuerit, cur hic potius locus ex illo, quam ille ex hoc emendandus est? Accedit Cnæi prænomen in gente Tremellia familiare esse. Præter 'Cn. Tremellium' modo memoratum, alius 'Cn. Tremellius' obcurrit Epit. Liv. l. XLVII. 'Cn. Tremellius Scrofa' apud Varr. de Re Rust. I. 2.

Quia lectus non erat in senatum] Hoc loco sententiam suam confirmant, qui putant, tribunos plebis tum nondum jure magistratus senatores fuisse, sine lectione censorum, idque iis demum

a. IↃCXXIII. plebiscito Atinio concessum. Sed de sententia hujus plebisciti, quod Gellius XIV. 8. memorat, parum convenit inter doctos. De eo egerunt Manutius de Legib. c. 5. Sigonius de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 2. Ant. Augustin. de Legibus, Zamosc. de Senatu Rom. I. 9. Lipsius Elect. II. 13. et Torrent. ad Suet. Aug. cap. 10. *Duk.*

§ 10 *C. Cicereius ædem in monte Albano dedicavit, quinquennio post, quam vovit*] Sic XLII. 7. 'C. Cicereius prætor in Corsica signis collatis pugnavit. Voverat in ea pugna prætor ædem Junoni Monetæ.' *Sigon.* Quum Livius, ædis sacræ dedicationem referens, addere soleat cui dedicata sit, ex loco autem Livii a Sigonio laudato constet Cicereium eam vovisse Junoni Monetæ, vocem ob similitudinem sequentis hinc excidisse, ac legendum videri potest *ædem Monetæ in monte Albano.*

Flamen Martialis] In locum P. Quintilii Vari, quem anno priore mortuum scripsit XLIV. 18. *Duk.*

CAP. XVI. (XVII.) § 2 *Et statum alium ejus regni*] Potius *eorum regnorum*, vel *utriusque regni*. Nam de Macedonico et Illyrio loquitur. *J. F. Gron.* Quæ præmittuntur verba, sub Sigonii nomine prostant in ed. Jac. Gronovii, eoque titulo laudantur a Doujatio, Hearnio, et Crevierio: sed ex prioribus edd. J. F. Gronovii esse constat; cui propterea restitui. Doujatius vulgatum defendi posse, et de solo Macedoniæ regno intelligendum esse existimat, et quidem hoc colore; quod majoris erat dignationis, et de ejus præsertim statu per legatos ordinando agebatur. Verum, cui hæc excidere potuerunt, eum adtente ne perlegisse quidem verba Livii adparet. Ita enim Livius narrabit, decretum fuisse, ut L. Paullus Macedoniam, L. Anicius Illyricum obtinerent, donec iidem illi statum Macedoniæ composuissent. Hinc consequens foret, L. Anicium, qui proprætor Illyrico præfuit, L. Paullum in componendo statu Macedoniæ juvisse: quod falsum est. Æque enim per se statum Illyrici componit L. Anicius c. 26. ac L. Paullus statum Macedoniæ cap. 29. et æque quinque legati in Illyricum, ac decem in Macedoniam decreti sunt, 'quorum de sententia imperatores L. Paullus, L. Anicius componerent res,' ut Livius narrat cap. seq. Recte igitur Gronov. emendat *utriusque regni:* illa enim conjectura propius ad vulgatum accedit, quam altera *eorum regnorum.*

§ 3 *Cum binis legionibus peditum, et equitum quadringentenis*] Ita prima ed. eamque secutæ omnes præferunt: et nihilominus locus de menda suspectus est non unam ob caussam. Primo enim 'legionem peditum,' quum legio pedites et equites continere soleat, alibi memorari non memini. Deinde displicet locutio *equitum quadringentenis* pro equitibus quadringentenis. Denique ipsa vox *quadringenteni* proba esse non videtur. Priscianus quidem de Ponder. pag. 1353. 'ducenteni,' 'trecenteni,' 'quadringenteni,' et ita porro alia vocabula formata agnoscit, pro quibus 'duceni,' 'treceni,' 'quadringeni' per syncopen dicitur; at contra L. Valla de Elegant. III. 5. erroris accusat, qui vocibus 'ducenteni,' 'trecenteni,' 'quadringenteni' utuntur. Et sane pleraque loca veterum, quæ vindicandis his vocibus producuntur, vel codicum auctoritate, vel aliam ob caussam, aliter legenda sunt. Ita apud Cic. editur in Verr. v. 25. 'Certum pretium sexcentenos nummos nautarum missioni constituere:' sed, ut viri docti docent, cod. Cujacii legit *sescenos*, unde *sexcenos* legendum esse patet. Apud Colum. III. 5. nunc vulgo exstat, 'In singulis ordinibus sexcenteni malleoli pangendi sunt:' at cod. Sangerm. præfert *septeni;* unde patet veram esse priscarum edd.

lectionem *sexceni*. Cap. 9. ‘ Sexcentenas urnas priscis cultoribus singula vinearum jugera fudisse.’ Hic etiam *septenas urnas* cod. Sangerm. et edd. vett. at *sexenas* excerpta Politiani, *sexcenas* cod. Lipsiens. quod omnino verum est. Lib. v. c. 2. ‘ Hoc sexies ducendum est, quoniam sex latera sunt, quæ consummata efficiunt duo millia, trecenteni et quadraginta:’ ita nuperrimæ edd. nec aliter antiquiores, nisi quod corruptius præferant *tricenteni*. Licet autem nihil variationis ex cod. Sangerm. in excerptis meis reperiam, locum tamen mendosum esse sponte patet. Nam *trecenteni* scilicet pedes, pendet ex verbo proximo *efficiunt:* sed ita dicendum erat *trecentenos*. At insuper, cur numerus distributivus *trecenteni* hic medius adhibeatur inter duos cardinales *duo millia* et *quadraginta*, ratio reddenda est illis qui vulgatum ferre potuerunt. Omnino per notas olim scriptum fuisse videtur *efficiunt* ↀ ↀ *CCC. et XL.* quod deinde inepte redditum est illis vocibus, quæ nunc vulgo exstant, quum reddi debuisset *efficiunt duo millia trecentos et quadraginta*. Plinius Hist. Nat. VIII. 43. ‘ Notum est in Celtiberia singulas quadringentena millia nummorum enixas:’ ita emendavit Salmas. ad Solin. p. 239. et Harduinus in contextum recepit, testatus ita duos codd. præferre, quum vulgo ederetur *quadragenis millibus*. At lectio *quadringentena* ex juncta duplici *quadringenta, ena*, sive *quadringenta, quadringena* nata videtur. Utrum autem eorum mavis, ferri potest. Accedit *ducenteni, trecenteni*, et similia plerumque tantum in pejoris notæ codd. obcurrere, ubi meliores cum vulgatis edd. *duceni, treceni* præferunt. Vide ad XXXII. 29. § 4. et XL. 18. § 5. quorum priori loco *trecentenæ* in contextum recepit Crevierius, qui tamen hoc loco *quadringeni*, quam *quadringenteni*, multo usitatius esse judicat, et hinc prius posteriori substituendum censet. Vide igitur num legendum sit *cum binis legionibus IↃↃ.* vel *V.* ↀ *peditum et equitum trecenorum;* quod reddendum est *quinum millium peditum*. Notæ numerales, utpote librariis inperitis minus notæ, facile potuerunt excidere; ut in his ipsis accidisse vidimus XXXII. 28. § 10. interdum easdem mutarunt in *vel:* vide ad XXIII. 46. § 4. *Trecenorum* emendavi, quia trecenti fere equites legioni addebantur: si quis tamen *quadringenorum* malit, habebit quo se tueri poterit. Vide ad XXII. 36. § 3. Ob similes ferme caussas locum hunc etiam Crevierius suspectum habuit, qui emendandum conjecit, *cum binis legionibus quina millia peditum et ducenos habentibus, equites trecenos*, ut Livius locutus est XLIV. 21. Posses etiam censere, numerum sociorum excidisse, et hinc legendum, *cum binis legionibus* [*IↃↃ*] *peditum et equitum* [*trecenorum, sociûm nominis Latini CCIↃↃ peditum et equitibus IↃ*] *CCCC*, sive *cum binis legionibus quinûm millium peditum et equitum trecenorum, sociûm nominis Latini denis millibus peditum et equitibus nongenis*. Ita voces additæ exciderint culpa librarii, partim quod notas numerales non intelligeret, partim ob vocum *peditum et equitum* repetitionem.

M'. Juvencii Thalnæ] *M. Juventii Talvæ* edd. principes, pro quo Curio *M. Juvencii Talvæ* dedit. Id autem obtinuit usque ad Sigon. qui recte edidit *M'. Juventii Thalnæ*. Nullus tamen ei dicto audiens fuit. Proximi enim priorem lectionem servarunt. Gruterus deinde in prioribus edd. dedit *Talnæ*, in postrema *M'. Juvencii Thalnæ*, ut ex eo tempore semper vulgatum est. *Juventii* igitur ex sententia Sigonii nunc demum restitui. Vide ad XLIII. 8. § 2. Prænomen *M.* male retinuit Pighius in Ann. ad a. IↃLXXXVI. p. 383.

§ 5 *Ædes Deorum Penatium in Velia*] In fragmento altero Actorum diurno-

rum scriptum est Murenam consulem sacrum *ad Castoris* fecisse Diis Penatibus. Dodwellus in Append. Prælect. Camden. p. 694. multa congessit de Diis Penatibus, et magno conatu ostendere nisus est inter Acta illa et scriptores veteres, qui ædem Deorum Penatium *in Velia* fuisse tradunt, bene convenire. Donatus de Urbe Rom. III. 3. et Nardinus Romæ Vet. v. 4. de ea agentes non videntur notitiam præclari hujus monumenti habuisse. Hoc eos labore non exiguo liberavit. *Duk.*

In oppido Minervio duæ portæ et muri aliquantum de cœlo tactum] Partem quandam Romæ mihi videtur intelligere, in qua templum Minervæ erat, quod Minervium dicebatur, ut Dianium. Varro de Ling. Lat. IV. 14. 'Ceroliensis quarticeps circa Minervium.' Sed et Athenas in Italia collocat quasdam Stephanus: quod vocabulum Latinis auribus Minervium explicat. Erat et in Campania Athenæum, promontorium Minervæ sacrum, ad verbum Minervium: cum templo autem aliquid etiam oppidi erat. Non enim sine tectis aliis solum desertumque, ut opinor, Minervæ delubrum procul ab hominum cœtu exsulabat. De his igitur Minerviis melius fuerit intelligere. *Turneb.* Advers. XVI. 20. Aliter, quam Turnebus, de his existimat Scaliger Append. ad Conjectan. p. 185. scribitque *oppido Minervii.* Sed errant ambo. Est enim Minervium oppidum, cujus meminit Vell. I. 15. Ortelius et Cluverius ne attingunt quidem. *J. F. Gronovius.* Cellarius Geogr. Antiq. II. 9. in Calabria ponit. *Duk.* Quo sensu Scaliger in Livio hic legendum conjicit *in oppido Minervii duæ portæ,* perspicue non addidit. Quum tamen eo loco id agat, ut doceat, quotiescumque *oppidi,* nullo præterea addito, apud historicos Romanos mentio fiat, Romam antiquam vel quadratam intelligendam esse, existimasse videtur, duas portas Minervii, sive templi Minervæ, in oppido et aliquantum muri ejusdem templi de cœlo tactum fuisse. Verum id indicaturus Livius potius, opinor, dixisset *in oppido Minervii duæ fores,* vel *valvæ, et parietis aliquantum de cœlo tactum.* Et tamen, nisi *oppidum* de Roma antiqua capias, quo sensu interdum capi monui ad XLII. 20. § 3. non video qua ratione cum Livio in concordiam redigi queat Jul. Obseq. qui, sua ex Livio haurire solitus, et tantum non ejus verbis describere, prodigia hujus anni ita proponit c. 70. 'Romæ aliquot loca sacra profanaque cœlo taeta.' Livius enim unicum tantum locum sacrum, 'ædem Deorum Penatium in Velia,' nullum vero profanum Romæ tactum memorat. Quid igitur si legamus *et in oppido Minervæ,* scilicet ædes, vel potius *et in oppido Minervium, duæ portæ, et muri aliquantum:* ita recte Jul. Obsequens, hæc per compendium referens, *Romæ aliquot loca sacra profanaque cœlo tacta* dicet. Minervium autem pro templo Minervæ est apud Varr. loco a Turnebo laudato. Quum autem Roma antiqua Romuli condita fuerit in monte Palatino, et ita ad X. regionem Urbis pertinuerit, hinc per ædem Minervæ sive Minervium in oppido intelligendum erit delubrum Minervæ, a P. Victore in X. Urbis regione memoratum, de quo vide Nardin. Rom. Vet. VI. 14.

Lanuvii fax in cœlo visa erat] Jul. Obseq. de Prodig. c. 70. 'Lavinii fax ardens in cœlo visa:' ubi *Lanuvii* ex hoc loco Livii legendum esse, viri docti monuerunt.

Calatiæ in publico agro] Ultima Gruteri ed. operarum errore præfert *Clariæ,* quod Elzevir. Heinsii, aliæque servarunt, sed Gronov. in priori ed. nott. emendavit.

E foco suo sanguinem per triduum et duas noctes manasse] Ita recte ultima Gruteri ed. priores legunt *sanguine.*

Jul. Obseq. de Prodig. c. 70. ‘ Calatiæ in agro publico per triduum et duas noctes sanguis manavit.’

§ 8 *Quanta dona, App. Claudio, M. Sempronio*] Hi a. IↃLXVIII. consules fuerant: dona a. IↃLXII. vota XXXVI. 2. Antiochus anno sequenti a L. Cornelio Scipione victus. *Duk.*

Cap. XVII. (XVIII.) § 1 *Decem in Macedoniam*] At nominat modo novem, prætermisso uno, quum in Illyricum omnes quinque appellet; ut omnino unus iste interciderit. Qui quis fuerit, haud liquide dixerim. Multa tamen me adducunt ut suspicer de Q. Marcio. *Jac. Gronov.* Vide ad verba seqq.

§ 2 *In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus*] Pighius in Ann. ad a. IↃLXXIII. p. 333. cognomen *Luscus* a Postumiis prorsus peregrinum videri adfirmat. Idem in Ann. ad a. IↃLXVIII. p. 308. locum corruptum, et ‘ Lusci ’ prænomen ac gentilitium nomen ‘ T. Annius ’ librariorum neglegentia periisse existimat, et hinc scribendum *A. Postumius, T. Annius Luscus.* Ad ita censendum eo magis inductus fuisse videtur, ut haberet decimi legati in Macedoniam nomen, quod somniculosi scribæ inertia intercidit. Verum non adtendisse videtur ad seqq. Livii verba *ambo censorii*, quæ conjecturam ejus evertunt. Nam, præterquam quod, ea admissa, tres, non duo, censorii forent, certum etiam est T. Annium Luscum censuram non gessisse. Insuper, verius esse, Postumium hunc Lusci cognomen, vel potius agnomen habuisse, ejus tamen posteros, si quos reliquit, eo non usos esse, docui ad XL. 35. § I. Jac. Gronovius, qui etiam decimi legati nomen excidisse deprehendit, inter eos fuisse Q. Marcium suspicatur. Licet autem, in genere dixisse satis habens, multa se adducere, ut ita suspicetur fundamenta, quibus conjectura hæc nititur, non indicarit, attamen unum eorum fuisse videtur, quia ante Æmilium Paullum in Macedonia bellum gessit; alterum, quia Livius, post duos censorios unius Licinii mentione facta, addit, ‘ His consularibus addidere;’ unde alterius consularis nomen excidisse verisimile credebat: Marcio autem iterum consuli Macedonia obvenit, l. XLIII. capp. 11. 15. Verum si consularis, et quidem, qui in consulatu Macedoniam provinciam sortitus est, nomen excidisse placet, videri etiam posset librarios omisisse voces *P. Licinius Crassus*, quem consulem Macedoniam obtinuisse constat ex Liv. l. XLII. capp. 28. 32. et ita ratio cur mentio ejus vel ante vel post Licinium Crassum excidisset, foret utriusque nominis similitudo. Sed, P. Licinium inter legatos in Macedoniam non fuisse, inde constat, quod hoc eodem tempore cum aliis legatis in Asiam missus sit, ad finiendum bellum inter Gallos et regem Eumenem. Vide Liv. c. 34. et Polyb. Exc. Legat. XCIII. Quin etiam, utrum consularis nomen inter legatos omissum sit, incertum est. Voces enim *His consularibus* æque respicere possunt censorios ambos, qui simul consulares erant, ac C. Licinium Crassum. Et hinc, utrum Q. Marcii nomen addendum sit, dubitare audeo.

Tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat] Donec successor venisset. Nam consulibus statim iuito magistratu Pisæ et Gallia provinciæ decretæ fuerant, c. 16. et Licinius, inter decem legatos in Macedoniam nominatus, quum ei Q. Ælius consul successisset, hoc anno in Macedoniam profectus est. *Duk.*

§ 3 *Cn. Domitium Ænobarbum*] *Ahenobarbum* scribendum esse, sæpius Sigonius monuit. Vide ad XXXIV. 42. § 4.

Ser. Cornelium Sullam] Ed. prima *Serg. Cornelium Syllam:* sed recte mox Frob. 1535. *Serg.* emendavit in *Ser.* Vide ad v. 29. § 2. postea *Syllam* in *Sullam* Sigonius, quem vide ad XXV. 2. § 5. et inprimis Cort. ad Sall. Catil. c. 5.

§ 5 *Sortiti sunt. M. Junio Pisæ*] Potest tolerari. Amat tamen Livius alibi, 'Sortitis M. Junio Pisæ obvenerunt, &c. Q. Ælio Gallia.' *J. F. Gronov.* Quum verbum *sunt* unica litera *s* scribi soleat, librarii nullo negotio ex *sortitis* facere potuerunt *sortiti s*, seu *sortiti sunt*, præsertim quo tempore voces continua serie scribi solebant. Exempla vide ad I. 15. § 5. VI. 2. § 1. X. 21. § 4. C. 46. § 3. XXV. 13. § 7. quemadmodum etiam contra τὸ *sunt*, sive ejus notam *s*, junxerunt voci præcedenti. Vide ad II. 62. § 3. III. 7. § 7. VII. 37. § 2. XXVII. 15. § 2. Similiter verbum *est* scribebatur unica litera *e:* hinc librarii vel eam voci præcedenti addiderunt; vel ex litera finali *e* fecerunt *est:* vide ad IX. 8. § 13. De similibus tamen conjecturis vide ad III. 22. § 3.

§ 6 *Romam gratulatum convenerunt*] Cur non *convenerant?* Duk.

CAP. XVIII. (XIX.) § 2 *Sub tutela esse*] Videtur legendum *sub tutela populi Romani esse;* sicut dixit 'arma populi Romani,' et 'respectu populi Romani.' *Sigon.*

§ 3 *Metalli Macedonici*] Si hi genitivi, itidem ut sequentes, a substantivo *locationes* pendent, quod puto, copula *que* importuno loco poni, et post *prædiorum* removenda videtur. Nec sperni posset *prædiorumque rusticorum locationes.* Quæ hic 'prædia rustica' dicat Livius, non scio. Nam Romanos nec prædia regia inculta ac deserta relinqui, nec privatis prædiorum suorum locatione interdicere voluisse, probabile est. Agros Philippi et Persæ in Macedonia deinde a censoribus locatos fuisse, scribit Cic. Agrar. II. 19. *Duk.* Crevierius 'prædia rustica' intelligi debere conjicit, prædia, quæ proprium essent regum Macedonicorum patrimonium: quæ, quum locarentur a regibus, a Romanis vel venduntur, vel donantur.

§ 4 *Ubi publicanus est, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse*] Hujus loci, ab iis qui de vectigalibus populi Romani scripserunt, non explicati sententia mihi satis obscura est, nec ausim adfirmare me eam recte percipere. Dicam tamen, quid mihi de eo videatur, ut, si quid aberro, meliora, qui possint, doceant. *Jus publicum* variis modis dici, notum est. Interdum est, quod Justinianus § 1. Instit. de Just. et Jur. 'privatum jus' vocat, id est, quo de rebus ad singulorum rem privatam et familiarem pertinentibus, publica auctoritate legibus constituto, omnes cives communiter utuntur, quodque magistratus omnibus æqualiter impertiri debent. Hoc sensu *jus publicum* a Terentio Phorm. II. 5. 65. et Suetou. Aug. c. 10. et Tib. c. 50. dici, multi adnotarunt. Sed et *jus publicum* proprie est, quod ad statum publicum civitatis atque imperii pertinet, de quo loquitur Cicero de Orat. I. 46. 'Publica quoque jura, quæ sunt propria civitatis atque imperii, tum monumenta rerum gestarum, et vetustatis exempla oratori nota esse debere.' Ibid. 'Antiquitatis monumenta, publici juris auctoritas.' cap. 61. 'Historiam dico, et prudentiam juris publici, et antiquitatis iter, et exemplorum copiam:' et in Bruto c. 77. 'Cum auguralis, tum omnis publici juris, antiquitatisque nostræ bene peritus fuit.' Hac significatione hic credo dici *jus publicum* de eo, quod censoriis aliisve publici exercendi legibus præscriptum et constitutum erat. Nam hoc quoque magis ad statum publicum civitatis et imperii pertinet, quam ad rem privatam singulorum. Quod hoc 'vanum' esse dicit senatus, 'ubi publicanus est,' in eo hæc sententia esse potest, leges de conducendis et exercendis vectigalibus publicis eludi frandibus et rapacitate publicanorum, et sine vi esse. Sic 'vanas le-

ges' dicit Horatius, quæ vim non obtinent, in noto illo Carm. III. 24. 35. 'Quid leges sine moribus Vanæ proficiunt?' et Livius II. 42. 'vanam legem,' quæ promulgata perferri non potuit. Nam in re nihil interest inter legem quæ non servatur, et eam quæ non perlata est. Verum hanc explicationem respuit oratio disjunctiva, in qua, si hæc mens senatus fuit, parum boni sensus est. Idem enim est, ac si senatus diceret, ubi publicanus est, ibi alterutrum horum evenire, aut ut jus publicum vanum sit, aut, si vanum non sit, libertas nulla sit sociis. Sed hoc ferri non potest. Nam eo ipso, quod 'jus publicum vanum' reddebatur, et leges eludebantur, fiebat, ut sociis libertas nulla esset; quæ illis salva fuisset, si leges vim suam obtinuissent. Itaque aut alia explicatio horum verborum quærenda, aut, si ea quam posui vera videtur, aliquid mutandum, et vel utroque loco, vel, deleto priore *aut*, tantum posteriore pro particula disjunctiva *aut* copulativa *et* ponenda est. Sigonius de Ant. Jur. Civ. Rom. II. hæc Paullo Æmilio tribuit, quæ senatus suut. *Duk.* Crevierius verba Livii ita expouit: 'ubi publicanus est, alterutrum accidere necesse est: aut remissius agere publicani jubebuntur; tunc jus publicum vanum erit, id est, ex jure illo publico vel metalli, vel portorii, nihil aut perpaululum pecuniæ recipietur: aut publicanus rigide et districte aget; tunc libertas sociis nulla erit.' Idem mox § seq. *id exercere*, pro *idem exercere*, malebat.

§ 6 *Commune consilium gentis esse*] Legendum est, *commune concilium gentis nullum esse.* Sensus est: commune concilium gentis nullum esse, sed in quatuor regiones describi Macedoniam, ut suum quæque concilium haberet, placuit. *Sigon.* Maluisseu ego *concilium gentis ne esset.* Gruter. Recte Sigonius hic et mox § seq. *consilium* in *concilium* mutavit. *Concilium* enim vel communem conjunctorum populorum rempublicam, vel cujusque populi comitia aut conventum notat. Vide Gron. ad XLIV. 2. § 5. *Consilium* Crevier. retinet. Sed præterea, licet, judice eodem Crevierio, res ipsa clamare videatur recte Sigonium legisse *gentis nullum esse*, ejus emendationi tamen præfero Gruteri conjecturam *gentis ne esset.* Primæ edd. legunt *gentis esset;* unde minori mutatione fit *gentis nesset, neesset*, vel *ne esset*, quam *nullum esse.* Certe nulla caussa subigit ut *esset* in *esse* mutemus. Nam variata constructio 'placuit ne esset,' vel 'nullum esset,' et 'Macedoniam dividi' Liviana est, ut constat ex dictis ad XXXIX. 14. § 9.

A senatu aliquando libertatem] *Aliquando* ad remotiora, 'ad licentiam pestilentem traberet,' pertinet. Dubito an, ut alia, loco motum sit. *Duk.*

§ 7 *Dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti sunt*] Expunge τὸ *quam.* Sic c. 26. *J. F. Gron.* Similiter tamen Livius loquitur XXXV. 1. 'Ut vix dimidium militum, quam quod acceperat, successori tradiderit.' Verum ibi alii codd. voculam *quam* omittunt, quidam sequentem *quod*, quos Gronov. sequitur. Lib. XXXIV. c. 19. 'Duplex stipendium accipere, quam quantum a Turdetanis pepigissent.' Gronovii conjecturæ hoc loco favent quæ obcurrunt c. 29. 'Tributum dimidium ejus, quod pependisseut regibus, pendere populo Romano:' et paullo post eodem cap. 'Vectigal exercentibus dimidium ejus inpositum, quod pependissent regibus.'

§ 8 *In quibus præsens tractatio rerum certiora subjectura erat consilia*] Potest ferri τὸ *in*, si τὸ *quibus* referas ad 'cætera relicta:' sin respicit 'imperatores,' delenda præpositio. *J. F. Gronov.* Profecto Livius scripsit *ut*

quibus. XXIX. 34. 'Ut quibus haud facilis receptus fuit.' VII. 14. 'Ut qui magis animis, quam viribus, fretus ad certamen descenderet:' et c. 37. 'Ut quibus præter equos cæterorum jumentorum calonumque turba abesset.' XXV. 13. 'Sed ut quibus locus æquior esset, deturbant nitentes per ardua hostes.' XXVIII. 37. 'Ut quibus libertas Antiocho pulso, pax Gallis domitis data esset:' sic quoque igitur ex Ms. Cantabrig. supplendum est XXX. 31. 'Et Dii testes sunt, ut qui et illius belli exitum secundum jus fasque dederunt, et hujus dabunt.' Vulgo abest particula *ut.* Jac. Gron. 'Lib. XXIX. c. 32. 'Neque enim cunctanter, ut quos major metus urgueret, inmiserant equos.' XXX. 6. 'Inermes, ut quibus nihil hostile suspectum esset.' XXXVII. 1. 'Ætoli, ut quibus plus in misericordia senatus, quam in caussa, spei esset.' XXXIX. 43. 'Valerius Antias, ut qui nec Catonis orationem perlegisset, &c. aliud argumentum peragit.' XLI. 2. 'Et, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant.' cap. 18. 'Haud neglegenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultavere.' XLII. 7. 'Nec consul, ut qui id ipsum obpugnatione comminanda quæsisset, moram certamini fecit.' c. 26. 'Responsum tamquam legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari non placuit.' XLIV. 8. 'Ut qui obferentibus sese rebus omisisset e manibus ea.' Vide Jac. Gronov. ad XXIX. 31. § 5. Solent autem voculæ *in* et *ut* in Mss. confundi. Vide ad XXI. 63. § 14. Hic tamen commode τὸ *in* referri potest ad præcedens 'cetera relicta;' et hinc nihil mutandum videtur.

CAP. XIX. (XX.) § 1 *Attalus, frater regis Eumenis, maxime, &c.*] Cum his conferendus est Polyb. in Exc. Legat. num. XCIII.

§ 2 *Qui simul eo bello militaverunt*] Quid si *quibus simul eo bello militaverat?* J. F. Gronov. Livium tamen eo modo τὸ *simul* construxisse, nondum observavi. Vide ad I. 31. § 3. et VIII. 31. § 7. Necesse etiam non videtur vulgatum mutari; nam quibuscum simul militavit Attalus, hi quoque simul cum Attalo militaverunt. Polyb. id exprimit διὰ τὴν ἐν τῇ στρατείᾳ γεγενημένην συνήθειαν. Mecum sentit Dukerus. Clericus edidit *militaverant*, invitis omnibus libris.

§ 3 *Altera, querimonia Gallici tumultus, Advertæque gladiis regnum in dubium adductum esse*] Advertam Gallorum regulum videtur vocare, quem tamen paulo post c. 34. Solovettium nominat. Est autem verisimile, supra hoc de bello Gallico, deque hoc rege apertius scripsisse; verum, ut similia alia, excidisse: neque enim tam paucis verbis causam hanc adventus Attali esset complexus. De hac re paulo post cap. 20. 'Et Gallorum defectionem, quæ nuper ingenti motu facta erat, exposuit.' *Sigon.* An non pro *Advertæque gladiis regnum in dubium adductum esse*, legendum est *aperte?* Nam non possum adduci, ut *Advertam* proprium nomen esse credam. *Turneb.* Advers. XI. 18. Sive *Adverte*, sive *aperte* legatur, non possum adduci ut credam Livium dixisse *gladiis regnum in dubium adductum* pro regno periculum esse a bello. Fortassis ne poëtæ quidem ita loquuntur. *Dukerus.* Certe neque ego mihi persuadere possum, Livium ita in prosa locutum esse. Crevierius etiam locum pro desperato habet. In Polybio ea de re hæc obcurrunt: εἰ καὶ μὴ τὸ κατὰ τοὺς Γαλάτας ἐγεγόνει σύμπτωμα περὶ τὴν βασιλείαν· et paullo post, τότε δὲ καὶ διὰ τὴν Γαλατικὴν περίστασιν ἠναγκασμένος ἦκεν εἰς τὴν Ῥώμην. Vereor ne temerarius videar, si conjicio *altera, querimonia, Gallico tumultu Solovettiique cladibus regnum in dubium adductum esse.* Mox § seq. Crevierius conjicit *salva pietate ei contingere poterunt.*

§ 5 *Nec Romanis, nec Persi fido socio*] Ita omnes typis descripti usque ad ultimam ed. Gruteri, *Persei* exhibentem; pro quo Gron. ad XLII. 25. § 2. veterem lectionem adseruit, et in contextum recepit. Mirari igitur subit, cur nihilominus Hearne *Perseo*, Clericus *Persei* dederint. Quo depulso, priscam scripturam revocavi; quod et Crevierium fecisse video.

§ 6 *Et huic tribuere, et illi vero negare*] Forte *merito negare*. J. F. Gron. Veniebat in mentem *negare velle* e Polybio: Βούλεσθαι γὰρ αὐτῷ τὴν σύγκλητον συγκατασκευάζειν ἰδίαν ἀρχὴν καὶ δυναστείαν διὰ τὴν ἀλλοτριότητα τὴν πρὸς τὸν ἀδελφόν. *Duk.* Particulam *vero* delendam pronunciat Doujatius; contra in ea emphasin agnoscit Crevierius, et hinc nihil mutandum censet. Ejus etiam sententia verior videtur. Puto enim *vero* hic cum emphasi adfirmare, ut XXVII. 19. 'Quum, effusis gaudio lacrimis, cupere vero, diceret.' Cic. de Senect. c. 2. 'Faciam vero, Læli.' De Off. III. 1. 'Magnifica vero vox, et magno viro ac sapiente digna.' De Divin. II. 8. 'Quod enim is, qui divinat, prædicit, id vero futurum est.' Vide Cortium ad Sall. Catil. c. 58. § 16. et c. 61. § 1.

§ 9 *Adgressus tempestivis temporibus*] Ausonius quidem in Ludo septem Sapientum: 'Sed καιρὸς iste tempestivum tempus est.' Censeo tamen scribas *tempestivis sermonibus*. Statius Theb. II. 354. 'et oscula mœstis Tempestiva genis posuit.' *J. F. Gronov.* Conjectura hæc placet. 'Sermones tempori aptos' vocat Liv. l. III. c. 17. Ita 'oratio tempestiva' v. 12. quæ 'oratio tempori conveniens' vocatur XXXV. 36.

§ 11 *Necdum enim agnoverat eum*] Polybius: Οὐδέπω γὰρ ἀναδεδειγμένος ἐτύγχανε κατὰ φύσιν υἱὸς ὢν αὐτῷ, ὁ μετὰ ταῦτα διαδεξάμενος τὴν ἀρχήν. Is fuit Aristonicus, pellice natus, qui post mortem Attali III. qui Romanos heredes instituisse dicitur, sub a. IↃCXX. regnum invasit. Eumenem tum adhuc ἄπαιδα fuisse, etiam Polybius scribit. Sed deinde e Stratonice Ariarathis regis Cappadocum filia suscepit filium Attalum, eique parvo admodum moriens tutorem reliquit Attalum fratrem, de quo hic agit Livius. Attalus, tutela una cum regno suscepta, eumdem post unum et viginti annos successorem habuit. Ita Strabo XIII. 624. Stratonicen tamen dudum ante a. IↃLXXXVI. quo hunc sermonem cum Attalo habuit Stratius, Eumeni nuptam fuisse, e Liv. XXXVIII. 39. et XLII. 16. cognosci potest. *Duk.* Attalum III. Philometora dictum, intelligunt Doujatius et Crevierius.

§ 12 *Quod adtineret vim adferre*] Scribe *quia attinere vim afferri?* J. F. Gron. Quemadmodum *adtinere*, pro *adtineret*, facile probo; ita 'adtinere vim adferri' probe quidem dici concedo, ut constat ex iis quæ notantur ad III. 36. § 4. at simul contendo non opus esse, ut *adferre* in *adferri* mutemus. Supra VI. 23. 'Quid adtinere pati?' c. 26. 'Confutare nihil adtinet.' XXXI. 25. 'Nihil adtinere coarguere id.' XXXIV. 3. 'Quid adtinebit rogare leges?' Cic. de Amic. cap. 11. 'Quid adtinet dicere?' De Fato c. 3. 'Quid adtinet inculcare?'

Mox ad eum adventuræ] Forte *venturæ*, quasi de hereditate, quæ 'venire,' non 'advenire,' dicitur. Justin. I. 4. 'Si ad filiam mortuo rege venisset imperium.' Sallust. Jug. c. 8. 'Ultro illi et gloriam et regnum venturum.' *Duk.*

§ 13 *Nec aliud eum quam ne frater*] Lege, *nec aliud eum fratri, quam ne in regno moriatur, sibi ipsum spem propinquam regni erepturum*. Auctor ad Herenn. IV. 52. 'Tu cessas mihi vitam, tibi omnem bene vivendi spem mea morte eripere?' *J. F. Gronov.* Doujatius adversus Gronovium vulgatum tuetur, censens ad verba *nec aliud eum* subintelligendum 'effecturum.' Ejus

sententiam probat Crevierius, ita tamen ut ingeniosam Gronovii emendationem agnoscat.

§ 14 *Servati tamen regni, &c. potiorem laudem fuisse*] Jac. Perizon. ad oram Livii legendum conjicit *potiorem laudem esse.*

§ 15 *Et omnibus injuriis obnoxios fore*] A. Perizonius ad oram editionis qua uti consuevit, scribendum suspicatur *omnium injuriis.* Sæpe in similibus peccarunt librarii. Ita plures codd. præferunt *omni cura Latinorum*, pro *omnium*, I. 45. § 3. *contra omnem opinionem*, pro *omnium*, II. 56. § 2. *omni udsensu*, pro *omnium*, V. 9. § 7. ubi quædam vide. Contra *omnium vita*, pro *omni*, II. 33. § 10. *exposita omnium præda*, pro *omni*, III. 10. § 1. *omnium laudem*, pro *omnem*, VI. 22. § 6. ubi quædam vide: *omnium agmine principum*, pro *omni*, VIII. 33. § 9. *omnium laude*, pro *omni*, IX. 16. § 12. *omnium patientiam*, pro *omnem*, XXIII. 19. § 15. aliisque locis sæpius.

Privatumne ergo majorem fratrem, an exsulem illa ætate, illa corporis infirmitate; an ultimum mori jussurum?] Lege *ad ultimum.* Eo sensu, quo summus poëta (Virg. Ecl. II. 7.) 'Mori me denique cogis.' Lib. XXVI. c. 27. 'Ne se ad ultimum perditum irent.' XLII. 43. 'Quum experienda omnia ad ultimum, nec prætermittendam spem ullam censuisset.' XLIV. 4. 'Egregie ad ultimum in audacter commisso perseveravit.' *J. F. Gron.* Mihi tria quærere videtur Stratius; utrum fratrem privatum in regno vivere passurus, an in exsilium pulsurus, an denique interfecturus sit? non duo tantum, privatum an exsulem mori jussurus? Qui mori jubetur, nihil interest, privatus an exsul mori jubeatur; ac ne quidem eadem facultas est regibus exsules occidendi, quæ privatos in regno ipsorum viventes. Suspicor post *infirmitate* periisse vocem aliquam sequenti *jussurum* sono adsimilem, ut *visurum*, vel si quæ propius a *jussurum* abest. *Ad ultimum* quidem legendum, nec tamen *an* tollendum puto, quia tria quæri credo. Liv. I. 53. 'Vetant mirari, si, qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset.' V. 10. 'Quæ nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit.' *Duk.* Vulgatum *an ultimum* tuentur Doujatius et Crevierius, et *ultimum* exponunt 'tandem,' 'ad ultimum,' 'denique:' posterior etiam voces *an ultimum mori jussurum* tertium divisionis membrum constituere existimat. *Ultimum* eo sensu sumi posse, vidimus ad XL. 42. § 10. Verum, ita nunc sumi debere, vix existimo. Nam placere nequit locutio 'jubeo fratrem privatum,' 'exsulem,' pro 'esse privatum,' 'esse exsulem:' et ita cum Dukero vocem post τὸ *infirmitate* sive *visurum*, sive *esse*, sive aliam excidisse statuendum foret. Præterea si ea Livii mens fuisset, credo potius dicturum fuisse *interfici jussurum.* Videtur igitur Stratius duo tantum interrogasse; utrum nempe Attalus jussurus, sive operam daturus sit, ut frater, erepto regno, privatus ad mortem usque in patria viveret; an vero, ut, erepta simul patria, vitam in exsilio finiret? Si tamen tres interrogationis partes esse placet, etiam lectionem mutandam esse Dukero adsentiar. Ceterum *illa ætate, illa corporis infirmitate* similiter dictum, atque 'ea ætate,' 'iis honoribus actis' III. 35. ubi vide.

CAP. XX. (XXI.) § 1 *Introductus in senatum, gratulatus victoriam; et sua merita*] Forte vel legendum *intr. in senatum, gratulatusque victoriam;* vel *gratulatus victoriam est, et sua merita;* ut verbum *est* haustum sit a sequenti *et.* Vide ad XXXVII. 51. § 3.

§ 2 *Ænum sibi et Maroneam petiit*] Non magnopere ad laudem senatus pertinet, quod Polyb. Legat. XCIII. scribit, senatum Attalo præsenti promisisse, se ei has urbes daturum; sed

deinde, quum Roma digressus adhuc in Italia esset, eas, mutata sententia, liberas pronunciasse. *Duk.*

§ 3 *Curia excessit*] Et hic male curiosi fuerunt recentiores: nam prima ed. *curiam excessit.* Ut ‘excedere urbem,’ ‘portam,’ de quibus superius. Sed et τὸ *Ut*, quod sequitur, supervacuum. Scribe *Raro alias.* J. F. Gron. *Curia* demum in ed. Sigonii inveni. Omnes priores constanter *curiam excessit*, quod recte Crevierius iterum in contextum recepit. Vide ad II. 37. § 8. Sequens *Ut*, quod Gronovius eique adsensus Crevierius delendum censent, forte natum est ex ultimis literis præced. vocis *excessit.* Vide ad XLII. 63. § 5. Malo etiam *Raro alius quisquam, rex aut privatus*, pro *Raro alias.*

§ 4 *Rhodiorum maxime legati*] Cum his confer Polyb. in Exc. Legat. num. XCIII. p. 1279.

§ 8 *Ut amicorum sociorum numero habendi sint*] Lege *ut amicorum aut sociorum.* Muretus. Forte *sociorumve numero.* J. F. Gron. Gronovii conjecturam consensu suo firmat Crevierius, quam Clericus etiam in contextum recepit. Contra Doujatius nihil mutandum censet, et, *amicorum* adjective accipiens, *amicos socios* exponit fideles socios. Quod ut verum esse aliis persuaderet, idoneis exemplis *amicos socios* eo sensu, vel *inimicos socios* pro infidelibus sociis sumi, docere debuisset. Vir doctus in margine ed. Curionis legendum conjicit *amicorum sociorumque.* In hac formula Romanos particula connectente, non disjungente, uti solitos fuisse, docent exempla superius laudata ad XXXV. 38. § 8. et XXXVII. 53. § 6. quibus totidem alia ex uno Livio addere in proclivi foret, nisi illa sufficerent. Sed vide ad cap. 25. § 8.

§ 10 *Caussam, quam condemnarentur*] Forte *quum condemnarent.* Vide ad XXXIX. 22. § 8. Similiter legendum existimat Crevierius.

CAP. XXI. (XXII.) § 1 *M. Juventius Thalva*] *M'. Juventius Thalna* ex consul. Cap. *Sigon.* Eadem hic varietas in edd. prioribus obcurrit, qualem vidimus ad XLIII. 8. § 2. et XLV. 16. § 3.

§ 6 *Et tribuni plebis, quum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi*] Pauca verba desiderantur in hanc sententiam: *Et tribuni plebis, quod, antequam privati de lege dicerent, legi ipsi intercederent, cum ita traditum esset, &c.* Tota enim sententia hæc est: Et prætor novo exemplo rem ingressus erat, quod, ante non consulto senatu, de sua unius sententia rogationem ferret, cum antea semper senatus prius de bello consultus esset, post ad populum latum; et tribuni plebis, (scilicet novo exemplo agebant,) quod, antequam privati dicerent, intercederent, cum ita traditum esset, ne quis intercederet prius legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset. Hanc autem deesse sententiam, ex eo etiam apparet, quod sequitur: ‘Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo.’ *Sigon.* Hunc damnavit asterisco locum Sigouius, desiderari ratus hæc verba: *quod, antequam privati de lege dicerent, legi ipsi intercederent.* Ego vero nihil deesse censeo, et attentum lectorem ex præcedentibus facile ad hæc verba intelligere, ‘novo maloque exemplo actioni prætoris adversabantur.’ *J. F. Gronov.* Hoc quidem intelligi potest, nec tamen ex eo satis apparet, in quo situm fuerit, quod tribuni plebis quoque novo maloque exemplo actioni prætoris adversabantur. Id autem vix intelligi potest, nisi supplemento aliquo adhibito, sine quo sensus verborum obscurus est. *Duk.*

Quum ita traditum esset, ne quis] Vide Gruchium de Comit. Rom. I. 4. p. 597. *Duk.*

Ex ratione dissuadentium] Potius *oratione.* J. F. Gron. Legendum videtur *ex rationibus*, vel potius, ut Gro-

novius conjecit, *ex oratione*. Solent autem voces 'ratio' et 'oratio' a librariis confundi; vide ad XXXV. 25. § 9.

§ 8 *Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo in adventum im.*] Exciderunt pauca, quæ ad rem Rhodiorum, de quibus loquitur, pertinebant. Exciderunt etiam prima verba orationis Rhodiorum, quam pro se dixerunt in senatu. Hujus autem orationis capita una cum sententiis quibusdam orationis ejus, quam dixit Cato pro Rhodiis, exstant apud Gellium VII. 3. Catonianæ autem orationis post etiam meminit Livius. *Sigon.* Astymeden, alterum legatorum Rhodiorum, in senatu verba pro civitate sua fecisse, sed orationem illius absurdam, et in totum ad persuadendum ineptam, ab intelligentibus judicatam fuisse, auctor est Polybius Legat. XCIII. Nam eum, quæ Rhodii pro Romanis fecerant, cum iis quæ alii, comparantem, horum erga Romanos merita per mendacium elevasse, et eorum delicta quorum, etsi nullam mererentur veniam, tamen iis gratia facta esset, aspere et odiose commemorasse; Rhodiorum culpam contra levem et venia dignam esse dixisse. Apparet Livium omisisse eam partem orationis legati Rhodii, qua aliorum merita erga Romanos obtrectando carpebat, et qua tam criminose insectabatur et exaggerabat ea quæ illi in Romanos deliquerant. In iis enim, quæ de Carthaginiensibus, Philippo, Antiocho et Perseo dicit, nihil præcipuæ acerbitatis et invidiæ est. Quod merita populi Rhodii erga Romanos paullo gloriosius prædicat, non valde reprehendendum videtur, quum non minus magnifice sua in senatu jactet Eumenes apud Polyb. Legat. XXV. et Livium XXXVII. 53. et tamen cum adsensu omnium auditus sit. Nec ea pars orationis, qua causam populi a turbulentis quibusdam et Persco addictis principibus segregans, in hos omnem culpam confert, omnino ad persuadendum inepta videri potest. Nam hos Polybius ipse multis locis civitati causam malorum fuisse dicit; quod ad defensionem multitudinis aliquantum valere debuit. Ob has causas parum abest quin mihi persuadeam, Livium non tam ea, quæ orator Rhodius in senatu dixit, quam quæ ab eo dici potuisse, ac debuisse putavit, in hanc orationem contulisse: eo magis, quod legatus c. 24. dicit esse senatores, qui Rhodios non ideo bello persequendos esse censeant, quia maluerint Perseum vincere, quam Romanos; nam 'neque moribus, neque legibus ullius civitatis ita comparatum esse, ut, si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit, quo id fiat, capitis damnetur.' Hæc enim ex oratione Catonis pro Rhodiis apud Gellium VII. 3. sumta, sed nonnihil a Livio immutata esse, facile animadverti potest. Eam autem Cato, ut Gellius cum Livio consentiens scribit, postquam legati Rhodiorum curia excesserant, in senatu habuit. *Dukerus.*

CAP. XXII. (XXIII.) § 1 *Dona ferentes*] Si quis recte attendat, legendum intelliget *dona ferentes veniebamus*. Nam sequitur ἀπόδοσις: 'nunc vix mercede recepti venimus in curiam Romanam Rhodii.' *Sigon.* Verbum rursus interposuit Sigonius: ego eleganter reticeri, et ex proximis intelligi puto. *J. F. Gron.* Perionius in ed. Concionum Livianarum ad marginem hujus loci monuit legendum sibi videri *dona ferebamus*. Crevierius, qui Sigonium minus proprie aut eleganter *veniebamus* interposuisse judicat, ejus loco adscivit verbum *deducebamur*. Mox § seq. legendum *deversorio*. Vide ad I. 51. § 2. et XLIV. 43. § 2.

§ 3 *Liberos esse (ut audivimus) jubetis*] Et hoc recentiorum: nam primum exemplar *audimus:* et est ἰδιωτισμὸς vulgarium quoque linguarum

audio pro cognovi, audivi. Cic. pro Sex. Roscio c. 6. 'Quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video, alterum tria hujusce prædia possidere audio.' Petronius c. 104. 'Audio enim non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues neque capillos deponere.' *J. F. Gron.* Sigonius est, qui primus *audivimus* dedit, reliquis recentioribus ejus lectionem recipientibus. Sed recte Gronovius alteram revocavit. Infra c. 24. 'Voluntatis nostræ tacitæ velut litem æstimari vestris inter vos sermonibus audio.' Et ita priscæ edd. præferunt cap. seq. in fine, 'Etiam Deos aliqui verbis ferocioribus increpant: nec ob id quemquam fulmine ictum audimus:' ubi etiam postea substitutum est *audivimus*.

§ 5 *Nec tam exitu eorum, quod vindicatis*] Legendum videtur *vincatis*. Sigon. Similiter emendat Freinsh. ad Curtii x. 6. § 14. Et ita præfert ed. princeps: pro quo mox Frob. 1535. errore, ut videtur, operarum dedit *vindicatis*. Licet autem ed. Sigonii, quæ post ejus mortem a. 1592. prodiit, et in qua scholion ejus primum adparuit, emendationem in contextum receperit, secuti tamen editores errorem typographorum servarunt usque ad Gronovium.

§ 9 *A Polyarato et Dinone*] Ita recte edidit Gronovius, quum omnes priores præferant *Dione*. Vide ad XLIV. 23. § 9.

§ 11 *C. Livium, L. Æmilium Regillum interrogatæ, qui classibus, &c.*] Jac. Perizonius ad marginem ed. Livianæ qua uti solebat, Livium incuriæ arguere videtur, notans C. Livium, qui classi Romanæ in Asia præfuit, jam hoc tempore, sive a. IↃLXXXVI. mortuum fuisse. Id autem eum collegisse puto ex Livii XLIII. 11. ubi inter pontifices, qui a. IↃLXXXIII. obferunt, refertur C. Livius Salinator. Pari etiam modo Pighius in Annal. ad a. IↃLIV. p. 248. existimavit, C. Livium, M. Livii Salinatoris bis consulis et censoris filium, prætorem et consulem fuisse, ac pontificem mortuum esse. Omnino tamen verisimile non est, Livium tantopere in hac re errasse; præsertim quum consulere potuerit ipsam orationem, quam hoc tempore Astymedes Rhodiorum legatus habuit. Ἐξέβαλλε γὰρ ἔγγραπτον μετὰ ταῦτα ποιήσας τὴν σύνταξιν τῆς δικαιολογίας, teste Polyb. in Exc. Leg. n. XCIII. p. 1280. Superest etiam ratio difficultatis, a viris doctis injectæ, removendæ. Duo enim C. Livii Salinatores circa hæc tempora vixerunt. Eorum alter ædilis curulis fuit a. IↃXLIX. Livius XXIX. 38. prætor a. IↃLI. Liv. XXX. 26. alter præturam obtinuit a. IↃLXII. Livius XXXV. 24. Priorem Pighius in Ann. ad a. IↃXLII. p. 184. Marci filium, Marci nepotem, M. Livii Salinatoris bis consulis et censoris fratrem vocat: posteriorem idem Pighius in Ann. ad a. IↃLIV. p. 248. itidem Marci filium, Marci nepotem, sed M. Livii Salinatoris bis consulis et censoris filium vocat. Horum posterior an. IↃLXV. consulatum adipiscitur XXXV. 24. prior a. IↃLXI. consulatus repulsam fert XXXV. 10. Eumdem, qui consulatus repulsam tulit, postea consulatum obtinuisse, statuit quidem Pighius in Ann. ad a. IↃLXI. pag. 275. at potius diversos fuisse existimo. Qui enim a. IↃLXI. consulatus repulsam tulit, non videtur a. sequenti IↃLXII. præturam, et ita demum IↃLXV. consulatum gessisse. Ita enim consulatum petiisset, antequam prætor fuisset. Quod interdum quidem evenit, sed eo casu id Livius monere solet, ut constat ex T. Quinctii Flaminini exemplo XXXII. 7. quod non modo lib. XXXV. c. 10. non fecit, verum insuper omnes patricios plebeiosque, qui eo anno consulatum petebant, 'potentes' vocat, quod vix juveni nondum prætura functo convenire potest. Censeo igitur C. Livium Sali-

natorem, bis consulis et censoris fratrem, a. IↃXLII. pontificem adoptatum esse apud Liv. XXVI. 23. ædilem curulem creatum esse a. IↃXLIX. prætorem IↃLI. consulatus repulsam tulisse IↃLXI. pontificem obiisse IↃLXXXIII. at C. Livium Salinatorem, bis consulis et censoris filium, præturam a. IↃLXII. consulatum a. IↃLXV. obtinuisse, et hoc anno IↃLXXXVI. adhuc superfuisse. Quum autem posterior hic in prætura classi Romanæ præfuerit, XXXVI. 2. recte ad ejus adhuc superstitis testimonium provocat Astymedes.

CAP. XXIII. (XXIV.) § 4 *Ut ne ab utraque parte*] Scribe *ut ab neutra parte gratiam iniremus.* J. F. Gron. Utrum Livius alibi *ut ne* pro simplici *ne*, quod tamen sæpe apud optimos scriptores obcurrit, dixerit, me dubitare, constat ex illis quæ notavi ad X. 27. § 2. Non tamen vel ob eam caussam, vel quod *utroque* modo præcessit, (similes enim repetitiones in Livio frequentes esse, vidimus ad I. 3. § 9.) Gronovii conjecturam probo, sed ut sensui consulam; qui exigit, ut legatus Rhodius dicat, cives suos utroque de pace legatos mittendo neque a Romanis, neque a Perseo gratiam iniisse. Nam supra jam dixit, si Perseus victoriam obtinuisset, et Rhodii victorem præmia petitum adirent, forte ipsis, itidem ut nunc Romæ, caussam dicendam fore. At secundum vulgatam lectionem legatus tantum queritur, cives suos non ab utraque parte, id est eos tantum ab una parte, gratiam iniisse. Gronovii conjecturam probat etiam Crevierius: eamdem etiam Clericus in contextum recepit.

§ 5 *Navalibus, armis, juventute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore*] Scribe *navibus, armis, juventute.* J. F. Gronov. Donjatius, ut vulgatum tueatur, jungit *navalibus armis*, et exponit 'copiis maritimis,' quibus Rhodii pollebant. Sed, 'arma navalia' eo sensu a Livio adhiberi, exemplis erat probandum. Contra Gronovii conjecturam Clericus non modo probavit, sed eidem etiam in contextu locum dedit. Forte etiam legendum *juventute nos nostra, &c. paratos fore.* Pronomen illud ob easdem vocis seq. literas facile excidere potuit.

§ 6 *Sed a vobis prohibiti præstare fuimus*] Excidit pronomen: *sed id a vobis prohibiti præstare fuimus.* J. F. Gron.

§ 7 *Hinc jam non, quod factum est, defensurus sum*] Voculam *hinc* mendosam puto, pro qua, unica litera extrita, legendum puto *hic jam non.* Et quidem τὸ *hic* sæpe notam temporis obtinet. Vide ad XXXIX. 13. § 3. Quemadmodum autem *hic tum* significatione præteriti notat 'tunc,' 'eo tempore,' ita *hic jam* significatione præsentis ponitur pro 'nunc,' 'hoc tempore.' Vide Tursell. de Partic. Lat. Orat. c. 64. ubi laudat optime huc facientem locum Cic. ex Orat. pro L. Manil. c. 9. 'Hic jam plura non dicam. Fuit enim illud extremum.' Particulas *hic* et *hĩc*, sive *hinc*, sæpe confundi, vidimus ad XXVI. 13. § 13. Similiter scribendum esse etiam Dukerus conjecit.

§ 9 *Nec in potestate vestra rempublicam fuisse*] Malim *populum Rom.* quam *remp.* Nam, si plebes secessit, certe in potestate Patrum non fuit; quo minus autem resp. in eorum potestate esset, nullo inpedimento fuit. Intelligi autem Rhodii volunt, ne multitudinem quidem Rhodiam in potestate principum fuisse. Sic sæpe alias Livius: 'Tribuni plebis in potestate Patrum fuerunt.' Ex vulgata tamen lectione etiam sensus elicitur. *Sigon.* Sigonius malit *nec in potestate vestra populum Romanum fuisse:* nam si plebes, inquit, secessit, certe in potestate Patrum non fuit: quo minus autem respublica in eorum potestate esset, nullo impedimento fuit.

Equidem scire velim, in quo rempublicam ponat: utrum in tectis et mœnibus vacuis, an in civibus? Lib. XXIV. c. 33. 'Quum in eorum, ad quos venerint, manu res Syracusana esset, tum reverterentur.' XXVI. 8. 'Præsidiaque in urbes contraherent, ut sua cuique respublica in manu esset.' lib. XXXIX. c. 50. 'Defectionis auctores, quorum in manu respublica erat.' Cicero de Legib. III. 17. 'Eamque optimam rempublicam esse duco, quam hic consul constituerat, quæ sit in potestate optimorum.' Philipp. I. 1. 'Cum sperarem aliquando ad vestrum consilium auctoritatemque rempublicam esse revocatam.' *J. F. Gronov.*

§ 10 *Aliquos fuisse apud nos, qui, &c. depravarent*] Adcurata loquendi ratio exigere videtur, ut legamus *qui depravarint*: forte etiam mox *cessarimus*, pro *cessaremus*.

§ 11 *Furiosus orator*] Respicit ad ea quæ XLIV. 14. leguntur. Agesipolis oratio post adlatum Romam nuncium de Perseo victo nequaquam tam insolens fuit. Eam tamen hic designari, e Polyb. Legat. LXXXVIII. colligitur. *Duk.*

§ 12 *Tamquam C. Popillius legatus Romanus, &c. loqueretur*] Jac. Perizonius ad marginem Livii conjecit *tamquam si C. Popillius*. Ita loquitur XL. 9. 'Ita me audias, precor, tamquam si, voce et comploratione nocturna excitus, mihi quiritanti intervenisses.' Ciceronem etiam hac formula *tamquam si*, et *tamquam si, ita* usum esse, adlatis exemplis ex orat. pro S. Rosc. c. 32. pro Cæcin. c. 21. et Philipp. II. 41. probat Stewech. de Partic. Ling. Lat. voce 'Tamquam.' Quibus adde Cic. ad Famil. II. 16. 'Suadeo videas, tamquam si tua res agatur:' et de Divin. II. 64. 'Tamquam si Pœni aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete.' Horum omnium non meminerat Nic. Heins. quum, ex Mss. apud Ovidium reponens, Met. VII. 753. 'Dat mihi præterea, tamquam se parva dedisset Dona, canem munus,' addit, *tamquam si*, ut antea edebatur, minus elegans esse, licet bis terve apud A. Gellium obcurrat. Eodem modo optimos scriptores 'veluti si' et 'quasi si' usurpasse, vidimus ad I. 12. § 7.

§ 14 *Tam civitatum, quam singulorum*] *Civitatium* edd. principes: ex quibus ita etiam laudat Vossius Gram. IV. 14. Primus Curio *civitatum* edidit, quod omnes postea servarunt. Sed vide ad XXXIII. 20. § 11. et XLI. 22. § 7.

§ 15 *Atheniensium populus fama est*] Malim *Atheniensem*, et mox *Lacedæmonium*. J. F. Gron. Gronovio adsentiebar, quum sub manum haberem locum Livii V. 24. § 3. quia Livium alibi, quam hoc loco, ita locutum non memineram. Nunc, vineta mea cædens, nihil mutandum puto, quia similis locutio obcurrit c. 5. 'Quum in concione esse populum Samothracum animum advertisset.' *Populus Karthaginiensium* in Mss. est XXI. 14. § 7. et XXIX. 23. § 5. 'populi Ætolorum' est apud Plin. H. Nat. IV. 2. 'populus Scytharum' VI. 17. 'populi barbarorum' XXII. 1. 'populi Græcorum' XXX. 1. Neque multum hinc diversa sunt 'lacus Lucrini,' 'Timavi,' et similia, apud Livium obvia; de quibus vide ad XL. 19. § 9.

§ 18 *Iracundi oderunt, prudentes inrident*] Ita recte Curio edidit, quum priores vitiose præferrent *irriderent*. Erroris origo esse videtur, quod olim *od'unt* breviter scriptum fuerit; quod qui recte *oderunt* explicuit, se similem etiam notam verbo sequenti *irrident* additam videre credidit, et hinc *irriderent* exaravit. Ceteroquin, librarios passim similia tempora, syllabam *er* vel addendo, vel detrahendo, confudisse, vidimus ad XXXIX. 52. § 6.

§ 19 *Fulmine ictum audivimus*] Ita primi ediderunt Basil. a. 1554. quod mox Sigonius, et inde recentiores

omnes receperunt. Antiquiores legunt *audimus;* quod non est spernendum. Vide ad cap. præc. § 3. Eam igitur lectionem recepi.

CAP. XXIV. (XXV.) § 1 *Quid igitur superat, quod purgemus*] Hæc lectio J. F. Gronovium auctorem habere videtur. Certe eam primum vidi in ejus ed. an. 1665. quam deinceps reliqui editores adoptarunt. Priores præferunt *quod purgamus.* Sed *purgemus* est purgare debemus.

§ 2 *Voluntatis nostræ tacite velut litem æstimari*] Minime clam et tacite (neque etiam causa suberat) hæc agebant senatores; sed palam in senatu graves de Rhodiis dicebant sententias, atque ipse prætor publicam de bello illis indicendo rogationem promulgabat. Lege *tacitæ*, h. e. occultæ voluntatis nostræ. Quamvis enim satis ferociter et liberius, quam aures Romanæ ferre poterant, locuti essent, ut inde, quæ tacita eorum foret voluntas, colligi facile forsan posset; non tamen apertis verbis declaraverant Perseo se favere. Et verisimile est, ac decuit, legatos suæ civitatis causam, quam maxime fieri potest, in hac oratione juvare. *Jac. Perizon.* Recte Perizonium *tacitæ* emendasse pronuncianti Crevierio consentio. Error inde natus est, quod passim in Mss. diphthongus *æ* in literam *e* mutata sit, unde etiam *libere et pudice*, pro *liberæ et pudicæ*, datum erat III. 50. § 6. Eam lectionem recipiendam credidi. Gronovius in pr. ed. nott. dubitabat Latiniusne foret *voluntati nostræ*, an *voluntatis;* quum tamen ipse, non tantum ' litem alicui,' sed etiam ' litem alicujus, æstimare ' in usu fuisse, ex Cic. in Verr. IV. 10. in Verr. V. 19. Nep. in Timoth. III. et Vell. Pat. II. 8. docuerit. Quibus adde Cic. pro Cluent. c. 41. ' Omni contentione pugnatum est, ut lis hæc capitis æstimaretur:' quod Manut. exponit, ut, quæ capitis lis erat, ad pecuniæ solutionem redigeretur. His itaque deinceps vir maximus permotus fuisse videtur, ut in iterata ed. conjecturam omitteret, et tacite damnaret.

§ 3 *Ut, si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit, quo id fiat, capitis damnetur*] Scriptum exemplar *ut si nihil fecerit.* Deleverunt particulam pro supervacua: at nos Livii morem in hac repetitione dudum exemplis probavimus. Quin et fuisse puto *ut is, si nihil fecerit.* J. F. Gron. Prisca lectio, *ut, si qui vellet inimicum perire, ut si nihil fecerit.* Vulgatum demum obvium fuit in ed. Vascos. Quod ad priorem partem verborum *si qui vellet* attinet, certum est *qui* et *quis* passim a librariis confundi. Vide Cortium ad Sall. Catil. c. 44. § 5. Utrum vero hic præferendum sit, liquido adfirmare nequeo: ' Veteres enim certos fuisse elegantiæ suæ, et ubi *qui*, ubi *quis* præstaret, usu fuisse doctos, licet nos sæpe in his fluctuemus,' adsentior Burm. ad Phædr. I. 13. 6. Si tamen sententia mihi dicenda foret, unici codicis lectionem damnare non auderem, quia *si qui*, pro *si quis*, sæpius apud Nostrum et alios obcurrit. Vide ad III. 17. § 7. et VI. 32. § 5. Quod autem ad posteriorem partem, Perionius, qui conciones Livianas edidit, et in contextu veterum edd. lectionem *ut si nihil fecerit* servavit, in margine, teste Hearnio, scribendum conjecit *et si nihil fecerit.* Plurimis quidem locis voculas *et* atque *ut* a scribis commutari, vidimus ad XXI. 28. § 8. hic tamen magis arridet Gronovii emendatio *ut is, si nihil fecerit.* Ita hic primo duplicabitur particula *ut;* quod Livianum esse, vidimus ad XXII. 11. § 4. deinde *is* interceptum erit a sequenti *si*, quod iisdem literis, sed inversis, scribitur. De illa autem repetitione pronominis *is* vide ad XXV. 27. § 1.

§ 4 *Si omnes voluimus, quod arguimur*] Ita primus Vascos. Antiquiores *volumus.* Sed recepta lectio præferenda

est. Pariter enim supra ‘favisse nos regi, et illum vincere malnisse,’ deinde ‘voluisse quidem nos hoc,’ non *favere*, *malle*, et *velle:* deinde mox *faverunt*, non *favent*.

§ 6 *Et hoc qui sciebant*] Scribendum puto *et hoc quia sciebant, plerique, &c.* Jac. Perizon.

§ 8 *Cessavimus, quam quod duobus bellis*] Una vox excidisse, ac legendum videtur, *quam prosit, quod duobus bellis.* Idem etiam Crevierio in mentem venit.

§ 9 *Tres sententias ponite: duæ nos absolvunt: una dubia est, ut gravior sit*] Videtur aliquid excidisse, et scripsisse Livius, *una dubia est; tantum abest, ut gravior sit.* Nec absolvit, quia non juvimus; nec condemnat, quia non contra stetimus: tantum abest, ut certo condemnet. *J. F. Gron.* Voces *tantum abest* neglegentia librarii facile excidere potuerunt ob præcedentem vocem *est.* Vide ad IX. 11. § 11. Ita ‘gravior sententia’ erit sententia quæ majorem habet auctoritatem, quam duæ reliquæ. Ita ‘gravis auctor’ I. 16. § 5. ubi vide. At vulgatum tuentur Doujatius et Crevierius: quorum prior hoc Livium velle putat, unam sententiam contra duas, quæ certæ et indubitatæ sunt, præponderare non debere; quamvis enim daretur, hanc, si certa esset, graviorem esse alterutra duarum, graviorem tamen ac justiorem haberi non posse, quandoquidem dubia est. Verum hic sensus qua ratione ex verbis Livii efficiatur, non intelligo. Crevierius *ut gravior sit* exponit, etiamsi severior, durior sit. Eo sensu ‘sententia gravis’ est apud Cæsar. B. Civ. I. 2. ‘Dicuntur sententiæ graves: ut quisque acerbissime crudelissimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis Cæsaris conlaudatur.’

§ 14 *Quod numquam judicavimus nos vestros hostes*] Voluit *quo nunquam judicabimus.* J. F. Gron. Illud *quo* nunc vulgo exstans, quod unde invectum sit, se nescire fatetur Crevierius, Gronovio debetur, ut præmissa ejus nota docet. Et hanc conjecturam jam an. 1645. in contextum recepit. Ut tamen de auctore ejus lectionis dubitaret Crevierius, caussam præbuerunt operæ typographorum; ab his enim in ed. Jac. Gronov. 1679. in nota J. F. Gronovii perperam *qui*, pro *quo*, substitutum est. Sed errorem typographicum deprehendit clariss. editor, et in syllabo erratorum monuit. Verum ne vel ex hoc syllabo se expedire posset, forte nova typothetarum menda fraudi fuit, quorum culpa factum est, ut in syllabo illo error hic, qui p. 963. commissus erat, referretur ad p. 983.

CAP. XXV. (XXVI.) § 3 *Ipsius oratio scripta exstat*] Ex ejus oratione quædam excerpta vide apud Gellium VII. 3.

Originum quinto libro inclusa] Norisius Cenotaph. Pisan. Diss. I. 1. p. 4. scribit Catonem nondum id temporis ‘Originum libros’ exarasse, idque certe Livio notandum fuisse. Non intelligo, quid hoc sit, nec ullam probabilem causam invenio, cur Livius id hoc loco annotare debuerit. Si Cato tum nondum scripserat librum quintum Originum, tamen omnes earum libri dudum exstabant, et in omnium manibus erant, quum Livius hæc scribebat. Alia ratio est in eo, quod XXXIV. 5. L. Valerium de iis, ut a se lectis, loquentem inducit, de quibus scribendis fortasse tum nondum cogitaverat Cato. *Duk.*

§ 5 *Subsistere, quæ agerentur, sciret, certioresque suos faceret*] Videtur legendum *quæ, quæ agerentur, sciret,* atque alteram *quæ* esse incuria prætermissam. *Sigon.* Mallem, *partem cum Ast. R. subsistere, qui, quæ ag., scirent, certioresque suos facerent.* Retulit ad legatos: nam pars legationis sunt nihil aliud, quam legati quidam. Id durius visum librariis, et nume-

rum mutarunt. *J. F. Gron.* Vulgatæ lectioni patrocinium exserit Donjatius, statuens abscissum posterius, et per se absolute capiendum; unde majori interpunctione a præcedenti *subsistere* erit dividendum. Clericus excidisse putavit voculam *ut*, quam etiam, sed alia characterum forma, et circinulis inclusam, in contextum recepit *subsistere*, [ut,] *quæ agerentur, sciret.* Verisimilior tamen Gronovii conjectura videtur. Librarii primo numerum mutantes dederunt *sciret*, et *faceret*, quia τὸ *qui* ad solum principem legationis Astymedem referendum putabant, cum referri debeat ad junctas voces *partem cum Astymede.* Locutio autem *partem* legatorum *cum Astymede subsistere, qui scirent* partim similis est ei quæ obcurrit XXI. 60. § 7. 'dux cum principibus capiuntur;' partim illi quæ XXVII. 1. § 12. 'pars in fugam effusi:' quibus locis plura vide. Deinde *qui* excidit ob similitudinem sequentis *quæ.*

§ 6 *Deducere ante certam diem ex Lycia Cariaque jusserunt præfectos*] Polybius hoc decretum senatus post missam legationem, quæ coronam ferebat, factum tradit. *Duk.* 'Deducere præfectos ex regione' alibi me legere non memini: lego itaque *præsidia*, vel *præsidiarios*, pro *præfectos.*

§ 7 *Coronam viginti millium aureorum decreverunt*] Polybius Exc. Leg. num. XCIII. στέφανον ἀπὸ μυρίων χρυσῶν. Utrum igitur hic δισμυρίων, an ibi *decem millium?* J. F. Gron. Audacior Gronovio Hotomannus, qui libro de Re Numm. p. 364. lectionem Polybii probat, et in Livio legendum censet *decem*, pro *viginti.* Cum Gronovio tamen rem in medio relinquere malo. Lectioni Livianæ favet corona Pamphyliorum ejusdem ponderis senatui Romano oblata XLIV. 14. Ceterum *viginti millibus aureorum* editi ante ultimam Gruteri, quæ *millium* substituit: ut numerus per notas expressus fuerit, in quibus explicandis priores editores erraruut. Vide ad XXV. 9. § 16. Et sane vel ita legendum est; nam ita loquitur Livius XXXVIII. 14. 'Coronam auream quindecim talentum adferebant:' vel *coronam ex viginti millibus aureorum;* similiter enim XLIV. 14. 'Coronam auream ex viginti millibus Philippeorum factam in curiam intulerunt.' Polybius quidem, quem Livius descripsit, loco laud. dicit στέφανον ἀπὸ μυρίων χρυσῶν, unde posterior lectio videretur probanda esse. Verum id non urguendum est: quod enim Livius XXXVIII. 14. dixit *coronam quindecim talentum*, Polyb. in Exc. Leg. num. XXX. effert στέφανον ἀπὸ πεντεκαίδεκα ταλάντων.

Theodotum, præfectum classis] Ex Polybio puto corrigendum Livium in legati hujus nomine, qui Θεαίτητος nominatur Exc. Legat. num. XCIII. Καὶ καταστήσαντες πρεσβευτὴν ἅμα καὶ ναύαρχον Θεαίτητον ἐξέπεμπον. ita et infra apud Polyb. nominatur. *Ursin.* ad Polyb. Exc. Leg. num. XCIII. Ursinus in loco Polyb. laudato edidit ναύαρχον Θεόδοτον, pro quo recte in notis laudat Θεαίτητον, (sive ita in cod. suo reperit, sive ex conjectura emendandum censuerit,) et in Livio emendat *Theætetum.* Inter illos enim, qui præcipue Rhodi Romanis favebant, frequenter memoratur Theætetus. Vide Polyb. Exc. Leg. num. LXX. et LXXX. Hinc maxime idoneus erat, qui legatus Romam mitteretur, et operam daret, ut Romani cum Rhodiis, quibus admodum infesti erant, in gratiam redirent, et cum iis societatem inirent. Quin et diserte principem legationis, quæ coronam Romam adlatura erat, Theætetum vocat Polyb. ibid. inferius: Ἅρτι δὲ τῶν περὶ τὸν Θεαίτητον καταπεπλευκότων ἀπέστησαν Καύνιοι. In hac autem legatione eum octogenario majorem Romæ obiisse, narrat idem Polyb. Exc. Leg. num. XCIX. Eumdem olim, post victum Antiochum, a decem legatis, qui Romanorum no-

mine res Asiæ ordinarunt, Lyciam et Cariam obtinuisse, refert Polyb. Exc. Leg. nnm. XXXIX.

Quod, nisi impetrarent, major repulsis ignominia esset] Forte, *quo, si non imp., minor repulsæ ign. esset.* J. F. Gron. *Quo* et *quod* sæpius a librariis commutantur; vide ad XXXVI. 33. § 3. Pariter etiam 'minor' et 'major;' vide ad IV. 42. § 9. VII. 35. § 10. IX. 5. § 9. XXVIII. 28. § 9. et c. 43. § 8. Nec aliter 'minus' et 'magis;' vide Burm. ad Quinctil. Decl. VII. 1. ad Nason. Trist. v. 2. 5. et viros doctos ad Nason. Art. Am. I. 644. Si vero conjectura hæc placet, non opus tamen est, ut *si non* legamus, pro *nisi*, quæ particula passim eo sensu usurpatur. Verum vulgata etiam lectio commodo sensu exponi potest hoc modo, *quod, nisi impetrarent*, (intellige, postquam ea de re scitum populi factum, et literis mandatum esset) *major repulsis ignominia esset.* Et ita fere Doujatius ac Crevierius.

§ 8 *Nam ita per tot annos*] Prope centum et quadraginta. Polyb. Legat. XCIII. ex quo pleraque omnia, quæ hoc cap. tradit Livius, descripta sunt. Socii ab amicis etiam c. 20. distinguuntur. Itaque non omnes, qui amici, etiam socii sunt; qui socii, iidem et amici. XXXVII. 54. 'Socio atque amico regi.' Quod Livius dicit 'sociali fœdere se cum Romanis non illigarent,' Polybius Græce expressit, *οὐκ ἐβούλοντο συνδυάζειν, οὐ δὲ προκαταλαμβάνειν σφᾶς αὐτοὺς ὅρκοις καὶ συνθήκαις.* Rhodum tamen 'sociam urbem' vocat Liv. c. 10. et hoc cap. de Rhodiis ait, 'ut nec hostes fierent, nec socii permanerent.' Nec Gellius ad hoc discrimen attendit VII. 3. 'Rhodiensis civitas quum amica atque socia populi Romani foret.' *Duk.*

§ 9 *Ne spem regibus abscinderent*] *Absciderent* primæ edd. Postea Vascos. eumque secuti reliqui omnes *abscinderent* vulgari curarunt. Vide ad XXXI. 34. § 4. Ita *spes abscisa* in Mss. est, ubi *abscissa* vulgo editur. Vide ad IV. 10. § 4. et Duker. ad XXXV. 32. § 6.

§ 10 *Quæ ipsos Romanis minus suspectos*] Ita legendus hic locus ex Fragmento Polybii XCIII. cum dictio *ipsis*, quæ in vulgatis libris male posita est, pro *ipsos*, totam sententiam perturbet. *Ursin.* Jam bis monuit Fulvius, *τὸ ipsis* male positum esse, et omnem sententiam perturbare; scribendum autem *ipsos.* Cui tu credere noli. Videtur oblitus paullo ante positum *Eos.* J. F. Gron. Ursinus ita emendavit non tantum in notis ad hunc loc. sed etiam ad Polyb. Exc. Leg. num. XCIII. Rectius tamen Gronovius vulgatum tuetur.

§ 12 *Si Lycia et Caria ademtæ ab Romanis forent*] Legendum *ademptæ ab Rhodiis forent*, non, ut est in vulgatis edd. *ademptæ ab Romanis forent;* quæ lectio ex eodem Polybii fragmento elicitur, in quo est, *Διότι δεῖ Κάρας καὶ Λυκίους ἐλευθέρους εἶναι πάντας, ὅσους προσένειμε Ῥοδίοις.* Nam et apud ipsum Polybium librarii sæpe in eo peccarunt, ut *Ῥωμαίους*, pro *Ῥοδίους*, scripserint. *Ursin.* Fulvius *ademptæ ab Rhodiis forent.* Eam lectionem a Polybii fragmento elici, in quo sit, *ἡ σύγκλητος ἐξέβαλε δόγμα, διότι δεῖ Κάρας καὶ Λυκίους ἐλευθέρους εἶναι πάντας, ὅσους προσένειμε Ῥοδίοις μετὰ τὸν Ἀντιοχικὸν πόλεμον.* Sed primo de sermone dubites; 'adimere' enim 'alicui' dicimus: dein supervacuum *τὸ ab Rhodiis*, cum præcesserit *civitatis:* tertio semiplena est oratio, si dicatur alios liberare se ipsos, alios a finitimis occupari, alios adimi, non addito per quem adimantur: duo enim alia genera auctores habent. Denique ubi mens fuit hominis, cum hæc verba Polybii et Livii commisit? Si quærebat locum, ubi Livius meminisset hujus senatusconsulti, invenire poterat XLIV. 15. *J. F. Gron.* Fulvii con-

jectura quidem nequaquam probabilis est, sed locus Livii XLIV. 15. huc non pertinet. Nam Livium hic non respexisse ad ea quæ ibi a Claudio prodita narrat, de quibus nihil habet Polybius, sed prope ad verbum interpretatum esse verba Polybii, et Fulvium cum iis recte commisisse Liviana, legationem XCIII. inspicienti manifestum est. *Duk.* Eamdem conjecturam Ursinus etiam proposuit ad Polyb. Exc. Leg. num. XCIII.

§ 13 *Quamquam Cibyratarum asciverant auxilia*] Forte melius *acciverant*. J. F. Gron. 'Adscitus' et 'adcitus,' vel 'accitus,' sæpe in Mss. commutantur. Vide ad IV. 31. § 6. VI. 40. § 4. VII. 4. § 3. VIII. 27. § 6. et XXI. 2. § 4. Adde N. Heins. ad Nas. Met. XV. 625. et Cortium ad Sall. Catil. c. 47. De locutione autem 'adcire auxilia' vide ad lib. XL. cap. 47. § 4. Potest tamen et vulgatum commode servari. Supra IV. 31. 'Missis circum Etruriæ populos legatis, voluntarios undique ad spem prædæ adsciverunt.'

Mylassenses Alabandenosque] Μυλάσαι unico σ tantum cum scribatur a Græcis, *Mylasenses* scribendum est. Porro autem *Alabandæos* videtur scribendum. Cicero enim dixit in Bruto cap. 95. 'Hierocles Alabandæus,' et alibi (de Orat. I. 28.) 'Apollonius Alabandensis.' Stephanus autem Ἀλάβανδα, πόλις Καρίας. Τὸ ἐθνικὸν Ἀλαβανδεύς. *Sigon.* Sigonio *Alabandæos* videtur scribendum: Ciceronem enim dixisse in Bruto 'Hierocles Alabandæus,' alibi 'Apollonius Alabandensis:' Stephanum autem, Ἀλάβανδα πόλις Καρίας· τὸ ἐθνικὸν Ἀλαβανδεύς. Hæc inter se parum consentiunt. Nam Ἀλαβανδεὺς non magis gignit *Alabandæus*, quam Ἁλικαρνασσεὺς *Halicarnassæus*. Est ergo apud Ciceronem quoque scribendum aut *Hierocles Alabandeus*, aut ex Livio *Alabandenus*. Neque hæc forma analogiæ repugnat, ut putat Sigonius. Sic *Labranda* Λαβρανδηνὸς, *Halyatta* Ἁλιαττηνὸς, *Amatha*, Ἀμαθηνὸς, Ὕπαιπα *Hypæpeni* apud Tacitum Ann. IV. 55. Sic Ἀγβάτανα, Ἀγβατεὺς, et Ἀγβατηνός. *Caryanda* Καρυανδεὺς et Καρυανδηνὸς, *Gadara Gadareus* Suetonio in Tiber. c. 57. et Γαδαρηνὸς Stephano. *J. F. Gron.* ΜΥΛΑΣΕΩΝ esse in nummis, testantur eruditi. Unde, inducto altero *s*, scribendum foret *Mylasenses*. Jac. Gron. Multa hujus generis habet Stephanus. Vel in primo elemento Ἄδροττα, Ἀδροττεὺς, et Ἀδροττηνός. Ἄνδειρα, Ἀνδειρηνός. Apud Cic. in Bruto c. 95. in Lamb. et Grut. edd. est *Alabandæus;* rectius in recentioribus *Alabandeus*. *Halicarnasseus* de Divin. II. 42. et in his, et in illis, et in Cornel. Nep. Lysandr. c. 3. Gentile *Alabandensis* habet Livius lib. XXXVIII. c. 13. et l. XLIII. c. 6. *Duk. Mylasenses*, altero sibilo inducto, legendum monuit etiam Ursin. ad Polyb. Exc. Leg. num. XCIII. Vide notata ad XXXVIII. 39. § 8. et Manut. ad Cic. Philipp. V. 7. Recte vero Gronov. *Alabandenosque* contra Sigonium defendit, et apud Cic. vel *Alabandenus*, vel, ut nunc optimæ edd. præferunt, *Alabandeus* emendat. Pariter a Μύλασα Græci declinarunt Μυλασεῖς, Latini vero *Mylasenses* et *Mylaseni*. Vide ad Livii d. loc.

CAP. XXVI. (XXVII.) § 2 *Rhizoni et Olzinio*] *Rizonitæ* sine adspiratione incolæ infra vocantur hoc cap. Quare vel hic *Rizoni*, vel postea *Rhizonitæ* legendum, quod posterius secutus sum. Eamdem scripturam viri docti adoptarunt in Plinio Hist. Nat. III. 22. *Rhizinium* edentes. Præterea, quoniam alterius urbis incolæ mox bis *Olciniatæ* vocantur, Cellar. Geogr. Ant. II. 8. p. 391. hic etiam *Olcinio* scribendum putat. Neque aliter præferunt edd. ante Francofurtanam a. 1578. quæ operarum errore *Olzinio* dedit. Plinius l. laud. adscita adspiratione *Olchinium* vocat, ut, nomen a

Colchis deducendum esse, verisimilius reddat. Οὐλκίνιον vocat Ptolem. II. 17. ubi propius ad Plinii etymologiam Ὀλκίνιον legendum est. Ceterum, quum mox Licinius addito prænomine memoretur, in præcedentibus Gabinii prænomen excidisse videtur. Quo vero nominatus fuerit, incertum est. 'Auli' et 'Publii' prænomina in ea gente sæpius usitata sunt.

§ 4 *Hic præsidio inposito, in Molossidem transgressus*] *Molosidem* uno *s* scribendum, auctore Stephano. Μολοσία, inquit, χώρα τῆς Ἠπείρου· ὁ οἰκήτωρ Μολοσσὸς, καὶ Μολοτοὶ δι' ἑνὸς τ. *Sigon.* Mallem, *hinc, præsidio imposito, in M. t.* Duk. Verum est, olim Μολοσία in Steph. Byz. scriptum fuisse: verum recte postea Μολοσσία editum est: quomodo id nomen passim apud alios scriptores Græcos et Latinos exaratur: quos tutius Sigonius duces secutus fuisset, quam corruptas Stephani edd. quem hoc nomine etiam reprehendit Voss. ad Scylac. Caryand. Peripl. pag. 28. Vide etiam ad VIII. 24. § 3. *Hic* et *Hinc* innumeris locis a scribis librariis confunduntur; vide ad XXVI. 13. § 13.

Tegmonem] *Tecmonem* ex Stephano, qui ait, Τέκμων, πόλις Θεσπρωτῶν, ὁ πολίτης Τεκμώνιος. *Sigon.*

§ 5 *Antinous et Theodotus principes ejus civitatis erant*] Antinoum Charopi delationibus et apud Romanos criminationibus, quasi Perseo faveret, coactum fuisse, ut ferme invitus a Romanis desciscceret, narrat Polyb. in Exc. de Virtut. et Vit. pagg. 1443. et 1447. De Theodoto vero, qui id frustra operam dedit, ut consulem Hostilium Perseo proderet, vide ibid. pagg. 1444. et 1447.

§ 8 *Duorum hominum noxæ civitatis accessionem facitis*] *Civitatem*, ut supra dictum. *J. F. Gron.* Jac. Perizonius ad marginem Livii adscripserat forte vulgatum servandum, et per ellipsin vocis *noxam*, vel *caussam* hoc modo exponendum esse; facitis noxam, vel caussam civitatis accessionem noxæ duorum hominum. Doujatius etiam vulgatum servat, sed ita explicat: 'facitis civitatis accessionem ad crimen duorum, qui soli noxii: sive assentiendo vosque adjungendo noxiis illis duobus, efficitis ut civitas accedat ad eorum crimen.' Verum cum Crevierio magis placet conjectura Gronovii, quem vide ad h. l. cap. 7. § 2.

§ 9 *In primam stationem hostium inruperunt*] Jac. Perizonius in margine Livii scribendum conjecit *eruperunt*, nimirum ex urbe. Si codex ita præferret, omnino recipiendum putarem. Nunc et vulgatum ferri posse existimo.

§ 10 *Simili pertinacia Cephalonis principis*] Meminit quidem alicubi *Cephalonis* Polybius, qui familiaris Arati ex morientis ore exceperat verba nota, regias amicitias detestantia. Sed hunc Molossum Polybius et Diodorus *Cephalum* appellant. Ille Exc. de Virt. et Vit. p. 1447. Μετέρρψαν πρὸς Περσέα τὸ τῶν Μολοσσῶν ἔθνος Ἀντίνους, καὶ Θεόδοτος, καὶ Κέφαλος· ubi et socios eosdem ejus nominari vides. Immo Livius ipse sic XLIII. 18. 'A Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione a Romanis præstarent.' *J. F. Gron.* Ejusdem *Cephali* meminit etiam Polybius ibid. pag. 1442. ubi narrat qua ratione ferme invitus a fide Romanorum ad Persea Macedoniæ regem deficere coactus sit; quod brevius fecit Diod. Sic. in Exc. Peiresc. p. 309.

§ 12 *Pronunciavit de sententia consilii*] Ita legendum monuit Gronov. ad XLIV. 2. § 5. Nec aliter præferunt edd. ante Modium; qui errore, quem sæpissime in Livio edendo commisit, *concilii* vulgari curavit.

§ 13 *Dassaritiorum Tirustas, Rizonitas*] Hos Ptolemæus II. 17. Πειρούσας, Strabo VII. 314. Πειρούστας vocat. Quare *Pirustas* lego. *Sigonius.* Prima ed. *Dassaretiorum Tirustaras, Inittas.* Mox subsecuta Frobenii ed.

Dassaretiorum Tirustas, Rizonitas. Sigonius *Dassaritiorum Pirustas, Rhizonitas.* De Dassaretiis vide ad lib. XXVII. c. 32. § 9. 'Pirustæ' memorantur apud Cæsar. B. G. v. 1. 'In Illyricum proficiscitur, quod a Pirustis finitimam partem provinciæ incursionibus vastari audiebat.' Et mox, 'Qua re nunciata, Pirustæ legatos ad eum mittunt.' Idem nomen etiam Gerard. Vossius restituit Velleio Pat. lib. II. cap. 115. ubi hodie ex emendatione Nic. Heinsii in curis secundis editur *Perustæ*, et libri antiquitus typis descripti præferunt *Perusia.* Utrum hi *Pirustæ* iidem sint, qui *Pyrissei* vocantur apud App. Alex. in B. Illyr. pag. 763. et *Pyræi* apud Plin. H. N. III. 22. incertum est. Inter hos Pyræos et Liburnos emittitur fluvius Nar, teste Mela II. 3. fin. Verum nondum locus persanatus est, si credimus Palmer. Græc. Ant. I. 18. qui, caussatus Rhizonitas et Olciniatas (de Tirustis enim se nihil legisse profitetur) ad mare ultra Lissum et Scodram habitantes a nemine Dassaretiis adcenseri, suo periculo legi jubet *Dassaretios, tum Tirustas, Rhizonitas, &c.* Non male, nisi quod cum Sigonio malim *Pirustas.* Doujatius existimat Livium velle, solos Pirustas Dassaretiorum populum esse, non item Rhizonitas et Olciniatas. Verum secundum Ptolemæum II. 17. Πιροῦσται (ita enim in ed. Mercatoris vocantur, non, ut Sigonius ex Ptolemæo laudat, Πειροῦσαι) Illyrici populus est: at vero III. 13. Δασσαρήτιοι Macedoniæ. Unde dicendum videtur Pirustas non fuisse Dassaretiorum populum.

§ 14 *Daorseis quoque*] Ptolemæus II. 17. Δαουρσίους vocat; alii, puto, Δαορίζους. Strabo lib. VII. p. 315. ubi de Illyriis agit, εἶθ' ὁ Νάρων ποταμὸς, καὶ οἱ περὶ αὐτὸν Δαόριζοι. *Sigon. Daorizi* etiam vocantur Plinio H. N. III. 22. Eosdem Δάρσους vocari, putant viri docti, apud App. Alex. B. Illyr. p. 757. quos nomen accepisse narrat ab Illyrii filia, quam Δαορθὼ vocat. Quum autem id nomen propius ad *Daorseos,* vel *Daorizos* accedat, vox Δάρσοι apud Appianum erroris suspecta fit.

Dassarensibus, et Selepitanis] Utrum Dassarenses iidem sint, qui alibi Dassaretii vocantur, ut Doujatius existimat, incertum est. Cautius Ortel. in Thes. Geogr. id eruditioribus investigandum reliquit. Selepitani alibi non memorantur. Hinc nomen illud suspectum habens Doujatius vel *Salonitanis,* vel *Salvianis* legendum censet. Abundans etiam conjecturis addit, Plinium H. N. III. 22. inter Dalmatiæ insulanos memorare Separos et Epetinos; ex quorum duorum nominibus, librariorum errore corruptis, facile Selepitanos nasci potuisse opinatur. Quasi vero inter locorum ac populorum nomina, præsertim in regione Romanis minus cognita et explorata, nulla ἅπαξ λεγόμενα obcurrant: qualia tamen in solo Livio plura supra memorata sunt. Quum itaque hanc, quæ vulgo exstat, lectionem præferat prima ed. eam, unico codice invito, mutare periculosum est. Mecum sentit Crevierius.

Illyriis vectigal dimidium ejus, quod regi pendissent] *Pependissent,* ut bis hoc libro dixit. *Sigon.* Videtur excidisse *impositum.* Muretus. Ex hoc loco patere posse existimat Vossius Gramm. v. 26. *pendo* perfectum formasse sine geminatione *pendi.* Cum Sigonio tamen librariorum inertiæ tribuere malo, duarum priorum literarum duplicationem neglectam esse. Recte vero Muretus vocem *impositum* hic intercidisse putat. Infra c. 29. 'Vectigal exercentibus dimidium ejus impositum, quod pependissent regi.'

§ 15 *Unam eam fecit, quæ supra dicta est*] Livium ea de re supra nihil

dixisse, viri docti observant: unde Crevierius, vel hic aliqua intercidisse, vel Livium rem non parum fastidiosam indiligentius transcurrisse, opinatur: hinc etiam non facile definiri posse ex antecedentibus, quos populos habuerit prima hæc Illyrici pars. Id quidem facere conatus est Doujatius; sed ipse difficultates, quibus sententia sua premeretur, probe vidit.

Tertiam Agrauonitas] Agrauonitæ alibi non memorantur: quod ansam præbuit Doujatio conjiciendi *Ascrivionitas;* Ascrivium enim vel Ascrivion Dalmatiæ urbem esse. Sane Ascrivium simul cum Rhizinio, Butua, et Olchinio memorat Plinius H. N. III. 22. Verum recte Crevierius observat, ab Ascrivio urbe non bene formari nomen gentilitium Ascrivionitæ, addens licere aliqua ignorare. Vide quæ de Selepitanis ad § 14. dicta sunt.

Rhizonitas et Olciniatas] *Et Olceratinos* perperam ed. prima, quod Froben. a. 1535. in *Olciniatas* mutavit; qui cum Rhizonitis memorantur § 13. eorumque urbes Rhizon et Olcinium § 2.

Cap. XXVII. (XXVIII.) § 1 *Ad Æginium et Agassas diripiendas*] Singulari numero Agassam memorat lib. XLIV. c. 7. Sine dubio idem utrobique oppidum refertur, et alter locus ex altero emendandus est. Præterea Ortelius in Thes. Geogr. h. voce, rejecta Turnebi conjectura, qui supra ad d. loc. Livii *Pagausam* vel *Pagasam* emendabat, scribendum opinatur *Tagasas* ex Athen. Deipn. I. pag. 27. *Αἱ Ταγασαὶ δούλους καὶ στιγματίας παρέχουσι.* Existimat autem errori caussam dedisse, quod librarius geminationem elementi *T* ex ore prælegentis non perceperit, et hinc, quin prius *Tagassas* scriptum fuerit, non dubitabat. At contra Casaub. locum Athenæi in mendo cubare opinatus est, et ex Msto edidit *Αἱ Παγασαὶ δούλους.* *Ἀγησσὸς πόλις Θράκης* obcurrit apud Steph. Byz. Ad quem locum Pinedo *Ἀγησσὸν* Stephani *Agassam* vel *Agassas* a Livio vocari docet: obvium enim apud scriptores esse, oppidorum nomina numero, genere, et terminatione variare; neque obstare, quod Stephani *Agessus* Thraciæ, Livii *Agassam* vel *Agassas* Macedoniæ urbs sit; Macedoniam enim et Thraciam esse regiones confines; apud scriptores autem translativum esse, regionum confinia misceri. Agnosco equidem, sæpe loca quædam ab hoc Thraciæ, ab illo Macedoniæ adsignari: id tamen inde præcipue evenit, quod Philippus Macedoniæ rex illam partem Thraciæ, quæ sita est inter fluvios Strymonem et Nestrum, devictam subegerit; quæ regio etiam postea Macedoniæ nomine dicta est. Jam vero non constat, *Agessum* sitam fuisse in illa sive Macedoniæ sive Thraciæ parte, quæ est inter Strymonem et Nestum, et contra certum est, *Agassas* vel *Agassam* longe inde remotam esse. Hic enim jungitur cum Æginio, quam urbem in parte Macedoniæ, Thessaliæ vicina, aut in ipsa Thessalia, sitam esse constat. Præterea ex itinere Q. Marcii consulis, XLIV. 7. descripto, patet Agassas non majori spatio a Dio, quæ urbs Thessaliæ est, aut certe ei regioni contermina, distare, quam quod exercitus biduo conficere potest. Narrat enim, consulem, ab urbe Dio castra moventem, eo die ad amnem Mityn processisse, et postero die progressum urbem Agassam recepisse. Gravius adhuc ibidem obfendit Pinedo, statuens *Agessum* Thraciæ urbem a Plinio H. N. III. 11. *Agasum* vocari, quum Plinius eo capite describat ultimam partem Italiæ versus Siciliam, et in ea memoret portum Agasum. Locus hic Livii mihi sanus videtur. Respice quæ notantur ad XLIV. 7. § 5.

§ 4 *Ad Æniorum quoque hostiliter urbem diripiendam*] Æmii sunt inco-

læ urbis Æni in Thracia. Vide ad XXXI. 31. § 4. Ea tamen urbs hic non videtur intelligi posse. Postumius enim, ad unius urbis direptionem cum parvis copiis itinere terrestri profectus, eo usque in Thraciam penetrare non potuisset; in qua regione antea Manlius consul, cum exercitu victore ex Asia reversus, Thracum incursionibus multum damni passus est. Verum licet tuto eo pervenire potuisset, alia obstant, quo minus Ænus Thraciæ intelligi queat. Caussa enim direptionis fuisse dicitur, quod Ænii pertinacius, quam finitimæ civitates, in armis fuerint. At plures Æno finitimas civitates in potestatem Romanorum venisse, verisimile non puto; neque etiam, consulem cum copiis Thraciam ingressum, ejusque metu civitates illas se dedidisse, Livius supra retulit. Præterea Romani Ænum hoc tempore obtinebant: ceteroquin enim Attalus Eumenis frater a senatu Romano Ænum et Maroneam sibi petere non potuisset, neque senatus polliceri, se urbes illas daturum esse. Vide c. 20. et Polyb. Exc. Legat. num. XCIII. Insuper Romani *τὴν Αἶνον καὶ τὴν Μαρωνίαν ἠλευθέρωσεν*, apud Polyb. eodem loco. Jam vero non videntur libertatem concessuri esse male adeo de populo Romano meritis, ut digni forent qui diriperentur. Ob has igitur caussas vocem *Æniorum* corruptam esse existimo, et Livium intelligere Æneam Macedoniæ urbem, cujus gentile est Αἰνειεὺς sive *Æneensis*, et Αἰνεάτης sive *Æneates*. Supra XL. 4. ‘ Archo Poridi cuidam longe principi gentis Æneatum nupsit.’ Emendo igitur *ad Æneatum quoque*. Et sane Persens, quum Æmilium novum consulem in provinciam advenisse intelligeret, mille equites cum Antigono Æneam misit. Vide Livium XLIV. 32. Forte igitur Æneates, hoc præsidio firmati, pertinacius post victum Persea in armis fuerant, quam finitimæ civitates; eaque pertinacia irritatus Æmilius nunc Postumium ad eorum urbem diripiendam mittit.

§ 5 *Quam oculis noscuntur, ut statuit*] Pithœum ad marginem adscripsisse *sibi statuit*, pro *ut statuit*, auctor est Hearnius. Verum ita perit omnis orationis nexus.

§ 7 *Inchoatas in vestibulo columnas*] Vide Plutarch. in Æmil. Paull. pag. 270.

§ 8 *Templum Jovis Trophonis*] *Trophonii* ex Suida. *Sigon.* Jovis Trophonii meminit Strab. IX. p. 414. *Λεβαδία δ' ἐστὶν ὅπου Διὸς Τροφωνίου μαντεῖον ἵδρυται.* Vide Vales. ad Harpocrat. voce *Λεμβάδεια*, et Perizon. ad Æliani Var. Hist. III. 45. Oraculum, quod Lebadiæ erat, Jovi sacrum fuisse, refert Hesych. voce *Λεβάδεια· Λεβάδεια πόλις Βοιωτίας, ἔνθα καὶ μαντεῖον Διὸς τὸ ἱερὸν κατεσκεύαστο.* Verum secundum Pausan. in Bœot. XXXIX. prope Lebadiam lucus est Trophonii, *τὰ δὲ ἐπιφανέστατα ἐν τῷ ἄλσει Τροφωνίου νάον καὶ ἄγαλμα.* Idem vero c. 37. refert, Trophonium a quibusdam haberi filium Ergini, ab aliis Apollinis: quod verius putat. Et ita etiam Philostr. sentit in vit. Apollon. Tyan. VIII. 19. Plura de eo vide apud Schol. Arist. ad Νεφέλ. vs. 508.

Sacrificio Jovi Hercynnæque facto] Ne quis insolentia nominis Hercynæ, hominibus Latinis vix fando umquam auditi, moveatur, ea virgo fuit, Proserpinæ comes, a qua et fluvius Hercyna nomen consecutus est. In templo consecratum virginis illius simulachrum anserem manibus gerebat. *Turneb.* Advers. XI. 18. Pausanias IX. 39. *Διείργει δ' ἀπ' αὐτῆς τὸ ἄλσος τὸ Τροφωνίου· φασὶν δὲ ἐνταῦθα Ἕρκυνναν ὁμοῦ κόρῃ τῇ Δήμητρος παίζουσαν καὶ ἔχουσαν χῆνα ἀφεῖναι τοῦτον ἄκουσαν· ἐς δὲ ἄντρον κοῖλον ἐσπτάντος καὶ ὑπὸ λίθου ἀποκρύψαντος αὐτὸν ἐσελθοῦσα ἡ κόρη λαμβάνει τὴν ὄρνιθα ὑπὸ τοῦ λίθου κατακείμενον· ῥυῆναι δὲ δὴ τὸ ὕδωρ, ὅθεν ἀνείλετο ἡ κόρη τὸν λίθον· καὶ*

ὀνομασθῆναι τὸν ποταμὸν ἐπὶ τούτῳ Ἔρκυνναν· καὶ ἔστι μὲν πρὸς τῇ ὄχθῃ τοῦ ποταμοῦ ναὸς Ἑρκύννης, ἐν δὲ αὐτῷ παρθένος χῆνα ἔχουσα ἐν ταῖς χερσίν. Scholiastes Lycophronis ad v. 154. Ἔρκυννα δὲ ἡ Τροφωνίου θυγάτηρ ἐν Λεβάδῃ τῆς Βοιωτίας ἱδρύσατο τὴν θεὸν, καὶ ἀφ' ἑαυτῆς ὠνόμασεν Ἔρκυνναν· et reliqua. *J. F. Gron. Hercynnæque* omnes edd. et ita nomen id scribitur in vulgatis Lycophron. edd. vs. 153. et apud Tzetz. ad eum locum. Verum Potterus monuit se in duobus Mss. pro Ἔρκυνν', Ἐρινὺς reperisse Ἔρκυν', Ἐρινύς. Constanter etiam Ἔρκυνα editur apud Pausan. in Bœotic. XXXIX. et Philostr. in vita Apollon. Tyan. VIII. 19. An igitur etiam hic *Hercynæque* legendum? Ceterum Jupiter, cui Trophonii oraculum consulturi inmolebant, dicebatur Ζεὺς Βασιλεύς. Pausan. l. laud. Θύει γὰρ δὴ ὁ κατιὼν αὐτῷ τε τῷ Τροφωνίῳ, καὶ τοῦ Τροφωνίου τοῖς παισὶ, πρὸς δὲ Ἀπόλλωνί τε, καὶ Κρόνῳ, καὶ Διὶ ἐπίκλησιν Βασιλεῖ, καὶ Ἥρᾳ τε Ἡνιόχῃ, καὶ Δήμητρι, ἣν ἐπονομάζοντες Εὐρώπην, τοῦ Τροφωνίου φασὶν εἶναι τροφόν.

Ad spectaculum Euripi ævoque ante insulæ] Pro *ævoque* reponit Florehellus *Eubœæque*, quo nihil verius. *Sigon.* Tolle asteriscum [post *Euripi*], et scribe, *ad spect. Euripi Eubœæque insulæ.* Plin. H. N. IV. 12. 'Eubœa et ipsa avulsa Bœotiæ, et tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur.' Adde Nostrum XXVIII. 7. *J. F. Gronov.* Vide etiam Strab. IX. 403.

§ 9 *Portum inclitum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis*] Mela l. II. c. 2. 'Aulis Agamemnoniæ Graiorumque classis in Trojam conjurantium statio.' De numero navium, quibus Græci ad Trojam profecti sunt, vide ad Silii III. 229.

Dianæque templum, ubi navibus, &c.] *Trajicit Aulidem Dianæque templum*, pro et ad Dianæ templum. Illud autem templum erat in ipsa Aulide, teste Pausan. in Bœot. XIX. ubi, memorabilia ejus describens, meminit etiam aræ, ad quam Agamemnon filiam victimam admovit.

Filia victima aris admota] Locutionem *aris admota* Livium adhibuisse putat Donjatius, quia Iphigenia oblata, non inmolata est. Verum passim eadem locutio usurpatur etiam de illis quæ revera inmolantur. Ita de Polyxena ad Achillis tumulum mactata Ovid. Met. XIII. 753. 'postquam crudelibus aris Admota est, sensitque sibi fera sacra parari.' Virgil. Æn. XII. 170. 'Admovitque pecus flagrantibus aris:' ubi vide Taubm. Adde Briss. de Form. I. 15.

§ 10 *Oropum Atticæ*] Thucyd. II. 23. Ὠρώπιοι Ἀθηναίων ὑπήκοοι. Sed vide Cellar. Geogr. Ant. II. 13. p. 727.

Ubi pro Deo vates Amphilochus colitur] Immo pater ejus Amphiaraus, si Pausan. Attic. XXXIV. credimus, ubi Kuhnius Livium hic vel corruptum, vel memoria lapsum putat. Amphiarai fanum haud procul Oropo fuisse, etiam alii apud Salmas. ad Solin. p. 103. prodiderunt. *Duker.* Livium memoriola vacillasse, ut Kuhnius inquit, plane negare nolo; ei tamen excusando facere potest, quod Pausan. d. l. refert, aræ Amphiarai partem sacram fuisse filio ejus Amphilocho, eumdemque Amphilochum in Ciliciæ urbe Mallo oracula edere, et Athenis aram habere. De ejus oraculo vide etiam Philostr. in Heroic. cap. 2. § 8. Aliud ejus in Ætolia oraculum memorat Aristid. orat. in Asclepiod. tom. I. p. 82.

Templumque vetustum est, fontibus rivisque circa amœnum] Πηγὴ πλησίον τοῦ ναοῦ, ἣν Ἀμφιαράου καλοῦσιν, memoratur Pausan. in Att. c. 34. Ant. Perizon. ad marginem Livii conjecit *amœnis.*

§ 11 *Arcem, portus, muros Pireum urbi jungentes, navalia*] *Piræeum* scribendum: ceterum muros intelligit, quæ μακρὰ τείχη appellabantur. *Sigon.* Arcem Athenarum inlustrat Meursius

singulari libro, cui titulum fecit 'Cecropia, sive de Arce Athenarum:' portus alio libro, qui inscribitur 'Piræeus, sive de Piræeo, Atheniensium portu celeberrimo.' De muris, qui Piræeum urbi jungunt, agit ibid. cap. 2. de Navalibus c. 3. Ceterum, vocem *monumenta* aut similem hic excidisse, existimat Crevierius, ac legendum esse *navalia, magnorum imperatorum monumenta, simulacra.*

Materiæ et artium] Lib. XXV. c. 40. 'Græcarumque artium opera,' de signis ac tabulis pictis. Credo tamen, quum de his rebus sermo est, sæpius 'materiam et artem,' quam 'materiam et artes,' dici. *Duk.*

CAP. XXVIII. (XXIX.) § 1 *Minervæ præsidi arcis*] Vide Meurs. in Cecropia c. 14. ubi, ut et duobus seqq. capp. templum Minervæ pluribus describit.

§ 2 *Urbs erat tunc præclara ante excidium*] Ita J. F. Gronov. edidit, quod, præter Doujatium, recentiores servarunt. Antea vulgabatur *ante excidium;* quod reduxi. Vide ad v. 15. § 9.

Arx inter omnia in inmanem altitudinem edita, scatens fontibus] Vide an non scripserit Livius, *arx intra mœnia.* Strabo VIII. p. 361. Ἡ δὲ Μεσσηνίων πόλις ἔοικε Κορίνθῳ· ὑπέρκειται γὰρ τῆς πόλεως ἑκατέρας ὄρος ὑψηλὸν καὶ ἀπότομον, τείχει κοινῷ περιειλημμένον, ὡς τ' ἀκροπόλει χρῆσθαι· τὸ μὲν καλούμενον Ἰθώμη, τὸ δὲ Ἀκροκόρινθος. Eodem, p. 379. Συμπεριείληπτο δὲ τῷ περιβόλῳ τούτῳ καὶ τὸ ὄρος αὐτὸ ὁ Ἀκροκόρινθος, ᾗ δυνατὸν ἦν τειχισμὸν δέξασθαι. *J. F. Gron.* Conjecturam Gronovii probat Crevierius. De arce Corinthi vide Pausan. in Corinth. capp. 4. et 5. ubi et fontem ejus Pirenen memorat; de qua vide etiam Strab. posteriori loco a Gronovio laudato.

§ 3 *Æsculapii nobili templo; quod, quinque millibus*] Æsculapii templum extra mœnia Epidauri fuisse, testatur etiam Pausan. in Corinth. c. 26. De tabellis votivis in illo ejus templo suspensis Strab. VIII. p. 374. Mox vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit *remediorum salutarium compotes ægri*, adscita voce, quæ tamen necessaria non est. Quisque enim videt, *τὰ remediorum salutarium* regi a voce *mercedem.*

§ 4 *Unde per Megalopolin*] Ita Basileenses anno 1539. ediderunt, eorumque scripturam recentiores plerique servarunt. Priores legunt *Megalopolim:* quod iterum admisi. Vide ad XXXVI. 41. § 7. et XL. 41. § 3.

§ 5 *Et, Jovem velut præsentem intuens, motus animo est*] Videtur augeri pondus orationis, si legas, *ubi et alia quidem spectanda visa, sed Jovem, velut præs. intuens, motus animo est.* Amplius vero hæc explicantur ab Suida verbis Polybii in voce Φειδίας· Λεύκιος Αἰμίλιος παρῆν εἰς τὸ τέμενος τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ, καὶ τὸ ἄγαλμα θεασάμενος ἐξεπλάγη· καὶ τοιοῦτον εἶπεν, ὅτι μόνος αὐτῷ δοκεῖ Φειδίας τὸν παρ' Ὁμήρῳ Δία μεμιμῆσθαι· διότι μεγάλην ἔχων προσδοκίαν τῆς Ὀλυμπίας, μείζω τῆς προσδοκίας εὑρηκὼς εἴη τὴν ἀλήθειαν. *J. F. Gronov.* Vide etiam Plutarch. in Æmil. Paull. p. 270. Ceterum Clericus conjecit *at Jovem*, eamque conjecturam in contextum recepit. Solent autem *et* ac *sed* in Mss. mutari; vide ad XL. 58. § 1. etiam *et* atque *at;* vide ad XXXVI. 35. § 7. Utrum etiam eorum, sive *sed*, sive *at*, mavis, pondus orationi addet; vulgatum tamen mutare nolui.

§ 6 *Privatim ac publice sensisset*] *Privatim aut publice* ed. prima, quod mox Frob. a. 1535. mutavit; sed sine caussa. Priscam igitur lectionem Livio reddidi, consentiente Crevierio. Infra c. 31. 'Quærendo deinde latius, qui publice aut privatim partium regis fuissent.'

Demetriadem quum revertit] Utique *revertisset.* J. F. Gron. Æmilio sordidata Ætolorum turba non obcurrit, quum jam Demetriadem reversus esset, verum, ut Livius addit, *in itinere.*

Ob hanc etiam rationem Gronovii conjecturam recte inprobat Doujatius. Verum, licet mens Livii tempus præsens requirat, non tamen vulgatum probare audeo. Observant enim grammatici, et inter eos etiam Vossius Gramm. v. 7. classicos quidem hoc verbo forma activa usos esse, non tamen in præsenti, verum in præterito: et addit eam ob caussam se in præsenti non alia, quam passiva, forma dicturum *revertor*. Scribendum igitur hoc loco videtur *quum revertitur*. Sæpe autem vidimus, terminum verbi passivi *ur*, nota a ταχυγράφοις exprimi solitum, modo in Mss. additum, modo omissum perperam fuisse. Adi ad x. 10. § 1. et xxxix. 22. § 8.

§ 7 *Ab Lycisco et Tisippo*] Quorum amborum, tamquam qui apud Ætolos rebus Romanis favebant, meminit Polyb. in Exc. Legat. num. xciv. Lycisci solius Livius xlii. 38. et Polyb. de Virt. et Vit. p. 1443. ejus mortui meminit Polyb. ibid. p. 1465.

Missos a Bœbio præside] Utrum toti genti Ætolorum præpositum, an tantum præsidio urbis, in qua hæc patrata sunt, præfectum dicat Livius, incertum esse arbitror. Sed neutra significatione ab eo alibi 'præsidem' dici inveni. An, quem jurisconsulti in Pandectis sæpe 'Præsidem provinciæ' vocant, vetustiores scriptores eodem nomine appellent, mihi nondum compertum est. *Duk.*

§ 8 *Jussis Amphipolim adesse*] *Amphipoli*, ut cap. seq. 'Adesse Amphipoli denos principes civitatum jusserat.' xxi. 63. 'Ut is exercitus adesset Arimini in castris.' xxxvi. 39. 'Exercitum dimisit, et adesse Romæ ad diem triumphi jussit.' *Duk.*

Apolloniam ad eos pergit, &c. id diei iter est] Apolloniam Macedonicam intelligit. Siquidem ab Amphipoli ad eam iter unius diei est, de qua Stephanus, non eam, quæ est in Epiro. *Sigon.*

§ 10 *Vagari per provinciam passus est*] Lege *passus esset*. J. F. Gron.

§ 11 *A. Postumio*] Multi Postumii in exercitu Paulli fuerunt. L. Albinus consularis xliv. 41. idem fortassis, de quo xlv. 27. C. Postumius tribunus militum cap. 6. Hic A. Postumius, quem itidem tribunum militum fuisse ex eo conjicio, quod etiam xxxviii. 23. et xliv. 32. cura custodiæ captivorum tribunis militum commissa fuisse dicitur. Nisi tamen alterutro loco error in prænomine est, et hi non duo Postumii fuerunt, sed unus, sive *Caius*, sive *Aulus*. Duk.

Cap. xxix. (xxx.) § 1 *Adesse Amphipoli denos principes civitatum jusserat*] *Adesse Amphipolim* scribendum conjicit Crevierius. Sed, receptam scripturam nulla mutatione indigere, constat ex illis quæ Dukerus notavit ad cap. præc. § 8. Deinde *civitatium* edd. principes, pro quo Curio *civitatum* substituit. Licet vero interim Sigonius priorem lectionem revocarit, nemo tamen eum audire dignatus est. Vide ad xli. 22. § 7.

§ 2 *Novum formam terribilem præbuit tribunal*] Vide Ezech. Spanhem. ad Juliani Orat. i. p. 215.

Submotor aditus, præco, adcensus] Puto 'summotorem aditus' lictorem vocari. Senec. Epist. ad Lucilium c. 95. 'Non est, quod feliciorem eum judices, cui summovetur, quam quem lictor de semita dejicit.' Dejiciebantur autem, qui, equo forte vel vehiculo obvii, sponte non descenderant, a lictore moniti. *Torrentius* ad Horat. Od. ii. 16. 9. Plinius H. N. viii. 46. 'Quum se proripuit in cœtus, incedit submotu lictorum:' ubi vide Harduin. Perperam vir doctus ad marginem ed. Curionis scribendum opinatur *summotor additus*.

Socios, nedum hostes] *Nedum* hic pro 'non tantum' poni, observat Crevierius, et inlustrat locis Cic. ad Att. cap. 16. et Balbi atque Oppii, quo-

rum epistolam Cicero inseruit ad Attic. Ep. IX. 3. post Ep. 8. Vide ad X. 32. § 4.

§ 3 *Quæ sibi ex consilii sententia visa essent*] Hæc vett. edd. lectio est: pro quo Modius solito errore vulgavit *ex concilii sententia*. Sed recte Gronov. alterum restituit; cujus tamen emendationis in notis non meminit. Vide quæ notavit ad XLIV. 2. § 5.

§ 4 *Omnium primum liberos esse jubere Macedonas*] Spartianus de Hadriano Imp. in ejus vita cap. 5. 'Omnia trans Euphratem et Tigrim reliquit, exemplo, ut dicebat, Catonis, qui Macedonas liberos pronunciavit, quia teneri non poterant.' Hoc nusquam alibi de Catone proditum scio. Si quid in eo veri est, Cato, quum in senatu de statu Macedoniæ formando ageretur, hanc sententiam dixisse potuit. *Duk.* Recte Dukerum conjecisse existimo. Certe orationem Catonis 'de Macedonia liberanda' laudat Priscian. III. 601. Ceterum cum his Livii verbis comparandi sunt Diod. Sicul. in Exc. Peiresc. pagg. 314. et 317. et Plutarch. in Æmil. Paull. pag. 370.

§ 5 *Deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam*] Divisionem illam Macedoniæ in quatuor partes viri docti ex nummis inlustrarunt. Nummos cum inscriptione ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ protulit Goltz. in numism. Græc. tab. XXII. alterum, quem Cuperus possedit, cum inscriptione ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΔΕΥΤΕΡΑΣ Spanhem. de Præst. et Us. Num. IX. p. 652. et similem, ut et tertium cum titulo ΤΕΤΑΡΤΗΣ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ Harduin. ad Plinii Histor. Nat. IV. 10. Ceterum eamdem Macedoniæ divisionem ex Livio, vel, si mavis, ex Polybio hausit Dexippus, cujus exstat fragmentum in Chron. Euseb. p. 59. Utriusque et Livii et Dexippi loca inter se commisit, et inlustravit Schurzfleisch. in Notit. Biblioth. Vinar. p. 70. et seqq. quam particulam inde excerptam in Appendicem Livianam conjecimus.

Inter Strymonem et Nessum amnem] Hic eadem ratione scribi potest *amnes*, qua Gronov. paullo post (§ 8.) pro *Axius, &c. Peneus amnis* legi jubet *amnes*. Duk. De diversis modis, quibus fluvius *Nessus* vulgo scribi solet, vide Schurzfl. l. laud. p. 71. et adde Cellar. in Geogr. Antiq. II. 13. p. 677.

§ 6 *Accessurum huic parti trans Nessum, ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos*] Recte Schurzfl. l. laud. p. 71. tuetur vulgatum *ad orientem versum*, ac notare monet *τὴν πρὸς ἀνατολὴν χώραν*, ne quis scilicet, jungens *trans Nessum versum ad orientem*, eumque ad occidentem potius, quam ad orientem, vergere noscens, hinc præpositione deleta scribendum existimet *trans Nessum orientem versus*. Similiter locum interpretatus est Jac. Perizonius, qui oræ exemplaris sui ad voces *ad orientem versum* adscripsit, 'scilicet *agrum*;' quæ vox modo præcessit, et inde commode hic repeti potest. Pari modo locum supplet quoque Crevierius. Est autem locutio Liviana 'ager ad' vel 'in orientem versus,' de qua dictum est ad IX. 2. § 15. et XXXVI. 15. § 7. Præterea idem Perizon. ad oram Livii conjicit *quæ Perseus tenuisset*. Sed nihil mutandum est. Vide ad X. 14. § 4.

Vergentia ad occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea] De hoc loco vide ad cap. seq. § 3.

§ 7 *Ab occasu qua Axius terminaret fluvius*] Vox *qua* hic abundare videtur. Invito tamen cod. nihil muto.

Additis Pæonis, qui prope Axium] Scribe *Pæonibus*. J. F. Gron. Librarii hic errarunt eumdem errorem, quo *principiis* dederunt pro *principibus*, et similia plura; de quibus vide ad XXI. 60. § 7.

§ 8 *Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu*] Lege *amnes*, ut ad utrumque referatur. *J. F. Gronov.* Hæc emendatio non necessaria videtur invito unico codice. Nam supra est h.

cap. 'quod agri inter Strymonem et Nessum amnem sit.' Et cap. seq. 'Trans Nessum amnem incolunt, et circa Strymonem.' Jam supra Livius lectorem monnerat Axium amnem esse: 'Ab occasu qua Axius terminaret fluvius, additis Pæonibus, qui prope Axium flumen ad regionem orientis colerent.' Mox etiam addet, 'Qua ab occasu præter Axium amnem porrigatur.' Forsitan erunt, quibus id toties inculcatum displicebit. Hi cogitent, velim, Macedoniæ in quatuor regiones divisæ suos terminos præstitui; in qua re Æmilio summa perspicuitate versandum erat, ne quid dein controversiis ansam præberet. Similiter mox sequitur, 'ad septentrionem Bora mons objicitur;' et tamen, paucis verbis interjectis, subjungitur, 'Quarta regio trans Boram montem.'

Ad septentrionem Bora mons objicitur] Dexippo apud Euseb. in Chron. pag. 59. vocatur Βέρνον, pro quo Schurzfl. in Notit. Bibl. Vinar. p. 73. Salmasio adsensus, Βέρμιον legendum putat: cujus nominis montem Ptolem. III. 12. aliique memorarunt. Boræ nullus, præter Livium, mentionem fecit. Ab eo enim diversus est 'Borea,' quem Vibius Seq. 'ad Dyrrhachium' recenset, et plenius Bochacius 'Boreas mons est Epiri, Dyrrhachio proximus.' Doujatius putat *Boram* esse, qui aliis 'Orbelus' vocatur, et Macedoniam a Mœsia dividit. At Schurzfl. l. d. docet, Orbelum hunc ad primam, non ad tertiam Macedoniæ partem pertinuisse.

§ 9 *Quartæ Pelagoniam fecit*] Aperte 'Pelagonia' hic nomen urbis est, cujus et Dexippum apud Euseb. et Constantinum Porphyr. Them. II. 2. meminisse, Schurzfl. observat. Hinc ergo refellitur Cuperus Exerc. de Elephant. in Numm. Obviis II. c. 5. p. 151. qui se *Pelagoniam* pro urbe apud neminem invenisse testatus est. Vide Salleng. tom. III. Antiq. Rom. in Præfat. *versa.

Eo concilia suæ cujusque regionis iudici] Potius *sua*. J. F. Gronov. De hac re satis dictum est ad III. 22. § 6. et XXXIII. 46. § 9. Mox postrema Gruteri ed. perperam dedit *pecuniam confici;* cujus loco recte Gronov. in prima ed. nott. vulgatum *conferri* revocavit.

§ 10 *Neque connubium, neque commercium*] De jure connubii inter vicinos aut unius gentis populos prohibito vide Spanhem. in Orb. Rom. II. 22. de prohibito inter eosdem jure commercii eumdem ibid. c. 25.

Cap. XXX. (XXXI.) § 2 *Ita videri lacerata*] Scilicet Macedonia, quod vocabulum ex sequenti membro hic subintelligendum monuit Gronov. priori ed. nott. Crevierius, nihil esse præfatus, quo *lacerata* referri possit, omnino legendum monet *lacerati;* nempe ipsi Macedones.

Quam divisui facilis] Crevier. primo conjicit Livium scripsisse *divisu facilis*. Et ita 'locus aditu difficilis' apud Sall. Jug. c. 91. 'facile intellectu' Nep. in Dion. c. 9. 'difficile intellectu' Att. c. 15. Postea tamen agnoscit tam dici posse 'regio divisui facilis,' quam 'cibus difficillimus ad concoquendum,' quomodo locutus est Cic. de Finib. II. 20. Mihi etiam nihil mutandum videtur. Supra lib. XXVI. cap. 15. 'Facilis impetrandæ veniæ Claudius, Fulvii durior sententia erat.' Et ita 'contumeliæ opportunus,' 'injuriæ facilis' Quinctil. Declam. I. 16. Plin. H. N. XVII. 21. 'Pampinationi quoque et occationi, omnique operi facilior.' XXIII. 3. 'Nigra oliva stomacho inutilior, ventri facilior.' c. 8. 'Fructum fert difficilem concoctioni, et stomacho inutilem.'

Et a se ipsa quæque contemta pars esset] Lege *ut se ipsa quæque contenta pars esset*. Loquitur de divisione Macedoniæ, quam ita Paullus instituit, ut omnium inter se regionum com-

mercia tolleret. Quod antequam factum esset, Macedones ignoraverant, ut magna Macedonia esset, ut facile dividi posset, ut quæque ejus pars se ipsa contenta esset: quod est nihil aliud, nisi ut nulla pars alterius ope egeret. *Sigon.* Emend. I. 39. Hanc conjecturam vivus Sigonius in contextum ed. 1572. recepit. Crevierius emendat *et se ipsa quæque contenta pars esset.* Si quis dubitet, utrum præpositionem *a* in Msto obviam expungere liceat; ejus loco, videat num legere malit *et ut se ipsa.* Voces 'contentus' et 'contemtus' (utraque enim breviter *contẽtus* scribi potest et solet) sæpissime in Mss. confunduntur; vide ad Livii XXV. 38. § 20.

§ 3 *Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros, (trans Nessum amnem incolunt et circa Strymonem,) et multas frugum proprietates*] Ex hoc loco colligendum est, Bisaltas non tantum sedes habuisse inter Strymonem et Nessum amnes, sed etiam trans Nessum in Thracia. At supra cap. præc. inter illa, quæ 'trans Strymonem ad occasum' vergunt, memorat Livius 'Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen adpellant:' unde sequitur Bisalticam fuisse in Macedonia proprie dicta. Nam 'trans Strymonem' accipiendum est respectu regionis, quæ est inter Strymonem et Nessum; unde etiam addit ad occasum vergentia. Cellarius in Geogr. Ant. II. 13. p. 671. verba *trans Nessum* hoc loco, si mentem ejus intelligo, accepit respectu Thraciæ, et notare putavit, eos incoluisse inter Nessum et Strymonem. Hinc etiam ex utroque Livii loco hoc et præc. cap. juncto colligit, Bisaltas et cis Strymonem fuisse, sive in Macedonia proprie dicta, et ultra illum amnem, sive inter Strymonem et Nessum in illa parte, quam Philippus Amyntæ regno Macedoniæ adjecit. Contra Perizon. ad Ælian. Var. Hist. v. 11. utrumque Livii locum inter se comparans, hunc locum vitii manifestum, et forte τὸ *incolunt* ex glossa ortum esse arbitratur: eo igitur ejecto legendum, *Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros; trans Nessum autem et circa Strymonem multas frugum proprietates.* In primis autem, ut hunc locum erroris convincat, urguet verba cap. præc. 'trans Strymonem vergentia ad occasum, Bisalticam omnem cum Heraclea.' Si enim 'Bisaltica omnis' erat 'ad occasum Strymonis,' Bisaltæ hic *trans Nessum* locari nequeunt. Verum verba illa *trans Nessum* hoc cap. non videntur illo sensu accipi posse, quo accipere volnit Cellarius. Certe alio sensu eadem verba usurpat cap. præc. 'quod agri inter Strymonem et Nessum amnem sit: accessurum huic parti trans Nessum ad orientem versum.' Verisimile autem non videtur, *trans Nessum* c. 29. notare ad ripam sinistram, c. 30. ad ripam dextram ejus amnis. Præstat igitur, ut utroque loco accipiamus pro ad ripam Nessi sinistram. Neque moratur, quod eodem c. 29. *trans Strymonem* notet ad dextram ejus ripam. Livius enim ibi enumerat, quid Æmilius Paullus in primam regionem Macedoniæ contribuerit: præsertim autem eo pertinuisse dicit, quod agri inter amnes Strymonem, nempe a dextra, et Nessum, nempe a sinistra sit: ei insuper accessura quædam partim *trans Nessum,* id est respectu ejus agri ad ripam ejus sinistram, partim *trans Strymonem,* id est eodem respectu ad ripam ejus dextram. Dicendum igitur videtur, Bisaltas fuisse gentem longe ac late patentem, et habitasse ad dextram ripam Strymonis in Macedonia, deinde trans Strymonem inter eum fluvium et Nessum, et denique pertinuisse ultra Nessum ad ripam ejus sinistram in Thracia. Ut autem argumento Perizonii ex voce *omnem* petito satisfaciamus, considerari velim, utrum cap. præc. exigua mutatione

legendum sit *trans Strymonem autem vergentem ad occasum Bisalticam omnem cum Heraclea*, id est omnem illam Bisalticam, quæ trans Strymonem vergit ad occasum. In eo tamen nondum mihi satisfacio: displicent enim tot voces junctæ, quæ, intermedia tantum unica vocula *ad*, omnes litera *m* finiuntur. Cogitent igitur alii.

§ 4 *Pallenem, fertilem et frugiferam terram*] Ita omnes edd. usque ad Crevier. qui recte *Pallenen* edidit. Est enim a recto 'Pallene.' Supra XXXI. 41. 'Irrito incepto regressi Canastrum Pallenes trajecere.' Mela II. 11. 'Inter Athon et Pallenen Cleona et Olynthos.' Hujus agri fertilitatem etiam laudat XLIV. 10. 'Classis, profecta ad agrum Pallenensem, exscensionem ad populandum fecit. Finium is ager Cassandrensium erat, longe fertilissimus omnis oræ.'

Portus ad Toronem] Hic etiam vel *ad Toronen*, vel, si mavis, *ad Toronam* legendum esse, vidimus ad XLIV. 12. § 7.

§ 5 *Vettiorum bellicosam gentem*] Gentem hanc ignotam et suspecti nominis vocat Cellar. Geogr. Ant. II. 12. p. 664. Alibi memoratam nondum inveni.

§ 6 *Eordæi et Lyncestæ*] *Eordei* edd. vett. *Heordei* Sigonius, et ed. Heinsii Elzevir. pro quo Gronov. 1665. *Eordæi* recte substituit. Vide Sigon. ad XXXI. 39. § 7. Præterea *Lincestæ* edd. antiqq. pro quo recte Modius *Lyncestæ*. Urbs enim, unde ipsi dicti sunt, 'Lyncus' vocabatur. Vide ad XXXI. 33. § 6.

Et Stymphalis, et Elimiotis] Non dubitat Palmer. in Græc. Ant. II. 9. quin legendum sit *Stymphæis*, et insuper docere conatur, librarios notissimum ob fabulam de avibus Stymphalidibus et Hercule nomen pro minus noto et hic et alibi subposuisse. Vide etiam Cellar. Geogr. Ant. II. 13. p. 664. At vulgatum tueri videtur Gronov. ad Livii XXXII. 13. § 2.

§ 8 *Quanta universos teneat Macedonas, formula dicta*] Videtur legendum *quæ universos teneret Macedonas, formula dicta*. J. F. Gronov. Nota hæc J. F. Gronovii in ed. a. 1679. male Sigonio adscripta est; quam Crevierius, licet Jac. Gronovius operas errasse in syllabo errorum monuerit, secutus est.

CAP. XXXI. (XXXII.) § 5 *Secundis rebus elati Romanorum, &c.*] Cum his confer Polyb. in Exc. Leg. num. XCIV.

§ 8 *Nihil præter imperium Romanorum exspectarent*] Lege *aspectarent*, vel *spectarent*. Satis frequens hoc genus vitii. Nec mirandum, apud Ciceronem Famil. I. 4. 'Quum in senatu pulcherrime staremus,' in quodam codice legi *exstaremus*. Sic apud Justinum XLIII. 4. 'insidias exstruit,' pro *struit*, vel *instruit*. J. F. Gronov. 'Spectare' et 'exspectare' non raro permutata sunt. Vide quæ ad Justinum XIII. 1. 10. adnotantur. Pomponius l. 33. D. de Contrab. Emt. 'Primum spectari oportet, quid acti sit.' Florent. *expecari*, alii Mss. *exspectari:* vulgo *spectari:* sine dubio recte. *Duk.* Quamvis *aspectarent* propius ad unici cod. lectionem accedat, malo tamen *spectarent*. Innumeris autem locis 'spectare' et 'exspectare' a librariis confundi, vidimus ad VI. 33. § 1.

§ 9 *Ab his editis nominibus*] Sola hæc particula de rebus a Paullo et decem legatis in Macedonia et Græcia constitutis, usque ad verba 'Ætolis dimissis,' in Polybii Legat. XCIV. superest. *Duk.*

§ 10 *In periculo fore Callicratem*] Ne quis, observans Polyb. passim in Exc. Leg. num. LVIII. LXXXIX. XCIV. CV. et in Exc. de Vit. et Virt. p. 1452. casum quartum hujus nominis proferre Καλλικράτην a recto Καλλι-

κράτης, etiam hic apud Liv. *Callicraten* legendum censeat; notandum est Pausan. in Achaic. capp. 10. et 11. casum patrium proferre Καλλικράτους, et ibid. capp. 11. 12. tertium Καλλικράτει. Ex his intelligimus nomen id Græcos utraque forma declinasse: quod eo magis firmatur, quia contra Paus. casu quarto Καλλικράτην, Polyb. in Exc. Leg. num. LVIII. casu secundo Καλλικράτους dixerunt. De hoc Callicrate plura vide apud Polyb. et Pausan. l. laudatis, et apud Liv. XLI. 23.

§ 11 *Literas deprehensas in commentariis*] *Deprensas* primæ edd. cujus loco *deprehensas* dedit Vascos. Vide ad II. 29. § 4. et VIII. 18. § 6.

§ 14 *Antissan in Lesbo*] Invito cod. nihil muto. Livius tamen, ubi commode potest, in nominibus Græcis declinationem Latinam præferre solet. Et ita Plinius H. N. v. 31. 'Antissam Methymna traxit in se ipsam.'

Circa Lesbum est vagatus] Non ita Livius, sed vel *vagabatur*, vel *erat vagus*, vel *errabat vagus*. J. F. Gronov. Clericus sua auctoritate edidit *erat vagatus*.

Portum receptum non commeatibus juvissent] Lege *portu receptum commeatibus juvissent*. Sic enim in primo exemplari legebatur, et hic est sensus. *Sigonius*. Ovid. Her. VII. 89. 'Fluctibus ejectum tuta statione recepi.' Error, quem Sigonius hic emendat, tantum commissus est in edd. Bas. 1554. et 1555.

§ 15 *Neo Thebanus, quo auctore*] Polyb. Exc. Leg. num. LXIII. Μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς περὶ τὸν Νέωνα καὶ Ἱππίαν ἐξέβαλλον, συντρέχοντες ἐπὶ τὰς οἰκίας αὐτῶν, καὶ κελεύοντες αὐτοὺς ὑπὲρ αὐτῶν ἀπολογεῖσθαι περὶ τῶν διῳκονομημένων· οὗτοι γὰρ ἦσαν οἱ τὰ περὶ τὴν συμμαχίαν ᾠκονομήσαντες. Hic, ut ex seqq. apud Polybium constat, ex patria ejectus contulit se ad regem Persea; cui tanta fide et constantia adhæsit, ut Perseus, ab Æmilio victus, ex tribus fugæ comitibus unum Neonem Thebanum habuerit. Vide Liv. XLIV. 43. Quo tempore autem Perseus in manus Æmilii incidit, simul Neo captus fuisse videtur.

CAP. XXXII. (XXXIII.) § 2 *Quod ad statum Macedoniæ pertinebat*] Si hæc verba Paulli sunt, potius legendum est *pertineret*. Duk. Crevierius, siquidem hæc sunt verba legatorum Romanorum, legendum censet *pertineat*.

Quos Synedros vocant] Diod. Sic. in Exc. Peiresc. p. 292. de Philippo patre Persei, τοὺς πρώτους τοῦ συνεδρίου πέντε ἄνδρας ἀπέσφαξε. Vide ibi Vales. *Duk.*

§ 3 *Majoribus, quam quindecim annos natis*] Cornel. Nep. de Regib. c. 2. 'Majorque annos sexaginta natus decessit:' et Hannib. cap. 3. 'Minor quinque et viginti annis natus.' Sed mihi recte videntur sentire, qui ibi utroque loco *natu*, et priore *annis* legunt, ex Cic. Academ. II. 19. 'Aliquot annis minorem natu:' et Verr. II. 49. 'Minor triginta annis natu.' Hic quoque si quis scribendum putaret *majoribus quindecim annis natu*, vel tantum *majoribus quindecim annis*, non dissentirem. *Duker*. Frontin. IV. 1. § 10. 'Ne quis minor quinquaginta annos natus hospitio matris familias uteretur:' ubi Oudend. *minor quinquaginta annis natu* in Msto Leid. 2. esse adnotavit.

§ 6 *In aliquibus ministeriis regiis*] *In aliquis* ed. pr. Pari modo *aliquis*, pro *aliquibus*, plures codd. præferunt XXVI. 49. § 6. quod pro *aliqueis* positum existimat Rhenanus. Verius tamen videtur, eodem errore abreptos fuisse librarios, quo dederunt *principiis*, pro *principibus*. Vide quæ notantur ad XXI. 60. § 7.

§ 8 *Ludicrum, quod ex multo ante*] Quod apud Athenæum V. 5. legitur, ἀκούσας τοὺς ἐν τῇ Μακεδονίᾳ συντετελεσμένους ἀγῶνας ὑπὸ Αἰμυλίου Παύλου· de veris, non ludicris, Æmilii Paulli

certaminibus accipere se, ait Casaubonus: nam, editos in Macedonia ludos fuisse ab Æmilio Paullo, neque Livium dicere, neque Plutarchum, neque alium quemquam veterum, et omnino simile veri non esse. Memoria fefellit summum virum. Non enim modo id hic Livius tradit, sed et confirmat Plutarchus in vita Æmil. Paull. p. 270. Θέας δὲ παντοδαπῶν ἀγώνων καὶ θυσίας ἐπιτελῶν τοῖς θεοῖς ἑστιάσεις καὶ δεῖπνα προὔθετο. Confirmat et Epit. lib. LI. 'Scipio exemplo patris sui naturalis Æmilii Paulli, qui Macedoniam vicerat, ludos facit, transfugasque ac fugitivos bestiis objecit.' Et quæ, quæso, spes τῷ Ἐπιμανεῖ τῇ μεγαλοεργίᾳ ὑπεραίρειν τὸν Παῦλον, si μεγαλοεργίᾳ ibi maximæ res gestæ? Immo sic eam accipies, ut μεγαλουργίαν Periclis in operibus, quibus exornavit Athenas, prædicat Plutarchus in Fabio extremo. Sumptu et elegantia in ludis certasse significatur; magnificentia, non rebus gestis, ad quas Syrus ille non magis adspirabat, quam rana ad magnitudinem bovis. *J. F. Gron.*

§ 9 *Et legationes cum victimis*] Sunt legati, quos Græci θεωροὺς vocant. Vide Vales. ad Harpocr. voce θεωροί. *Duk.*

§ 10 *Ad quæ rudes tum Romani erant*] 'Rudis ad aliquid' familiaris Livio locutio. Lib. X. c. 22. 'Viros natos militiæ, factis magnos, ad verborum linguæque certamina rudes.' XXI. 25. 'Gens ad obpugnandarum urbium artes rudis.' XXIV. 48. 'Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse.' XXVIII. 25. 'Scipionem bellis adsuetum, ad seditionum procellas rudem.' Pariter etiam alii. Ovid. Her. XI. 48. 'Et rudis ad partus, et nova miles eram.' Justin. I. 1. 'Rudes ad resistendum populos.' Ita 'fortis ad civilem sanguinem' VII. 40. § 2. ubi vide notata.

Cap. XXXIII. (XXXIV.) § 2 *Precatus Martem, Minervam, Lunamque matrem, et ceteros Deos*] Romanorum erat consuetudo arma de hostibus capta interdum cremare Vulcano, aut Marti, aut Minervæ: idque ab imperatoribus factum reperimus non semel. Sed hic 'Lunæ matri' id factum scribit Livius: ut, cum in superioribus numinibus constet rei causa, hic vacillet et titubet, certe non appareat. Quid enim attinet arma in honorem 'Lunæ' comburi? Ego istam 'Lunam' capite foras præcipitem agendam puto, et in hos penates revocandam 'Luam matrem,' ut et VIII. 1. 'Armorum vis magna tum inter cæsa corpora hostium, tum in castris inventa est. Ea Luæ matri dare se consul dixit.' Ea Dea nomen a 'luendo' expiandoque sortita videtur esse: et præfuisse lustrationibus et lustris: post cædem autem hostium et bellum opus purgamentis et piaculis est. *Turneb.* Advers. XVI. 20. Hunc locum enarrans doctissimus Turnebus non *Lunam matrem*, sed *Luam matrem*, legendum contendit, alio ejusdem Livii VIII. 1. permotus. Hanc 'Lnam' Deam ita appellatam inquit a 'luendo' et expiando, eamque præfuisse lustrationibus et lustris: post cædem enim hostium et bellum opus purgamentis et piaculis esse. Ego sane libentissime, ni ratio aliud suaderet, cum doctissimo viro consentirem. Sed, quæso, unde hæc nova Dea excogitata? quis illius ex classicis authoribus verba fecit? nam, in loco adducto mendum inesse, mox demonstrabimus. Fatemur gentilium Deorum innumeram farraginem, ita ut D. Augustinus Civit. Dei IV. 23. VII. 2. ex Varrone dixerit, supra triginta millia fuisse, et Pindarus ante illum triginta millia esse dixerit, si Maximo Tyrio credimus, qui illum citat Serm. I. id tamen referens ad opera et effectus divinitatis. Verum enimvero, quomodo Livius pene incognitam Deam specifice cum Marte et Minerva nominarit,

non video: quin imo rationi consentaneum erat, ut potius eam, si qua est, in generali illa dictione, ‘ et cæteros Deos, quibus spolia hostium dicare jus fasque est,’ comprehenderet. Auget difficultatem, quod epitheton *matrem* adjunxerit, quo præcipuos magnosque Deos donavit antiquitas, non communioribus attribuens. Ad hæc admiratione non caret, si hæc lustrationibus præerat, cur scriptores illius non meminere, ubi de exercituum lustratione agunt. ‘ Armilustrum ’ vocavit Varro Ling. Lat. v. 48. ex quo Plutarch. in Romul. pag. 32. et Livius ipse XXVII. 37. Dion. Halic. lib. IV. scripsere: cur in classium expiatione, cujus Liv. l. XXXIX. et Appian. meminit Bell. Civil. l. v. nec in rogi militaris lustratione, de qua Virg. Æneid. XI. 193. ‘ Hinc alii spolia occisis direpta Latinis Conjiciunt igni, galeas ensesque decoras.’ Cur, inquam, in hujusmodi militaribus expiationibus scriptores de ‘ Lua Dea ’ ne verbum quidem fecere? Utrobique itaque Livium ‘ matris Lunæ ’ verba fecisse crediderim, mendumque inesse potius lib. VIII. quam lib. XLV. impressorum incuria, qui pro litera *n* elementum *u* facile supposuere; nam characteres, utramque literam exprimentes, consimiles maxime sunt, sique invertantur, alter alterum repræsentat. Lunam vero jure ‘ matris ’ attributo donatam constat: quippe quæ sublunarium omnium generationi et incremento opem ferat. Unde non immerito Aristot. lib. de Animal. scripsit lunæ naturam persimilem videri naturæ terræ, quam ‘ magnam matrem ’ dictam alibi docuimus. Ait Turnebus, ‘ Quid attinet arma in honorem Lunæ comburi?’ At, ipse sciat, velim, in re militari maximum lunæ usum, nec contemnendum juvamen plerumque in rebus bellicis eam præstitisse. Communiora omitto, particularia aliquot exempla adduco, ex antiquorum historia excerpta. Germani in prælio ineundo religiose lunam novam observabant, tradente Plutarcho in Jul. Cæs. p. 717. Ipsemet Livius, de cujus dictis agitur controversia, quot bellicas insidias silente luna patratas, quot itinera ea perlucente noctu facta recenset? Lib. XXXII. 11. ubi de T. Quinctio scribit, ‘ Nocte itinera fieri jubet, et pernox forte luna erat.’ At audiamus, quæ magis ad divinitatem accedunt, exempla. Idem Livius XLIV. 37. hæc habet: ‘ C. Sulpicius Gallus tribunus militum secundæ legionis, qui prætor superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronunciavit: Nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse. Id, quia naturali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et prædici posse. Itaque quemadmodum, quia certi lunæ solisque et ortus et occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescente cornu exiguo fulgere lunam, non mirarentur, ita ne obscurari quidem, quum condatur umbra terræ, trahere id in prodigium non debere. Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est dies, edita hora luna quum defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri. Macedonas, ut triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens, movit: nec aliter vates: clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam sedem emersit.’ Pergit deinceps Livius pugnam describere, et Romanorum victoriam. Sed audiamus et Tacitum Ann. I. 28. ubi de seditione Pannonicarum legionum: ‘ Noctem minacem et in scelus erupturam sors lenivit. Nam luna clariore pene cœlo visa languescere. Id miles, rationis ignarus, omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prospereque cessura, quæ peragerent, si

fulgor et claritudo Deæ redderetur. Igitur æris sono, tubarum cornuumque concentu strepere, ut splendidior obscuriorve lætari aut mœrere, at postquam obortæ nubes officere visui, creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes, sibi æternum laborem portendi, sua facinora aversari Deos lamentantur.' Et paulo post, 'Tum redire paullatim amor obsequii, omittunt portas, signa unum in locum principio seditionum congregata suas in sedes referunt.' Itaque parumne momenti in bellicis rebus lunæ numen esse dicemus? an potius jure hostium arma, sicuti Marti et Minervæ, Lunæ comburi debuisse non negabimus? Ergo, ut ipsissimis Turnebi de luna prolatis verbis utar, istam *Luam* Deam capite foras præcipitem agendam puto, et in hos penates revocandam *Lunam matrem;* quæ tempestates prævidere, et præcavere quoque milites doceat; quæ terras satiaret, accedens corpora impleat, abscedens inaniat, frondes quoque ac pabula juvet, et tandem in omnia illius vis penetret, ita ut recte Plinius II. 99. eam mundi spiritum appellarit. *M. Donat.* Verissime *Luamque matrem* Turnebus, et firmat satis Noster VIII. 1. Laudat et Lipsius ad Ann. XV. 41. Taciti. Est tamen, ut sunt multa curva ingenia, vero adsentiri nescia, Dempsterus ad Rosin. II. 8. qui regerit *Lunam matrem,* et nobis lunam bellorum præsidem facit. Unde tanta mysteria? quia apud Livium est XXXII. 11. 'Nocte itinera fieri jubet, et luna pernox erat.' Quod perinde est, ac si ex eo, quod Tacit. Hist. II. 6. 'Parando interim bello secundum tutumque mare,' colligam, Neptunum atque Amphitriten aut Protea habitos bellorum præsides. Ejusdem farinæ sunt cætera: quia Sulpicius Gallus in Macedonia exercitui defecturam prædixit, idque, quia naturali ordine et statis temporum vicibus fiat, in prodigium trahi vetuit: quia seditiosus apud Tacitum miles defectionem sideris, ignarus rationis, omen præsentium accepit: quia Virgilius ait Trojam captam luna silente: satis indigna, quæ vel refutentur, nedum ut paginas impleant. Sed et comitem habet M. Donatum similiter disputantem. Aristoteli scribi, lunæ naturam persimilem esse terræ, quam 'Magnam Matrem' dixerunt: tum in re militari maximum lunæ usum: præterea illam tempestates prævidere, et præcavere milites quoque docere, &c. quæ lunatici admirentur licet. Diomedes lib. III. p. 484. de origine Bucolicorum: 'Antequam Hiero rex Syracusas expugnasset, morbo Sicilia laborabat. Variisque et assiduis cærimoniis Dianam placantes finem malis invenerunt. Eandem Λύην cognominaverunt, quasi solutricem malorum.' *J. F. Gronovius.* Turnebi conjecturam *Luamque matrem* probant, præter Doujatium et Crevierium ad h. locum, Germanus et Cerda ad Virgil. Æn. XI. 193. De Dea 'Lua' videndus etiam est Reines. Cl. I. Inscr. CCXXXVIII. Ejusdem nomen etiam XL. 2. § 2. Modius restituere conatus est, ubi tamen vulgatum *Lunæ* servandum monui. Ceterum Fabrett. de Column. Traj. c. 9. p. 312. hunc locum ad partes vocans laudat *Luemque:* potius tamen errorem calami vel operarum puto, quam ipsum ita emendatum voluisse.

§ 3 *Ea utilitas annonæ*] *Vilitas.* Sigon. Cic. pro L. Manil. c. 15. 'Repente vilitas annonæ ex summa inopia et caritate rei frumentariæ consecuta est.' Nec aliter hic præferunt omnes, quas vidi, edd. præter solam Basil. 1554. quæ operarum errore *utilitas* legit. Ut autem ibi typographi, sic alibi scribæ librarii voces illas confuderunt. Vide Burm. ad Quinct. Inst. Orat. v. 7. p. 382.

§ 5 *Ei, quæ venerat, turbæ*] Forte

convenerat. Paullo ante 'in illo conventu:' et c. 32. 'Multitudo convenit.' *Duk.* Dukeri emendatio verisimillima est. Simili errore *venire*, pro *convenire*, quidam codices exhibent XXXVII. 32. § 13. Vide ad XXXV. 41. § 7.

§ 6 *Referta regia Alexandriæ*] Ita Vascos. et post eum recentiores omnes. Antiquiores edd. legunt *Alexandreæ*. Vide ad XLIV. 19. § 11.

CAP. XXXIV. (XXXV.) § 1 *Praedam Epiri civitatium*] Hæc lectio priscarum editionum est. Pro ea *civitatum* legendum, vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit. Et ita ediderunt Basil. 1555. Licet autem Sigonius priscam mox lectionem receperit, altera tamen recentioribus placuit usque ad Gronovium, qui a. 1665. *civitatium* revocavit. Vide ad XLI. 22. § 7.

§ 5 *Ut in equitem quadringeni denarii, peditibus duceni dividerentur*] Immensum hinc discrepat Plutarch. undenas tantum drachmas ex hac direptione in milites divisas referens, in Æmil. Paull. p. 271. Γενέσθαι δ' ἐκ τοσαύτης φθορᾶς καὶ πανωλεθρίας ἑκάστῳ στρατιώτῃ τὴν δόσιν οὐ μεῖζον ἕνδεκα δραχμῶν· φρίξαι δὲ πάντας ἀνθρώπους τὸ τοῦ πολέμου τέλος, εἰς μικρὸν οὕτω τὸ καθ' ἕκαστον λῆμμα καὶ κέρδος ἔθνους ὅλου κατακερματισθέντος.

Centum quinquaginta millia capitum humanorum] Sic Plutarch. Æmil. p. 271. ὥστε ὥρᾳ μιᾷ πεντεκαίδεκα ἀνθρώπων ἐξανδραποδισθῆναι μυριάδας· ἑβδομήκοντα δὲ πόλεις πορθῆναι. *Sigon.* Pariter Polyb. apud Strab. Geogr. VII. 322. Τῶν δ' οὖν Ἠπειρωτῶν ἑβδομήκοντα πόλεις Πολύβιος φησὶν ἀνατρέψαι Παῦλον τὸν Αἰμίλιον μετὰ τὴν Μακεδόνων καὶ Περσέως κατάλυσιν (Μολοττῶν δ' ὑπάρξαι τὰς πλείστας) πέντε δὲ καὶ δέκα μυριάδας ἀνθρώπων ἐξανδραποδίσασθαι.

§ 7 *Paullus ad mare Oricum descendit*] Sic Plut. ibid. Αἰμίλιος τοῦτο πράξας εἰς Ὠρικὸν κατέβη. *Sigon.*

§ 9 *Quorum cognitionem caussæ reservarat*] Cui reservarat? Sine dubio *senatui.* Hoc addendum puto. XXXIX. 29. 'Placere cognitionem senatui reservari.' *Duk.*

§ 11 *Galli domos abierunt, et rex in hiberna concesserat*] Merito hæc lectio Perizonio displicuit, qui in margine Livii, *abierant* sibi legendum videri, monuit. Verum similiter præferunt omnes typis descripti ante ultimam Gruteri ed., quæ *abierunt* admisit. Id vero postea secuti editores servarunt usque ad Crevierium, qui priscam lectionem recte reduxit.

Ver primum ex domo excivit] Satis intelligi, hæc dici de Gallis; rem tamen clariorem futuram, si eorum nomen diserte exprimetur, judicat Crevierius.

§ 13 *P. Licinius cum regulo Gallorum*] Hic P. Licinius princeps erat legationis in Asiam missæ, cujus occultis artibus evenisse suspicio est, ne Galli in potestate Romanorum, pacem inter eos et Eumenem conciliantium, fuerint, ut ita paullatim vires Eumenis a Gallis frangerentur; licet mirum videri Livius profiteatur, verba legatorum apud Gallos nullius momenti fuisse. Metus vero, ne, si Attalus castra Gallorum intraret, animi disceptatione irritarentur, speciosus prætextus arreptus est Attalum procul amovendi; ut, eo absente, tanto commodius legati cum regulo Gallorum agerent, quæ a senatu mandata erant. Suspicionem hanc palam injicit Polyb. Exc. Legat. num. XCIII. Τοὺς δὲ περὶ τὸν Πόπλιον Λικίνιον ἔπεμψε πρεσβευτὰς παρὰ τοὺς Γαλάτας· οἷς ποίας μὲν ἔδωκεν ἐντολὰς, εἰπεῖν οὐ ῥᾴδιον· στοχάζεσθαι δὲ ἐκ τῶν μετὰ ταῦτα συμβάντων οὐ δυσχερές· τοῦτο δ' ἔσται δῆλον ἐκ τῶν πράξεων αὐτῶν.

§ 14 *Inter opulentos reges, Antiochum Ptolemæumque*] Ita Frob. a. 1535. edidit: sed princeps ed. præfert *inter tam opulentos reges:* quod Gronov. in prima ed. nott. ex Aldina etiam laudavit. Verum adnotatio illa postea

in curis secundis omissa est. Priscam lectionem Livio reddidi. Eam autem a genio loquendi ejus non abhorrere, patet ex illis quæ notantur ad XXXIII. 45. § 4.

CAP. XXXV. (XXXVI.) § 3 *Regia nave ingentis magnitudinis*] Sic Plutarch. in Æmil. 271. Ἀνέπλει τὸν Θύβριν ποταμὸν ἐπὶ τῆς βασιλικῆς ἑκκαιδεκήρους κατεσκευασμένης ὅπλοις αἰχμαλώτοις, καὶ φοινικίσι καὶ πορφύραις. Hujus ejusdem navis meminit Suidas in Perseo. *Sigonius.* Hujus ejusdem navis meminit Livius XXXIII. 30. 'Naves omnes tectas tradere, præter quinque, et regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant.' 'Naves regias captas de Macedonibus insuitatæ ante magnitudinis' memorantur c. 42. hujus libri. Ceterum verba Plutarchi a Sigonio laudata minus dextere Latine vertentem Meibomium carpit Jac. Gronov. Diss. Epist. in Liv. Loca Quæd. Geogr. Ep. VI. p. 45.

§ 4 *Cum tribunis plebis ex auctoritate Patrum ageret*] Si hic Livius non recessit a consuetudine sua loquendi, scribendum est, *cum tribunis plebis ageret, ex auctoritate Patrum rogationem ad populum ferrent.* XXVI. 21. 'Tribuni plebis ex auctoritate Patrum ad populum tulerunt.' XXXV. 7. 'M. Sempronius tribunus plebis ex auctoritate Patrum plebem rogavit.' XLII. 21. 'Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt.' *Duk.*

§ 6 *Nihil relicturus (si aviditati indulgeretur)*] Nec male foret *relicturis, (si av. indulgeret) quod in ærarium deferretur.* Forte etiam *Quia antiqua.* J. F. Gron. In hac Gronovii emendatione carpit Doujatius, quod *relicturus* in *relicturis* mutarit. Sententiam enim, quamvis commodam, ea recepta, Livii tamen menti omnino commodam dicere non audet. Eum enim velle videri, Æmilium Paullum providisse futurum, ut, si aviditati militum indulgeret, nihil sibi ipse reliquum faceret, quod posset in ærarium inferre. Verum quot capita, tot sensus. *Relicturis*, quod unum in Gronovii conjectura Doujatio displicebat, ego maxime probandum ac recipiendum putavi, præsertim quum ita præferat ed. princeps, pro quo mox Frob. 1535. *relicturus* substituit; unde lectio hæc ad reliquas omnes edd. propagata est. In reliquis verbis nihil muto, nisi quod omnem distinctionem inter voces *dederat nihil relicturis* sustulerim. Milites nihil erant relicturi, quod Paullus in ærarium deferret, *si aviditati indulgeretur*, id est, si quis eorum aviditati indulgeret, si quis illis rapiendi potestatem faceret, quantum vellent. Si quis tamen ad verba præcedd. *Quia* inserendum judicat, etiam interpunctio maxima post voces *in ærarium deferret* in minimam mutanda est.

§ 7 *Comitiis ferendæ legis*] Posses *ferendæ legi.* Vide ad II. 8. § 3. Ita ultima litera voci *legis* adcrevisset ex principio vocis seq. de quo vide ad XXVIII. 25. § 2. Nihil tamen invito cod. mutandum: nam, et vulgatum Livio in usu esse, patet ex illis quæ notantur ad X. 11. § 3.

§ 9 *Militem honorem dare posse*] *Dare non posse*, videtur legendum, siquidem subdit 'ne speraret ibi fructum gratiæ, ubi non meruisset.' *Sigon.* Illud *non*, quod in primis edd. non exstat, fugandum est, et *honorem dare posse* scribendum: qui autem potest honorem dare, penes eum etiam potestas est non dandi. Intelligat igitur Paulus, qui se negat habuisse potestatem dandæ pecuniæ, militem habere potestatem mandandi suffragio triumphi, quem non deferet male merito. Iste sensus et historico dignior est, et argutior, et acrior. *Turnebus*, Advers. XVI. 20. Animavi interrogatione. Sigonius aliique interjecerunt negativam *honorem dare non posse*,

abnuente Turnebo; qui aliter tamen interpretatur, quam ego. *Gruterus.* Quod Turnebus, haud scio quo exemplari usus, quasi de conjectura restituit XVI. 20. id Frobenius, Aldus, Gryphius, Curio, jam sic ediderunt: et interpretatur ille acute, tamquam qui potestatem habeat dandi, penes illum sit et potestas non dandi. Non satisfacit tamen, quod Paullum vult negasse, habere se potestatem dandi. Quis ergo? aut cur huic imperatori minus licuit, quam omnibus aliis? Sigonius *dare non posse.* Malim *pecuniam illum non dare potuisse: militem honorem non dare posse.* J. F. Gronov. Turnebus usus est ed. Sigonii, qui conjecturam suam in contextum receperat; ejiciens autem voculam *non*, a Sigonio insertam, eam etiam in primis edd. non exstare expresse testatus est. Gronovii conjecturam Doujatius probat, eamque germanam Livii sententiam exprimere judicat. Crevierio nihil melius videtur, quam quod Sigonio placuit. At Ant. et Jac. Perizonii priscarum editionum scripturam, admissa simul Gruteri interrogatione, ut vulgo nunc editur, præferunt hoc sensu: Paullum ab animo maligno impetrare non potuisse, ut liberalius prædam inter milites divideret; milesne ergo ab animo suo impetrare poterit, ut eidem honorem det?

CAP. XXXVI. (XXXVII.) § 1 *Et privatis lege dicendi locus esset ad suadendum, ut in re minime dubia, si quisquam procederet*] Mallem *et privatis lege dicendi locus esset, nec ad suadendum, ut in re minime dubia, quisquam procederet.* Idem sentit Manutius. *Sigon.* Recte Sigonius hic: sed tamen relinquit mendum, nec totum procurat. Scribe *et privatis de lege dicendi locus esset.* Dabatur *locus dicendi de lege*, quum, ea proposita et promulgata, per magistratus ferentes copia privatis fiebat prodeundi in medium, populumque vel accipiendæ ejus, vel antiquandæ rationes edocendi. Vide c. 21. Sed et quia liber antiquus omnesque editi *dubia si quisquam:* cogitare possis *nec ad suadendum, ut in re minime dubiosa, quisquam procederet.* Neque enim sine auctore dixit Gellius III. 3. 'Quoniam dubiosæ non erant.' Et v. 10. 'Dubiosum hoc inexplicabileque.' *J. F. Gron.* Manutium idem sentire, Sigonius dixisse videtur, quia is hunc locum laudans in lib. de Legib. c. 35. eum ita profert, ut ab ipso emendatur. Quod autem Gronov. insuper emendet *de lege dicendi*, omnino verum videtur. Sed, quod etiam *ut in re minime dubiosa* scribendum conjiciat, in eo ipsius sententiæ accedere nequeo. Nam Gellium quidem non sine auctore hoc vocabulo usum esse dicit, at non probat. Immo potius, quum nullus ante Gellium hac voce usus reperiatur, isque plures novas dictiones invenerit, eumdem etiam hanc vocem finxisse verius videtur, certe eam ex sola conjectura Livio obtrudendam non puto. 'Controversiosus' tamen eodem exemplo formatam vocem Livium adhibuisse III. 72. § 5. plures Mss. innuunt.

§ 2 *Quoniam hora jam octava diei esset*] Idem, sed aliis verbis, dicit Galba apud Plutarch. in Æmil. pag. 271. Ἠτεῖτο παρὰ τῶν δημάρχων ἄλλην ἡμέραν· ἐκείνην γὰρ οὐκ ἐξαρκεῖν τῇ κατηγορίᾳ, τέσσαρας ἔτι λοιπὰς ὥρας ἔχουσαν. Illa autem sumsisse videtur ex Servilii responso cap. seq. 'Diem integrum hesterno die ad accusandum L. Paullum petiit: quatuor horas, quantum supererat diei, dicendo absumsit.'

In posterum diem differrent, et mane eam rem agerent] Unus tantum Ti. Sempronius tribunus plebis rogationem tulisse dicitur de imperio Æmilii Paulli, quo die triumphans Urbem inveheretur. Is unus etiam, nulla aliorum tribunorum mentione facta, Galbæ respondens, dicere eo die, si

quid vellet, *jubet*. Cur ergo hic *differrent*, et *agerent* numero plurium? Jac. Perizonius ad oram Livii conjecit *differret*, et *ageret*. At huic obstat, quod in fine cap. iterum de *tribunis* numero plurium loquatur: 'Ut de integro eam rem agerent, ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem facerent. Tribuni, quum ad deliberandum secessissent, victi auctoritatibus principum, de integro agere cœperunt, revocatusque se easdem tribus renunciarunt.'

§ 5 *Non omnia in ducis, aliquid et in militum manu esse*] Doujatius se sensum Livii intelligere putat, quum verba hæc ita reddat; non ex illis solis, penes quos imperium in exercitum erat, pendere, quæ in bello gerantur. Verum de rebus bello gestis vel gerendis nunc non cogitat Galba, sed de distributione præmiorum; quam non solius ducis beneficium dicit, sed in militum etiam manu ac potestate esse, duci suffragiis suis triumphum vel concedere, vel eripere. Videtur existimasse locutionem 'in militum manu esse' hic notare in eorum virtute ac fortitudine esse. At nosse debuerat, illa dici 'in manu esse,' quæ sunt in potestate. Cic. ad Fam. XIV. 2. 'Hæc non sunt in nostra manu.' Hinc 'e manibus emittere' est emittere ex potestate. Vide ad XXII. 3. § 10. Præsertim quum et in jure eadem locutio familiaris sit, ubi mulier dicitur 'convenire in manum,' et 'esse in manu mariti;' qui autem in servitute est, 'manui et potestati suppositus esse.' Vide Brisson. de Verb. Sign. voce 'Manus.'

§ 7 *Intro vocatæ primæ tribus quum antiquarent*] Sic Plutarch. p. 271. Ἡ τε πρώτη φυλὴ τὸν θρίαμβον ἀπεψηφίζετο. *Sigon.*

Despoliari triumpho] Si hæc veterum edd. lectio foret, non adversarer. Nunc vero ita demum invenio in Gronovianis. Priores omnes præferunt *dispoliari*. Cic. in Verr. IV. 20. 'Ut etiam una cum ceteris Siculis dispoliaretur:' ubi tamen alii *despoliaretur* ediderunt. Lactant. Divin. Instit. V. 9. 'Et Deorum, quos colunt, templa dispolient.' Veterem itaque lectionem restitui.

§ 8 *In uno nimis se per ambitionem peccare*] Egregius locus, sed adhuc corruptus. Scribe, *ultro nimis sæpe per amb. peccari: quid si domini milites imp. imp.?* Vel, si mavis, *ultro nimis sæpe amb. peccare*, nempe imperatorum. Recte enim dicetur, peccasse imperatoris ambitionem, quum imperator peccavit per ambitionem. Sensus est, ultro suaque sponte et præter necessitatem peccare imperatores, satis frequenter disciplinam ambitionis caussa remittendo: quid, si metu cogantur, futurum? 'Ambitio' nihil est aliud, quam intempestiva captatio gratiæ ac favoris, plerumque tam efficax, ut ejus ergo jus et officium migremus. Sic III. 47. 'Et ultro querente panca petitore, quod jus sibi pridie per ambitionem dictum non esset.' V. 36. 'Senatui nec factum placebat Fabiorum, et jus postulare barbari videbantur. Sed ne id, quod placeret, decerneret in tantæ nobilitatis viris, ambitio obstabat.' XXIX. 16. 'Nec tam Q. Pleminii scelus, quam Scipionis in eo aut ambitio, aut negligentia iras hominum irritavit.' Sallustius de Mario scribente milites capite censos plerosque Jug. c. 86. 'Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant.' Sic et 'ambitiose facere' dicimur, quæ facimus præter decorum fere demerendi alicujus caussa; quum studemus plus et supra, quam oportet, et in quibus non oportet, ut gratiam ineamus. Cic. Famil. III. 7. 'Præsertim quum in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleam, quam honos mens et dignitas postulat.' Sallust. Jug. c. 64. 'Neque facto ullo, neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum

foret.' Ita frequenter accipitur et in libris juris, neque fugit Budæum et Cujacium. Sed elegans Fornerius Selection. I. 17. dum illis addere aliquid cupit, nimium dicit. l. 5. C. de Commerc. et Merc. Volunt Augusti, 'cessante omni ambitione,' manere quingentorum sexaginta trium collegiatorum numerum: hoc est, ne in favorem aut gratiam ullius augeatur minuaturve, neve in locum defunctorum ex alio, quam illi fuerant, corpore subrogentur, ut ipsi se ibidem explicant. l. 3.C. de Execut. Rei Judic. 'Res subhastatas ex compacto, sive ambitione diversæ partis emptorem invenire potuisse:' quod est, quia reus ita omnium, qui eam rem agere debebant, aucupatus sit et occupaverit gratiam, ut damno ejus lucrari noluerint. Fornerius ait 'ambitionem', esse falsæ caussæ allegationem et prætextum. Sane iis, quæ per ambitionem fiunt, callidi homines alia et falsa prætexunt: non tamen 'ambitio' est prætextus. Id maxime putat evinci e collatione l. 1. et 3. C. Si tutor vel curator fals. alleg. excus. Priore dicitur 'si non competentibus allegationibus libcrati esse a munere jussi sunt:' posteriore 'si ambitione potius, quam juris ratione, se excusaverit.' Hæc vero non sunt idem, sed illud generaliter dictum, hoc unam speciem continet. Sic et 'ambitiose remissum' l. 12. C. de Transact. est, in quo, posthabito publicæ rei commodo aut jure, privatam gratiam quæsitam appareat. Et 'ambitiosa decreta,' quibus, ut gratificareris nonnemini, a jure decessum sit, l. 3. princ. ff. de Minorib. l. 4. de Decret. ab Ord. Fac. l. 2. C. de Decret. Decurion. quid aliud sunt, inquit, quam gratiosa? Recte hoc: sed cur subjicit, quam quæ caussa vacant, et eolore quæsito conflata sunt? Nam boc generale nimis, nec explicatur voce 'ambitiosa.' Quid enim? si privato et proprio odio in quemquam decernatur? an non id quoque caussa vacat, et colore quæsito conflatur? Nec tamen erit 'ambitiosum:' quia non gratia sic captatur, sed intempestiva et incivilis vindicta exercetur. Perperam et Ovidii interpretatur de Ponto III. 1. 84. 'Pro nostris ut sis ambitiosa malis.' Ut mendax mei solandi sublevandique caussa esse non vereare. Cur enim mendax? Immo simpliciter est, ut pro me ambias, roges, depreceris: ambitiosis, hoc est, illis quæ gratiam mereri possint, precibus utare. Nam et 'ambitiosas preces' dixit Tacitus Histor. II. 49. *J. F. Gron.* Εὐστογωτάτως Gronov. *ultro nimis sæpe* pro *in uno nimis se.* Ductus literarum in vocibus *in uno* et *ultro* simillimi sunt, et facile commutari possunt. Ultima autem syllaba *τοῦ sæpe* hausta est a primis literis vocis seq. Ut vero *peccari*, pro *peccare*, scribatur, opus non videtur. Subintelligendum enim 'imperatores,' quæ vox et præcessit, et sequitur. Erudite etiam vocem 'ambitio' Gronov. inlustravit. Ita XXVIII. 40. 'Id consilium haudquaquam primoribus Patrum quum placeret, ceterique per metum aut ambitionem mussarent.' XXXVIII. 32. 'Quum alia, satis ambitiose partem utramque fovendo, incerta respondisset.' XLIII. 14. 'Multos ex Macedonicis legionibus, incertis commeatibus per ambitionem ab exercitu abesse.' Plura vide ad III. 47. § 4. Adde viros doctos ad Suet. Aug. c. 26. Græv. ad Cic. ad Fam. III. 7. et Cortium ad Sall. Jug. c. 86. et Plinii Ep. III. 9. § 10.

§ 9 *M. Servilius, qui consul et magister equitum fuerat*] Magister equitum fuit biennio ante, quam bellum Punicum secundum finiebatur, sive a. IDL. consul anno sequenti. XXX. 26. 'Insequentia excedunt in eum annum, quo M. Servilius Geminus, qui tum magister equitum fuit, et Ti. Claudius Nero consules facti sunt.'

Ab a. autem DLI. quo consul fuit, jam effluxerunt anni XXXV. unde probe senem fuisse constat, quum legem Sempronii suaderet, et Paullum adversus crimiuationes Galbæ defenderet.

§ 10 *Revocaturosque se easdem tribus renunciarunt*] *Pronunciarunt* puto. XXXVIII. 60. 'Tribuni quum in consilium secessissent, paullo post C. Fannius ex sua collegarumque aliorum, præter Gracchum, sententia pronunciavit.' Cic. in Bruto c. 22. 'Quum consules, re audita, amplius de consilii sententia pronunciavissent.' Suet. Ner. c. 15. 'Quoties autem ad consultandum secederet, &c. quid ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronunciabat.' Hic, qui plenum inficetiarum commentarium in Suetonium, quem non attingere debuerat, edidit, *secederet* interpretatur 'in aliud cubiculum iret:' quasi scilicet hæ cognitiones in cubiculo Neronis habitæ fuerint. Sed forsitan scivit, Gutherium de Offic. Dom. Aug. I. 24. in hoc loco Suetonii consistorium principis, et Huberum auditorium in Palatio Cæsaris invenisse: quamquam, si id scivit, et hi nominandi, et Perizonium Dissert. de Prætorio II. 19. Hubero respondisse, quantum satis est, dicendum fuisset. *Duk.*

CAP. XXXVII. (XXXVIII.) § 1 *Quantus imperator L. Æmilius fuerit, Quirites, si ex alia re, &c.*] Hoc principium orationis sic Græce vertit Plutarchus in Æmil. p. 271. Αἰμίλιον μὲν ἔφη Παῦλον ἡλίκος αὐτοκράτωρ γένοιτο, τὸ νῦν μάλιστα γινώσκειν, ὁρῶν ὅσης ἀπειθείας γέμοντι, καὶ κακίας στρατεύματι χρώμενος οὕτω καλὰς κατώρθωσε καὶ μεγάλας πράξεις. *Sigon.*

§ 2 *Itaque, antiqua disciplina habiti, neque fecerunt*] Scribe cum A. Rubenio *habiti tunc quieverunt.* Lib. VIII. c. 7. 'Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter quam in se quisque districtam cernentes securim, metu magis, quam modestia, quievere.' *J. F. Gronov.* Rubenii conjecturam recte etiam Crevierius probavit. 'Quiescere' est a seditione, a tumultu abstinere, nullas turbas movere. Liv. III. 48. 'Nocte tota cœtus in urbe factos esse ad movendam seditionem. Itaque se cum armatis descendisse. Proinde quiesse erit melius.' c. 65. 'Quiescenti plebi ab junioribus Patrum injuriæ fieri cœptæ.' IV. 49. 'Malum quidem militibus meis, inquit, nisi quieverint.' VIII. 2. 'Campanos, seu velint, seu nolint, quieturos.' XXII. 14. 'Tum prope de integro seditio accensa: quieverat enim per paucos dies.' Ita 'inquietus' est seditiosus. III. 46. 'Inquietum hominem, et tribunatum etiam nunc spirantem, locum seditionis quærere.' Vir doctus ad marginem editionis Curionis adscripsit forte vocem excidisse, ac legendum *neque seditionem fecerunt.* Triller. Obs. Crit. III. 8. vel *neque defecerunt* vel *nunquam defecerunt* legi posse conjecit.

§ 4 *Postero die, quam triumphatum est, privatum eum visurus esset, nomen deferret*] Legendum *privatum cum visurus esset.* Porro autem ego malim legere, *deferre, interrogare, dicere, accusare;* ut hæc omnia ad vocem *debuit* referantur. *Sigonius. Privatum cum visurus* Sigonii est: nam prius *privatum eum visurus.* Sed manet incommodum in illo *quam triumphatum est.* Requiritur enim *esset.* Scribe *sed postero die, quam triumphatum, et cum privatum eum visurus esset.* J. F. Gronov. Non dicit Gronovius, quid sentiat de conjectura Sigonii, verba infinitiva pro subjunctivis substituentis. Ea mihi non contemnenda quidem videtur; haud scio tamen, an subjunctiva retineri possint: *deferret* pro deferre potuisset, vel debuisset, et sic cetera. Terentius Phorm. II. 1. 66. 'Non fuit necesse habere: sed id, quod lex jubet, do-

tem daretis, quæreret alium virum.' Et vs. 69. 'Sumeret alicunde' argentum. *Duker. Quam triumphatum esset* Gronov. in prima nott. ed. conjecit; cui deinde substituit id, quod hic præmittitur. Verum neque id Jac. Perizonio placuit, qui ad marginem Livii emendavit *postero die, quam triumphatum, privatumque quum visurus esset*, quasi copula *que* elisa fuisset a sequenti voce *quum*. Vide ad lib. XXXVIII. c. 40. § 7. Sed observandum est, in ed. principe legi *privatum eum*, pro quo Sigonius demum *privatum cum*, vel *quum* conjecit; et ita evanescere similitudinem, quæ caussa fuisset, ut vox *que* excideret. Ipsi etiam Perizonio hæc conjectura non satisfecit, qui dein tentabat *privatumque eum visurus esset*, ut ad hoc membrum ex præcedenti intelligatur *quam*. Verum, unica tantum litera expuncta, proxime codicis lectionem eodem sensu legendum, *postero die, quam triumphatum, et privatum eum visurus esset*. Deinde *deferret, interrogaret, diceret, accusaret* adversus Sigonium defendit etiam Doujatius. An igitur 'non triumphum impedire debuit, sed nomen deferret' ad consuetudinem Livii orationem variandi referendum est?

Legibus interrogaret] Livius lib. XXXVIII. c. 50. 'Neminem unum civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit.' Sallust. in Catil. c. 18. 'P. Autronius et P. Sulla, ambitus interrogati, pœnas dederant:' ubi vide Cortium. Adde Brisson. de Formul. v. p. 471. et Select. ex Jur. Civ. Antiq. l. II. c. 1.

§ 6 *Cui crimen nullum probrum dicere poterat*] Legendum *cui nullum crimen, nullum probrum dicere poterat*. Sigonius. Ea forma VIII. 36. 'Nulla arma, nullam vim, nec apertam, nec insidiis, expertus:' ubi vide. XXXIV. 13. 'Nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent.' Cic. de Senect. c. 10. 'Nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit.' Eadem forma 'quantum numero militum,' 'quantum pecunia valerent' dixit XXIX. 37. § 7. ubi alia vide. Vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit *cui crimen nullum probro dicere poterat*. Verum ita insuper legendum erit *probro ducere poterat*. Sed verisimilior videtur conjectura Gronovii in prima notarum ed. proposita, *cui crimen nullum, nullum probrum dicere poterat:* ut ita vocis *nullum* repetitio caussa fuerit, cur semel ab inerti librario omissa fuerit. Ejusdem erroris alia exempla vide ad XXXIII. 27. § 4.

Diem integrum hesterno die ad accusandum L. Paullum petiit] *Hesterno die accusandum* edd. principes: *ad accusandum* primum inveni in ed. Vascos. quomodo etiam vir doctus ad marginem ed. Curionis, priscam lectionem servantis, scribendum conjecit. Videri posset olim scriptum fuisse *accusatum L. Paullum*, idque in *accusādum*, et *accusandum* postea mutatum esse. Vide ad II. 48. § 4. et VI. 37. § 4. Sed præfero quod nunc receptum est, *ad accusandum*, et puto forte olim *ad adcusandum* scriptum fuisse, et ita primam syllabam posterioris vocis præpositionem elisisse. Ita *in* sæpe intercipitur a syllaba prima vocis seq. Vide ad XXXIV. 28. § 3. *Re*, vel *rē*, id est *rem;* vide ad XLII. 32. § 7. *Se;* vide ad XXIX. 21. § 7.

§ 8 *Puram alteram, integrioris judicii, et a favore et odio*] Lectio hæc vix servari posse videtur, in qua postremæ voces *et a favore et odio* referendæ sunt ad primam *puram*. 'Puram a favore,' ut 'purum ab humano cultu solum' I. 44. 'purus ab arboribus campus' apud Ovid. Met. VII. 709. Sed quo minus commode hæc jungi possint, obstant partim interjectæ voces *integrioris judicii*, quæ per se accipi debent; partim quod tum potius Livius dixisset *puram et a fa-*

vore, et ab odio; quomodo etiam Crevierius legendum conjicit. Vide h. lib. ad c. 8. § 4. Vir doctus ad marginem ed. Curionis vocem excidisse, ac legendum conjicit *et a favore et odio liberam.* Sed, nisi inevitabilis necessitas exigat, integram vocem, invitis Mss. interponere, nimis temerarium videtur. An igitur potius, una voce transposita, scribeudum *alteram integrioris judicii, et puram a favore et odio?*

Apud concionem togatam et urbanam prius reus agatur] Forte *res agatur.* Muret. Sæpius *res* et *reus* a librariis ccmmutantur. Vide ad IV. 42. § 6. IX. 26. § 8. XXI. 10. § 6. XXXVIII. 52. § 2. Vir doctus ad oram ed. Curionis emendat *Paullus*, pro *prius.* Sed verisimile non est, librarios vocem notissimam *Paullus* corrumpere voluisse. Eadem etiam modo præcessit; unde hic iterum repeti necesse non est. Neque ductuum similitudo errori scribarum prætendi potest. Tandem τὸ *prius* defendit, quod mox sequitur § 14. 'Transeatur ad alteram concionem.' Recte etiam Doujatius, Hearnius, ac Crevierius judicarunt caussam non esse, cur *reus agatur* Mureto displicere debuerit. 'Reum' enim 'agere,' ac 'peragere' locutiones sunt optimis scriptoribus usitatæ. Supra IV. 42. 'Vos autem, si reum perago, quid acturi estis?' ubi quædam vide. Ovid. Her. XIV. 120. 'Quid fiet sonti, si rea laudis agar?' Her. XVI. 324. 'Ipse reus sine te criminis hujus agar:' ubi vide N. Heins. Convenit etiam huic lectioni, quod præcedit, 'si caussam dicat:' et quod sequitur, 'Itaque accusatorem id scire potuisse, et supervacaneam defensionem Paulli fuisse.'

§ 9 *Illa enim tibi tota abscisa oratio esset*] Hæc principum editionum lectio est. Ejus loco *abscissa oratio* dedit Vascos. quod recentiores servarunt usque ad Gronovium, qui *abscisa* revocavit. Vide ad XXXI. 34. § 4.

In statione severius et intentius institisti] Doujatius existimat, in prima hac parte orationis acute a Servilio induci Galbam, objicientem L. Paullo, quæ tum per milites, tum per se ipsum fecerat, quasi illi exprobraretur a Galba, quod laudi vertendum erat; et hinc, oratione ex persona Galbæ ad L. Paullum versa, dici 'institisti, operis plus fecisti, circumires, iter fecisti, in aciem duxisti:' in posteriore autem parte sermonem ex persona Servilii Paullum defendentis ad ipsum Galbam converti, 'ne victorem quidem te' (o Galba) 'adquiescere passus est' (Paullus), &c. Hinc efficit contra Gronovium, qui in verbis seqq. *circumiret*, pro *circumires*, et *ductus es*, pro *duxisti*, legendum conjicit, nihil mutandum esse. Contra Crevierius hic aliquid vitiatum esse agnoscit. Quum autem ex illis quæ secunda persona dicuntur, alia ad imperatorem spectent, alia ad militem, libentius mutaret verba ad imperatorem pertinentia, et non tantum cum Gronovio *circumiret*, *ductus es* legeret, sed etiam *institit*, pro *institisti:* cui omnino adsentior.

Imperator et exactor circumires] Immo *circumiret.* Sallustius Jugurth. c. 45. de Metello: 'Vigilias crebras ponere, et eas ipse cum legatis circuire.' *J. F. Gron.*

In aciem ex itinere duxisti] Proxima oratio requirit *et in aciem ex itinere ductus es.* J. F. Gron.

§ 10 *Ne victorem quidem te adquiescere passus est*] *Se acquiescere* conjicit vir doctus ad marginem ed. Curionis: at superior oratio hic *te* requirit.

§ 11 *Qui parum licentiæ, &c. inservitum censent*] Jac. Perizonius ad marginem Livii malebat *censeant.* Ita mox cap. seq. 'Ipse aliter adfectus animo sum, qui apud exercitum mihi loqui videar.' Verum nihil mutan-

dum: sequitur enim hoc ipso cap. 'Apud populum Romanum nihil valuissent, qui, &c. meminit;' non *meminerit.*

§ 13 *Itaque accusatorem id scire potuisse*] Non potest in his verbis intelligi, nisi præcedens *meminit:* id autem parum commodum est. Fortassis *Itaque et accusator id scire potuisset, et supervacanea defensio Paulli fuisset.* J. F. Gron. Crevierio Gronovius nondum hic satisfecit. Mihi etiam locus adhuc mendosus videtur: restitutio vero non, nisi codicis integrioris ope, sperari potest.

§ 14 *Nec Quirites vos, sed milites videor adpellaturus*] Magistratus aliique, cum populo acturi, cives adloquebantur voce *Quirites:* at imperatores exercitum voce *milites,* vel *commilitones.* Hinc, milites adpellatione 'Quiritium' adloqui, quasi genus pœnæ erat, et signum inhonestæ missionis habebatur. Sueton. Cæs. c. 70. 'Decumanos, missionem et præmia flagitantes, una voce, qua Quirites eos pro militibus adpellarat, tam facile circumegit et flexit, ut ei milites esse confestim responderint.' Vide ibi Torrent. et Brisson. de Form. IV. 347. Adde quos laudat Oudendorp. ad Lucani v. 358.

Cap. XXXVIII. (XXXIX.) § 2 *Quid etiam dicitis, milites*] Muretus *Quid enim dicitis.* Ego τὸ *etiam* trajiciendum censeo in membrum præcedens, hoc modo: *Equidem ipse etiam aliter animo affectus sum, quum apud exercitum mihi loqui videor, quam paullo ante eram, cum ad plebem spectabat oratio. Quid dicitis, milites?* J. F. Gronov. Doujatius nihil vitii in vulgata lectione deprehendit. Putat enim Servilium, quum sibi visus esset plebem urbanam ad suas partes traduxisse, jam milites interrogare, ut eliciat etiam ab illis parem adsensum. Si quid tamen mutandum, mallet *Quid jam dicitis, milites?* At neutrum verum esse mihi persuadet. Sed nec Mureti conjectura placet. Nam licet voces *enim* et *etiam* sæpissime commutentur, ut vidimus ad XXXVI. 41. § 3. τὸ *enim* tamen non videtur hic locum habere posse. Gronovii trajectio sensui satisfacit; sed eam invito cod. admittere non audeo, nisi credere velimus τὸ *etiam* primo perperam a librario omissum, mox margini adscriptum, et tandem alieno loco insertum fuisse.

§ 4 *Non unius hoc Paulli*] Valde abruptum hoc. Forte nimii sumus. Sed valde placeret, si legeretur *Erratis, milites, si triumphum imperatoris tantum, si unius hunc Paulli, et non militum quoque et universi populi Romani esse decus censetis.* J. F. Gron. Hanc etiam Gronovii trajectionem rejicit Doujatius, et sic abrupte pronunciata sententia ei elegantior videtur. Contra, quædam excidisse, et post vocem *Paulli* asteriscum adponendum esse, Crevierius judicavit.

Quam illis, qui triumphaverunt*] Nihil huic sententiæ deerit, si legas, *quam illis, qui post eos triumphaverunt.* Intelligit autem, qui post Lutatium et Cornelium triumpharunt, ut de Philippo et de Antiocho: atque ita legendum est: *quam Macedonici et Asiatici illis, qui triumphaverunt.* Sigon. Sic [*quam illis, qui triumphaverunt*] vetus liber, mutilus haud dubie hac parte ac parum integer. Sigonius nihil sententiæ defore putat, si legas *qui post illos triumpharunt.* Sed certe plura desunt, si nihil aliud, post τὸ *illis,* quod eripi posse negat: verbi gratia, *sua cuique decora et aliis sive ante hos, sive post eos triumphaverunt.* J. F. Gron. Sigonianum supplementum Doujatio sufficiebat, aut certe ei satis esse videbatur *quam sua decora illis, qui post eos triumphaverunt:* vocem autem *decora* ex τῷ *decus* in superiori membro huc non absurde revocari. Clericus, quæ desunt, ita supplet, *quam* [*decora cuique sua*] *illis, qui* [*post eos*] *triumphaverunt:* Crevier-

ius *quam* [*decora cuique sua*] *illis, qui* [*ante postve eos*] *triumphaverunt:* et ambo id in contextum receperunt. Sed vix verisimile videtur, vocibus mediis *illis qui* remanentibus, et quæ præcedunt, et quæ sequuntur, excidisse. Neque hujus loci medicina salutifera sine ope codicis sperari potest.

§ 6 *Ne invidiæ et ingrati animi adversus clarissimum quemque civem opinionem habeat*] *Invidi et ingrati animi* conjicit Crevierius. Ceterum 'opinio' hic est fama, existimatio, et is 'opinionem animi ingrati habere' dicitur, qui existimatur ingratus esse. Supra XLIII. 1. 'Omnia iis sua concessit, ut opinione clementiæ eos, qui Carnuntem munitam urbem incolebant, alliceret.' Cæsar B. Gall. VII. 59. 'Bellovaci, quæ civitas in Gallia maximam habet opinionem virtutis, instabant.' Cic. de Offic. II. 11. 'Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio justitiæ necessaria est: eoque magis, quod, si eam non habebunt, injusti habebuntur.' Justin. XII. 8. 'Bellum jam pridem, audita Alexandri opinione, in adventum ejus parabat.'

§ 7 *Literni sepulcrum ostendi. Erubescamus, gloria si par*] Et hæc male sani coloris. Conjiciebam, *satis insuper nos in P. Africano, Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africæ, Literni sepulcrum ostendi, erubescimus. Gloriane par illis viris L. Paullus injuria etiam vestra exæquabitur?* Vel *et injuria vestra.* J. F. Gron. Edd. antiquiores in eo differunt a recentioribus, quod paullo ante præferant *satis insuper vobis* sine præpositione, quam demum in edd. Gronovii additam notavi: et recte. Præcessit enim 'Satis peccatum in Camillo a majoribus vestris.' In reliquis verbis hujus periodi nihil mutandum censuit Jac. Perizonius, ad marginem Livii monens, *τὰ fuisse* et *ostendi* sibi esse quasi ablativos, indicantes qua in re peccatum sit. Conjectura Gronovii etiam Crevierio placere non potuit, qui maluit locum intactum relinquere, addita tantummodo nota admirationis, ut hic sensus esse intelligatur: quam pudendum nobis est, 'Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africæ! Literni sepulcrum ostendi!' Non raro autem integrum orationis membrum per vehementem adfectum subprimi, docuit adlato loco Virgil. Æn. I. 97. 'Mene Iliacis occumbere campis Non potuisse!' Neque mihi persuaderi potest, Livium in prima parte horum verborum dedisse *satis insuper nos,* pro *a vobis,* quia præcessit 'Satis peccatum in Camillo a majoribus vestris.' Si enim hic *nos* maluisset, ibi etiam *a majoribus nostris* dedisset. Prima hac emendatione rejecta, pleræque reliquæ in seqq. vocibus sponte cadunt.

§ 9 *In ingrata et inimica bonis civitate*] Præpositio *in* exsulat ab ed. principe; quam Frob. 1535. adposuit. Potuit autem excidisse ob syllabam initialem vocis seq. Vide ad VIII. 33. § 6. Potest tamen etiam prisca lectio servari, et per ellipsin participii verbi substantivi intelligi: de quo vide ad IV. 47. § 7. et XXII. 31. § 5.

§ 11 *Sic non M. Curius tantum*] *M'. Curius,* ut ante. *Sigon. M'. Curius* vocatur in Fastis Capitol. Triumphal. ad a. IↃLXXVIII. et idem prænomen genti Curiæ familiare est. Vide ad XXXII. 7. § 8. ubi etiam ante Sigonium pari errore *M.* pro *M'.* edebatur. Passim librariorum inscitia M'. Curii, qui Pyrrhum devicit, prænomen apud omnes fere auctores, ejus mentionem facientes, corruptum esse, monuit Pighius in Annal. ad a. IↃLXIII. p. 403. Perperam *T. Curius* vocatur apud Quinctil. Instit. VII. 2. 607. Sed ibi prænomen, quod Voss. 2. omittere, neque in ed. Obrechti comparere Burmannus monuit, delendum videtur. Passim prænomina

'Manius' et 'Marcus' commutari, vidimus ad XXVII. 25. § 2.

§ 12 *Triumphum nomine cient*] Hoc est id, quod Varro scribit libro de Lingua Latina v. 58. quod milites, cum imperatore redeuntes, per urbem in Capitolium euntes, clamitaverint *Io Triumphe*. Itaque Horat. Od. IV. 2. 50. 'Non semel dicemus, Io triumphe, Civitas omnis.' *Sigon.* De adclamationibus militum in triumpho vide Brisson. de Formul. IV. p. 351.

§ 13 *Et tamen tum quoque se absentes*] Constanter vetustæ edd. *et tamen suum quoque se absentes:* pro quo vir doctus ad marginem ed. Curionis adscripsit, legendum videri, *et tamen per suum quoque imperatorem se absentes.* Quod nunc exstat vulgo, demum inveni in postrema Gruteri ed.; idque verius esse videtur.

§ 14 *Vos certe victores conspici velle debebatis*] Insulsam hanc et ingratam repetitionem vocat Crevierius; neque credere potest, hæc sic a Livio sine ulla necessitate, sine ullo lepore inculcata esse. Quare vel totum delendum, vel alio rejiciendum putat: quonam tamen apte transferri possit, non satis certo reperit. Ego hic nihil Livio indignum video. Modo dixerat, milites nihil aliud respondere posse, quam se triumphantes videri velle. Hic vero addit, si id non responsuri essent, certe, id est minimum, saltem, eos decere, ut victores conspici, et spectatorum oculis in sollemni tali pompa notari vellent.

CAP. XXXIX. (XL.) § 1 *In urbem cum liberis abducto*] *Adducto* Perionium in concionibus Livianis edidisse, auctor est Hearnius. Similiter quoque vir doctus ad oram ed. Curionis scribendum conjecit. Sed male. Vide ad XXXIX. 12. § 3.

§ 3 *Gentium, quam Persea, duci in triumphum mavultis*] Sueton. Cæs. c. 80. 'Gallos Cæsar in triumphum ducit, idem in curiam.' Sed non minus insolens est, quam hoc lib. c. 43. 'Transtulit in triumphum multa militaria signa.' Infra c. 42. 'Ceteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit.' Vell. I. 9. § 5. 'Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit.' II. 12. § 1. 'Kalendis Januariis eum in triumpho duxit.' Et Plinius H. Nat. V. 5. VII. 43. XVIII. 3. *Duk.*

§ 4 *Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet*] Teste Hearnio, Perionius in concionibus Livianis edidit, *quid dein de tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet.* Ita locutus est Terent. in Ad. V. 9. 39. 'Quid de fratre fiet?' et Cic. ad Fam. XIV. 4. 'Sed quid de Tulliola mea fiet?' ubi tamen quidam codd. et edd. præpositionem omittunt: in Fragm. orat. pro Vareno apud Quinctil. Instit. V. 13. 'Varenum vinctum adservatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet.' Verum minus hæc lectio placet, quod me alibi 'spolia prædæ' legere non memini. Gronov. ad Livii XXVII. 16. § 8. emendat *quid deinde tam opima præda*, idque genus loquendi quum Livio, tum aliis scriptoribus in usu fuisse docuit: neque aliter præfert postrema Sigonii ed., eamque emendationem Crevierius probavit. Nec mihi hæc conjectura displiceret, si libri faverent. Nunc vero, quum princeps ed., ex unico cod. expressa, *opimæ prædæ* servet, nihil mutare audeo. Non modo enim antiqui dixerunt *quid me fiet*, sed etiam *quid mihi.* Ovid. Her. XIV. 120. 'Quid fiet sonti, si rea laudis agar?' et Art. Am. I. 536. 'Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait. Quid mihi fiet? ait. Sonuerunt cymbala toto Litore, et adtonita tympana pulsa manu.' Vide Malaspin. ad Cic. ad Att. VI. 1. Et ita Ciceronem non tantum 'quid faciatis hoc homine,' sed etiam 'quid faciatis huic homini' dixisse, ex-

emplis probat Mannt. ad Cic. in Verr. I. 16. Aliquoties Livius hac locutione usus est; sed plerumque ambiguum est, utrum tertium, an sextum casum addiderit. Vide ad II. 31. § 8. XXVII. 16. § 8. et XXXIV. 32. § 8.

§ 6 *Ubi victori populo ostendetur*] *Ostenditur* omnes typis impressi ante ultimam Gruteri ed.; quæ prima *ostendetur* exhibuit; quomodo etiam vir doctus ad marginem ed. Curionis conjecit. Eaque conjectura vera esse videtur.

§ 8 *Ad hoc fecimus consulem, ut bellum, per quadriennium*] *Ad hoc*, est 'ob hoc,' 'ideo,' 'propterea.' Vide ad XXXVII. 27. § 5. Alii etiam *in hoc* dixerunt. Vide Burm. ad Phædri V. Præf. vs. 2. Præterea legendum videtur *per triennium*. Vide Sigon. c. 41. § 5. Mox *ingenti etiam pudore nostrum* ed. princeps, pro quo recte *pudore nostro* substituit Frob. 1535.

§ 10 *Diis quoque enim, non solum hominibus, debetur. Utrum majores vestri*] Scribe *Diis quoque enim, non solum hominibus, debetur triumphus. Majores vestri.* Vide ad XXXVIII. 48. *J. F. Gron.* Quanta festinatione in Livio versatus fuerit, hic etiam Doujatius testatum reliquit. Parum enim interesse opinatus est, utrum addatur nomen *triumphus*, quod vult Sigonius, (ei enim hanc conjecturam adscribit, quæ est Gronovii) an subintelligatur e proximo *honor;* non, adtendens Gronovium non simpliciter nomen *triumphus* addidisse, sed substituisse voci *Utrum;* quæ hic commodum sensum non recipit, et in contextu tamen supererit, si ex proximo tantum *honor* subintelligamus. Oportuerat, ut docuisset qua ratione illud *Utrum* eo casu intelligendum foret.

Et finem * *cum statuerunt*] Tolle asteriscum: locus est sanus atque integer. *Finem statuerunt* rerum gerendarum *cum*, nempe Deos, mentionem et venerationem Deorum. Cicero Famil. lib. VI. c. ult. 'Cum consilii tui bene fortiterque suscepti eum tibi finem statueris.' ad Att. Ep. VII. 12. 'M. quidem Lepidus (nam fuimus una) eum finem statuit: L. Torquatus eundem.' Vide ad I. 44. et XXIII. 28. *J. F. Gron.* Primæ edd. et quæ Sigonii nomen præferunt, asteriscum non agnoscunt. Eum Vascos. primus margini e regione harum vocum adposuit; Gryphius 1548. in contextu post vocem *statuerunt* recepit, Curio ante voces *et finem*. Eum autem reliqui, præter Sigonium, secuti sunt usque ad Gruterum, cujus ultima ἔκδοσις post easdem voces recepit, unde nunc recte Gronovius abegit.

§ 11 *Paludatis lictoribus, in provinciam*] Scribe *paludatus cum lictoribus*, uti dictum. *J. F. Gron.* Vide Gronov. ad XLI. 10. § 5. Similiter autem Perionium in concionibus Livianis edidisse, auctor est Hearnius.

§ 12 *Quas traducendas in triumpho vindicavit*] Libenter legerim, et prope ambitiose *in triumphum dicavit*. Turneb. Adv. XI. 18. Si *in triumphum dicavit* scribatur, et sententiæ satisfiet, et ingenua quædam liberalisque antiquitatis indoles apparebit. *Turnebus*, Adv. XVI. 20. *In triumpho judicavit* in Modiana prima video. Frobenius, Aldus, Gryphius, Curio *vindicavit*, Turnebus *in triumphum dicavit*. Videtur scripsisse *quas traducendas in triumpho locavit*. Solebant enim et his apparatibus præbenda locari. *J. F. Gron. Judicavit* jam ante Modium editum vidi in ed. Sigonii secunda, omnibusque inter illam et Modianam mediis. Gronovius in prima ed. nott. malebat *quas traducendas in triumpho dicavit;* quod deinde Donjatius probavit. Ita censeri posset lectio quæ vulgo exstat nata esse ex junctis duabus lectionibus *in triumpho* et *in triumphum*, quas librarius hoc modo junxisset *in triumpho, um, dicavit*, et ex *um*

dicavit postea natum esse *uindicavit*. Sed præfero cum Gronovio *in triumpho locavit*.

§ 13 *Utrum hominum voluptatis caussa, an Deorum hominumque*] Hæc non sincera esse, cuivis patet. Crevierius legendum conjicit *non hominum voluptatis caussa, sed Deorum honoris*. Sed veriorem medicinam ab integriore codice exspectandam censeo.

§ 14 *Citra flumen relinquentur*] Olim edebatur *circa flumen;* cujus loco Gronovius in prima ed. nott. conjecit *citra*, idque in contextum adoptavit. Quod licet deinde servatum sit, ipsa tamen viri maximi adnotatio, incertum quam ob caussam, omissa est. ‘ Citra’ et ‘ circa’ alibi a librariis commutata sunt ; vide ad XXI. 48. § 6.

§ 15 *Et tu, centurio, miles, quid de imperatore Paullo senatus decrevit*] Legimus, *At tu, centurio, miles, quid de imperatore Paullo senatus decrerit potius, quam quid Serv. Galba fabuletur, audi: et hoc dicentem me potius, quam illum, audi.* J. F. Gron. Optime hic Gronovius *At tu, centurio,* et *decrerit*. Voculæ *et* atque *at* sæpe a librariis confusæ sunt ; vide ad XXXVI. 35. § 7. *Decrerit* legendum esse, evincit subsequens *fabuletur*. Censeri posset olim scriptum fuisse *decrev'it*, id est *decreverit*, et inde factum esse *decrevit*, omissa compendiariæ scripturæ nota: sed malo *decrerit* contracte, ut *decresset*, de quo vide ad II. 37. § 8. ita *liberarimus*, pro *liberavimus*, emendatum ad XXXIV. 32. § 8. ubi plura vide. Caussa similium errorum fuit similitudo literarum *r* et *v* in scriptura Longobardica. Hinc factum, ut in Mss. confundantur voces ‘ erectus’ et ‘ evectus ;’ vide ad II. 21. § 6. ‘ vivi’ et ‘ viri ;’ vide ad IV. 59. § 8. ‘ juret’ et ‘ juvet ;’ vide ad VI. 35. § 9. ‘ vocare’ et ‘ rogare ;’ vide ad XXV. 4. § 9. ‘ invidens’ et ‘ inridens ;’ vide ad Epit. Liv. lib. LV. ubi alia habebimus exempla. Non male etiam *et hoc dicentem*, pro *et hoc dicere*, emendavit. Forte olim scriptum fuerat *dicẽtẽ*, unde minima mutatione fieri potuit *dicere*. Crevierius facile pati posset, recidi hæc verba *hoc dicere*, tamquam nec satis clara, et inutilia.

§ 16 *Et ipsum maledice*] Frobenius ex cod. scripto *et ipsud maledice*. Scribe *et ipsum id maledice*. J. F. Gron. *Et ipsum* primum inveni in ed. Vascosani : pro quo Gronov. priori ed. nott. se *et id ipsum* in ed. Aldina reperisse testatus est; vir doctus autem ad marginem ed. Curionis *et hoc ipsum* scribendum conjecit. Sed principis ed. vestigia probant rectius in secundis curis Gronovium *et ipsum id* restituisse. Vide ad II. 43. § 4.

Insigne corpus honestis cicatricibus, &c.] Plutarch. in Æmil. p. 272. Περὶ στρατηγίας καὶ θριάμβου τολμᾷ λέγειν ἄνθρωπος ἄτρωτος, καὶ τῷ σώματι στίλβων ὑπὸ λειότητος καὶ σκιατραφίας, πρὸς ὑμᾶς τοὺς τοσούτοις τραύμασι πεπαιδευμένους ἀρετὰς καὶ κακίας κρίνειν στρατηγῶν. Ubi forte ratio exigere videtur, ut legamus πρὸς ἡμᾶς τοὺς τοσούτοις.

§ 20 *Revocate, si videtur, tribuni, ad suffragium tribus ; ego ad vos, milites*] Intercidit finis orationis, qua usus est M. Servilius pro triumpho Paulli. Qui tamen finis est apud Plutarchum in Æmil. p. 272. his verbis: ἀλλ' ἄγε λαβὼν αὐτοὺς ἐπὶ τὴν ψῆφον· ἐγὼ δὲ καταβὰς παρακολουθήσω πᾶσι, καὶ γνώσομαι τοὺς κακοὺς καὶ ἀχαρίστους, καὶ δημαγωγεῖσθαι μᾶλλον ἐν τοῖς πολέμοις, ἢ στρατηγεῖσθαι βουλομένους. Id est, *Revoca ipsos ad suffragium ; ego vero illos omnes subsequar, et malos ac ingratos cives cognoscam, quique in bellis a tribunis, quam ab imperatore, regi malunt*. Excidit præterea initium expositionis triumphi Paulli, quem per triduum egit, IIII. III. prid. Kal. Dec. ut est scriptum in triumphis Capitolinis, de quo triumpho in sequentibus proximis verbis traditur. *Sigon.* Plutarchi locum transtulit hic Sigonius parum commode : Ἐγὼ δὲ καταβὰς παρακο-

λουθήσω πᾶσι vertendum, *ego autem descendens* (puta templo, vel e loco superiori, unde concionabatur) *comitabor singulos:* nempe in suffragium euntes, quasi rogator, diribitor, custos. Ex more, quem significat Cicero Post Redit. in Senat. c. 7. 'Affinem tuum, quem comitiis prærogativæ primum custodem præfeceras.' Item cap. 11. 'Quando illa dignitate tot rogatores, diribitores, custodes, vidistis?' In Pison. c. 5. 'Ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam prærogativæ.' Rursus cap. 15. 'Vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum, et, quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis vel ætatis excusatione vel honoris, id in salute mea, nullo rogante, vos vestra sponte fecistis.' Pertinet eodem Plinii l. XXXIII. c. 2. 'Nongenti vocabantur ex omnibus (equitibus) selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis.' Γνώσομαι est *distinguam, notabo.* Δημαγωγεῖσθαι autem hic non est *ab tribunis regi,* sed sic regi, ut solet plebs ab tribunis, hoc est, per ambitionem, et prava indulgentia. Dicit ergo Plutarchus, 'in bellis coli, quam regi;' vel 'ambitiose, quam sub imperio et disciplina haberi.' *J. F. Gron.*

Cap. XL. (XLIII.) § 1 *Sestertium millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit*] Paterculus I. 9. habet *bis millies centies H-S.* De hac item summa Plinius XXXIII. 3. 'pondo trium millium auri,' &c. *Ursin.* Velleius I. 9. auget summam, scribitque contulisse Paullum ærario 'bis millies centies.' Testatur Cicero de Offic. II. 22. omni Macedonum gaza potitum Paullum, tantum pecuniæ ærario invexisse, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum: ut credibile sit, neminem unum ante hunc egisse opulentiorem triumphum. At bis millies L. Scipio, devicto Antiocho, intulerat, ut ipse tradit Livius XXXVIII. 55. Quare utrumque laborare mendo, sed ita, ut alter ex altero juvari possit, existimabam, scribendumque utrobique *bis millies ducenties.* Sunt quinquagies quinquies centena millia Philippum. Sed hoc occupavit Lipsius. Plinio ter millies est. Suidæ sena millia talentum. Sed vide ad Plinium XXXIII. 3. *J. F. Gron.* Puto respicere Gronovium ad locum Lipsii de Magnit. Rom. II. 8. *Duk.* Latinius *bis mille centies;* vitiose, pro *bis millies centies:* ut veriorem putarit summam, expressam a Velleio Pat. I. 9. ad quem eumdem Velleii locum Lipsius, Velleio præeunte, apud Livium emendat *H-S. bis millies.* Eadem, atque ad hunc locum notat, jam olim observavit Gronov. in prima ed. commentarii de Sestertiis p. 103. nisi quod insuper *sestertii,* pro *sestertium,* malebat. Idem vero ad Plinii XXXIII. 3. in Livio et Velleio legendum censet *bis millies trecenties.* De vera lectione Velleii nunc non disquiro; verum, utrum emendatio Gronovii Liviana recipi debeat, admodum dubito. Livius enim hic ostendit Valerium Antiatem in edenda omnis captivi auri argentique translati summa errasse, et ex numero plaustrorum ponderibusque auri et argenti generatim ab ipso scriptis haud dubie majorem aliquanto summam, quam millies ducenties sestertium, effici. Summa igitur pecuniæ, quam Valerius Antias memoravit, differre debet ab ea, quam revera Paullum transtulisse alii scriptores retulerunt: et quidem ea minor esse debet: unde forte verius, *sestertium millies ducenties* servandum. Mecum sentit Crevierius. Si ad nos pervenissent in superiori lacuna amissa Livii verba, quibus inter alia ex sua sententia retulisse videtur, quantum pecuniæ ab Æmilio Paullo vere in ærarium inlatum sit, certius de horum verborum scriptura dijudicari potuisset.

Quæ haud dubie major aliquanto sum-

ma] Lege *qua haud dubie*. J. F. Gron.

Ex numero plaustrorum] An ergo ex vehiculorum multitudine pecuniæ summa exacte cognosci potuit? Taceo, Plutarchum in descriptione hujus triumphi docere, non plaustris vectam, sed ab aliquot millibus hominum ἐν ἀγγείοις, in vasis portatam esse omnem illam auri atque argenti vim. Quid si legas *Philippeorum*? quorum mentio cum in omnibus Græcis Asiaticisque triumphis fieri solet, tum præcipue in Macedonicos convenit. Certe Quintius, devicto Philippo, ejus nominis numismatum XIV. millia et DXIV. in triumpho transtulit, lib. XXXIV. cap. 52. Scipio ex Asia CXL. millia, XXXVII. 59. Fulvius ex Græcia XII. millia et amplius, XXXIX. 5. Cn. Manlius Vulso iterum ex Asia ultra XVI. millia, XXXIX. 7. Romam deportavit. Numquam vero in illorum vel aliorum triumphis videas summam pecuniæ subduci et colligi *ex plaustrorum numero*. Jac. Perizon. Verissimam reor hanc τοῦ *plaustrorum* accusationem: genuinum quoque acumen in reponenda mente Livii. Ceterum suppositicia vox videtur indicare, originem suam inde venisse, quia scriptum fuit *ph. aureorum*, quod explicandum per voces *Philippeorum aureorum*, ut sic scripserit nunc Livius, quomodo alibi. Vide ad XXXIX. 7. *Jac. Gronov.* Satis probabilis est conjectura Perizonii. Sed cum ea parum convenire videtur, quod deinde in Dissert. de Ære Gravi § 23. scripsit, pecuniam vel aurum illud et argentum, quod Servilius c. 39. in præda Macedonica fuisse dicit, in ponderibus auri et argenti constitisse, vel certe iis æstimatum fuisse. Nam si hic legendum est *Philippeorum*, apertum est pecuniam ab auro et argento distingui, et 'numerum' ad Philippeos, 'pondera' ad aurum et argentum pertinere; nec pecuniam, sed aurum et argentum non signatum æstimatum fuisse, ut ad rationes et summam pecuniæ signatæ redigi posset. *Duk.*

Ponderibusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis] *Speciatim* refingendum esse, conjicit Pighius in Annal. ad a. IↃLXXXVI. p. 386.

§ 2 *Quum Samothracen peteret*] *Samothracem* priores edd. quod ferri nequit; sed mutandum est vel in *Samothracam*, vel in *Samothracen*. Posterius Jac. Gronovius adoptavit. Vide ad Epit. h. lib.

§ 4 *Ipse postremo Paullus*] Crevierius hic ordinem narrationis a librariis corruptum esse credit. Secundo enim die translatum fuisse aurum et argentum: tertio Perseum et captivos ante currum victoris ductos esse. Verisimile igitur non esse, Livium post mentionem Persei factam, antequam de Paullo, qui proxime sequebatur, diceret, reliquisse descriptionem incedentis pompæ, ut de summa auri argentique captivi, quod pridie translatum fuerat, et de divitiis Persei dissereret, ac tum denique ad Paullum reverteretur. Ob hanc igitur caussam, totam periodum, 'Ipse postremo Paullus, &c. suis quæque ordinibus,' præcedere debere priorem, 'Summa omnis captivi auri, &c. bellare cum Romanis cœpit.'

Filii duo, Maximus et P. Scipio] *Q. Maximus et P. Scipio*. Neque enim alter prænomine spoliandus est, alter ornandus. *Sigon.* Vide ad IV. 49. § 1.

§ 5 *Pediti in singulos dati centeni*] Deest vox *denarii*. J. F. Gron. Recte. 'Denariorum' enim in hac re passim circa hæc tempora mentio exstat. Vide XXXVII. 59. l. XXXIX. capp. 5. 7. XL. 43. l. XLI. capp. 7. 13. et hoc lib. c. 43. quum olim, antequam tam opulentæ victoriæ spolia reportabantur, tantum nummi ærei memorarentur. Vide XXXIII. 23. XXXIV. 52. et alibi. Caussa omissæ vocis esse potest, quod per notam *X* scripta fuerit, quam librarius adsecutus non est. Vide simile exemplum ad VII.

16. § 9. et apud Harduin. ad Plin. VIII. 82.

Tantum pediti daturum] Scribendum, quod et Mureto visum, *alterum tantum pediti daturum fuisse credunt, et pro rata aliis :* nempe pediti ducentos, centurioni quadringentos, equiti sexcentos. *J. F. Gronov.* Vide ad I. 36. § 7. Vir doctus ad marginem ed. Curionis adscripsit forte legendum esse *duplex tantum pediti.* Verum ita ambiguum est, utrum intelligatur duplex ejus, quod pediti ; an ejus, quod equiti dedit. Gronov. priori ed. nott. malebat *tantumdem pediti.* Doujatius nihil mutabat, et *tantum* pro ' tantumdem ' positum accipiebat. Et ita fere Jac. Perizon. qui voces *tantum pediti* exponit quantum equiti datum est, nempe trecentos denarios. Crevierius Mureto et Gronovio consentientibus adsentitur.

Benigne, hac ipsa summa nunciata, adclamassent] Scribendum, quod item Muretus vidit, *hac ipsa summa pronunciata.* Cicero pro Cluent. cap. 29. ' Suppressam esse ab eo pecuniam, quam pro reo pronunciavisset.' Suetonius Julio c. 19. ' Nummos de suo communi nomine per centurias pronunciaret.' Et infra c. 26. ' Munus populo epulumque pronunciavit in filiæ memoriam.' *J. F. Gron.* Adsentior Gronovio *pronunciata* emendanti. Livius XXI. 45. ' Vocatis ad concionem certa præmia pronunciat, in quorum spem pugnarent:' ubi quædam vide. Adde Grævium ad Cic. pro Cluent. c. 29. *Pronunciata* præfert etiam ultima Sigonii ed. 1592. eamdemque lectionem Crevier. probavit.

§ 7 *Minor, &c. quinque diebus ante triumphum, major, &c. triduo post triumphum decessit*] Contra scribit Plutarchus, majorem ante triumphum, minorem post triumphum decessisse, in Paullo p. 274. et in Apophthegmatis p. 198. *Sigon.* Alius etiam dissensus a verbis Livii notari potest in posteriori loco Plutarchi, qui narrat, majorem filiorum Æmilii quinque diebus ante triumphum paternum, minorem totidem diebus post eum actum obiisse. Neque Livio consentit Appian. qui refert alterum filiorum tribus ante triumphum, alterum quinque diebus post eum mortuum esse, in Exc. Peiresc. p. 565. Τοὺς δὲ νεωτέρους ἄμφω συνέβη, τὸν μὲν πρὸ τριῶν ἡμερῶν τοῦ θριάμβου, τὸν δὲ μετὰ πέντε ἀποθανεῖν.

Quos prætextatos curru vehi cum patre, &c. oportuerat] Cum patre ergo curru vecti non sunt. Erravit igitur Eutrop. IV. 8. tradens Paullum magnificentissime in curru aureo triumphasse, ' cum duobus filiis, utroque latere adstantibus.' Nisi cum his prætextatis, et ante et post triumphum mortuis, confundat in adoptionem datos, quos tamen non in curru paterno adstitisse, sed inter alios inlustres viros currum ejus secutos fuisse, Livius supra narravit.

CAP. XLI. (XLIV.) § 1 *Et quod duo fulmina*] Scribe *et quæ duo fulmina domum meam per hos dies perculerint.* J. F. Gron. Caussam hujus emendationis Gronovius habuisse videtur, quoniam locutionem *scio,* vel *ignoro quod* ævi Liviani esse non putarit. Vide ad III. 52. § 2. Conjecturam ejus probat etiam Crevierius. Librarios voces *quod* et *quæ* sæpius commutasse, vidimus ad XXXVII. 35. § 3.

§ 3 *Classem a Brundisio, sole orto, solvi ; nona diei hora, &c.*] *A Brundisio* hic, ut alibi semper ultimis Livii libris, primi editores ex unico cod. vulgarunt. Vide ad XLII. 17. § 2. Eam scripturam Clericus semper servavit, præterquam hoc loco, et XLIV. 19. § 3. ubi non probanda inconstantia *Brundusio* et *Brundusii* edidit. Ejus exemplum Crevierius imitari non debuisset. Ceterum his, quæ Livius Æmilium dixisse refert, convenit ejusdem Æmilii oratio apud Plutarch. ej. vit. p. 274. et apud Appian.

in Exc. Peiresc. p. 565.

Pro me, exercitibusque, et classibus lustra sacrificavi] Primum hoc dicam, 'sacrificare lustra' me nusquam legisse; deinde, de lustratione exercitus intelligi non posse; non enim adhuc acceperat exercitum, ergo ne lustrare quidem poterat. His rationibus adductus lego *pro me, exercitibusque, et classibus vestris sacrificavi.* Hoc ita esse ostendit Plutarchus, qui ita hunc locum vertit in Æmil. pag. 274. Πεμπταῖος δ' ἐκεῖθεν ἐν Δελφοῖς τῷ θεῷ θύσας, ἑτέραις αὖθις πέντε τὴν δύναμιν ἐν Μακεδονίᾳ παρέλαβον, καὶ τὸν εἰωθότα συντελέσας καθαρμὸν αὐτῆς. Quibus ex verbis apparet lustrationem non Delphis, sed in castris, ab eo esse susceptam, ubi accepit exercitum. Delphis autem Apollini ab eo esse sacrificatum. *Sigon.* Simpliciter etiam se Delphis Apollini sacrificasse, inquit Æmilius apud Appian. in Exc. Peiresc. pag. 566.

§ 4 *Inter præsidia ejus saltum ad Petram evasi*] Vide ad XLIV. 32. § 9. Doujatius se non satis capere professus est, quid sit 'evadere saltum ad Petram:' et hinc legendum conjecit *inter præsidia ejus et saltum ad Petram evasi;* nisi, ut addit, velimus intelligi Æmilium inter media regis Persei præsidia saltum, qui ad Petram erat, evasisse, sive e saltu et montibus Perrhæbiæ incolumem exisse, et in Macedoniam descendisse: quod posterius omnino verum est. Quid sit 'evadere inter præsidia,' patet ex illis quæ notantur ad XXXV. 11. § 10. 'Evadere saltum' ut II. 65. 'Quo leviores ardua evaderent, cursu subeunt.' VII. 36. 'Jam evaserat media castra.' XXI. 32. 'Raptim angustias evadit.' XXXVIII. 2. 'Cupientem, si se sequerentur, raptim evadere angustias.' Silius l. XII. vs. 502. 'Hesperio quum clausos milite colles Evasi victor:' qui in hac locutione multus est. Vide notata ad Silii XVI. 522. A. Perizonius quoque in hoc loco hæserat, et in margine exemplaris sui vel *pervaserat* scribendum conjecit, vel *inter præsidia ejus per saltum ad Petram evasi.* Sed recte, paternas conjecturas sibi displicere, Jac. Perizonius adscripsit.

§ 5 *Quod bellum per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt*] *Per triennium tres ante me consules* lege: tres enim tantum fuerunt, P. Licinius Crassus, A. Hostilius Mancinus, Q. Marcius Philippus. Labes hæc quanto facilius elui potest, tanto fœdior est, cum præsertim tot ante annos a nemine aguita hunc locum depravarit. *Sigonius.* Si emendatio hæc Sigonii vera est, quæ verissima esse videtur, eadem medicina etiam Livio adhibenda est cap. 39. 'Ad hoc fecimus consulem, ut bellum per quadriennium ingenti etiam pudore nostro tractum perficeret:' ubi itidem *per triennium* legendum est. Vide etiam Crevier. qui hunc errorem non a Livio esse credit, sed a corruptore.

§ 6 *Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus secutus*] Doujatius vel *secutus* refert ad præcedens 'perfeci,' ut cohæreant 'perfeci, secutus proventus:' vel legendum censet, *Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus secuto civitates omnes Macedoniæ se dediderunt.* JCto, ad res et subtilitates juris adtendere solito, hic minutiæ grammaticorum fraudi fuerunt, eique tantas tenebras obfuderunt, ut videre non potuerit, verbum substantivum *est* per ellipsin subintelligi. Id tamen sæpe alias, ubi facile intelligitur, non exprimi, discere poterat ex Gron. ad Liv. XXVIII. 46. § 15. Voce *proventus* pari sensu, quo Livius hoc loco, usus est Orosius IV. 20. 'Plurima præterea et satis diversis proventibus bella multarum ubique gentium gesta sunt.'

§ 11 *Ab alterius funere filii currum ex Capitolio propejam exspirantem veni*] Loquitur de filiis suis Paullus, quorum alter ante triumphum, alter post

triumphum, ut diximus, decessit. Fœdata autem mirum in modum verba omne hujus sententiæ lumen aut sustulerunt, aut certe obscurarunt. Sic igitur legendum censeo: *ab alterius funere filii curru ex Capitolio ad alterum prope jam exspirantem veni:* satis jam perspicua menda est. *Sigonius.* Scribo *filii in currum:* et distinguo sic. Antequam currum triumphalem ascenderet, alterum se amisisse e liberis dicit; alterum, acto jam triumpho: quod consonat historiæ. *Turneb.* Advers. XVI. 20. Videtur ex historia legendum, *ab alterius funere filii curru in Capitolium; ad alterum ex Capitolio prope jam exspirantem veni.* Nisi ita legamus, sententia non constabit, locusque remanebit mutilus et mendosus ex oscitantia librarii, qui deceptus videtur ob vocem *Capitolii* a Livio bis positam. *Ursin. Curru ex Capitolio ad alterum prope* fabricavit Sigonius. Liber unicus *funere filii curru ex Capitolio prope.* Turnebus *in currum.* Sed non placet 'venire in currum.' Hujusmodi quid desideratur: *ab alterius funere filii currum escendi, ad alterum ex Capitolio prope jam exspirantem veni.* Fulvius, *curru in Capitolium, ad alterum ex Capitolio.* J. F. Gronov. Qui primus hanc operis Liviani partem edidit, locum hunc mutilum esse, adposito in margine asterisco, indicavit. Vir doctus in ora ed. Curionis conjecit, *ab alterius funere filii curru ex Capitolio prope ad jam exspirantem alterum veni.* Gronovius in prima ed. nott. Turnebi conjecturam probavit, quam recte postea rejecit. Nihil verius videtur Ursini emendatione, quam et Latinius adoptavit. Optime autem idem Ursinus monuit, repetitionem vocis *Capitolii* oscitanti librario erroris causssam fuisse. Vide ad IX. 11. § 11. Hinc patebit vocis *currum,* ut habet unicus codex, ultimam literam natam esse ex seq. vocula *in.* Ejectæ igitur Sigonii conjecturæ, quam is in contextum recepit, substitui supplementum Ursini, verum uncis circumscriptum, et alia characterum forma exaratum, ut a verbis Livianis distinguatur. Similiter fere Crevierius, nisi quod ordine mutato dederit *curru in* [Capitolium], *ex Capitolio* [ad alterum] *prope jam exspirantem veni.* Quod cur minus placeat, colligi potest ex dictis ad hujus lib. c. 38. § 4.

Paulli in domo, præter se, nemo superest] Donjatius conjicit *præter me,* nempe ipsum Paullum, qui loquitur: quod convenire non videtur, quia Paullus non 'in domo mea,' sed de se in tertia persona verba faciens inquit 'Paulli in domo.' Vulgatum defendi posset, dicendo *præter se* hic poni pro 'præter ipsum;' quo modo *se ortum* Gronovius ἀντὶ τοῦ *ex ipsis ortum* accipiendum docuit ad II. 6. § 2. Verior tamen videtur ingeniosa conjectura, quam vir doctus proposuit in Miscellan. Observ. tom. I. p. 150. quarumdam literarum duplicatione legendum esse *Paulli in domo præter senem nemo superest.* Primæ literæ vocis *nemo* eliserant ultimas τοῦ *senem.* Ita non tantum dicet Paullus, unum se familiæ suæ superesse, sed insuper ejus ætatis esse, ut damnum reparare, aliisque liberis procreandis operam dare non possit.

CAP. XLII. (XLV.) § 3 *Denarios septuagenos quinos*] Ita recte Gronovius edidit. Omnes priores legunt *septuogenos quinque;* vide ad XXXII. 28. § 11.

§ 5 *Bitis, regis Thracum filius*] Omnino scribendum videtur *Bitys,* vel potius *Bithys.* Ita enim Zonaræ vocatur Annal. IX. 24. Ἔπεμψε δὲ καὶ Βίθυν, τὸν τοῦ Κότυος υἱὸν, τόν τε Πέρσεα καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, τούς τε παῖδας τρεῖς ὄντας, ἐν τῷ τῶν αἰχμαλώτων σχήματι. Et paullo post, Τῶν δ' ἁλόντων τῷ πατρὶ μὲν ὁ Βίθυς προῖκα ἐδόθη. Fuit autem hoc nomen in Thracia jam tempore mythico usitatum.

Certe memorantur Βίθυαι, ἔθνος Θρᾳκης, ἀπὸ Βίθυος, τοῦ Ἄρεος καὶ Σήτης, τῆς Ῥήσου ἀδελφῆς. Vide Steph. Byz. ea voce. Idem Stephan. in voce Βιθυνία memorat mulierem Θρᾴκην, ἣ ἐκ μὲν Διὸς ἔσχε Βίθυν, ἐκ δὲ Κρόνου Δόλογκον. Quo loco Holsten. legendum monet Βιθυνὸν, quia Stephanus inferius in voce Δόλογκοι Bithynum Dolonci fratrem vocat, et Arrian. apud Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 793. Bithynos a Bithyno dictos ait. Addere potuisset, eodem loco apud Stephan. præcedere Βιθυνία, πρὸς τῷ Πόντῳ χώρα, ἀπὸ Βιθυνοῦ τοῦ Διὸς καὶ Θρᾴκης τῆς Τιτανίδος. Sunt tamen quæ ejus emendationem dubiam faciant. Arrianus enim apud Eustath. Bithynum fratrem fuisse dicit Thyni, eosque patrem habuisse vel Phinea regem, vel Odrysum; quod Stephani narrationi non convenit. Accedit vulgatam lectionem apud Steph. defendi testimonio Appiani in Mithrid. p. 171. Ἕτεροι δὲ [νομίζουσι,] Βίθυν ἄρξαι πρῶτον αὐτῶν, παῖδα Διός τε καὶ Θρᾳκης, οὓς ἐπωνύμους ἑκατέρᾳ γῇ γενέσθαι. Quid igitur, si apud Stephan. in voce Βιθυνία potius ἀπὸ Βίθυος, pro ἀπὸ Βιθυνοῦ, in voce Δόλογκοι autem τοῦ ἀδελφοῦ Βίθυος, pro Βιθυνοῦ, legamus?

§ 6 *Legati ab Cotye rege Thracum venerunt*] Sic Græci Κότυν. Apud Ciceronem tamen in Pison. c. 34. de rege ejusmodi est, *regi Cotto*, credo per mendum, pro *Coti*. Sigon. Vide quæ notantur ad Livii I. 3. § 8. et Burm. ad Vell. Pat. II. 129. § 1. Cum his conferendus est Polyb. Exc. Legat. num. XCVI.

§ 7 *Et id ipsum argumenti prætendentibus orationis*] Lege *orationi*. J. F. Gron. Similiter conjicit vir doctus ad marginem ed. Curionis. Vide ad XXXIX. 16. § 7. Gronovii conjecturam probavit etiam Crevierius. At Doujatius vulgatum quoque servari posse existimat, si jungamus *id ipsum argumenti orationis*. Et sane ita locutus est Livius XXXVII. 54. 'Meminisse, quem titulum prætenderitis prius adversus Philippum, nunc adversus Antiochum belli.'

§ 11 *T. Quinctius Flamininus, C. Licinius Nerva, C. Caninius Rebilus*] Horum legatorum C. Licinius Nerva verisimiliter ille est, qui hoc anno IↃLXXXVI. prætor creatus Hispaniam ulteriorem sortitus est c. 16. In qua provincia quum, anno nondum elapso, neque adhuc dum successore designato, hoc tempore degerit; quomodo legatus obsidibus in Thraciam reducendis creari potuerit, non video: nisi cum Dukero dicamus legationem hanc in annum sequentem excessisse, quo utramque Hispaniam alios prætores accepisse Livius cap. 44. narrat. Quisnam autem primo loco memoratus T. Quinctius Flamininus fuerit, liquido dicere nequeo. Si verum est, C. Licinium Nervam, secundo loco memoratum, præturam gessisse, conveniens esse videtur, ut credamus, principem legationis vel eodem, vel majori honore functum esse. Potuit igitur per rationem temporis esse celeberrimus T. Quinctius Flamininus, qui Philippum regem vicit, et bello Macedonico primo finem inposuit. Anno enim IↃLV. consulatum gessit, nondum annos triginta natus, ut refert Plutarch. ejus vita p. 369. hic autem erat a. IↃLXXXVI. quo vix sexagesimum ætatis annum transgressus adhuc satis virium ad obeundam hanc legationem habuisse videtur. Nonnihil tamen sententiæ huic obstat, quod Plutarchus ej. vit. p. 381. testetur nullam Quinctii, neque in toga, neque in armis, actionem se comperisse post legationem ejus ad Prusiam Bithyniæ regem, quam Livius l. XXXIX. capp. 51. et 56. a. IↃLXXI. describit: unde, non diu post obiisse, aut certe hoc jam tempore mortuum esse, ejusque mortem a Livio quidem narratam fuisse, sed aliquo loco superiorum librorum, qui

laceri ad nos pervenerunt, narrationem ejus intercidisse, verisimile videri potest. Forte igitur legendum erit *C. Quinctius Flamininus*, ut intelligatur is, qui prætoram gessit XLI. 8. Si neque hoc placet, inverso ordine legi poterit *C. Licinius Nerva, T. Quinctius Flamininus, M. Caninius Rebilus.*

Munera data in singulos binûm millium æris] *Bis denûm millium æris* scribendum, conjicit Pighius in Annal. ad a. IↃLXXXVI. pag. 384. Sed vide ad XLII. 19. § 6.

§ 12 *Inusitatæ ante magnitudinis*] Videtur et hic fuisse *invisitatæ*, quo gaudet alibi Livius, quicquid irrideant. *J. F. Gronov.* Gronovio adsentior. Vide ad v. 35. § 4. Et forte similiter emendandus est Eutrop. qui sua ex Livio hausisse videtur, IV. 8. ' Romam cum ingenti pompa rediit in navi Persei, quæ invisitatæ magnitudinis fuisse traditur, adeo ut sedecim ordines dicatur habuisse remorum :' ubi vulgo etiam *inusitatæ magnitudinis* editur. Ceterum, ut recte monet Crevierius, sive vulgatum sequamur, sive *invisitatæ* emendemus, utique intelligendum est *Romanis*. Ita cadit observatio Meibomii, qui de Fabrica Trirem. in Thesaur. Antiq. Græcii tom. XII. p. 611. hinc efficiebat, Livium nihil audivisse de eccædeceri Demetrii, multo minus de triginta ordinum navibus Ptolemæi Philadelphi. Ita insuper illi, qui vulgatum tuetur, probandum incumbet, similis magnitudinis navibus Romanos post hæc tempora usos esse, ut ita cum emphasi Livius dicat *inusitatæ ante magnitudinis.*

CAP. XLIII. (XLVI.) § 2 *Similia omnia magis visa hominibus, quam paria*] Vide Freinsh. ad Curtii V. 5. § 7.

Non pecunia Macedoniæ] Lege *non pecunia pecuniæ*. Nam reddidit eodem modo cetera, ' non Gentius Persco, non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, non dona donis.' Errorem hunc glossa aliqua peperit, voci *pecuniæ* superimposita, quam deinde librarius, vera lectione repudiata, in librum intulerat. *Sigon.*

§ 4 *Transtulit in triumphum*] Scripserat *in triumpho*, ut semper. *J. F. Gron.* XXXVII. 58. 'In eo triumpho undequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt.' XXXIX. 42. 'Tantumdem auri et argenti in eo triumpho translatum.' Vide tamen Dukerum ad c. 39. § 3.

§ 5 *Auri viginti et septem, argenti decem et novem pondo*] Nimis hæc videtur tenuis summa : nam, etiamsi *argenti mille et novem pondo, denariûm triginta millia* legas, una cum auro nondum septingenta millia nummum effeceris. *J. F. Gron.* Recte Gronovium observasse, summam argenti in triumpho translati justo tenuiorem, et forte in numero errorem commissum esse, inde colligi potest, quod minor argenti, quam auri, pondus memoretur. Id autem commissi erroris indicium videri, jam supra monui ad XXXVII. 59. § 5. Ipse id Livius testatur XXXVIII. 55. ' Malim equidem librarii mendum, quam mendacium scriptoris, esse in summa auri atque argenti. Similius enim veri est, argenti, quam auri, majus pondus fuisse.' Quum itaque per notas numerales prima ed. præferat *argenti X. et IX. pondo*, mitissime emendavit *argenti mille et novem pondo.* Ut forte olim scriptum fuerit *argenti ↀ et IX. pondo*, ac librarius, millenarii numeri notam non adsecutus, pro ea *X.* dederit ; quomodo alibi sæpe erratum in Mss. esse vidimus ad XXXIII. 14. § 5. Utrum vero cum eodem Gronovio *denariûm triginta millia*, pro *tria*, legendum sit, non nihil dubito. Ratio est, quod denarii sint nummi Romani, quorum non tanta copia Gentio fuisse videtur. Tenuitatem autem summæ argenti signati, si *tria millia* servamus, minuent subjuncta centum viginti millia Illyrii

argenti. Verum et aliud hic latet. Omnes edd. antiquæ præferunt *auri pondo viginti et septem*, ac vocem *pondo* prima omisit ed. Paris. 1573. Si unicus cod. *τὸ pondo* non agnosceret, id etiam non requirerem, quod eadem vox mox sequatur. Ita, sæpe Livium in edendis duabus summis vocem *millia* altero loco omisisse, vidimus ad XXXI. 34. § 7. Quum tamen nunc, vocem *pondo* in Msto superfuisse, fidem faciat princeps ed. eam Livio iterum reddidi; qui et alibi hanc dictionem iterare solitus est. Ita XXXVI. 40. 'Transtulit, &c. auri pondo ducenta quadraginta septem, argenti infecti factique in Gallicis vasis, non infabre suo more factis, duo millia trecenta quadraginta pondo.' XXXVII. 59. 'Tulit in triumpho, &c. vasorum argenteorum mille pondo et quadringenta viginti quatuor, aureorum mille pondo viginti quatuor.'

Centum viginti millia Illyrii argenti] Ita J. F. Gronovius edidit, quum olim legeretur *Illyrici argenti*. Vide ad Epit. Liv. l. XX. Per tot autem *millia argenti Illyrii* intelligenda videntur tot millia nummum argenteorum, qui in Illyrico cusi sunt. Similiter per 'Oscense argentum' indicari nummos argenteos, in Hispaniæ urbe Osca signatos, vidimus ad lib. XXXIV. c. 10. § 4. et c. 46. § 2. Et quidem, intelligi nummos dictos 'Victoriatos,' monuit Doujatius, quia primos Victoriatos ex Illyrico advectos esse Plinius notat XXXIII. 3.

§ 9 *Igiturvium reges traducti*] *Iguvium* videtur esse, quod nunc Eugubium dicitur. De qua voce alii. *Sigon.* Libenter legerim *Iguvium*. Turneb. Advers. XI. 18. Hujus emendationis laus solida Turnebo debetur, qui ita scribendum esse monuit a. 1564. quo libros Adversariorum edidit. Inde id Sigonius accepit; sub cujus nomine hæc emendatio demum post mortem ejus adparuit in ed. 1592. Nomen autem Iguvii passim in scriptis veterum corruptum legi, monuit Cluver. et quædam loca exempli causa produxit Ital. Ant. II. 7. p. 625. Adde Ortel. Thes. Geogr. voce 'Iguini,' Holstenium ad eum locum, N. Heins. ad Silii VIII. 460. et Harduin. ad Plin. XV. 17. qui etiam in Fragmento Sisennæ apud Non. Marcell. in voce 'Projicere,' 'Iguvii' nomen restituit in notis ad Plinii H. N. III. 19.

§ 10 *Corcyreis et Apolloniatibus*] Ita omnes edd. constanter, antiquiores et recentiores, præter solas Sigonii, quæ recte præferunt *Corcyræis*. Græcis enim, Herodoto, Thucydidi, Polybio, aliisque, per diphthongum vocantur Κερκυραῖοι, vel Κορκυραῖοι in nummis, quales plures ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ inscriptos vulgavit Harduin. in Numm. Popul. et Urb. Indè Latini formarunt 'Corcyræi' apud Juven. Sat. XV. 25. et Martial. VIII. 68. et XIII. 37.

CAP. XLIV. (XLVII.) § 1 *Quum hostes exercitus numquam eduxissent*] Non moveo: nec tamen displicet *nusquam*. Duk. Similiter scribendum conjicit Crevierius. Supra I. 38. 'Ubi nusquam ad universæ rei dimicationem ventum est.' III. 42. 'Persecutis hostibus nusquam se æquo certamine committentes:' ubi alia vide. IV. 54. 'Salii flaminesque nusquam alio, quam ad sacrificandum pro populo, sine imperiis et potestatibus relinquantur.' Cic. de Senect. cap. 10. 'Nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem.' Solent autem 'nusquam' et 'numquam' a scribis in membranis commutari;' vide ad Livii XXXVI. 17. § 10.

§ 2 *Prætores postero die L. Livium*] Ita primum ediderunt Basil. 1554. eorumque lectionem recentiores omnes servarunt. Ed. princeps ac multæ proximæ constanter legunt *L. Julium*. Facile quidem voces 'Livius' et 'Julius,' transpositis literis, con-

fundi potuerunt, quale exemplum habuimus XXII. 35. § 3. inde tamen effici nequit *Livium* pro *Julium* hic recte restitutum esse. Neque temporibus proximc vel sequentibus, vel præcedentibus ullus memoratur L. Livius, aut L. Julius, quem hic indicari conjici posset: nisi quis huc referre vellet L. Julium, qui octodecim annis antea prætor creatus Galliam sortitus est XXXIX. 45. et priscam lectionem *L. Julium* defendens eum nunc iterum præturam obtinuisse existimaret. Id licet verum esse præstare nolim, priorum tamen editionum scripturam reduxi. Partim enim id postulat principis ed. auctoritas, partim etiam suadet prænomen Lucius in gente Livia rarum, at in gente Julia etiam hoc tempore aliquoties obvium.

Sicilia et Sardinia] Hanc lectionem primum inveni in ed. Basil. 1539. tum Curionis, Lugd. 1553. Paris. 1573. et recentioribus omnibus, excepta una Sigoniana 1592. quæ cum antiquioribus præfert *ac Sardinia*. Perinde esse fateor, utrum probemus; verum vel ideo veterem scripturam nulla de caussa loco motam Livio reddidi.

§ 3 *Intercalatum eo anno: postridie Terminalia intercalares fuere*] Similis locus exstat XLIII. 11. ' Hoc anno intercalatum est: tertio die post Terminalia Kalendæ intercalares fuere.' Ex quo loco intelligitur vocem hic excidisse, ac similiter scribendum esse *postridie Terminalia Kalendæ intercalares fuere*. Quod etiam Crevierius observavit. At insuper loco illo Livii laudato *tertio die post Terminalia*, hic *postridie Terminalia* Kalendæ intercalares fuisse dicuntur. Caussam hujus variationis reddere conatur Dodwellus in Appian. ad Prælect. Camden. pag. 751. Notat autem Romanis ordinarium fuisse, ut mensem Merkedonium proxime post Terminalia intercalarent: verum, si ex ratione anni nundinæ vel in præcedentis alicujus mensis istius anni Nonas, vel in Kalendas Januarias incisuræ essent, diem unum ante illas Nonas vel Kalendas, a quibus nundinæ transferendæ erant, exemtum, eumque postea, ne ratio anni turbaretur, intercalando iterum additum fuisse: et quidem diem exemtum addi solitum esse medium inter Terminalia et Kalendas intercalares; et hanc caussam esse, cur lib. XLIII. c. 11. ' Tertio die post Terminalia ' Kalendæ intercalares fuerint: si vero eveniret, ut, exemto jam die, nundinæ iterum eodem anno vel in alterius mensis Nonas, vel in Kalendas Januarias incidere deberent, non potuisse jam differri intercalationem usque post Terminalia, sed alio aliquo in loco diem exemtum inserendum esse: id autem hoc anno evenisse, quo ' postridie Terminalia ' Kalendas intercalares fuisse Livius memorat. Nisi enim id statuamus, nihil singulare dignumque observatione habere, quod ' postridie Terminalia ' Kalendæ fuerint intercalares, quum is fuerit locus eorum usitatissimus: id tamen singulare esse, si ita eveniret in anno, in quo præcessissent dies exemtiles, quales supponebat hoc anno seu Livius ipse, seu auctor, quem secutus est. Alium hic scrupulum injicit Pighius in Ann. ad a. IↃLXXXVII. pag. 390. et statuit vel sequentis anni consules M. Claudium Marcellum et C. Sulpicium Gallum ante Idus Martias, consuetum diem, Kalendis intercalaribus ipsis magistratum iniisse, propter subitam fortasse Ligurum rebellionem, et, confecto brevi bello, mox eodem mense triumphasse; vel Livium intercalationis illius tempus inter acta hujus anni perperam redegisse, quod in anni sequentis exitu notari debuerat post designatos T. Manlium et Cn. Octavium consules. Hanc sententiam adstruit auctoritate fragmenti Marmorum Triumphalium Capitolinorum:

** VDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. COS. A. DXXCVII.
* GALLEIS. CONTRVBIEIS. ET. LIGVRIBVS
*** TIBVSQVE. ** INTERK.
**** CIVS. C. F. C. N. G**COS. ANN. DXXCVII.
**** BVS. TAR***RNEIS. X. K. MART.

Hinc patet Claudium Marcellum et Sulpicium Gallum triumphasse in consulatu, triumphasse etiam mense intercalari. Prior Pighii conjectura vera esse nequit, quia in hunc annum IↃLXXXVI. quo Q. Ælius Pætus et M. Junius Pennus consulatum obtinuerunt, mensis intercalaris non incidit. Nam secundum ordinationem Numæ quolibet tantum biennio mensis Merkedonius adsumebatur: id autem factum erat an. IↃLXXXIII. A. Hostilio Mancino et A. Atilio Serrano consulibus; in cujus fine intercalationem hanc retulit Livius XLIII. 11. Non igitur mensis hoc anno IↃLXXXVI. intercalari potuit; sed id fieri debuit et anno præcedenti IↃLXXXV. et sequenti IↃLXXXVII. quo posteriori intercalaris mensis etiam meminerunt Fasti Capitol. Triumph. Utrum vero Livius, quæ altera Pighii conjectura erat, intercalationem integri mensis, quæ ad annum sequentem pertinet, perperam ad hunc annum retulerit, aliis disquirendum relinquo.

Augur eo anno mortuus est C. Claudius] Nempe App. F. Pulcher, qui a. IↃLVIII. augur factus erat. XXXIII. 44. *Duk.*

Flamen Quirinalis mortuus M. Fabius Pictor] *Q. Fabius* legendum ex XXXVII. 47. ubi hic fit flamen. 'Prætores,' inquit, 'exinde duo facti, duo Q. Fabii, Labeo et Pictor. Flamen Quirinalis eo anno inauguratus fuerat.' *Sigon.* Vide ad XXXVII. 47. *Duk.* Vide etiam Pighium in Annal. ad a. IↃLVIII. p. 266. et a. IↃLXIV. p. 290.

§ 4 *Rex Prusias venit Romam*] Ita primus edidit Vascos. hinc Gryph. tum Lugd. an. 1553. omnesque posteriores. Reliqui legunt *rex Prusia.* Vide ad XXXVIII. 39. § 15. et adde Voss. Gramm. IV. 2.

§ 7 *L. Cornelius Scipio quæstor*] *P. Cornelius* vocatur Val. Max. V. 1. 1. Sed potius L. Cornelii Scipionis Asiatici filium esse, ex annorum interstitio judicat, et librariorum culpa 'Publium' apud Val. Max. vocari, qui hic recte *Lucius* dicitur, existimat Pighius in Ann. ad a. IↃLXXXVI. pag. 384.

Ædes, quæ ipsum comitesque ejus benigne reciperent] Hoc mihi mire de ædibus videtur dici. Cogitabam *benigne* forsan non obtinere locum suum, et ante *conductæ* ponendum esse. Sed ne hoc quidem valde placet. *Duk.*

§ 8 *Tertio post die senatum adit*] Subjunguntur mox 'gratulatus est, commemoravit, petiit.' An igitur etiam hic *adiit* legendum? De eodem scribarum errore vide ad XXXVI. 42. § 3.

§ 12 *Ne quod detur quidem*] Ἴσως *quoi.* Muret. Obsoleta voce *quoi* Livium usum esse, non facile credit Crevierius: ideoque reponendum censet *cui.*

§ 14 *Munera ei ex sestertiis jussa dari*] Deest summa sestertium. Sic c. 14. 'Munera ex senatusconsulto emere regulo quæstor jussus est ex centum pondo argenti.' *Sigon.* Forte *ex C H-S.* id est, ex centum millibus nummum. Posses *ei decies sestertii:* sed nimia videtur summa pro hoc tempore. *J. F. Gron.* Summam sestertium hic deesse, deprehenderunt primi editores; qui, relicta lacuna, dederunt *ex sestertiis jussa dari.* Lacunam primus apud me omisit deinde Gryph. a. 1548. et post eum reliqui usque ad Gruterum, cujus ultima ed. præfert *ex sestertiis * jussa dari;* ejus exemplum recentiores, quos vidi, imitati sunt præter Clericum et Crevierium, qui asteriscum

iterum expulerunt. At vetustissimas edd. sequi tutissimum putavi.

§ 15 *Ex qua Masgabæ filio regis Masinissæ*] Ei quæstor jussus fuerat munera emere ex centum pondo argenti, c. 14. *Duk.*

§ 17 *Donec navem conscendissent*] Hæc lectio demum obvia fuit in Paris. a. 1573. et inde in reliquis recentioribus. Priores constanter legunt *conscendisset*, ut ad Prusiam regem referatur; quod recte Crevierius loco suo restituit.

§ 18 *Mire lætum et ea benignitate in se populi Romani*] Manutius reponit *ex ea benignitate*. Sigon. Voculas quidem *et* atque *ex* in membranis vetustis commutari, vidimus ad XXVI. 45. § 1. quo minus tamen Manutium audiendum censeam, illud efficit, quod Livium 'lætus ex aliqua re' alibi dixisse non meminerim; quem potius præpositionem omisisse, vel præpositionem *ab* adscivisse, vidimus ad lib. XXIII. c. 37. § 8. ubi typographorum errore hic legendum dicitur *lætum ex benignitate*, pro *lætum ea benignitate*. Putavi enim voculam *et* expungendam esse. Mihi autem consentit Crevierius.

Munera sibi ipsum emisse] Quid est 'emere munera?' aut quam dignum magnificentia populi Romani, ut pro illis quæ dono daret regi, pretium acciperet? Scribe, *munera sibi ipsum renuisse, filium jussisse donum populi Romani accipere*. J. F. Gron. Conjecturam Gronovii recte probat Crevierius; at eamdem etiam in contextum Clericus recepit. Sufficere credo, eam in notis exstare.

§ 19 *Polybius, eum regem, &c.*] Hæc, ex Polybio fortasse sumpta, sic edidit Appianus in Mithrid. p. 172. Περσέως δὲ ἁλόντος ἀπήντησε τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς εἶμά τε Ῥωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος, ὃ καλοῦσιν τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων Ἰταλικὰ, τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, καὶ πῖλον ἐπικείμενος, ᾧ τρόπῳ τινὲς προῖασι τῶν ἐν ταῖς διαθήκαις ἐλευθερωθέντων, αἰσχρὸς ὢν καὶ τἄλλα ὀφθῆναι καὶ βραχύς· ἐντυχὼν δὲ αὐτοῖς ἔφη Ῥωμαϊστὶ τῷ ῥήματι, Ῥωμαίων εἰμὶ λίβερτος, ὅπερ ἐστὶν ἀπελεύθερος. *Sigon.* Quæ de rege Prusia Livius dicit se a Polybio accepisse, cum integra non sint in fragmento a nobis edito [in Ecl. Legat. num. XCVII.] poterunt suppleri ex alio fragmento, quod e Polybio item, ut videtur, Diodorus Siculus descripsit. Nam quæ aliis ex Appiani Mithridatico prolata sunt, ea partem tantum Livianorum exprimunt, partem omittunt. Licet ea appareat Appianum quoque a Polybio sumpsisse. Græca ipsa Diodori verba ex fragmento ipsius, a nobis cum Polybianis edito, peti poterunt. [Ecl. Legat. num. XXII.] In quibus illud notatu dignum, quod *pilei* colorem, præter Diodorum, nemo alius indicat, cum ait: Μιμησάμενος δὲ τὴν τῶν προσφάτως ἀπελευθερουμένων παρὰ Ῥωμαίοις τάξιν, ἀπήντησεν ἐξυρημένος τὴν κεφαλὴν, καὶ πίλεον ἔχων λευκὸν, ἔτι δὲ φορῶν τηβέννην, &c. Ex quibus verbis hoc quoque intelligitur, novos libertos apud Romanos albis vestibus olim usos fuisse: ut nunc itidem, qui ex antiqui hostis servitute, aqua salutari tincti, liberantur. Pilei autem et rasi capitis mentionem facit Plautus in Amphitruone, nisi fallor, illo versu (I. 1. 306.) 'Ut hodie raso capite capiam pileum.' Itaque pileum esse notam libertatis constat ex nummis veteribus, in quibus pileus est, et LIBERTAS item adscriptum est. Præterea pileum ac virgam, quæ 'vindicta' dicebatur, virginem ferre in nummis videmus. Item in M. Bruti denariis pilei et duarum sicarum imaginem agnoscimus. Et Justiniani constitutionem habemus de libertis, qui funus patroni prosequebantur pileati. *Ursinus.* Nescio cur Ursinus scribat, quæ de Prusia dicit Livius, non integra esse in fragmento Polybii a se edito. Nam Polybius Legat. XCVII. multo pluribus verbis fœdam,

et non rege modo, verum etiam viro indignam adulationem Prusiæ exsequitur, quam Livius. H. Stephanus cap. 9. operarum in Dionys. Halic. multa in Livii interpretatione Latina Græcorum Polybii carpit; jure, an injuria, judicabunt alii: ipse, quid mihi adversus illius reprehensiones responderi posse videatur, paucis exponam. *Duk.*

Indignum majestate nominis tanti] Polybius, Οὐδαμῶς γέγονει ἄξιος τοῦ τῆς βασιλείας προσχήματος. Quod hic in Græcis est βασιλείας, Stephanus largitur verti potuisse *nominis tanti;* quia respiciat ad illam, quam Prusiæ dederat, *regis* appellationem: sed se non videre dicit, quomodo ei de interpretatione vocis πρόσχημα adsentiri possimus. Si ei de illa adsentiri non poterat, meliorem, cui omnes adsentiri possent, dare debuerat. Deinde libenter ex eo quærerem, cur, si Livius hic πρόσχημα non bene interpretatus est *majestatem*, ipse in Plutarchi Fabio p. 289. maluerit sequi interpretationem Cruserii, qui, quod Plutarchus de dictatura inquit τὸ πρόσχημα τῆς ἀκροτάτης καὶ μεγίστης ἀρχῆς vertit *summi imperii maximique majestas*, quam Xylandri, qui πρόσχημα ibi interpretatus erat *dignitatem?* Duk.

Obviam ire legatis solitum] Hoc quoque eidem animadversione dignum videtur, quum Polybius de re, quæ 'semel tantum a Prusia' facta fuerit, loquatur: nisi forte vocem *solitum* pro alia irrepsisse suspicandum sit. Hoc Diodoro potius tribuisset, quam Polybio: nam illc ita scribit: καί ποτε Ῥωμαίων πρὸς αὐτὸν παραγενομένων πρεσβευτῶν· hic, ὅς γε πρῶτον μὲν πρεσβευτῶν παραγεγονότων Ῥωμαϊκῶν πρὸς αὐτόν· e quibus non satis apparet, *semel* tantum, an *sæpius*, hoc a Prusia factum fuerit. *Duk.*

§ 20 *Submisisse se*] Polybius et Diodorus, Καὶ καθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας προσεκύνησε τὸν οὐδόν. Hic videndum esse dicit, an Græcis καθεὶς τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας dici possint respondere hæc Livii *submisisse se.* Sane primo intuenti hoc videri potest esse 'in genua procubuisse.' c. 7. 'Submittentemque se ad pedes sustulit.' Sueton. Tib. c. 20. 'Seque præsidenti patri ad genua submisit.' Curtius VIII. 14. § 39. 'Elephantum procumbere jussit in genua, qui ut se submisit, ceteri quoque demisere corpora in terram.' Nec tamen hoc ita accipiendum esse, e Græcis intelligi potest, de quorum sententia, quum verba non obscura sint, mihi non ita liquet, ut plane perspiciam, cur Prusias utramque manum demiserit. Sed puto significari, eum, corpore ad limen inclinato, illud utraque manu contigisse, atque ita osculatum esse: et hoc Livium voluisse, quum eum *submisisse se* dicit: quemadmodum 'submittere fasces' dicuntur, qui eos deorsum versus inclinant, ac deprimunt. Quamquam si Livius hic errasset, tamen Stephanus quoque culpa non vacaret, qui non ostenderit, ob quam caussam Prusias utramque manum demiserit, et quomodo Græca Polybii Latine vertenda fuerint. Nam non satis est erudiendis plerisque lectoribus, si quis dicat, Latinam interpretationem non respondere Græcis, nisi simul doceat, in quo id situm sit; ne minus periti utriusque linguæ in incerto fluctuent. *Duk.*

Deos servatores suos] Χαίρετε θεοὶ σωτῆρες, Polybius et Diodorus. De hoc cognomine, tam Deorum, quam hominum, multa habet Spanhem. de Præst. et Usu Num. VII. p. 415. *Duk.*

Aliamque orationem, non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem, habuisse] Ne hoc quidem sine vellicatione aliqua præterire potuit Stephanus. Mirum esse ait, Livium hæc tantum dixisse pro iis quæ a Polybio dicuntur, Prusiam 'illis, quæ tam adulatorie fecerat, consentaneam ora-

tionem habnisse, et talia locutum esse, nt se referre ea pudeat.' Sed aliis forsitan mirum videbitur, morosum censorem hic quoque ita argutari, et λεπτολογεῖν potuisse. Etenim Polybius in historia non tantum ea, quæ in Excerptis Legatorum, verum etiam, quæ in Livio leguntur, scripsisse potuit. Nam in bas eadem omnia, quæ in historia de hac re tradita erant, translata, nec quidquam eorum prætermissum fuisse, nemo affirmare potest. Stephanus quidem ita sensisse videtur, quum ex eo, quod Diodorus Legat. XXII. pauca quædam addit, quæ in legationibus Polybii non leguntur, et inter ea, 'senatum plerisque eorum, quæ Prusias dixerat, offensum fuisse,' argumentatur, Diodorum etiam alios scriptores consuluisse, et in quibusdam excerpendis suo judicio usum fuisse. Sed quum manifestum sit, Diodorum ibi pleraque omnia ad verbum e Polybio descripsisse, æque probabiliter argumentari licet, et Diodorum et eum, qui Legationes e Polybio excerpsit, hunc solum auctorem secutos, sed utrumque suo judicio in excerpendo usum fuisse, et illum plura, hunc panciora ex historia illius excerpsisse. Deinde etiamsi nihil amplius in historia scripsisset Polybius, quam quod hoc capite Legationum continetur, tamen Livius reprehendi non posset, qui, quod fidi interpretis est, mentem auctoris sui, quæ ex Ecloga illa manifesta est, exprimere, quam verbum verbo reddere maluisset. *Duk.*

Triginta haud amplius dies in regnum est profectus] *Aut* pro *haud* in Ms. teste Lambecio Bibl. Vindob. l. II. p. 947. qui insuper notat post vocem *profectus* sequi *actumque*, aliosque etiam duos versus sive lineas olim fuisse, qui nunc prorsus evanuerunt, nec ulla ratione ex eorum vestigiis certi quidquam posse colligi. Totum denique illud volumen claudi monet subscriptione hac, quæ ob vetustatem oculos fere fugit:

TITI LIVI
AB VRBE CONDITA
LIB. XLV. EXP.
INC. LIB. XLVI. FELICITER.

Hearnius. Illud *aut* errore scribæ pro *haud* datum esse, mihi certum videtur: eum enim et alibi ita errasse, dictum est ad XLI. 1. § 8.

EPITOMÆ

LIBRORUM LIVII.

LIB. I.

Epitome] *Epitomas* porro, id est, ut ego interpretor, brevia singulorum librorum argumenta, unicuique libro præfixi: ut quisque breviter ac facile, quid in quoque libro contineretur, cognoscere, ac, qui Liviani libri intercidissent, et quantum in iis amissis acceptum detrimenti esset, intelligere posset. Nam sive a Livio, sive a Floro, sive ab alio quo scripta sunt, (hæc enim omnia traduntur,) ad Romanas certe res illustrandas accommodatissimæ sunt; præsertim vero ubi Liviana historia excidit. Qua in parte Livianam apud quemque obtinere debent auctoritatem. *Sigon.*

Adventus Æneæ in Italiam, et res ab eo gestæ; Ascanii regnum Albæ, et Sylvii Æneæ ac deinceps Sylviorum regum primo libro continentur. Numitoris] Hæc lectio est tantum non omnium editionum. Verum codd. scripti, non modo in his verbis, sed etiam per universam reliquam Epitomen, admodum variant; ut interpolatores in ea sibi plurima permisisse, et, ingenio ac voluntati indulgentes, quælibet vel latius extendisse, vel brevius contraxisse pateat. Ecce enim *Adventus Æneæ in Italiam et res gestæ. Ascanius regnum et Italiæ et deinceps Silviorum. Numitoris* Vossian. 1. *Adventus Æneæ in Italiam, et res gestæ. Ascanii regnum Albæ Italiæ, et deinceps Silvia. Numitoris* Voss. 2. 3. 4. et Berg. nisi quod Voss. 3. a m. pr. habuerit *in Italiam ære gestæ;* Voss. 4. præferat *deinceps Silviorum.* Berg. autem *deinceps Sabiorum regum. Adventus Æneæ in Italiam, et res gestæ. Ascanius regnum Albæ Italiæ, deinceps Silviorum. Numitoris* Cod. Boenderm. nisi quod manu sec. post *gestæ* additum fuerit *ab eo;* post *Albæ* autem *ac. Adventus Æneæ, et ejus res gestæ referuntur. Ascanii regnum Albæ, et deinceps Silviorum. Numitoris* cod. Leid. Voces *regum primo libro continentur* etiam in excerpt. Pithœi desiderari Hearne monuit. Sane omnia hæc, *et Silvii Æneæ,* ac deinceps, *regum primo libro continentur,* admodum mihi suspecta sunt. In nullo enim septem codicum, quorum excerptis usus sum, reperiuntur, et præterea a more illius, qui nobis has Epitomas reliquit, discedunt. Numquam enim addidit, aliquid *primo, secundo,* vel ulteriori, *libro contineri,* (contra quam semper facere solitus est, a cujus manu Pompeii Trogi prologos habemus) sed tantum sine libri mentione aliquid *referri, narrari, contineri.* Ita in Epit. lib. VI. 'Res adversus Æquos et Volscos et Prænestinos prospere gestas continet.' Epit. lib. XVI. 'Origo Karthaginiensium et pri-

mordia urbis referuntur.' Epit. lib. XXI. 'In Italiam belli Punici secundi ortus narratur.' Alia exempla occurrunt in Epit. libb. XXVIII. XXXI. XXXII. XLVIII. CIV. CIX. CXII. CXXXV. CXXXIX. CXL. et passim. Verosimile itaque, reliquis vocabulis ejectis, ex vestigiis codicum, et inprimis Leidensis, legendum, *Adventus Æneæ in Italiam, et ejus res gestæ* (vel *res ab eo gestæ*) *referuntur. Ascanii regnum Albæ, et deinceps Silviorum. Numitoris*, &c. quod recepi.

Sylvii] *Silvii* et *Tiberis* scribendum esse ex Mss. exemplaribus Græcisque libris constat, apud quos est Σιλούιος et Τίβερις. *Sigon.*

Numitoris filia a Marte compressa; nati Romulus et Remus] Legitur in Ms. quem Lud. Carrio J. C. vir de literis præclare meritus, cum impressis contulerat, *nati ex ea Romulus et Remus.* Delrius. *Compressa; cujus nati* Voss. 2. et 3. An legendum? *E Numitoris filia, a Marte compressa, nati Romulus et Remus:* vel potius, mutata tantum interpunctione, *Numitoris filia, a Marte compressa, nati Romulus et Remus.* Livius, cujus dictionem scriptor Epitomarum sæpe expressit, ita non raro locutus est. Lib. I. c. 3. 'Creusa matre, Ilio incolumi, natus:' et mox, 'Quacumque matre genitus, certe natum Ænea constat.' cap. 7. 'Jove nate, Hercules, salve.' c. 39. 'Illi honos habitus credere prohibet, serva natum eum, parvumque ipsum servisse.' c. 40. 'Id servus, serva natus, possideat.' cap. 47. 'Servum, servaque natum, regnum occupasse.' III. 44. 'Manum injecit; serva sua natam (servamque adpellans) esse; sequique se jubebat.' IV. 3. 'Captiva Corniculana natum.' VII. 4. 'Discerct, vere imperioso patre se natum esse.' c. 40. 'Iis eram natus, id specimen mei dederam.' IX. 1. 'Patre longè prudentissimo natum.' XLIV. 30. 'Fratres duos Platorem, utroque parente, Caravantium, matre eadem natum habuit.' Pari modo *se ortus*, pro ex se, poni Gronov. monuit ad II. 6.

Amulius obtruncatus] *Obtruncatur* cod. Boenderm.

Cum Sabinis bellatum] *Cum Sabinis bellum* Voss. 1. et Leid.

Opima spolia Jovi Feretrio lata] Alio verborum ordine *spolia opima Feretrio Jovi lata* Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. et Berg. *Opima spolia Feretrio Jovi lata* Boend. Pro *lata* Cœtierius ad marginem Livii, cui paucissimas conjecturas adscripserat, legendum opinatus est *data.* Quamvis autem voces 'datus' et 'latus' sæpius librarii confuderint, ut diximus ad I. 4. hic tamen nihil videtur temere mutandum, præsertim cum Livius non semel eodem verbo in hac re usus fuerit, ut I. 10. 'Jupiter Feretri, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero:' et mox, 'Sedem opimis spoliis, quæ, regibus ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequentes posteri ferent:' et iterum, 'Nec irritam conditoris vocem esse, qua laturos eo spolia posteros nuncupavit.' Ipse harum Epitomarum scriptor, si duobus Mss. fides habenda est, similiter loquitur lib. IV. 'Occiso Tolumnio rege Vcientium, opima spolia secunda Feretrio tulit:' ubi vulgo *retulit* editur. In enarrandis triumphis Livio familiarissima locutio est, 'aliquid in triumpho ferre,' vel 'latum esse.' XXXIII. 37. 'Multa spolia hostium captivis carpentis traducta: multa militaria signa lata.' XXXIX. 5. 'Aureæ coronæ centum duodecim pondo ante currum latæ suut.' c. 7. 'In triumpho tulit Cn. Manlius coronas aureas CCXII. pondo.'

In centurias populus divisus] Lego *in curias.* Nam Livius ita loquitur I. 13. 'Cum populum in curias XXX. divideret, nomina Sabinarum curiis imposuit.' *Sigon.* Non tantum Livius tradit, populum a Romulo 'in curias' divisum fuisse, ut Sigonius monuit,

verum etiam ipse auctor Epitomarum inferius descriptionem populi in classes et *centurias* Servio Tullio tribuit, certe in vulgatis edd.: codd. enim scripti, ut videbimus, aliter exhibent. Facio itaque cum viris doctis, qui vel contra Mstorum auctoritatem *in curias* restituendum esse censuerunt. Forsitan error ortus est ex compendio scribendi *in C'ias*, quod non adsecutus librarius *in centurias* reddidit. Contrario modo olim peccabatur apud Florum I. 6. § 3. 'Populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus:' ubi viri docti *centuriis atque collegiis* legendum esse docuerunt. Et hic etiam nota ταχυγράφων indoctos scribas in errorem induxisse videtur. Forte enim olim vox *centuriis* ita fuerat exarata *C^uri*, unde male *curiis* factum. Conjecturam, quam Sigonius hoc loco proposuit, probavit etiam Dukerus ad d. l. Flori.

Jano templum, &c. ad religionem perpulit] Multa ex tot numero vocabulis non agnoscunt codd. Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. Berg. et Boend. Reliquis enim omissis exhibent tantum *porta Jani clausa*.

Albanos bello petiit] *Albanos diripuit* Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. et Berg. *Albanos dirupit* Boenderm.

Post hæc tergeminorum pugna] Voces *post hæc* exsulant a septem nostris codd. ex quibus etiam Voss. 2. 3. 4. Berg. et Boendermak. *trigeminorum;* quod vulgatæ lectioni præferendum esse, recte censet Dukerus ad Flori I. 3. § 3. tum quia etiam Livius in hac historia eamdem vocem adhibet, tum quia aliud est *trigeminus*, aliud *tergeminus;* priori enim voce indicari tres uno partu editos, posteriorem autem usurpari vel pro triformi, triplici; vel pro amplissimo maximoque. Colum. VII. 6. 'Parit autem, si est generosa proles, frequenter duos, nonnumquam trigeminos.' Quamvis tamen Schottus ad Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 4. nihil interesse existimaverit. Harduinum, qui ad Plin. Hist. Nat. VII. 3. vocem *Trigeminus* de tribus uno partu editis dici posse dubitabat, a sententia dimovissent loca scriptorum, a Dukero adlata, si, cum sana ratione in gratiam rediens, eorum monumenta genuina judicare voluisset. Id tamen jam dudum ipsi persuadere debuissent nummorum familiæ Curiatiæ inscriptiones TRIG. vel TRIGE. Unde tamen evenisse dicemus? eumdem Harduinum portæ urbis Trigeminæ, cujus præter Liv. IV. 14. etiam meminit Plin. Hist. Nat. XVIII. 3. quæstionem non movisse, neque *Tergeminam* adpellandam esse contendisse, sed potius confiteri, huic portæ inde nomen esse, quod ea tergimini fratres Horatii exierint. Ejusdem 'portæ Trigeminæ' sæpissime Livius meminit: vide ad Liv. XL. 51.

Horatius absolutus] Hæc omittuntur in Voss. 1. 2. 3. Leid. Berg. et Boend.

Metii Suffetii] *Fufetii*, ut post dicam. *Sigon.* *Et T. Suffetii* Leid. et Vossian. 1. *Et Titi Fufea* Voss. 2. *Et Titi Fufetii* Voss. 3. *Et Titi Suffeti* Voss. 4. *Et Titi Suffecti* Berg. *Et M. Suffetii* Boend. Non tantum librarios in posteriori voce *Suffetii*, ut Sigonius vidit, sed etiam in priori *Metii* peccasse, diximus ad Liv. I. 23.

Alba diruta, &c. ad postremum] Nihil omnium horum exstat in septem, quibus usus sum, codd.

Fulmine Tullus absumptus est] Vocem *Tullus*, quæ non comparet in edd. Gryphiana antiquioribus, excludit etiam cod. Norvic. quo Hearne Oxonii usus est; sed, eam ubique cum primis excusis consentire, ex sequentibus elucescet: at ultimam vocem omittunt omnes septem nostri. Præterea *Tullus fulmine absumtus* Boend. *Tullus fulmine consumtus* Berg. *fulmine Tullus consumtus* Leid. et Voss. 4. *fulm. Tull. cum sumtus* Voss. 2. et 3.

Ancus Martius cerimonias a Numa, &c.] *Marcius*, ut post dicam. *Sigon.* Vide ad I. 32. Ceterum omnia, quæ sequuntur ad finem Epitomes, breviori verborum ambitu ita vulgo in septem laudatis codd. concipiuntur: *Ancus Marcius* (*Marcus* Berg.) *Latinos devicit. Hostiam condidit:* (*addidit* Voss. 1.) *Tarquinius Priscus Latinos superavit. Circum fecit. Finitimos devicit. Muros et cloacas fecit.* (quatuor ultima verba non agnoscit Voss. 1.) *Servio Tullio* (*Tullo* Berg.) *caput arsit. Servius Tullius* (*Tullus* Voss. 1. Leid. et Berg.) *Veientes devicit, et populum in classes* (*classem* Boend.) *divisit.* (*devisit* Voss. 4.) *Ædem* (*Sedem* Berg.) *Dianæ dedicavit. Tarquinius Superbus occiso Tullio regnum invasit. Tulliæ scelus in patrem. Turnus* (*Tullus* Berg.) *Herdonius per Tarquinium occisus. Bellum cum Volscis.* (*Vulcis* Voss. 2. 3. 4.) *Fraude Sexti Tarquinii Gabii direpti.* (*detenti* Berg.) *Capitolium inchoatum.* (*incohatum* Voss. 1. et Boend.) *Termini et Juventæ aræ* (*Cremone et Juventute aræ* Voss. 2. *Chremonæ et Juvente aræ* Voss. 3. *Cremone et Juventæ aræ* Vossian. 4. *Cerimoniæ adinventæ: aræ* Boend. *Termini et inventæ are* Berg.) *moveri* (*removeri* Vossian. 2. 3. 4.) *non potuerunt. Lucretia* (*Violata Lucretia* Berg.) *se occidit. Superbi expulsi.* (*expulsio* Vossian. 2. 3. 4.) *Regnatum est annis CCLV.* (*CCXL. tribus* Leid. et Berg. *CCLXV.* Voss. 1.) Non longe aute finem Voss. 1. et Berg. a prioribus in nonnullis differunt, et auctiores sunt. Ita enim exhibent: *Capitolium incohatum. Caput humanum inventum. Cloaca maxima* (*cloacha maxus* Berg. omissa voce sequenti) *facta. Portentum serpentis visum. Delphos missum. Violata Lucretia se, &c.* Præter hæc in omnibus Mss. solo Leidensi excepto, adjicitur alia Epitome, a priori novo titulo distincta, præterquam in Boend. in quo reliquis verbis, non addito alio titulo, subtexitur. Ita vero incipit: *Latinis victis montem Adventinum* (alii *Aventinum*) *assignavit*, vel *assignat.* Est vero eadem ac vulgata, paucis tantum exceptis, quæ pro variis lectionibus haberi possunt; nisi quod in plerisque ordo rerum confundatur, et quibusdam regibus adscribantur, quæ ab aliis gesta esse ex Livio et alinnde constat; illa etiam omissa sint, quæ jam breviori epitome narrata erant. Ex quibus omnibus firmatur, quod ante dictum est, præsertim in hac Epitome interpolatores maxima licentia usos fuisse, ac nihil non sibi permissum credidisse. In reliqua parte hujus Epitomes pauciores lectionum diversitates memorabimus: omnia enim adtulisse operæ non videtur.

Et ad civitatem adscitis] Excludunt hæc verba excerpta Pithœi.

Pontem sublicium in Tiberim fecit] Ita primus edidit Gryphius. Vide Sigon. ad Livii I. 33. Antea legebatur *in Tiberi*, quomodo Norvic. cod. aliosque præferre Hearne testatur. Periodus hæc, a voce *Politorium* usque ad *urbi addidit*, etiam in ampliori quorumdam codicum epitome deerat.

Ostiam condidit. Tarquinius] Mss. libri pleniores sunt, ita: *Ostiam condidit. Regnavit annos XXXIII. Eo regnante Lucumo, Damarati Corinthii filius, a Tarquiniis Etruriæ civitate Romam venit, et, in amicitiam Anci receptus, Tarquinii nomen ferre cœpit, et post mortem Anci regnum excepit. Centum additis, &c.* quam lectionem probo. *Sigon.* Quæ Sigonius ex Mss. protulit, supersunt etiam in ampliori epitome sex codicum, Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. quamvis ordine plurimum inmutato. *Ostiam coloniam deduxit*, pro *Ostiam condidit*, habet Berg. Præterea modo memorati sex codd. auctores sunt, pro *regnavit annos XXXIII.* quemadmodum Sigonius laudat, reponendum esse *annos XXIIII.* quod ipse etiam Livius refert I. 35. et Hearne antea ex Oxon.

cod. N. monuit. Equidem credidissem errore operarum in nota Sigonii *XXXIII.* pro *XXIII.* vel *XXIIII.* datum fuisse, nisi etiam Hearn. ex codd. quorum varias lectiones Pithœus ad oram Livii sui notavit, similiter fere *XXXIV.* protulisset. Ante Sigon. edebatur passim, *Ostiam condidit. Tarquinius Priscus in Anci amicitiam receptus. Centum additis:* quod superest in cod. Norvic.

Centum additis Patrum numerum auxit] *Centum in Patres allegit* Excerpta Pithœi, Vossian. 1. et Boend. *Centum hic patres legit* Voss. 2. 3. 4. *centum in patres elegit* Berg.

Circum designavit, ludos edidit] *Ludos et circos edidit* Vossian. 1. *ludos in circo edidit* Vossian. 2. 3. 4. Boend. et Berg. a m. sec. qui *dedit* præfert a m. pr.

Sabinorum bello petitus] Hæc verba desunt in Vossian. 1. 2. 3. 4. Berg. Boend. et exc. Pithoei.

Tentandæ scientiæ caussa Attii Navii] Veteres libri, *Hic tentandæ scientiæ caussa.* Sigon. Omnes etiam quatuor codd. Voss. in quibus amplior epitome exstat, pronomen retinent; sed præterea ordine verborum mutato exhibent, *Hic tentandæ scientiæ Atti* (vel *Actii*, vel *Acti*, vel *Ati*) *Navii caussa:* quam verborum conlocationem probat etiam codex Boenderm. *Huic temptande scientie Actii Nainii auguris caussa* Berg. Verum de Navii prænomine vide ad 1. 36. Gruterus in postrema ed. vulgavit *Is tentandæ.* Commodissime pronomen abesse potest; immo debet.

Consuluisse fertur, an id] *Fertur consuluisse eum, an id* quatuor Vossian. Berg. et Boend.

Quod cum ille fieri posse respondisset] *Illi* Voss. 1. et Berg. sed ea vox deest in Voss. tribus reliquis: tum *dixisset* Berg. et Boend. pro *respondisset.*

Idque protinus factum] Veteres libri *idque protinus ab Attio factum.* Sigon. *Idque ab Acto* (vel *Actio*, vel *Ato*) *protinus factum* Vossian. 1. 2. 3. 4. et Berg. *idque ab eo protinus factum* Boend. *idque protinus factum* Norvic.

Sabinos præterea acie vicit] Desunt hæc in Vossian. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend.

Cloacas fecit. Servius Tullius] Veteres libri uberiores, ita: *Cloacas fecit: occisus est ab Anci filiis, eum regnasset annos XXXVIII. successit ei Ser. Tullius, natus ex captiva nobili Corniculana; cui puero, adhuc in cunis posito, caput arsisse traditum est. Is Veientes, &c.* Sigon. Quæ Sigonius ex suis profert, exstant etiam in Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. nisi quod Voss. 1. et Boend. *XXXVIIII.* habeant, pro *XXXVIII.* Antea edebatur, *Cloacas fecit. Servius Tullius natus ex captiva Corniculana, cui puero in cunis posito caput arsisse traditum est. Veientes:* quemadmodum in Norvic. esse Hearne testatur. Sequentia, *Veientes atque Etruscos prælio fudit*, non comparent in Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. Boend. et exc. Pithœi.

Censum primus omnium egit] Vocem *omnium* non agnoscunt Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. quare eam etiam expunxi. Vide Jac. Gronov. ad Epitom. lib. XLVIII. Insuper *censum primum egit* Voss. 2. 3. 4. Male. Potius enim auctor secutus videtur morem historicorum aliorumque, qui quid quisque *primus* fecerit, vel cui quidque *primo* evenerit, diligenter adnotare soliti sunt, ut exemplis probat Perizon. in Animadv. Histor. c. 8. p. 345. Ita supra hac Epit. ' Jano templum constituit; ejusque portam, pacatis omnibus circa populis, primus clausit.' Vide etiam hac Epit. pag. 12393.

Lustrum condidit. Classes] Plenior antiqua est lectio, sic: *Lustrum condidit, quo censa LXXX. M. esse dicuntur. Classes.* Est hic numerus etiam apud Livium 1. 44. et is, qui Epitomas scripsit, ejusmodi summas diligentissime ponere solitus est. *Sigon.*

Lectionem editionum ante Sigonium servat codex Norvic. ut plerumque alibi solet. Cum codd. Sigonii faciunt Vossiani et Berg. Verum plenius Boend. hoc modo, *Et lustrum condidit, quo civium capita censa LXXX. M. esse dicuntur:* et hæc verior lectio est. Perpetuo enim auctor his Epitomis in referendo numero eorum qui quolibet lustro censi sunt, *civium capita* memorat, et non aliter locutus reperitur. Ex cujus consuetudinis observatione eas voces hic inserendas esse Dukerus sola conjectura ductus recte vidit. Eamdem itaque lectionem, quamvis unius tantum codicis auctoritate firmatam, tamen recipiendam putavi. Præterea sequentia *classes centuriasque descripsit*, desunt in omnibus nostris et excerptis Pithœi.

In Aventino fecit. L. Tarquinius] Plenior est vetusta Mss. librorum lectio, hoc modo: *In Aventino fecit. Interfectus est a Tarquinio Prisci filio, consilio filiæ suæ Tulliæ, cum regnasset annos XXXIV. Post hunc L. Tarquinius Superbus, neque Patrum, neque populi jussu, regnum invasit. Quo die, &c.* Sigon. Supplementum, quod Sigonius ex codd. suis addidit, superest etiam in Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. nisi quod, uno excepto, in numero annorum, quos Servius regno præfuit, dissentiant. Nam, pro *annos XXXIV.* est *annis LXIIII.* in Voss. 3. et 4. *annis XLXIIII.* in Voss. 2. signo tamen priori numero denario subscripto, quo eum delendum esse librarius indicabat: *annis XLIIII.* Vossian. 1. *annos XLIIII.* Boenderm. solus Berg. habet *annis XXXIIII.* etiam Hearne *annos quadraginta quatuor* in cod. N. et excerptis Pith. invenerat, eumque numerum ipsius Livii auctoritate I. 48. firmari monuerat: hinc etiam recipere non dubitavi. Ante Sigonium vulgo edebatur, *in Aventino fecit. Lucius Tarquinius Superbus, occiso Servio socero suo, invasit regnum. Quo die:* cui lectioni adstipulatur cod. Norvic. nisi quod habeat *ejus socero*, pro *socero suo:* quod et multæ edd. antiquiores præferunt. Denique verba, *quo die scelerata Tullia per patris jacentis corpus carpentum egit*, exsulant ab omnibus codd. nostris.

Ad custodiam corporis sui habuit] *In custodiam sui habuit* Voss. 1. 2. 3. 4. et Berg. *in custodia sui habuit* cod. Boend. *in custodiam* etiam Hearne in exc. Pithœi invenit. Mox iidem omnes omittunt verba, *Turnum Herdonium fraude interemit:* ut et postea nostri, *Terminus et Juventas non addixere, quorum aræ moveri non potuerunt.*

Et ex eorum præda] *Et ex spoliis eorum* omnes nostri et exc. Pithœi.

Filius Sext. Tarquinius dolo] Vet. libri *Filii Sext. Tarquinii dolo.* Loquitur autem de rebus gestis Tarquinii Superbi regis. Itaque præter alia Sexti etiam Tarquinii filii dolo, inquit, Gabios in suam potestatem redegit. *Sigon.* Verba *Filius Sext. Tarquinius* plane exsulant a Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. Boend. et excerptis Pith. *ejus filii Sex. Tarquinii dolo* Norvic. et antiquissimæ edd. *ejus* jam omiserunt Venetæ. Postea operarum errore Ascens. dedit *Filius Sext. Tarquinii dolo:* hinc in Mogunt. factum *Filius Sex. Tarquinius dolo.* Videat itaque Doujatius, unde probet, in plerisque codd. esse *Sextus Tarquinius.* Tantum enim ita editum exstat in edd. Moguntinam secutis usque ad Sigonianas. Ex codd. autem Mss. nullus eam lectionem præfert.

Hujus filiis Delphos] Prima vox non est in exc. Pithœi.

Primum matrem osculatus esset] *Primus* cod. Boend. Ipse ita Liv. I. 56. ‘ Imperium summum Romæ habebit, qui vestrum primus, o juvenes, osculum matri tulerit.’ Ita mox unus et alter cod. hac Epit. in fine præferunt, *Tunc consules primi creati sunt L. Ju-*

nius Brutus et L. Tarquinius Collatinus: pro *primum.* Supra h. Ep. *Censum primus egit.*

Factum ejus eventus rei comprobavit] Ita in Aldina demum inveni: priores *eventum rei*, adstipulante cod. Norvic. *eventus comprobavit* Voss. 1. 2. 3. 4. et exc. Pith. *factum eventus ejus rei comprobavit* Boend. *factum ejus comprobavit* Berg.

In odium sui adduxisset] *Odium suum* Voss. 1. 2. Norv. et exc. Pith. *odium susum* Boend. tum *edixisset* Voss. 1. *adjunxisset* Boend.

Bruti opera maxime expulsus est] *Bruti opere* Voss. 1. 2. 3. et 4. *Bruti ope* Boend. Non intercedo, quo minus quisque eligat, quod placeat; omnes enim hæ lectiones aliquo modo ferri possunt. Ego tamen vulgatum præfero, quod servat Berg.

Annos viginti quinque. Tunc consules] *Annos XXXV. Tum consules* Berg. *Annos viginti quinque. Regnatum est annis CCLV. Tunc consules* exc. Pithœi: quæ eadem verba breviorem sex codd. Epitomen exhibuisse supra dictum est. *Annos ducentos quadraginta quinque* Romæ regnatum esse Liv. tradit lib. I. cap. ult.

Consules primum creati] *Primi* Voss. 3. et Berg. Vide pag. 12391.

Et L. Tarquinius] Copula deest in Voss. 2. 3. et 4. Vide ad II. 17.

LIB. II.

Hoc secundo libro, præter historiæ variationem, qua pleraque Livio aliter, quam Dionysio, ordinata sunt, etiam hoc erroris lectorem implicat, quod usque ad primum decemvirorum annum in Livio tres deficiant anni, qui in Dionysio bene habent: quod ut lectori manifestum faciam, subjungenda hæc existimavi. Dionysius atque Livius in consulum nominibus, quod ad primos duos attinet annos liberatæ urbis, conveniunt, in tertio ac deinceps differunt. Nam Dionysius lib. v. p. 293. tertii anni consules asserit P. Valerium Publicolam tertium ac M. Horatium iterum. Livius II. 15. pro Horatio P. Lucretium ponit, quod nomen mihi suspectum. Quarti anni consules T. Herminium ac Sp. Largium Dionysius lib. v. p. 304. ponit, viros in necessitate urbis, quum ab Hetruscis oppugnaretur, extrema ausos. Hos Livii codex omittit, temporum, ut puto, injuria, ac ejus anni consules ponit II. 16. M. Valerium Publicolæ fratrem ac P. Postumium, qui fuere quinti anni consules. Itaque in seqq. annis prævertit Livius anno uno consulum nomina. At vigesimo ab urbe liberata anno in codice Livii II. 39. rursus omissi sunt consules duorum annorum, qui sunt apud Dionysium. Et prioris quidem anni Q. Sulpicius Camerinus, Ser. Largius Flavius VII. p. 472. sequentis vero C. Julius, P. Pinarius VIII. p. 481. Sane horum duorum annorum binos omissos consules satis luculenter convincit summa annorum a Livio III. 33. posita de reipublicæ mutatione sub decemviris. Quod vero quartus annus ab urbe liberata in Livio desideretur, ex Plinio facile ostendi potest, qui XXXV. 3. ait Ap. Claudium cum P. Servilio consulem fuisse a. CCLIX. qui apud Livium (si quidem quarti apud Dionysium anni consulum nomina omiserimus) esset CCLVIII. ut supputanti perspicuum fuerit. Ad idem ostendendum juvat, quod Cic. de Clar. Orat. c. 16. ait, decimo ab urbe liberata anno consules fuisse M. Tullium cum Ser. Sulpicio, qui, omissis Dionysii consulibus, fieret nonus apud Livium. Hæc fortassis nimium curiosa aliquibus videri poterunt: at cum videam apud magnos auctores ejus rei curam non omissam, et lectores in his sæpe numero cum non parum remorari, tum etiam torqueri, annotare ea placuit. Optimus quisque lector pro suo in nostros labores

candore boni consulat. *Glar.* Dissensum Livii et Dionysii optime Glareanus ostendit. Quod ad primum annum a Livio omissum adtinet, eum non ipsius Livii, sed librariorum, negligentia excidisse viri docti existimant; quem errorem varie emendare conati sunt. Vide Sigonium ad Livii II. 15. in fine, et Gronov. ad idem cap. in princ. Alterum biennium consulto ab ipso Livio omissum esse Sigonius existimat, in Scholiis in Chronolog. Livianam ad a. CCLXIV. Quem refellere conatus est Robortell. de Convenientia Supput. Livianæ c. 2. Sed sententiam defendit Sigonius Annot. in libr. Robort. de Conven. Supp. Liv. Eos tamen recte suo loco interseri posse partim cap. 35. partim cap. 37. lib. II. existimat Pighius in Annal. Rom. ad a. CCLXIII. et a. CCLXIV. p. 98. ut illis locis vidimus.

Neminem regnare Romæ passurum] *Romæ regnare passurum* Leid. *Romæ regnare passuros* Voss. 1. 2. 3. 4. et Berg. *regnare Romæ passuros* Boend. quod in contextum recipiendum duxi, quum in eadem re Livius similiter locutus sit hoc lib. cap. 1. 'Avidum novæ libertatis populum jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare:' et c. 2. 'Jusjurandum populi recitat, neminem regnare passuros.' Plura vide ad Liv. X. 13. § 11.

Tarquinium Collatinum collegam suum] Vox *Collatinum* non adparet in Leid. Voss. 1. Berg. et Boend. eamdem quoque præteriri in Oxon. suis N. Exc. Pithœi et Norvic. testis est Hearne. In vulgatam lectionem conspirant quas consului edd. nisi quod postrema Gruteri dederit *neminem regnare Romæ passurum Tarquiniorum: Collatinum collegam suum:* quam lectionem plerique recentiorum servarunt, usque dum Gronovius, quæ antea obtinuerat, an. 1665. reduceret. Et sane alteri Gruteri locus esse nequit. Non modo enim populus, adigente Bruto, juravit, se neminem Tarquiniorum, sed se neminem quemquam regnare Romæ passuros, quemadmodum verba Livii modo adscripta evincunt, et etiam Dion. Halic. tradit Antiq. Rom. v. 277. Στάντες ἐπὶ τῶν τομίων ὤμοσαν, καὶ τοὺς ἄλλους πολίτας ἔπεισαν ὀμόσαι, μὴ κατάξειν ἀπὸ τῆς φυγῆς βασιλέα Ταρκύνιον, μήτε τοὺς παῖδας αὐτοῦ, μήτε ἐξ ἐκείνων γενησομένους, βασιλέα τε τῆς Ῥωμαίων πόλεως μηκέτι καταστήσειν μηδένα. J. Malal. etiam parte I. Chronogr. pag. 231. constitutum fuisse tradit, μὴ εἶναι τοῦ λοιποῦ βασιλέα ἐν τῇ Ῥώμῃ.

Coëgit consulatu se abdicare] *Coëgit consulatus abdicare* Vossian. 2. 3. et 4. *coëgit a consulatu se abdicare* Oxon. N. apud Hearn. Sed utrumque dormitanti librario adtribuo.

Suos quoque et fratris filios] Lege *et sororis filios;* sic enim IV. 15. locutus est. Intelligit autem Aquillios Vitelliosque, natos ex sororibus duabus Collatini collegæ sui. *Sigonius. Suos quoque fratres et filios* Voss. 1. *suos quoque et fratrem et filios* Boend. a m. pr. pro quo m. sec. *et fratris filios* emendatum erat: *et fratris filios* est in Voss. 2. 3. 4. et Berg. Ex uno Leid. nihil notatum in excerptis video; ut is legisse, quemadmodum Sigonius emendavit, videatur. Ceterum Sigonius, tradens et ad hunc loc. et ad Liv. IV. 15. § 3. Aquillios Vitelliosque ex sororibus duabus Collatini consulis natos esse, secutus est Plutarch. in vit. Poplic. p. 98. quod de Aquilliis solis narrat Dion. Halic. Antiq. v. 281. et 283. Si tamen Plutarchi sententiam veriorem esse ponamus, nondum videre possum, qua ratione ea firmandæ Sigonii conjecturæ inservire queat. Nam verba *Brutus suos et sororis filios securi percussit* non notant, eum suos et sororis collegæ filios securi percussisse. Secundum alios scriptores Vitellii erant fratres uxoris Bruti. Ita Liv. hoc

lib. c. 4. 'Vitelliis Aquilliisque fratribus primo commissa res est. Vitelliorum soror consuli nupta Bruto erat.' Dion. Halic. Antiq. v. 281. Ἦσαν σὺν αὐτοῖς Γέλλιοί τε δύο, (Οὐϊτέλλιοι scribendum monet Sigon. ad locum Livii laud.) Μάκρος καὶ Μάνιος, ἀδελφοὶ τῆς Βρούτου γυναικός. Oros. II. 5. 'Duos filios suos adolescentes, totidemque uxoris suæ fratres Vitellios juvenes in concionem protraxit, virgis cecidit, securique percussit.' Idem autem etiam tradit Plut. in Poplic. p. 98. Ἰδίᾳ δὲ Οὐϊτελλίοις ἑτέρα πρὸς Βροῦτον οἰκειότης ὑπῆρχεν· ἀδελφὴν γὰρ αὐτῶν ὁ Βροῦτος εἶχεν, καὶ παῖδας ἐξ αὐτῆς πλείονας. An ergo potius Voss. 1. lectio *suos quoque fratres et filios* probanda, et *suos fratres* accipiendum erit de fratribus uxoris? modo vocem 'frater' absolute eo sensu a Latinis usurpatam fuisse constet. Certe uxoris fratrem speciale nomen apud Romanos non habere testatur Isidor. Orig. x. 8.

Servo indici, cui Vindicius nomen fuit, libertatem dedit] *Cui Vindicio nomen fuit* Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. Berg. et Boend. Quod verum est, et recipiendum duxi. In Epit. lib. VI. 'In cujus notam senatusconsultum factum, ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset.' De ratione loquendi vide quæ notantur ad Livii I. 1. § 5. Sigonius ferme verum deprehendit. Edidit enim *cui Vindici nomen fuit*, quemadmodum scribendum conjecit ad Liv. II. 5. 'Quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant; Vindicio ipsi nomen fuisse.' Sed vide quæ ad eum locum notantur. Præterea *libertatem donavit* Boend. Sed alterum reliqui codd. constanter servant, et Livii auctoritas insuper firmat, qui II. 5. 'Præmium indici, pecunia ex ærario, libertas et civitas data.' Alibi non raro τὰ 'dare' et 'donare' commutantur. Vide ad II. 35. § 5. Mox etiam *vindicta appellata*, omisso medio τῷ *est*, Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. Berg. et Boend.

Adversus reges, qui, contractis Veientium et Tarquiniorum copiis, bellum intulerant] Vetusti libri habent *Tarquiniensium*; quod placet. Nam, ut a 'Veiis,' 'Veientes;' sic a 'Tarquiniis,' 'Tarquinienses' dicti sunt. *Sigon. Adversus regem, qui intulerat* Leid. et Boend. Sed mox ipse dixerat, 'quia conjuraverant de recipiendis regibus.' Et ita Liv. II. 2. 'Collegam sibi comitiis centuriatis creavit P. Valerium, quo adjutore reges ejecerat:' ubi plura dicenda erunt. Hinc *contractis* omittitur in Berg. Quamvis autem *intulit bellum copiis* dictum videri posset pro *cum copiis*, longe tamen vulgatum præferendum puto propter amphiboliam, ceterorumque codicum, vocem illam constanter servantium, auctoritatem. Deinde *Veientum* Vossian. 1. 2. 3. 4. Leid. et Berg. Ipsi tamen Livio alterum ubique placuit, ut lib. I. c. 15. c. 27. lib. II. c. 8. c. 44. et infinitis aliis locis. Eadem lectionis diversitas in codd. infra est in Epit. lib. IV. Denique *Tarquiniensium* cum veteri cod. Sigonii etiam habent Voss. 1. 2. 3. 4. et Leid. Qua forma Livius id nomen extulit II. 6. et ubique semper. Auctor etiam Epit. lib. VII. 'Res præterea contra Hernicos, et Gallos, et Tiburtes, et Privernates, et Tarquinienses, et Samnites, et Volscos prospere gestas continet.'

Exercitum duxisset, in acie cum Arunte, filio Superbi, commortuus est] *Exercitum deduxisset* Voss. 1. et Berg. *exercitum traduxisset in aciem* Boend. *in aciem* etiam habent antiquiores editi. Male. Vulgatum recte indicat Brutum in acie cecidisse: ut Livius quoque narrat mox c. 6. Deinde *q mortuus est* Boend. a m. pr. *mortuus est* Voss. 2. et 3. Sed *commortuus* hic elegantem emphasin habet ob casum, quo perierunt, a Liv. ibid. descriptum. Pariter Oros. l. II. c. 5. 'Ipse deinde Veientum Tarquiniensiumque

bello cum Arunte, Superbi filio, congresso sibi commortuoque, procubuit.' Plin. Nat. Hist. VIII. 12. 'Elephantos ab iis ebibi, siccatosque concidere ; et dracones inebriatos obprimi, commorique.' XXVII. 2. 'Mirumque, exitialia per se ambo cum sint, duo venena in homine commoriuntur, ut homo supersit.'

Eumque matronæ annum luxerunt] *Eum quoque matronæ* Berg. solito scribarum errore, qui passim voculas *que* et *quoque* in codd. vetustis confuderunt. Vide ad Livii v. 27. § 1. Deinde *anno luxerunt* Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. et Berg. Ita Aurel. Vict. de Viris Inlust. c. 10. 'Cujus corpus in foro positum, a collega laudatum, matronæ anno luxerunt.' At vulgatum tuetur auctoritas Livii II. 7. 'Matronæ annum, ut parentem, eum luxerunt.' Et hujus generis sunt illa X. 21. 'Justitium fuerat dies decem et octo.' XXXV. 40. 'Diem noctemque arsere.' Quibus locis plura notantur.

P. Valerius consul legem] *L. Valerius consul* Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. Berg. Boend. exc. Pithœi, et priscæ, quibus usus sum, edd. usque ad Sigonium, cujus cura deinceps recte *P. Valerius consul* vulgatum est. Eumdem errorem olim non modo hoc loco, sed et apud Plin. XXXVI. 15. et apud Aur. Vict. de Vir. Inl. c. 15. commissum fuisse observat Pighius in Annal. Rom. ad a. CCXLIV. p. 69. et ubique L. Junii Bruti collegæ 'Publii' prænomen ex Fastis Capitolinis reddendum docet. Mox alio vocabulorum positu *legem de provocatione tulit ad populum* est in Boend.

Porsena rex Clusinorum] *Porsenna* Boend. de cujus vocis orthographia vide ad Livii II. 9. § 1. Tum *Clusinorum rex* Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. Berg. et Boend.

Quum ad Janiculum venisset] *Quum ad Janiculum pervenisset* est in Berg.

Ne Tiberim transiret, virtute Coclitis Horatii prohibitus est] *Ut Tyberim transiret* Boend. Tum *virtute Coclis* Leid. Voss. 1. 2. 4. et a m. pr. Voss. 3. Id voluit etiam librarius Berg., cujus tamen manus aberrans dedit *virtute Cœlis.* Sed *virtute Cocleadis* Boend. Denique, omissa adspiratione, *Oratii*, vel *Oracii*, Vossian. 1. 4. Berg. et Boend.

Qui, dum alii pontem sublicium rescindunt] In vet. libro legitur *qui, aliis pontem sublicium rescindentibus.* Delrius. Lectionem, quam in suo Delrius invenit, in nullo nostro reperi. Sed *qui aliis pontem sublicium rescindit* est in Voss. 1. *quidam aliis* in Boend. et *pontem sublicum*, pro *sublicium*, in Voss. 3. et 4. *rescindere pontem* dixit etiam Liv. II. 10. 'Eos quoque ipsos, exigua parte pontis relicta, revocantibus, qui rescindebant, cedere in tutum coëgit.' Flor. I. 10. 'Horatius Cocles, postquam hostes undique instantes solus submovere non poterat, ponte rescisso tranat Tiberim:' ubi minus recte Grævium *reciso* substituisse locus Livii laudatus et hic auctoris Epitomarum docent, nisi utrobique etiam *recidere*, invitis licet membranis, refingendum sit ; quod nemini, puto, verosimile videbitur. Vide etiam Dukerum ad Florum. Attamen, 'recidere pontem' dici posse, non nego. Sed, si quæ differentia inter utramque locutionem statuenda sit, cum 'recidere' notet minuere, ipso Grævio teste, 'recidere pontem' erit eum ita minuere, ut tamen usus, cui inservire solet, non tollatur, utputa, si angustior fiat, vel pars quædam superflua præcidatur ; 'rescindere pontem' autem eum rumpere, et efficere ne quis per pontem transire possit : qui Livii, Flori, et auctoris Epitomarum sensus est.

Armatus se in flumen misit] *Armatus in flumine se misit* Boend. *armatus in flumen se misit* Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. et Berg.

Et ad suos tranavit] *Transnavit* Berg. et Boend. *tranatavit* Voss. 1. et Leid.

transnatavit Voss. 2. 3. et 4. Vide ad Liv. XXI. 27. § 5. et c. 47. § 4.

Alterum accessit virtutis exemplum a Mucio] Pro *a* vet. lib. *in*. Delrius. *In Mucio* etiam est in Leid. Voss. 1. 2. 3. et 4. quod Hearne similiter se Oxon. in Exc. Pithœi et N. reperisse profitetur: idem quoque voluisse librarius Berg. cod. videtur, in quo ab initio scriptum est *exemplum mihi Mutio*. Sed m. sec. tribus posterioribus literis vocis *mihi* stigmata subjecta sunt, quibus eas delendas indicabatur. In superstite autem *m* latet τὸ *in*.

Quem regem esse putabat] *Quem esse regem extimaverat* Berg. *quem regem esse existimaverat* Voss. 1. 2. 3. 4. et Leid. Eodem modo scriptum erat in Hearnii Oxon. N.

Inpositam altaribus manum, in quibus sacrificatum erat] *Impositam manum altaribus* Berg. *impositam manum aris* Leid. Aurel. Vict. in Vir. Inlustr. c. 12. 'Apprehensus, et ad regem pertractus, dexteram aris inposuit.' 'Foculum' vocat Liv. II. 12. et 'altaria' eod. cap. 'focos' Flor. I. 10. Præterea *in quibus sacrificium erat* Leid. et Berg. Sed vulgatum verum est. Quum enim, Livio teste, Mucius scribam Porsenæ interfecerit, quo tempore militibus adeuntibus stipendium persolvebat, id inter sacrificandum fecisse non videtur, sed postquam jam res divina peracta esset. Nullus etiam scriptor scribam hunc occisum narrat, quum sacrificaretur. Livius dextram injecisse Mucium scribit 'accenso ad sacrificium foculo,' Florus 'ardentibus focis.' Et in variis etiam antiquitatis monumentis, quæ Mucii factum referunt, ignis in foculo accensus, sed nullum simul sacrificium inpositum cernitur. Quædam eorum æri incisa vide in notis meis ad Silii Ital. VIII. 385. qui et ipse 'flagrantes altaribus ignes' memorat, sed sacrificii nullam mentionem fecit.

Tales trecentos esse conjuratos in mortem ipsius regis] *Trecentos tales esse* Leid. *trecentos esse tales* Berg. *esse tales trecentos* Boend. *trecentos esse*, prima voce omissa, Vossian. 1. quod verum videtur. Quum enim addatur *conjuratos in mortem ipsius regis*, vox *tales* tuto abesse potest: unde etiam Leid. cum Vossian. 2. 3. et 4. atque Hearnii Oxon. N. et Excerpt. Pithœi, qui vocem *tales* servant, quinque posteriores omiserunt. Denique *superesse* Voss. 3. a m. sec. Quod et ipsum recipi posset, licet, capto jam Mucio, trecentorum numero unus desit.

Quorum admiratione coactus Porsena pacis conditiones ferre, bellum omisit] *Ferens*, pro *ferre*, Leid. *coactus Porsenna bellum omisit*, reliquis omissis, Boend. Plura adhuc desunt in Voss. 1. in quo tantum superest *quorum admiratione inferre bellum omisit*. Mox seqq. vocabula *acceptis obsidibus* omittuntur in Berg. quæ tamen abesse nequeunt ob illa quæ subjiciuntur, 'ex quibus virgo una Clœlia.'

Ex quibus virgo una Clœlia] Dnæ priores voces exsulant a Voss. 3. et 4. Deinde *Clodia* Berg. et Boend. *Coclia* Voss. 1. *Cœlia* Voss. 2. 3. et 4. Sed in nomine gentis *Clœliæ*, sibi minus notæ, passim errarunt scribæ librarii. Vide ad Livii II. 13. § 6.

Ad suos tranavit] *Transnavit* Berg. et Boend. *tranatavit* Voss. 1. *transnatavit* Voss. 2. 3. et 4. Vide supra h. Epit.

Et quum reddita esset a Porsena honorifice remissa, equestrique statua] Lege, et interpunge ita ex vet. lib. *et quum reddita esset Porsenæ, honorifice remissa, equestri statua donata est*. Sigon. *Reddita Porsenæ* tantum invenio in Voss. 2. 3. et 4. qui mox etiam copulam *que* omittunt. *Porsena* est in Voss. 1. *a Porsena* in Leid. Berg. et Boend. in quibus et ipsis τὸ *que* neglectum: *a Porsena* etiam Oxon. Norvic. N. et Exc. Pithœi habere testis est Hearne, sed in ultimo tantum eorum desiderari voculam *que*. Hinc

potius scribo, et distinguo, *et quum reddita esset, a Porsena honorifice remissa, equestri statua.*

Ap. Claudius ex Sabinis Romam, &c.] Hæc pericope, usque ad voces *ut essent viginti una*, subjicitur periodo sequenti, post voces nempe *apud lacum Regillum*, in omnibus Mss. nostris Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. Neque aliter præferunt priscæ edd. Ordo autem, qui in recentioribus obtinet, demum mihi obvius fuit in ed. Ald. Caussam autem transponendi nullam aliam Aldus habere potuit, quam quod Livius etiam adventum Ap. Claudii Romam ante bellum cum Latinis narraverit: quæ tamen an satis legitima fuerit, vehementer dubito. Pluribus enim locis auctor harum Epitomarum rerum gestarum ac temporum seriem confudit, ut sæpius infra monendum erit; quæ tamen omnia loca nunc ab editoribus mutata, et secundum ordinem chronologicum iterum digesta sunt. Sed unus adhuc locus eos effugit in Epit. lib. CIII. ubi Sigonius propterea ultima verba non suo loco sita esse queritur, eumque librarii errorem esse pro certo habet; non ego.

Claudia tribus adjecta est. Numerus tribuum ampliatus est] Forte legendum *Claudia tribus adjecta numerusque tribuum.* Delrius. *Claudia tribus adjecta est, numerusque tribuum ampliatus* Boend. quod recipiendum, si quid mutandum est: *adjecta est, numerusque tribuum ampliatus est* Berg.

Ut essent triginta una] Ex fide vetustorum librorum scribendum est *viginti una*, ut ad II. 21. § 7. ostendi. *Sigonius. Viginti una* etiam præferunt Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. et Berg. Unus dissentit Boend. qui *triginta una* vel *XXXI.* servat: *triginta duæ* se in editio Rom. princ. reperisse Hearne profitetur.

A. Postumius dictator prospere pugnavit apud lacum Regillum] *A. Postumus*, vel *Posthumus*, Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. Deinde vox *dictator* abest a Leid. Voces autem *apud lacum Regillum* deficiunt in eodem Leid. ut et Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et, teste Hearnio, in Oxon. N. atque ed. Rom. principe.

Plebs quum propter nexos ob æs alienum Sacrum in montem secessisset] *Plebs tum, &c. secessit* Voss. 1. *Plebs tum recessit* Berg. *Plebs tum successit* Voss. 2. 3. et 4. Deinde *in Sacrum montem* Leid. Voss. 1. Berg. Boend. et primæ edd. Postea operarum errore in Veneta a. 1495. excusum est *Sacrum montem, τῷ in* omisso; pro quo demum Veneta proxima a. 1498. dedit *Sacrum in montem:* quod recentiores omnes adoptarunt. Ego, licet haud multum intersit, tamen ob veterum codd. auctoritatem priscam lectionem revocavi. Ceterum ante hæc verba in Ascens. 1513. adjectum invenio, *Dictator primus creatus, et magister equitum dictus. Celebratur Valerii et Manilii interitus. Romani Latinique officiis intendunt:* quod aliquot sequentes servarunt; sed Aldus iterum expunxit: et recte. Sunt enim lemmata margini Livianæ in vetustis edd. adposita ad l. II. capp. 18. 19. 20. et 22. Nulli etiam codicum, quibus usus sum, illa agnoverunt.

Consilio Menenii Agrippæ] *Menei Agrippæ* Vossian. 1. *Menni Agrippæ* Voss. 2. et 4. *Meni Agrippæ* Voss. 3. *Meneni Agrippæ* Berg. *Meñii Agrippæ* Boend. Tot modis Agrippæ Menenii nomen in scriptis corruptum erat librariorum inscitia. Vide etiam ad Livii II. 16. § 17.

Quum decessisset, propter paupertatem publico inpendio elatus est] *Quum secessisset* Vossian. 1. Tum *impendio publico propter paupertatem* Leid. Denique *elevatus est* Voss. 2. 3. et 4. *datus est* Boend. a m. pr.

Oppidum Volscorum Corioli] *Vulscorum* Voss. 1. 2. et 3. Et ita ubique in Mss. hoc nomen exaratur. Vide

ad l. I. c. 23. § 8. et ad II. 9. § 6. Sed *Volsci* scribitur hoc nomen passim in Fastis Capitol.

Captum est virtute et opera Cn. Marcii] *C. Marcii* scribe. Est enim apud Dionysium lib. VI. pag. 412. et Plutarchum ejus vit. in princip. Γάϊος Μάρκιος. Item in quibusdam etiam veteribus libris, *C. Marcius*. Et præterea genti Marciæ familiare prænomen *Caii*, non *Cnæi*. Sigon. *Virtute et opera captum est* Berg. Deinde *Cn.* vel *Gn. Marcii* constanter Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. quomodo et plerique codd. exhibent apud Aur. Vict. de Vir. Inlustr. c. 19. et Livium hoc lib. c. 54. § 6. et alibi. Id etiam verum esse sibi persuasit Glarean. ad Eutrop. I. 15. atque ita Græcum Dionysii codicem emendandum contendit. Sequor tamen judicium Sigonii, quem etiam vide ad Liv. II. 33. § 5. et Schotti ad Aur. Vict. l. laud. Vide etiam Duker. ad Flori I. 11. § 9. Neque aliter exaratum inveni in duobus codd. Trajectinis Valer. Max. IV. 3. ex. 4. ubi etiam vulgo *Cn. Marcius* ditur. Eadem, quæ hoc loco, paullo infra etiam eadem hac Epitome, lectionis varietas occurrit.

T. Latinus] *T. Latinius* scribendum est ex vet. lib. Accedit quod Lactantius Firmianus II. 7. *Ti. Attinium*, Macrob. Saturn. I. 11. *Annium* vocant, errore non admodum a veritate alieno. *Sigon.* Quod est in vet. lib. *T. Latinius*, Val. Maximus et Lactantius Firmianus *Atinium* vocant. Et Romæ plebeia fuit Atiniorum familia. Livius XXXIX. 17. ‘ Capita autem conjurationis esse constabat M. et C. Atinios de plebe Romana.’ *Delrius.* *T. Latirius* Voss. 1. *T. Latinus* Voss. 2. 3. 4. Leid. et Berg. Neque aliter a m. sec. in Boend. quum antea scriptum fuisset *Titus Lavinius.* Quamvis autem Sigonius interim *T. Latinius* scribendum monuisset, eamque lectionem ipse in suis edd. exhibuisset, nihilominus tamen reliquæ omnes, etiam post Sigonium, *T. Latinus* servarunt usque ad ultimam Gruteri, in qua, partim ex Macrob. partim ex Delrio, *Tib. Atinius* repositum est. Vide quæ notantur ad Livii II. 36. § 2.

Vir de plebe] Vox *vir* non est in vet. lib. Liviusque sic sæpissime loquitur. *Delrius.* Τὸ *vir* constanter superest in Leid. Vossian. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. Et sane verum est, Livium eam vocem sæpe omittere solitum fuisse. Infra III. 71. ‘ Consurgit P. Scaptius de plebe, magno natu.’ XXXIX. 17. ‘ Capita autem conjurationis constabat esse M. et L. Catinios de plebe Romana: ’ ut et alibi. Hic tamen nihil videtur mutandum, tum ob auctoritatem codicum, qui præter Delrianum omnes in vulgatam lectionem consentiunt; tum propter alios scriptores, hanc historiam memorantes, qui non quidem vocem *vir*, sed ei respondentem *homo*, adhibuerunt. Ita Liv. II. 36. ‘ Haud ita multo post Ti. Atinio de plebe homini somnium fuit.’ Valer. Max. I. 7. ex. 4. ‘Ti. Atinio homini ex plebe Jupiter in quiete præcepit.’ Lactant. Divin. Instit. II. 7. ‘ Ti. namque Atinio homini plebeio per quietem ob versatus esse Jupiter dicitur.’ Quin et alibi Livius ita loqui solet. I. 9. ‘ Quasdam forma excellente, primoribus Patrum destinatas, ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant.’ Hoc lib. cap. 55. ‘ Quatuor et viginti lictores adparere consulibus, et eos ipsos plebis homines.’ Et postea eod. cap. ‘ Ad Voleronem Publium, de plebe hominem, lictor missus est a consulibus.’ III. 14. ‘ Benigne salutare, adloqui plebis homines.’ c. 19. ‘ Si quis vobis humillimus homo de vestra plebe domum suam obsessam a familia armata nunciaret.’ v. 40. ‘ In eo clivo eas quum L. Albinius, de plebe Romana homo, conspexisset.’ XXIV. 2. ‘ Quacumque custodiant plebis homines, ea patere aditum.’

Monitus esset, ut de quibusdam religionibus ad senatum perferret, et neglexisset] Vox *esset* non exstat in Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Boend. quorum ultimus etiam omittit τὸ *et* ante *neglexisset*. Id autem interceptum esse posset ab ultima syllaba proximæ vocis *perferret*. Vide ad Liv. XXXV. 41. § 7. Forte scribendum, *monitus, ut de quibusdam, &c. perferret, id neglexisset*. Præterea *de quibusdam regionibus* Voss. 1. sollemni librariorum lapsu, qui ita plurimis locis infra peccarunt. Vide ad II. 1. § 4. Denique *ad senatum referret* Leid. Male: *perferret ad senatum*, est ei diceret, narraret, nunciaret; quibus fere verbis usi sunt scriptores, qui eamdem historiam narrarunt: *senatui referret* etiam commodum foret, sed *ad senatum referret* longe aliud est, quod eo tempore solis consulibus, non homini de plebe, competebat.

Amisso filio, debilis factus] *Pedibus debilis factus* Excerpt. Pithœi, teste Hearnio. Sed mox sequitur ' usu pedum recepto.' Quamvis neque verum videatur, pedibus tantum debilem factum esse. Non tantum enim Liv. II. 36. narrat ingentem vim morbi Atinium adortam esse, ' debilitate subita;' sed paullo post insuper addit ' captum omnibus membris ' fuisse. Pari modo Val. Max. I. 7. ex. 4. Atinium ' debilitate corporis solutum,' vel ' resolutum ' fuisse ; ubi vid. Torren. et mox ' recuperata membrorum,' non tantum pedum, ' firmitate,' pedibus domum rediisse. Et similiter alii.

Eadem illa indicaverat] *Illa eadem indicaverat* est in Leid. et Boend. Sed eodem ordine, quamvis ceteroquin haud multum intersit, etiam Liv. II. 36. ' Eadem illa quum Patribus ingenti omnium admiratione enarrasset.' Vide Cortium ad Sallust. Jugurth. c. 14. § 21.

Quum Cn. Martius Coriolanus, qui in exilium pulsus, dux Volscorum factus, exercitum hostium urbi primo admovisset] Lege ad fidem veteris lectionis, *Quum C. Marcius Cor., qui in ex. erat pulsus, dux Vols. factus ex. host. urbi Romæ admovisset*. Sigon. De Marcii prænomine vide hac Epitom. *In exilium erat pulsus*, ut Sigonius restituit, etiam superest in Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. et Berg. Solus Boend. hic editis prioribus adhæret. Deinde *exercitus hostium* Leid. et Voss. 2. At unius tantum exercitus in Livio mentio fit. Denique *urbi admovisset* Berg. et Boend. Verum ita ambignum evadere posset utrum jungi deberet *exercitum hostium*, an *hostium urbi*. Malim itaque cum Sigonio et codd. nostris Leid. ac quatuor Voss. *urbi Romæ admovisset*. Norvic. apud Hearnium perperam stat cum editis, *primo* exhibens.

Postea sacerdotes frustra] *Per omnia*, pro *postea*, manifesta librariorum aberratione Voss. 1. Paullo post, serie vocabulorum immutata, *patriæ bellum inferret* Boend.

Inpetraverunt ab eo] *Impetravit ab eo* Berg. *impetrarunt ab eo* Voss. 1.

Sp. Cassius consularis] Gronovius ad Epit. lib. XLVIII. testatur, se in Msto reperisse *Sp. Cassius vir singularis ;* sed vulgatam lectionem rectam esse. Et omnes etiam codd. quibus usus sum, lectionem editam constanter servant. Et ita auctor loqui solet. Vide quæ notantur ad Epitom. lib. LVIII.

Oppia, virgo Vestalis, ob incestum viva defossa est] *Ilia virgo Vestalis* Leid. Voss. 1. 2. 3. et Berg. *Illia virgo Vestalis* Voss. 4. *Julia virgo ob incestum* Boend. cujus margini tamen pro *Julia* adscriptum *Oppia*. Sed constanter *Oppia* vocatur apud Livium II. 42. Ὀπιμία apud Dion. Halic. Ant. VIII. p. 556. Vide ad Livii loc. laud.

Vicini hostes Veientes incommodi magis, quam graves] Vocem *hostes* præteriri in Excerpt. Pithœi, auctor est Hearne. Nostri omnes eam agnoscunt.

Familia Fabiorum id bellum gerendum depoposcit] *Ad bellum* perperam Voss. 2. Alibi voculæ *id* et *ad* commutatæ reperiuntur. Vide Gronov. ad Liv. XXI. 10. § 12. Præterea *poposcit* Voss. 1. *deposcit* Voss. 2. 3. et Berg. Videri posset auctor dicendo *deposcit, misitque* varia tempora junxisse, quod præsertim in præsenti et præterito apud scriptores passim occurrit. Vide ad III. 46. § 9. Potius tamen est, ut dicamus, librarios syllabam geminare neglexisse; qualia plura exempla vide ad II. 24. § 6. et ad XXXVII. 53. § 7. Neque etiam placet *poposcit*, quod Livius etiam in hac re composito 'deposcere' utatur II. 49. 'Si sint duæ roboris ejusdem in urbe gentes, deposcant, hæc Volscos sibi, illa Æquos.' Similiter erratum erat in quibusdam codd. XXI. 44. § 4.

Misitque in id trecentos sex armatos] *Misitque ad id* Leid. *misitque eo* Voss. 1. et Boend. Ovid. Fast. II. 235. 'Una dies Fabios ad bellum miserat omnes: Ad bellum missos perdidit una dies.' At vulgatum etiam probum. Silius XVII. 421. 'Inmemor has pacti post fœdus in arma Philippus Miserat, et quassam refovebat Agenoris urbem.' Præterea *trecentos et sex* Leid. Vossian. 1. 2. 3. 4. et Berg. Livius ipse h. lib. c. 49. 'Sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis, ibant.'

Qui ad Cremeram ad unum ab hostibus cæsi sunt, uno inpubere domi relicto] Hæc lectio constanter exstat in excusis, quæ tamen a nullo codicum, quibus usus sum, firmatur. *Ad flumen Cremeram* habet Boend. ut Livius ipse h. lib. c. 49. 'Infelici via dextro Jano portæ Carmentalis profecti ad Cremeram flumen perveniunt.' Quamvis autem nulli Romanorum ignotum fuerit, Cremeram fluvii nomen esse, *flumen* tamen eadem ratione addi potuit, qua 'Anienem amnem' Livius dixit hoc lib. c. 32. ubi alia exempla vide. Quum tamen reliqui omnes libri, et manu et typis exarati, vocem *flumen* rejiciant, eam etiam unius fide, præsertim in Epitome, ubi, quanta brevitate fieri potest, omnia verbo uno memorantur, recipere, periculosum ac temerarium judico. Præterea *præter unum ab hostibus cæsi sunt*, quatuor sequentibus vocabulis spretis atque abjectis, Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. Boend. et apud Hearnium Excerpt. Pithœi. Et ita Oros. II. 5. 'Dehinc' Fabii 'inducti in insidias, circumventique ab hostibus omnes ibidem trucidati sunt; uno tantum ad enunciandam cladem reservato, ut miserius audiret patria perditos, quam perdidisset.' Sed lectio illa narrationi Livianæ adversatur. Nam, Livio auctore II. 50. 'Fabii cæsi ad unum omnes, præsidiumque expugnatum. Trecentos sex perisse satis convenit: unum prope puberem ætate relictum stirpem genti Fabiæ.' Editam itaque lectionem illi, quam codd. scripti servant, præferre nullus dubito.

Contumacia exercitus male pugnatum esset] Indoctus Vossian. 1. librarius manifesto errore dedit *contumacia extractus male pugnatus esset*.

Decimum quemque militum fuste percussit] *Decimum quemque militem* Leid. Et ita etiam Sigonius edidit, in priori ed. Scholiorum, testatus ita se in vet. lib. scriptum deprehendisse. Neque aliter, historiam hanc referens, locutus est Front. Strateg. IV. 1. ex. 34. 'Ap. Claudius ex his, qui loco cesserant, decimum quemque militem sorte ductum fuste percussit.' Unde et constat, male eumdem Leid. vocem *fuste* expunxisse. Intelligitur enim pœna fustuarii, de qua vide Tennul. ad d. loc. Fustibus in eos animadvertisse Ap. Claudium testatur etiam Dion. Hal. Ant. IX. p. 606.

Adversum Volscos, et Æquos, et Veientes] *Adversus* Vossian. 1. Berg. et Boend. Sæpissime 'adversus' et

'adversum' in his Epitomis commiscentur. Vide ad Epit. lib. XLVII. Deinde *Volscos, et Hernicos* Leid. Vossian. 1. 2. 3. 4. Berg. Boend. et Hearnii Oxon. N. Norvic. et Exc. Pithœi. Neque aliter etiam priscæ edd. usque ad Ald. in qua prima *Æquos*, pro *Hernicos*, reperi. Eadem etiam præcedentem periodum *Ap. Claudius, &c. percussit* huic postposuit. Sed pristinum ordinem, quem et omnes codd. servant, Sigonius reduxit.

Seditiones inter Patres plebemque] *Seditionem* præfert solus Boend.

LIB. III.

Seditiones de agrariis legibus factæ] *De agrariis legibus fuere* Voss. 2. 3. et 4.

Capitolium, ab exsulibus et servis occupatum, cæsis iis, receptum est] *Capitoliumque* Leid. Tum, præpositione *ab* inducta, *exsulibus et servis occupatum* Boend. Denique τὰ *cæsis iis, receptum* non adparent in Voss. 1. et Berg.

Census bis actus: priore lustro censa civium capita] Ita primum Parisiis a. 1573. editum vidi, quod postea recentiores servarunt. Omnes antiquiores præferunt, *Census bis actus est: priore lustro censa sunt civium capita:* quod in contextum recepi. Ita enim etiam legunt Leid. Voss. 2. 3. 4. Berg. et Hearnii Oxonn. N. et Norv. nisi quod Voss. 3. a m. sec. habeat *census bis auctus est*. Leid. vero *censa sunt capita civium:* sed Voss. 1. et Boend. τὸ *est* quidem agnoscunt, verum illud *sunt* ambo omiserunt.

Centum quatuor et viginti millia ducenta quatuordecim] Putaveram hoc loco corrigi debere *quindecim* ex Livio c. 3. quum contra vidi, illic in Mss. omnibus reperiri *XIIII.* Quare ego nullus dubitavi nunc ita edere. Sed et Sigonius ita invenit contra Rhenanum. *Jac. Gronov.* Admodum in numero variant et scripti et editi: *octo milia septingenta quatuordecim* Leid. *octo milia septingenta septemdecim* Voss. 1. *VIII. milia DCCXIIII.* Voss. 4. et exc. Pithœi: *VIII. milia DCCCXIIII.* Voss. 2. et 3. *CIIII. M. CCXIX.* Berg. *CIIII. milia CCXIIII.* Hearnii Oxon. N. *LXXX. M. CCLXIIII.* Boend. *LXXX. milia DCCXIIII.* Norvic. et primæ edd. Quæ nunc exstat lectio, primum adparuit in ed. Aldina. Ex his patet recte Jac. Gronovium in Livio c. 3. § 9. scribendum vidisse *quatuordecim*, pro *quindecim*. Sed et reliquus numerus corruptus videtur, pro quo legendum puto *centum quatuor millia, ducenta quatuordecim*. Nam eo ducunt non modo omnes codd. apud Livium d. c. 3. verum etiam quidam eorum hoc loco. Eodem etiam ducunt illi, in quibus *VIII.* vel *octo millia* legitur. Nam ex *CIIII. millia*, duabus prioribus notis numeralibus in notam *V.* coalescentibus, facillime factum est *VIII.* Sed quum numerus ille *VIII. M.* aperte vitiosus ac justo minor esset, eum alii mutarunt in *LXXX. M.* Præterea ex nota millenaria ϫ, quæ tamen etiam in quibusdam codd. literis perscripta fuit, formatum fuit *D.* et *DC.* ut alibi sæpe erratum est. Vide ad XXXIX. 20. § 3.

Centum triginta duo millia quadringenta novem] Et hic etiam multum variant manu et typis exarati. *Centum decem et septem milia ducenta decem et novem* Leid. *CXVII. milia et CCXXIIII.* Voss. 1. *CXVII. milia CCVIIII.* Voss. 2. et 3. *CXVII. milia CCXVIIII.* Vossian. 4. et Berg. *CXVII. et CCXVIII.* Hearnii Oxon. N. *CXVII. milia CCXLVIII.* Boend. Norvic. et priscæ edd. Quæ nunc circumfertur lectio, iterum profluxit ex ed. Aldina, nisi quod habeat *novemdecim*, pro quo Curio primus *novem* reposuit. Aldus autem ita dedisse videtur, ne Livius c. 24. hujus libri et auctor Epitomes de nu-

mero in diversa abirent. Verum quid de eo censendum sit, ibidem vidimus. Plerorumque codicum scriptura indicat legendum esse *centum septemdecim millia ducenta novemdecim*, quomodo etiam edi curavi: nisi quis *trecenta*, pro *ducenta*, mallet; ut ita inter Epitomen et lectionem, quam Livio vindicavi, conveniret: quod tamen non necesse arbitror. Rationem, cur numerus, qui in vulgatis exstat, justo major videatur, dedimus ad Livii III. 24. § 10. Ceterum inter hæc et proxima verba is, qui curavit ed. Londinensem nuperam, sequentia interposuit, *Fabius Vibulanus Volscos et Æquos superat. Tribunitium domi bellum. Æqui fœdus rumpunt:* quorum omnium neque vola neque vestigium in codd. adparuit. Si ex ingenio addita sunt, ne quid eorum, quæ Livius retulit, deesset, eodem exemplo infinita alia addi potuissent. Sed vel sic lectoris interat, ut omnia hæc alia characterum forma inprimerentur, ne incautior quis recentiorum supplementa pro ipsis veteris scriptoris verbis haberet. Eumdem errorem alibi sæpe ab eo commissum video.

Quum adversus Æquos res male gesta esset] *Male res gesta esset* Berg. Mox *Ti. Quintius Cincinatus* Boend. Vide hoc lib. ad c. 12. § 8. Hinc *intentus operi rustico* alio ordine Leid. Voss. 1. Berg. et Boend.

Ad bellum gerendum arcessitus est] Vet. lib. *ad id bellum*. Sigon. *Ad id bellum* habent etiam omnes codd. nostri, nisi quod pronomen desit in Boend. Deesse etiam in Norvic. testatur Hearne. Verum id non mirum est, quum is codex per omnia semper primis editionibus consentire soleat.

Trigesimo sexto anno a primis tribunis plebis] *Tricentesimo sexto anno* Berg. *tricesimo* Boend. Contrario errore *tricesimo*, pro *trecentesimo*, mox habebimus hac Epit. Deinde præpositio *a* exsulat a Voss. 2. 3. 4. Berg. et Boend.

Ad constituendas eas proponendasque] *Ad custodiendas eas* Voss. 1. et Boend. *ad construendas leges eas* Leid. *ad construendas eas* Berg. et vetustæ edd. quod primi Moguntini in *constituendas* mutarunt.

Sine ullis aliis magistratibus creati, altero et trecentesimo anno] *Sine ullis aliis legibus creati sunt* Berg. Præterea *nono et tricesimo anno* Voss. 1. 2. 3. et 4. Contrario errore *tricentesimo*, pro *tricesimo*, modo habuimus hac Epit. *nono et trecentesimo* Leid. Berg. et, ut Hearne auctor est, Romana princ. ed. cum excerptis Pith. quod forsitan vitiose scriptum conjicit pro *uno et trecentesimo*, ut in aliquot Sigonii Mss. esse addit. Ejus quidem lectionis Sigonius neque hoc loco, neque ad Livium, neque etiam in Scholiis in Chronolog. Livianam meminit, sed Emend. II. 16. Mox *qua Roma condita erat* Voss. 2. 3. 4. *quo Roma condita*, omisso etiam *τῷ erat*, Boend. Vulgatum præfero.

Et ut a regibus ad consules, ita a consulibus ad decemviros translatum imperium] Septem priora vocabula exsulant a Boend. Quæ si delenda forent, distinguerem hoc modo: *Decemviri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus creati. Altero et trecentesimo anno, quam Roma condita erat, a cousulibus ad decemviros translatum imperium.* Sed servanda puto illa verba, quæ non modo in Mss. ceteris supersunt, sed et in Livio simili fere modo reperiuntur c. 33. 'Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab consulibus ad decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad consules venerat, translato imperio.' Deinde vox *imperium* deest in Voss. 1. *imperium translatum* habent Voss. 2. 3. 4. et Berg. *imperium translatum est*, insuper addito verbo, Leid.

Quum modeste se in honore gessissent]

Vet. lib. *se in eo honore.* Sigon. Ita pariter omnes nostri. Hearne vero auctor est, iterum Norvic. priscis edd. consentientem pronomen non agnoscere. Paullo ante *Hi, decem tabulis legum positis* Leid. Vossian. 1. Berg. et Boend. *In decem tabulis* Voss. 2. 3. et 4. Cujus lectionis vestigia eodem aperte ducunt.

Et ob id in alterum quoque annum eumdem esse magistratum placuisset] Tà *et ob id* omittuntur in Voss. 1. vacuo spatio tamen relicto ; omittitur etiam *placuisset* in eodem cod. Præterea *et ob id alterum quoque annum eumdem etiam magistratum tenerent* habet Boend. In Berg. qui similiter *etiam*, pro *esse*, exhibet, omnia hæc *placuisset, duabus tabulis ad decem adjectis, quum complura inpotenter fecissent, magistratum* deerant a m. pr. Cui errori, ex negligentia librarii nato, occasionem dedit repetitio τοῦ *magistratum.* Vide ad IX. 11. § 11. Manu deinde secunda adscriptum est *magistratum tenerent, cum complura impotenter fecissent, magistratum.* Denique *et ob id in alterum quoque annum ad eumdem magistratum,* omissa itidem voce *placuisset*, est in Voss. 2. 3. et 4.

Quum complura inpotenter fecissent] Ex vestigiis depravatæ antiquæ lectionis et ex Livianis verbis ita hæc verba legenda sunt : *duabus tabulis ad decem adjectis, cum complura inpotenter fecissent.* Sigon. In edd. Sigonio vetustioribus deerant illa verba *duabus tabulis ad decem adjectis.* Neque etiam exstant in Vossian. 1. et Boend. ut nec in Berg. vel a m. pr. vel a m. sec. ut modo vidimus. Eorum loco *decem abjectis* habet Voss. 2. *decem adjectis* Voss. 3. et 4. *ad decem adjectis* Leid. In similes itaque codd. quum Sigonius incidisset, inperfecta supplevit ex Liv. c. 37. ' Duæ tabulæ legum ad prioris anni decem tabulas erant adjectæ.' An forte proxime ad lectionem cod. Leid. scribendum *II.* vel *duabus ad decem adjectis?* ut vox *tabulis* ex superioribus repetatur ; et librarii numeri notam omiserint, quod eam non intelligerent. Deinde *cum plura,* pro *cum complura,* Voss. 2. 3. et 4. in quibus vocula *cum* intercepit primam syllabam seq. vocis. Vide ad III. 7. § 7. Denique *gessissent,* pro *fecissent,* Leid.

Et in tertium annum detinuerunt] Vetus lectio *retinuerunt.* Sigon. *Retinuerunt* etiam Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. et Berg. Sed vulgatum servant Boend. et perpetuus editionum veterum assecla Norvic. Sæpius ita peccatum est in priscis codd. Vide quæ notantur ad I. 17. § 8. cap. 30. § 5. XXXVI. 39. § 7. XL. 42. § 4. et Toren. ad Valer. Max. I. 7. ex. ext. 4. Passim autem literas *D* et *R* in Mss. commutari, diximus ad IX. 10. § 6.

Donec invicto eorum imperio finem adtulit libido Ap. Claudii] Quare *invicto?* an, quia sine provocatione erat? Ut de dictatura VI. 16. ' Invicta sibi quædam patientissima justi imperii civitas fecerat.' III. 30. 'Vincebatur consulare imperium.' Gryphius edidit *invito.* Potius *injusto.* Infra c. 39. ' Cupiditas in injusta dominatione retinenda.' Et sic quoque Muretus. *J. F. Gronov.* Non modo Gryphius *invito* edidit, sed ita legunt etiam omnes, quos vidi, codd. Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. a m. pr. et Boend. atque ita se in Oxon. N. et excerptis Pithœi invenisse, Hearne profitetur ; pro eo primi editores eosque secuti recentiores cum Berg. a m. sec. *invicto* vulgarunt, sollemni et passim obvio errore. Similiter ' invitus ' et ' invictus ' in Mss. commutari patebit ex illis quæ notavi olim ad Silii Ital. IV. 679. et quæ Burmannus contulit ad Rutilii Itin. I. 64. Vide etiam ad IV. 53. § 2. ad V. 4. § 8. et alibi. Neutrum tamen hic ferri potest. Gronov. malebat *injusto,* quod nimis a vulgata et scripta lectione abit. Propius accedet, si legamus

inviso eorum imperio. Infra Livius tyrannidem decemviralem 'invisum imperium' vocat cap. 38. 'Quum et ipsi consensu invisum imperium, et plebs, quia privatis jus non esset vocandi senatum, non convenire Patres, interpretarentur.' Solent autem librarii voces 'invitus' et 'invisus' inter se confundere; vide quæ notavi ad Silium Ital. XVII. 413. Hanc itaque conjecturam recepi. Doujatius quo jure qua injuria vulgatum tueri conatur, monens 'invictum' nonnumquam pro pertinaci accipi; posse etiam 'imperium' figurate dici pro imperantibus; decemviros autem se vinci passos non fuisse, ut imperium deponerent. Sed me nondum conjecturæ pœnitet. Boend. exhibet, *donec invito eorum cons. imperio finem attulit.*

Qui quum in amorem virginis incidisset] Voculam *quum* nescit Berg. quam intercepit præcedens *qui;* vide ad Epit. Liv. lib. LVIII. Deinde *in amorem Virginiæ incidisset* Voss. 1. Vide ad Livii III. 45. in princ. Utraque lectione juncta *in amorem Virginiæ virginis incidisset* exhibent Voss. 2. 3. 4. Leid. Berg. et Excerpta Pith.

Summisso, qui eam in servitutem petcret] *Summo qui eam* Voss. 1. *sibique eam* Voss. 2. 3. 4. Revera quidem Appius id operam dabat, ut eam in potestatem suam redigeret. Non tamen directo eam *sibi* in servitutem petebat, sed submisso cliente, qui serva sua natam contenderet.

Inposuit, rapto ex taberna proxima cultro, ut filiam interimeret] *Inposuit: rapto enim ex taberna proxima cultro filiam occidit* Leid. *inposuit: rapto ex taberna proxima cultro eam filiam occidit* Voss. 1. et Boend. *inposuit: qui rapto ex taberna proxima cultro filiam occidit* Voss. 2. 3. et 4. *inposuit: rapto ex taberna proxima cultro filiam occidit* Berg. Consensus codicum in damnanda vulgata lectione persuadet hic ulcus latere. An proxime scripturam codicis Leid. legendum, *miseram,* vel *extremam,* vel *ultimam necessitatem patri ejus Virginio inposuit. Rapto enim ex taberna proxima cultro filiam occidit?* Passim in his Epitomis, ubi vulgo *interimere* editur, codd. scripti vel *occidere,* vel *interficere,* vel aliud verbum ejusdem potestatis obferunt. Vide ad Epit. lib. LVII. Præterea *patri ejus virgini etiam inposuit* Berg. a m. pr. *patri ejus Virginio etiam inposuit* a m. sec. *patri ejus virginis inposuit* Boend.

Quum aliter eam tueri non posset] *Quum aliter eam non posset tueri* Leid. *quum aliter effici non posset* Voss. 2. 3. et 4.

Ne in potestatem stuprum inlaturi veniret] *In potestate* Berg. Deinde *stuprum allaturi* Boend. quod eodem modo dictum esse videri posset, quo 'vim adferre.' Eam locutionem inlustravi ad XLII. 29. § 9. Quum tamen reliqui codd. nihil mutent, vulgatum præferre tutius judico.

Hoc tam magnæ luxuriæ exemplo plebs incitata montem] Omnia hæc omittebantur in Voss. 1. per negligentiam scribæ. Præterea *magno luxuriæ exemplo* Leid. quomodo quædam etiam, sed paucæ, præferunt edd. *magnæ injuriæ exemplo* Voss. 2. 3. 4. Boend. et Hearnii Oxon. N. cum excerptis Pith. Quum autem *luxuria* hic notet incontinentiam in re venerea, libidinem, si altera lectio placet, eodem fere sensu vox 'injuria' accipienda erit, pro stupro, libidine. Vide Burmann. ad Quinctil. Declam. CCLIX. p. 476. Ut tamen verum fatear, posset etiam *injuria* accipi pro injustitia, iniquitate. Sed præstat, ut vulgatum *luxuriæ,* quod in aliis codicibus superest, præferatur. Denique *plebs concitata* Leid. Berg. et Vossian. 4. *plebs cum citata* Voss. 2. et 3. Id vero natum ex eo videtur, quod scribæ utramque lectionem exprimere voluerint hoc modo, *plebs con incitata,* id est, *plebs concita-*

ta, incitata. Inde autem, quod mendosum videbant librarii, factum est postea *plebs cum citata.*

Coëgitque decemviros abdicare se magistratu] *Coëgit decemviros,* abjecta copula, Voss. 1. Præterea *decemviros abdicare magistratus* Voss. 2. 3. et 4. 'Abdicare magistratum' æque dici, atque 'abdicare se magistratu,' dictum est ad II. 28. § 9. Hic tamen reliqui codd. vulgatum non rejiciendum evincunt.

Appius et unus collegarum, qui præcipue pœnam meruerant, in carcerem conjecti] Ita constanter typis excusi. Eaque scriptura etiam Livianæ narrationi convenit. Refertur enim III. 57. quemadmodum Appius, cap. autem 58. quemadmodum unus collegarum Sp. Oppius in carcerem conjecti sint. Interim tamen nullus codicum, quos adhibui, editam lectionem firmat. *Appius, qui præcipuam pœnam meruerat, in carcerem conjectus est* habent Voss. 1. et Boend. neque aliter Leid. et Berg. nisi quod *præcipue* retineant. *Appius Claudius, qui præcipue pœnam meruerat, in carcerem conjectus est* præferunt Voss. 2. 3. et 4. Voces *unus collegarum* etiam in Oxon. N. et Excerptis Pithœi deesse, Hearne profitetur. An ergo id, quod vulgo circumfertur, ita compositum est a primis editoribus, ne auctor Epitomes ab ipso Livio dissentiret? Videtur tamen editionum scripturam probare cod. Norvic. ex quo Hearne nihil notavit, licet aliorum codicum a vulgato dissensum testetur. Vel itaque statuendum, locum jam ante Livium primo editum interpolatum esse, vel codicem Norvic. ex ed. aliqua descriptum esse.

Contra Sabinos, et Volscos, et Æquos] Tà *et Æquos* exsulant non modo ab omnibus meis codd. et Hearnii Norvic. sed et priscis edd. Interposuit ea primus Aldus, forte quoniam Liv. c. 60. Valerium adversus conjunctos Æquorum Volscorumque exercitus bellum gessisse narrat.

Agrum, de quo ambigebatur, sibi adjudicavit] *De quo ambigebant* Berg. et Boend. Vide ad X. 10. § 1. Deinde *judicabit* Voss. 2. et 3.

LIB. IV.

Lex de connubio Patrum et plebis contentione magna] Lego ex vet. lib. *a tribunis contentione magna.* Tribunorum autem princeps fuit C. Canuleius. *Sigon. Lex de connubiis* Voss. 2. 3. et 4. At Livius ipse inquit cap. 1. hujus lib. 'De connubio Patrum et plebis C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgavit.' Deinde *a tribunis contentione magna* omnes quatuor Vossian. *a tribunis plebis contentione magna* Leidensis Berg. et Boend. et ita jam exhibuit postrema Gruteri. Similiter Livius modo laudatis verbis; licet alibi sæpe *tribunus* simpliciter pro tribuno plebis ponatur; vide ad II. 56. § 1. Norvic. apud Hearnium non discedit a veterum editionum lectione.

Perlata est a tribunis plebis: aliquot annis res populi R. &c.] Veteres libri ita: *Perlata est. Tribuni aliquot annis.* Est autem locus mancus, cujus hæc erat sententia. Tribuni militum consulari potestate creati. Aliquot annos res populi Romani, &c. Rem autem ita habere docet Livius: quare stellula addenda est. *Sigon. Perlata est: tribuni plebis aliquos annos* Leid. *perlata est: tribuni plebis aliquot amicis* Voss. 1. *perlata est: tribuni plebis aliqui dannos* Voss. 2. et a m. pr. etiam Voss. 3. qui *danno* præfert a m. sec. *perlata est. Tribuni plebis aliquid annos* Voss. 4. *perlata est: aliquot annis* Berg. *prolata est. Tribuni militares: aliquot annis* Boend. Firmat itaque lectionem, quæ nunc vulgo exstat, *perlata est. Tribuni militares. Aliquot annis.* Ea primum obvia fuit in postrema Grut. Veterum edd. scripturam hic iterum servat solus Norv.

Per hoc genus magistratus administratæ] Vox *magistratus* abest a Berg. Deinde *administrarunt* Leid. *administratæ sunt* Vossian. quatuor, Berg. Boenderm. et Hearnii Norvic. atque Oxon. N. Neque aliter edd. antiqq. usque ad ultimam Gruteri, quæ prima τὸ *sunt* omisit, quod pristino loco restituendum duxi.

Item censores tunc primum creati] Et hic etiam *creati sunt* Leid. Voss. quatuor, Berg. Boend. Hearnii Norvic. Oxon. N. et edd. ante postremam Gruteri, quæ iterum τὸ *sunt* expunxit : quare hic quoque revocavi.

Ager Ardeatinus populi Romani judicio ablatus] In vet. lib. continetur *Ardeatibus :* nec male. *Delrius.* Vetustiores edd. *Ardeatinis.* Scribe, *Ager Ardeatibus populi judicio ablatus.* J. F. Gron. *Ager Ardeatinus judicio populi ablatus* Leid. et exc. Pithœi : *ager Ardeatini populi judicio ablatus* Voss. 2. 3. et 4. *Ager Ardeatinus populi Romani judicio ablatus* Berg. *Ager Ardeatinus Ro. po. judicio ablatus* Boend. *ager Ardeatinus per . . . . judicio ablatus* Voss. 1. Sed in voce *per* latent voces *populi Romani. Ardeatinis* demum inveni in ed. Mogunt. et inde in reliquis usque ad Gryph. qui iterum *Ardeatinus* vulgavit. Sed *Ardeatibus,* pro *Ardeatinus,* quomodo Gronov. ex conjectura scribendum vidit, præeunte vet. lib. Delrii in contextum recepi.

Sp. Melius eques Romanus] *Mælius* scribe, addita diphthongo ex Capitolinis tabulis et Græcis monumentis. *Sigon.* Vide Sigonium ad Liv. IV. 13. § 1. Tum *eques po. Ro.* Voss. 1. Berg. et Boend.

Frumentum populo sua inpensa largitus est] *Frumentum populo Ro. sua impensa* addita voce Leid. Contra voce deleta *frumentum sua impensa* Boend. At alio ordine *frumentum sua impensa populo largitus est* Berg.

Et ob id factum conciliata sibi plebe] *Et ob hoc factum* Voss. 2. 3. et 4. Deinde *concitata sibi plebe* omnes Voss. quatuor, et exc. Pithœi.

A C. Servilio Hala] *Ahala* ubique scribendum est. Documento sunt hujus scripturæ libri aliquot Mss. lapides Capitolini, et nummi argentei. *Sigonius.* Præpositio *a* abest a Voss. 1. et Berg. prænomen Servilii *Caius* non comparet in Leid. et Voss. 2. 3. et 4. Deinde τὸ *et* post vocem *Servilio* inseritur in Voss. 1. 2. 3. et 4. Tum *Hala* est in Voss. 2. 3. 4. et Boend. *Haala* in Berg. *Ahala* in Leid. et Vossian. 1. quomodo Sigonius etiam scribendum monet ad Livii IV. 46. § 10. V. 8. § 1. et Dukerus ad Flori I. 26. § 7. *Ala,* pro *Ahala,* defendere videtur Schott. ad Aur. Vict. de Vir. Inl. c. 17. Denique *magistris equitum* Voss. 1. 2. 3. et 4.

Jussu Quinctii Cincinnati dictatoris] *Et Cincinnati* Voss. 1. *Cincinati* Leid. et Berg. Vide ad III. 12. § 8. Ceterum Mælium ab Ahala *jussu Quinctii* interfectum esse, non patet ex narratione Livii IV. 14. neque etiam ex Val. Max. V. 3. § 2. Verum id affirmant Florus I. 26. § 7. ubi videndus est Dukerus, Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. c. 17. et Ampel. c. 27. Dubitat Zonar. Annal. VII. 20. quo auctore Ahala Mælium interfecit ἢ αὐτογνωμονήσας, ἢ τοῦτο κεκελευσμένος πρὸς τοῦ Δικτάτορος.

L. Minucius index bove aurata donatus est] *T.* vel *Titus Minucius,* vel *Minutius* Leid. Vossian. quatuor, Berg. Boend. et priscæ editt. usque ad Aldum, qui *L. Minucius* reposuit, ne auctor epitomes a Livio dissentiret, qui eum ita nominat c. 12. et seqq. in eamdem lectionem etiam Livii Mss. conspirantibus. Tum *judex* Berg. solito errore ; vide ad IV. 26. § 6. *vindex* Voss. 4. et apud Hearnium Oxoniensis N. ut et excerpta Pithœi. Ita et alibi in his vocibus ‘ vindicare ’ et ‘ indicare ’ turbandis librarii lapsi sunt. Vide ad Epit. Liv. lib. LXIII. Denique *bove aurato*

Berg. et Boend. Ut Livius IV. 16. ' L. Minucius bove aurato extra portam Trigeminam est donatus.'

Legatis Romanis a Fidenatibus occisis] *Legatus Romanorum a Fidenatibus occisus* Voss. 1. 2. 3. *Romanorum* etiam apud Hearnium excerpta Pithœi et Oxon. N. Forte ambigue scriptum fuerat *Ro.* quomodo est in Boend. quod varie deinde extulere librarii, ut cuique placebat. Vide ad XXXIX. 47. § 10.

Quoniam ob rempublicam occubuerant] *Occubuerunt* Boend. *morte occubuerant* excerpta Pithœi et Hearnii Oxon. N. Vide ad XXXI. 18. § 6. Sed *occubuerant* sufficit brevitati scriptoris; quem alibi ' occumbere morte,' vel ' mortem,' uti non memini. Mox *in castris,* pro *in Rostris,* perperam Voss. 1.

Cornelius Cossus tribunus militum] *Cossus Cornelius* Leid. Voss. 1. Berg. et Boend. quorum fide ita edi jussi. Nam similiter auctor harum Epitt. etiam lib. XLIII. ' Cato Porcius consul in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit.' Id autem ei adhæsit ex lectione Liviana. Sæpissime enim Livius ita locutus est. Infra XXX. 1. ' Jurisdictionem urbanam Pætus Ælius, Sardiniam Cn. Lentulus, Siciliam P. Villius, Ariminum cum duabus legionibus Quinctilius Varus est sortitus :' ubi alia vide. Insuper vocabulum *militum* non comparet in Voss. 1.

Occiso Tolumnio rege Veientium] *Columnio* Voss. 1. *Tolonio* Voss. 2. et 3. *Tolompnio* Voss. 4. *Volumnio* Berg. Boend. Hearnii Norvic. et priscæ edd. usque ad Froben. qui a. 1531. *Tolumnio* ejus loco vulgavit. Deinde *Veientum* Leid. 1. et Voss. quatuor. Vide ad Epit. Liv. lib. II. Sed et in ordine non constant codd. Nam *occiso Tolumnio Veientium rege* Leid. Voss. omnes, et Boend. *Tolumnio Veientium rege occiso* Berg.

Opima spolia secunda Feretrio retulit] *Opima spolia Feretrio retulit* Leid. *opima spolia hostium tulit* Boend. *opima spolia secum attulit* Voss. 1. *opima spolia secunda retulit* Voss. 2. 3. et 4. ut et Berg. atque apud Hearnium Norv. Vox *Feretrio* abest etiam in excusis, quos vidi, omnibus, usque ad Gronov. in cujus ed. a. 1644. primum obcurrit. Vulgatæ lectioni favet Valer. Max. III. 2. ex. 3. ' Opima de eo spolia Jovi Feretrio retulit.' Verum auctor Epit. Liv. ubi voce ' retulit ' utitur, non addit ' relata ' fuisse ' Feretrio.' Infra lib. XX. ' Claudius Marcellus consul, occiso Insubrium Gallorum duce Viridomaro, spolia opima retulit.' Contra ubi ' Jovis,' cui dedicabantur, meminit, utitur verbo simplice ' ferre.' Supra in Epit. lib. I. ' Opima spolia Jovi Feretrio lata.' Vocem itaque *Feretrio,* quæ qua auctoritate recepta sit, nescio, expunxi : ut autem ' referre spolia,' sic etiam ' referre victoriam,' ' triumphum ;' vide hoc libro ad cap. 10. § 2.

Mam. Æmilius dictator censuræ honore, &c. anni et sex mensium spatio finito] *Marci* prænomen Æmilio tribuitur in Leid. Voss. 1. Berg. Boend. et Hearnii Oxon. N. id autem omne omittitur in Exc. Pithœi. Sed *Mamerci* prænomen constanter ei tribuitur apud Livium hoc lib. variis locis, in tribunatu consulari c. 16. in dictatura prima cap. 17. in dictatura altera c. 23. in dictatura tertia cap. 31. ubi in multis codd. similiter peccatur. Eodem prænomine etiam adpellatur IX. 34. et alibi. Præterea *censuræ honorem finivit* Leid. *censuræ honorem finit* Voss. 2. 3. et 4. Sed ultima litera *τοῦ finito* intercepta est a prima sequentis *ob.* Et hinc, ut præcedentia ei convenirent, *honorem,* pro *honore,* dederunt. Potuisset brevius dici *dictator ob censuræ honorem, &c. anni et sex mensium spatio finitum a censoribus notatus est,* omissis vocibus *ob eam rem.* At similes orationis

compositiones Nostro familiares sunt; vide ad Epit. Liv. LXVIII.

Qui antea per quinquennium gerebatur] *Qui antea quinquennium* Boend. Vide ad XXXVIII. 27. § 7. Deinde *gerebat* Berg. Error hic sæpe in Mss. obcurrit; vide ad X. 10. § 1. Mox *τὸ est* post vocem *notatus* exsulat a Leid.

Fidenæ in potestatem redactæ, eoque coloni missi sunt] Addendum *Novi*. Nam Livius c. 31. 'novos colonos' vocat, et alio loco c. 30. 'numerum additum colonorum' ait. Primum enim deducta colonia est a Romulo rege. *Sigon.* Infra lib. VI. cap. 30. 'Eodem anno Setiam, ipsis querentibus pennriam hominum, novi coloni adscripti.' Cic. Philipp. II. cap. 40. 'Idem de Casilino respondissem: possesne, ubi colonia esset, eo coloniam novam jure deducere? Negavi in eam coloniam, quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci: colonos novos adscribi posse rescripsi.' Verum quum eo *colonos*, non *coloniam* missam esse dixerit, non opus erat, ut præcise adderet *novos colonos*. Ita apud Liv. XXXIX. 23. 'Extremo anni, quia Sp. Postumius consul renunciaverat, peragrantem se propter quæstiones utrumque litus Italiæ desertas colonias, Sipontum supero, Buxentum infero mari, invenisse, triumviri ad colonos eo scribendos ex senatusconsulto ab T. Mænio prætore urbano creati sunt.' Similiter XXXVII. 46. 'Ex Gallia legatos Placentinorum et Cremonensium L. Aurunculcius prætor in senatum introduxit: iis querentibus inopiam colonorum, aliis belli casibus, aliis morbo absumtis, quosdam tædio adcolarum Gallorum reliquisse colonias, decrevit senatus, uti C. Lælius consul, si ei videretur, sex millia familiarum conscriberet, quæ in eas colonias dividerentur, et ut L. Aurunculeius prætor triumviros crearet ad eos colonos deducendos.' Dionys. Halic. lib. VII. p. 427. *Ἔτυχον δὲ καὶ πρότερον ἐποίκους ἐκ τῆς Ῥώμης εἰληφότες· ἀφ' ἧς αἰτίας καὶ τὸ δεύτερον τοὺς κληρούχους παρ' αὐτῶν ἤτουν.* 'Addere numerum colonorum' dixit ipse Livius hoc lib. c. 30. 'Supplere colonorum numerum' lib. XXXI. c. 49.

Fidenates quum defecissent a populo Romano] *Quum Fidenates defecissent* Leid. et Berg. Iidem deinde cum quatuor Voss. Boenderm. et Exc. Pithoei omittunt tres voces *a populo Romano:* quorum auctoritate etiam expunxi. Præcedentia enim et sequentia satis ostendunt, non aliunde, quam a populo Romano, defecisse. Mox *ab M. Hæmilio* Leid. *ab M. Æmilio* Voss. 1. *ab Æmilio* Voss. 2. 3. et 4. ut et Exc. Pithœi: *a M. Æmilio* Berg. et Boenderm.

Conjuratio servorum oppressa] *Oppressa est* Leid. Voss. quatuor, Berg. Boend. Hearnii Oxoniensis N. Norvic. omnesque editi usque ad ultimam Gruter. in qua demum vocula omissa fuit. Quare pristino loco restitui.

Stipendium ex ærario tum primum militibus datum] *Datum est* iidem libri scripti et excusi, nisi quod Oxon. N. non meminerit Hearne. *Τὸ est*, in eadem Gruteri ed. omissum, iterum in contextum recepi. Præterea *tum militibus primum datum est* Voss. *tum primum datum est militibus* Berg.

Res præterea gestas adversum Volscos et Veientes continet] Adde ex vet. lib. et ex ipso Livio *Volscos et Veientes, Fidenates et Faliscos.* Sigon. *Adversus*, pro *adversum*, septem scripti, quibus usus sum. Passim primos editores *adversum* substituisse, ubi codd. scripti *adversus* præferunt, pluribus exemplis probabo ad Epit. Liv. lib. XLVII. *Volscos et Veientes continet* primum inveni in ed. Aldina. Omnes priores habent *Volscos Fidenates et Faliscos continet.* Et ita est in Boend. Hearnii Oxon. N. et Norvic. Neque aliorum codicum lectio multum differt,

nisi quod nonnulli in voce *Faliscos* varie errarint. *Volscos et Fidenates et Faliscos* est in Leid. *Volscos et Fidenates ac Faliscos* in Berg. *Volscos et Fidenates et Lavicos* Voss. 1. *Volscos et Fidenates et Balscos* Voss. 2. *Volscos et Fidenates et Labscos* Voss. 3. *Volscos et Fidenates et Lascos* Voss. 4. Horum consensui obsecutus τὸ *Veientes* ejeci, et copulam bis repetitam servavi. Nam ita hic auctor loqui amat. Supra lib. II. 'Res præterea adversus Volscos et Æquos et Veientes, et seditiones inter Patres plebemque continet.' lib. III. 'Res præterea contra Sabinos et Volscos et Æquos prospere gestas continet.' lib. VI. 'Res adversus Æquos et Volscos et Prænestinos prospere gestas continet.' lib. VII. 'Res præterea contra Hernicos et Gallos et Tiburtes et Privernates et Tarquinienses et Samnites et Volscos prospere gestas continet.' Et ita sæpe alibi. Interdum tamen semel tantum copulantem particulam interponit. Ita lib. IX. 'Res præterea contra Apulos, Etruscos, Umbros, Marsos, Pelignos, Æquos, et Samnites, prospere gestas continet.' lib. XIII. 'Res præterea contra Etruscos, Lucanos, Bruttios, et Samnites prospere gestas continet.' Sed et meliores codd. et majorem eorum numerum hic secutus sum.

LIB. V.

In obsidione Veiorum] *In obsidione vitiorum* perperam Voss. 4. Deinde *tabernacula* Voss. quatuor, Leid. Berg. Boend. Norvic. excerpta Pitbœi, et edd. antiqq. pro quo apud Vascosan. demum a. 1543. *hibernacula* substitutum invenio. Et eadem hac voce in eadem historia usus est Liv. hoc lib. c. 2. 'Hibernacula etiam, res nova militi Romano, ædificari cœpta.' De hac voce plura vide ad XXXV. 7. § 7.

Non dari plebi nec per hiemem militiæ requiem] *Non dari sibi* Voss. 1. Credo librarium evitare voluisse repetitionem vocis *plebis*, quæ modo præcesserat. Ex qua eadem caussa etiam factum esse videtur, ut quidam verbis præcedd. omissa voce *plebis*, ediderint *indignationem tribunorum movit*, invitis omnibus scriptis, qui vulgatum servant; vide ad I. 3. § 9. *Quietem* autem habet Hearnii Norvic. Sed reliquorum auctoritas vulgatum firmat.

Equites tum primum equis suis merere cœperunt] *Tunc primum* Voss. 1. Vide ad II. 12. § 15. Præterea *equis suis mereri* Voss. quatuor, et Leid. *mereri equis suis* Boend. Sed infra Liv. dixit cap. 7. 'Tum primum equis merere equites cœperunt.' Et ita passim de militibus 'merere' potius, quam 'mereri,' usurpari solet.

In lacu Albano] Vet. lib. *ex lacu Albano*. Sigon. *Et lacu Albano* Voss. 2. et 3. a m. pr. *ex lacu Albano* Voss. 1. 2. et 3. a m. sec. Voss. 4. Leid. Berg. et Boend. ut et codd. quos Hearne consuluit; nisi quod priscis edd. consentiens Norvic. habeat *in lacu*.

Ab hostibus captus est] Vet. lib. *de hostibus*: præclare. Erat enim vates ille unus ex hostibus. *Sigon. Ab hostibus* apud me superest in Voss. 1. Leid. Berg. Boend. et Hearnii Norvic. *ex hostibus* Voss. 2. 3. 4. et exc. Pithœi. Insuper τὸ *est* omittit Voss. 2.

Furius Camillus dictator decem annos obsessos Veios cepit] Vocem *dictator* non agnoscunt Leid. et Berg. Sed Camillum in dictatura Veios cepisse non modo Livius narrat l. v. c. 19. et seqq. verum etiam Plutarch. in Camill. p. 131. Oros. II. 19. Zonar. Annal. VI. 21. aliique. Tum *decem annis obsessos* Leid. et Voss. 1. 2. ac 3. Livius V. 23. 'Quia tot annis varie ibi bellatum erat.' Oros. loc. laud. 'Obsidio Veiorum decem continuis annis magis obsessores, quam obsessos, detrivit.' Reliqui codd. editorum lec-

tionem *decem annos* tuentur. Et ita Livius hoc lib. c. 22. ‘ Decem æstates hiemesque continuas circumsessa.’

Simulacrum Junonis Romam transtulit] Vet. lib. *Romæ statuit*. Delrius. Vox *Junonis* deficit in Voss. quatuor, Berg. excerptis Pithœi, et edd. vetustis. *Dianæ simulacrum*, pro *simulacrum Junonis*, præfert Boend. Sed non modo contra Livium, qui ‘ Junonis Reginæ ’ simulacrum fuisse refert c. 22. verum etiam contra narrationem Valer. Max. I. 8. ex. 3. qui ‘ simulacrum Junonis Monetæ ’ vocat, et Plutarchi in vita Camilli p. 132. qui ἄγαλμα τῆς Ἥρας vocat. Recte igitur in ed. Vascos. repositum *simulacrum Junonis*, quomodo præfert etiam Leid. Præterea *Romæ statuit* Voss. 1. et Boend. *Romæ transtulit* Berg. ‘ deportare Romam ’ Livius dixit V. 22.

Decimam partem prædæ Delphos Apollini misit] *Decimam partem Delphos Apollini misit* Voss. 1. *decimam prædæ Delphos Apollini misit* Voss. 2. 3. 4. Leid. Berg. Norvic. et Exc. Pithœi. Unus tantum Boend. vulgatum tuetur, quod etiam superest in omnibus editis. Livius in hac historia vocem *partem* vel addidit, vel omisit. Addidit infra h. lib. c. 21. ‘ Tibi hinc decimam partem prædæ voveo.’ c. 23. ‘ Apollini se decimam vovisse prædæ partem quum diceret Camillus :’ et c. 25. ‘ Ejus partem decimam Apollini sacram esse.’ Omisit eodem c. 25. ‘ Quod ex ea tantum præda, quæ rerum moventium sit, decima designetur.’

Idem tribunus militum quum Foliscos obsideret] *Item Camillus quum Faliscos* Leid. *Item tribunus militum quum Faliscos* Voss. 1. et Berg. *Item tribus militum quum Faliscos* Voss. 2. 3. 4. Voces *idem* et *item* ex prava minus distincte præeuntis pronunciatione facile confundi potuerunt, et nonnumquam etiam confusæ sunt in Mss. Exempla vide ad Epit. Liv. lib. LXIX.

Proditos hostium filios parentibus remisit] Cum in vet. lib. sit, *proditos a mogistris hostium filios:* lego, *proditos a magistro hostium filios*, Livii, Flori, Valerii, et Plinii [Aurelii Victoris] auctoritatem secutus. Ad hunc autem perfidum proditorem Vari lib. II. Excellentium versiculos, qui apud Priscianum exstant, refero : ‘ Tum litterator creditus, Ludo Faliscum liberos Caussatus in campi patens Extraque muros ducere, Spatiando paullatim trahit Hostilis ad valli latus. * * * * * Seu tute malis bospites, Seu tute captivos, habes.’ *Delrius.* Meorum nullus a vulgata scriptura recedit. Versiculos autem, quos Varo Delrius adscripsit, sub Alphei Aviti nomine laudavit Priscian. lib. VIII. p. 823. et lib. XII. p. 947. Eosdem huc pertinere observavit etiam H. Vales. in notis ad Excerpta Peiresc. p. 82. ubi, pro *hospites*, malebat *obsides*.

Deditione facta, Faliscorum victoriam justitia consecutus est] Posset videri distinguendum, *deditione facta Fal., victoriam just. consecutus est.* Sed retineri potest distinctio vulgata. ‘ Faliscorum victoria ’ est victoria de Faliscis. Justin. V. 4. ‘ Non Siciliæ illis adversa pugna in ore est, sed Græciæ victoria.’ Et sic defendi potest, quod in eodem legitur, XXXVIII. 5. ‘ Non Cappadocia filium eductum, quam jure gentium victor occupaverat? Raptam tamen sibi esse victoriam ejus ab illis.’ Nec tamen inconcinne ed. Junt. *victoriæ jus*, quod probat Grævius; cujus judicium etiam alii viri docti secuti sunt. Et ita Ms. Bodl. in variis lectt. Burmanni, et liber scriptus Academiæ Duisburgensis. *Duk. De dictione facta Faliscorum justiciam victoriam consecutus est* Berg. a m. pr. in quo a m. altera emendatum *victoriam justiciam consecutus est.*

Quum alter ex censoribus Julius decessisset] Vet. lib. *C. Julius:* itemque Livius V. 30. *Sigon. Aliter*, pro *al-*

ter, Berg. Deinde *Emilibus decessisset* Boend. *C. Julius decessisset* Leid. Berg. Voss. 2. 3. 4. et codd. Hearnii. Eo etiam ducunt vestigia Voss. 1. qui *Civilibus decessisset* præfert.

In locum ejus M. Cornelius subfectus est: nec id] *Et in locum ejus M. Corn. suffectus esset* Berg. *et in locum* præferunt etiam Leid. et Voss. 1. Prius autem *est* et vocula *id* deficiunt in eodem Leid. *ne,* pro *nec,* habet Berg.

Quoniam eo lustro a Gallis Roma capta est] Hæc verba exsulant a Boend. Conveniunt tamen illis quæ Liv. refert c. 31.

Quum ei dies a L. Apuleio tribuno plebis dicta esset, in exsilium abiit] *Appuleius* duobus *pp* scribi debet, si sequimur nummos argenteos et lapides Capitolinos. *Sigon.* Τὸ *ei* non adparet in Voss. 1. Sed dictionibus trajectis *quum dies ei* præfert Berg. Tum *a Nurio Aquileio* Leid. *ab L. Appuleio* Voss. 2. 3. et 4. De orthographia vocis *Appuleius* vide Sigonium ad Livii v. 32. § 8. et x. 6. § 1. Græci unico π Ἀπουλήϊος dixerunt. Vide Polyb. in Exc. Legat. num. CXXVIII. Plutarch. in Camill. p. 134. Appian. Bell. Civil. I. p. 367. et alibi, Dion. Cass. lib. LI. p. 457. et alibi. Etiam APVLEIVS in nummo contorniato, quem edidit Morell. in Specim. Rei Numm. tab. III. ut utroque modo olim exaratum fuisse pateat. Vide etiam Duker. ad Flori III. 12. § 8. Denique *in exsilium abit* Voss. 2. 3. et 4. Vide ad II. 4. § 2.

Quum Senones Galli Clusium obsiderent] *Quum Senones et Galli* Voss. 1. *Quum Galli Senones* Leid. et Berg.

Legati a senatu missi ad componendam inter eos et Clusinos pacem] *Legati senatu missi* Berg. *legati ad senatum missi* Voss. 1. Tum *ad componendum pacem* Boend. et editi usque ad Sigonium, cujus ed. recepit *componendam.* Et ita reliqui scripti. Denique *inter Gallos et Clusinos* Leid.

Pugnantes contra Gallos in acie Clusinorum stetisset] Ultima vox abest a Voss. 1. et Berg. *pugnarent contra Gallos in acie Clusinorum,* eadem omissa voce, præfert Leid. *pugnantes contra Gallos starent in acie Clus.* Voss. 2. 3. et 4. *Clusinos,* pro *Clusinorum,* insuper Voss. 1.

Senones urbem infesto exercitu petierunt] *Infenso exercitu* Boend. Sed vulgatum, pro quo stant reliqui codd. et omnes editi, satis placet. Liv. II. 46. ‘Non alio ante bello infestior Romanus prœlium iniit.’ XLV. 8. ‘Contra populum Romanum bellum tam infesto animo suscepisset.’ Ambo hæc vocabula sæpe confunduntur in scriptis; vide ad Livii II. 46. § 7. Tum *petiverunt* Leid.

Fusisque ad Alliam flumen Romanis cepere urbem] *Aliam* scribendum uno *l,* et *dies Aliensis;* hanc enim habent scripturam plerique veteres libri, item Græci scriptores, *πρὸς Ἀλίαν ποταμὸν,* et Ἀλιάδα *ἡμέραν,* ut Plutarchus in Camill. p. 137. Servius etiam in Æneidos VII. 717. docet, a poëtis *Alliam* duobus *ll* dici metri causa, ut ‘Relliquias.’ *Sigon.* Conjunctio *que* non exstat in Voss. 1. Tum *Aliam* scribunt et Voss. 2. 3. et 4. Berg. Boend. et Hearnii Oxon. C. reliqui contra *Alliam.* In ipso autem Liv. v. 37. § 7. c. 39. § 6. et 8. c. 49. § 5. c. 53. § 5. lib. VI. c. 1. § 11. c. 28. § 5. et 6. c. 29. § 1. VII. 13. § 5. et alibi iidem codd. modo *Alia,* modo *Allia,* obferunt; alii vero in *Alia,* alii in *Allia* ubique conspirant. De orthographia hujus nominis vide Dukerum ad Flor. I. 13. § 7. et quos ibi laudavit: quibus adde Castalion. ad Rutil. Itiner. I. 125. Merul. ad Ovid. Art. Amat. I. 413. et Dausq. in Orthogr. part. sec. hac voc. ubi apud Lucan. VII. 633. ‘Quas Aliæ clades’ de clade Alliensi accipiens eumdem committit errorem, quem Micyllus in Merul. ad d. loc. Ovidii, et alii in Servio ad Virgil. Æn. VII. 717. nota-

runt; vide viros doctos ad d. loc. Lucani. Adde Cluverium Ital. Antiq. II. 10. p. 709. Præterea vox *flumen* non est in Leid. Voss. quatuor, Berg. Boend. Hearnii Norvic. atque excerptis Pithœi; quam tamen edd. omnes agnoscunt, et Livius etiam addidit V. 37. et VI. 28. Vide ad II. 32. § 2. Tandem *ceperunt urbem* Voss. 1. Berg. et Boend.

In quod se juvenes contulerant] Veteres libri *in quod se juventus contulerat.* Sigon. *In quo* Leid. Voss. quatuor, et Berg. *quo* Boend. Hinc *se juvenes contulerunt* Voss. 1. *se juvenes contulerant* Boend. Norvic. et edd. ante Sigonium: *se juventus secum tulerat* Voss. 2. *se juventus se contulerat* Voss. 3. *se juventus contulerat* Leid. Voss. 4. et Berg.

Cum insignibus honorum, quos quisque gesserut] *Cum insignibus honoribus* scribæ inertia Boend. Deinde *quos quinque gesserat* Voss. 2. et 3. In eorum tamen posteriore literæ *n* nota addita est, qua librarius indicare solet, eam delendam esse; ut ita scribi voluerit *quos quique gesserat.*

In vestibulis ædium sedentes occiderunt] *In vestibulis eorum sedentes* Voss. 1. *in vestibulis eorum ædium sedentes*, juncta utraque lectione, Boend. Insuper *ceciderunt* Voss. 2. et 3. Vide ad XXXVI. 36. § 1.

Per aversam partem Capitolii jam in summam evasissent] *Per adversam partem* Leid. Voss. 1. 2. 3. Berg. et Boend. Voces hæ sæpe commutantur; vide ad II. 31. § 6. Tum *Capitolium* Voss. 1. Deinde *in summum Senonenses evasissent* Voss. 2. et in marg. Voss. 3. sine dubio ex interpolatione librarii.

Proditi clangore anserum, M. Manlii præcipue opera dejecti sunt] *Clangore anseris* Voss. 2. 3. et 4. Sed *anseres* numero multitudinis memorat etiam Livius c. 47. Tum *M. Manilii* Voss. 1. Vide ad Liv. XXXIV. 53. § 2. Hinc *opera præcipue*, trajectis vocibus, Boend. Tandem *deterriti sunt* Voss. 1. et Boend. *detecti sunt* Voss. 2. 3. 4. et Berg. Alibi interdum voces 'dejectus' et 'detectus' in Mstis confundi solent; vide Nic. Heins. ad Claud. Bell. Gildon. vs. 247. *detecti sunt* Galli scandentes, sive *proditi sunt*, ut inquit auctor hujus Epit. clangore anserum, sed *dejecti sunt* opera Manlii.

Coactis deinde propter famem Romanis descendere] Alii *despondere.* Male quidem; sed et illud juvandum videtur: *propter famem Romanis eo descendere.* Dicuntur 'aliquo descendere,' qui ad gravem aliquam conditionem inviti necessitate veniunt. Cicero pro Quinctio c. 16. 'Viri boni cum palam fraudantur, cum experiundi potestas non est, timide tamen et pedetentim istuc descendunt, necessitate coacti, inviti.' Pro Font. c. 1. 'Videte, quo descendam, judices: quam longe videar a consuetudine et cautione ac diligentia discedere.' De Invent. II. 58. 'Qua in re vel concedere alteri, vel ad conditionem alterius descendere, et in præsentia quiescere, atque aliud tempus exspectare oportebit.' Cæs. Civ. I. 8. 'Sed tamen ad omnia se descendere paratum, atque omnia pati reipublicæ caussa.' *J. F. Gron. Despondent* Berg. et Boend. *despondere* Norvic. et editi usque ad Gruter. qui in postrema a. 1628. *descendere* restituit: *coacti demum propter famem Romani descendere pacti sunt* Leid. 'Demum' et 'deinde' sæpius in Mstis inter se confunduntur; vide ad XL. 22. § 1. Omnes Voss. vulgatum tuentur, quod probat etiam Gronov. adjecta tamen vocula *Romanis eo descendere*, et vim verbi 'descendere' optime exposuit. Ita et Liv. hoc verbo usus est XXIII. 14. 'Ad ultimum prope desperatæ reipublicæ auxilium, quum honesta utilibus cedunt, descendit.' XLV. 15. 'Postremo eo descensum est, ut ex quatuor ur-

banis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur.' Frontin. II. 10. ex. 1. 'Victos se esse secundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones imperatoris descenderunt.'

Ut mille pondo auri darent, et hoc pretio] *Ut decem pondo auri darent* Voss. 2. 3. et 4. Forte numerus per notam *ut ∞ pondo* scriptus fuit, eamque non adsecuti librarii *decem* dederunt, vel *x.* ut alibi etiam factum est. Vide ad XXXIII. 14. § 5. Deinde *ut hoc pretio* Leid. et Voss. quatuor. Voculæ hæ sæpe in Mstis commutantur; vide ad XXI. 28. § 8.

Camillus dictator absens creatus] *Absens accitus* Boend. *absens creatus accitus,* utraque lectione recepta, Berg. *Τῷ creatus* tamen adjectæ uotæ indicant librarium eam vocem delendam existimasse.

Inter pendendum aurum cum exercitu venit] Vet. lib. *inter ipsum colloquium, quo de pacis conditionibus agebatur.* Sigon. Vet. lib. *inter ipsum colloquium, quo de pacis conditionibus agebatur.* Delrius. Eamdem lectionem, quam Sigonius et Delrius, non modo Hearne etiam invenit in Norvic. et Exc. Pithœi; sed et mihi obvia fuit in Leid. Voss. 1. 4. Berg. et Boend. Neque dissentiunt Voss. 2. et 3. nisi quod *eloquium,* pro *colloquium,* præferant: de quo errore vide ad VII. 14. § 8.

Ædes Loquutio facta] Liviani libri veteres *Alloquutio* habent. Hunc Deum Gellius XVI. 17. Aium vocat. Cicero de Divin. I. 45. et II. 32. 'Aium Loquentem;' ex quo ego suspicatus sum, *Aio Loquuto* et hic et apud Livium esse legendum. Verba Ciceronis sunt hæc lib. II. 'At paulo post audita vox est monentis, ut providerent, ne a Gallis Roma caperetur; ex eo Aio Loquenti aram in nova via consecratam. Quid ergo? Ains iste Loquens, quando eum nemo norat, aiebat, et loquebatur, et ex eo nomen invenit: posteaquam et sedem, et aram, et nomen invenit, obmutuit?' Plutarchus in Camillo p. 144. *φήμην καὶ κλήδονα* vertit. *Sigon.* Apud Arnobium lib. I. contra gentes p. 15. male legitur 'Aios Locutios,' pro 'Aios Locutos.' *Delrius.* Beroaldus tom. I. Facis Gruteri p. 226. jam ante Sigonium ex *Allocutio* fecerat *Aio Loquenti,* auctore Cicerone, cujus locum e lib. II. de Divin. c. 32. hic descripsit Sigonius. Est rursus apud Cic. de Divin. I. 45. 'Ara enim Aio Loquenti consecrata est.' Et in fragmento actorum publicorum, si genuina sunt, a Dodwello in Prælect. Cambd. p. 691. publicato: 'Censores locaverunt reficiendum tectum Aii Loquentis HS. XXXV.' Merula ad Ann. Ennii VI. p. 369. ex Livio in Cic. legit *Locutio* et *Locutius:* quam emendationem se sine auctoritate librorum scriptorum Ciceronis non admissurum dicit Grunterus. Hoc etiam ad Beroald. et Sigonii conjecturam in h. l. Livii transferri potest. *Duk. Ædis* Voss. 3. et 4. Vide ad Liv. IV. 25. § 3. Tum *Jovi Capitolino,* pro *Aio Loquutio,* Leid. Voss. quatuor, Berg. Boend. Norvic. Excerpta Pithœi, et vetustæ edd. ante Vascos. qui *Loquutio* substituit, quod reliqui servarunt usque ad Sigonium; is enim *Aio Loquuto* in contextum recepit: reliquis tamen recentioribus Vascosani lectionem servantibus usque ad Grunterum, qui in postrema ed. dedit *Aio Loquutio.* Ceterum omnis hæc periodus *Ædes Aio Loquutio, &c. adventare Gallos* ad finem Epitomes hujus rejecta est in omnibus scriptis et edd. vetustis. Ascensius demum a. 1513. huc revocavit, nullam aliam, ut videtur, ob caussam, quam quia eo ordine a Livio res narratæ sunt. Sed non semper ordinem Livii observasse eum, qui Epitomas confecit, sed sæpius in ea re peccasse, videbimus ad Epit. lib. CIII.

Facta, quo loco ante urbem captam vox audita erat] *Facta est* Leid. Voss. quatuor, et Hearnii exc. Pithœi: *factæ* Norvic. Tum *quo ante urbem captam* Berg. Boend. et Voss. 2. 3. et 4. *quod ante urbem captam* Leid. Voss. 1. et apud Hearnium excerpta Pithœi, et Norvic. Denique *vox audita est* Leid.

Dictum est, ad Veios migrandum esse propter incensam et dirutam urbem, quod consilium] In vet. lib. panca mutantur. Legitur enim, *Deinde cum ad Veios migrandum esset propter incensam et dirutam urbem, hoc consilium.* Delr. *Deinde cum ad Veios migrandum esset* etiam Vossian. 1. *Dictum etiam ad Veios migrandum esse* Berg. et Boend. Præterea *intercisam*, pro *incensam*, Berg. et Boend. *diruptam*, pro *dirutam*, Voss. 3. solito scribarum errore. Vide ad IX. 45. § 17. Ordine mutato *propter incensam urbem et dirutam* præfert Leid.

Quod consilium, Camillo auctore, discussum est] *Dimissum est* Boend. Sed nihil muto. Infra in Epit. lib. XXVIII. 'Ipse Scipio, dum gravi morbo inplicitus est, seditionem, in parte exercitus motam, confirmatus discussit.' Et ita ipse quoque Livius loqui amavit: ut II. 52. 'Exprobrandoque T. Menenii damnationem mortemque periculum audacia discussit:' ubi plura vide.

Quoque omen ex centurione auditæ] *Omũm*, pro *omen*, Berg. *oĩum* Boend. Deinde *ex centurione auditæ sunt* Berg.

Quum in forum venisset, manipulariis suis dixerat] *In foro* Boend. Hinc *manipularis* Berg. a m. pr. *manipularibus* Voss. 2. 3. 4. et Excerpta Pithœi. Valer. Max. VI. 1. ex. 12. 'Tribunum militum a C. Plotio, manipulario milite, jure cæsum pronunciavit.'

Sta, miles; hic optime manebimus] *Æstimabiles hic optime manebimus* Vossian. 2. 3. 4. nisi quod eorum prior *manibus* præferat, pro *manebimus*.

LIB. VI.

Res adversus Æquos et Volscos et Hetruscos prospere gestas continet] Pro *Hetruscos* repone *Prænestinos*. Nam hæc vox in vet. lib. Et de Prænestinis subactis agit hoc in libro pluribus Livius. *Sigon. Res adversus Volscos et Æquos* Leid. Voss. 1. 2. 3. et 4. ac Berg. quorum auctoritate voces ita transposui. Quin et ipse Livius infra c. 2. refert quemadmodum Camillus dictator res adversus Volscos gesserit, et deinde victor ex Volscis transierit in Æquos, et ipsos bellum molientes. Deinde iidem codd. cum Boenderm. iisque quos Hearne consuluit, ut et vetustis excusis *Prænestinos*. Pro quo *Hetruscos* primus edidit Aldus, quem Frobenius aliique ad Sigonium usque secuti sunt. In uno Voss. 1. insuper sine copula *et Volscos Prænestinos* perperam scriptum erat.

Quatuor tribus additæ] Ita primum vulgatum video in ultima Grateri ed. Priores præferunt *additæ sunt*. Neque aliter habent Leid. Boend. et Hearnii Norvic. Pro eo *adjectæ sunt* ostentant Voss. 1. 2. 3. 4. Bergian. et Exc. Pithœi apud Hearnium. Aliis etiam locis τὰ 'addere' et 'adjicere' in Mss. commutari solent; vide ad XXXVI. 40. § 9. Utroque vocabulo in hac re uti videtur auctor Epit. Liv. Et quidem 'addere' l. VII. 'Duæ tribus additæ, Pomptina et Publicia:' verum ibi etiam plerique codd. *adjectæ*. 'Adjicere' autem lib. II. 'Ob hoc Claudia tribus adjecta est.' lib. IX. 'Tribus duæ adjectæ sunt.' l. X. 'Duæ tribus adjectæ sunt, Aniensis et Terentina.' lib. XIX. 'Duæ tribus adjectæ sunt, Velina et Quirina.' Livius ipse fere tantum verbo 'addere' in hac re adhibuit; vide VII. 15. VIII. 17. IX. 20. et X. 9. Quin et eodem etiam verbo usus est, ubi ipsam illam rem refert, quam hic auctor Epit. narrat, hoc lib. c. 5. 'Tribus quatuor

ex novis civibus additæ.' Non desunt itaque argumenta, quibus utraque lectio defendi possit: *additæ* nempe auctoritate Livii, *adjectæ* more perpetuo auctoris hujus Epitomes, in quam propterea magis propendeo.

Stellatina, Sabbatina] *Sabatina* uno *b* scribendum. 'Est enim,' ut ait Festus, 'a Sabate lacu appellata.' *Sigon. Stellentina* Leid. *Stellantina* Voss. 1. Sed vulgatum, quod apud Livium c. 5. in omnibus codd. superest, verius puto. Lapis apud Gruter. p. XXXV. num. 3. T. ANTISTIVS. T. F. STELLATINA. SEVERIANVS. DEDICAVIT. et pag. DXXIII. num. 8. C. ATEILIVS. C. F. STELLATINA. MILES. PRÆTORIANVS. Etiam alibi. Festus in voce 'Stellatina:' 'Stellatina tribus dicta, non a campo eo, qui in Campania est, sed eo, qui parum abest ab urbe Capena, ex quo Tusci profecti Stellatinum eum campum adpellaverunt.' Vide Cluverii Ital. Antiq. I. 3. p. 550. et Camillum Peregrinum in Campan. Felice Dissert. II. 33. Deinde *Sabina* Boend. *Sabita* Voss. 3. *Sabitana* Voss. 2. et 4. *Sabbatina* Leid. et Berg. *Sabatina* Voss. 1. quam scripturam recte Sigonius probavit. Marmor apud Gruter. p. DCXXXVI. num. 7. L. IVNIO. L. F. SABATINA. POLLIONI. Vide etiam p. MCIII. num. 5. De lacu, unde tribui nomen fuit, vide Cluver. Ital. Ant. II. 3. pag. 523. et Dempster. in Etrur. Reg. IV. 6.

Promentina, Arniensis] *Tromentina, Arniensis* scribendum ex Festo, qui 'a campo Tromento tribum Tromentinam invenisse nomen' ait. Item ex veteribus libris, oratione prima [immo secunda] contra Rullum c. 29. et lib. XXIX. Livii c. 37. *Sigon. Pmantina*, virgula per caudam literæ *P* trajecta, id est *Permantina*, Boend. *Permentina* Berg. a m. sec. qui a m. pr. habet *Promentina*, concinentibus Leid. Voss. 1. 2. 3. et 4. Suos codd. Sigonio, *Tromentina* reponenti, consentire, testatur Hearne. Sæpius hæc tribus in marmoribus obvia est, et modo TRO. vel TROM. vel TROMENTIN. modo plene TROMENTINA vocatur: apud Gruter. in corpore Inscr. pag. MCIX. num. 8. T. PLOTIVS. T. F. TROMENTINA. RVFINUS. Vide etiam VI. 5. § 8. Ceterum hujus tribus nomen præcedentis *Sabatinæ* nomini præponunt Voss. 2. 3. 4. Berg. et Boend. Deinde *Armensis* Voss. 2. 3. 4. et Boend. *Arniensis* Leid. Voss. 1. et Berg. Eamdem scripturam servant typis excusi usque ad Sigonium, qui prima ed. Scholiorum *Narniensis* legendum esse monuit non modo hoc loco, sed etiam ad Livii VI. 5. § 8. eamque lectionem in contextum recepit. Quamvis autem in posterioribus Scholiorum edd. *Arniensis* τῷ *Narniensis* substituerit, alteram nihilominus lectionem in contextu servavit. Nemo tamen eum secutus est usque ad Gronovium, qui iterum *Narniensis* edidit, quod deinceps recentiores retinuerunt, etiam Hearne, licet *Arniensis* probarit: quod nunc iterum restitui. Vide ad VI. 5. § 8.

M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat] Manlii prænomen *M.* deest in Leid. et Voss. 1. quod a prima litera vocis seq. interceptum est. Vide ad XL. 34. § 1. Deinde *Manilius* Voss. 1. et Boend. *Mallius* Voss. 4. Vide ad XXXIV. 53. § 2. Postea *a Gallis liberaverat defenderat* Voss. 1. Sed *liberaret* mox sequitur.

Nexos exsolveret] *Nexos absolverat* Boend. et Berg. *absolveret* Voss. 1. Reliqui vulgatum servant, quod verum est. 'Solvere' dixit Livius VIII. 28. 'Ita nexi soluti, cautumque in posterum, ne necterentur.' Ejus loco auctor Epit. *exsolvere* dixit, quod ipsi Livio sæpius pro simplici solvere usurpatur. Vide ad II. 32. § 2. Mox alio ordine *adfectati regni crimine damnatus* Leid.

De saxo Tarpeio dejectus est] Ita et Livius VI. 20. 'Damnatum tribuni de saxo Tarpeio dejecerunt.' Verum

vox *Tarpeio* non adparet in Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. Hearnii Oxon. N. et ed. Rom. princ. Quin et simpliciter *saxum* vocari partem illam montis Capitolini, ex qua damnati dejiciebantur, docuit Just. Rycquius de Capitol. c. 3. Immo sæpissime auctor Epitom. Liv. ita eam vocavit. Infra Epit. lib. LIX. 'Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo præteritus erat, de saxo dejici jussit.' lib. LXXVII. 'Ob scelus proditi domini de saxo dejectus est.' lib. LXXX. 'Marius Sex. Licinium senatorem de saxo dejici jussit.' In quo ipsum Livium imitatus est, qui similiter locutus est XXIV. 20. 'Virgis in comitio cæsi omnes, ac de saxo dejecti.' XXV. 7. 'Deducti in comitio, virgisque, adprobante populo, cæsi de saxo dejiciuntur.'

In cujus notam senatusconsultum factum] Vel vitiosa est hæc periodus, et delendum *τὸ senatus:* vel defecta est, ac tum verba ipsa senatusconsulti, tum quæ de gentili decreto Livius memorat, exciderunt. Vide ipsum Livium. *Jac. Gronov. Senatusconsultum* servant codd. nostri, nisi quod Voss. 2. 3. et 4. pro eo præferant *sic.* Qui error ex non intellecta nota *S. C.* qua ea vox in Mss. scribi solet, profluxit. Vide ad l. XXII. c. 10. § 1. Nullum etiam in codd. vestigium obcurrit, plura hic verba excidisse. Potius itaque auctorem hujus Epit. ipsum errasse puto; quem a Livio sæpe diversa tradidisse, videbimus ad Epit. lib. XLV. Quin et Livius quidem, præter notam privatam, etiam aliam publicam mortuo adjectam esse tradidit, non tamen per senatusconsultum, sed per legem. Ita enim refert c. 20. 'Latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret.' Senatusconsulti in hac re nulla fit mentio. Livio concinit Plutarch. in Camill. p. 148. Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι, &c. ἐψηφίσαντο, μηδένα τῶν πατρικίων ἐπὶ τῆς ἄκρας κατοικεῖν. Præterea *factum est,* addito verbo, Leid. Voss. 1. Berg. Boend. Hearnii Oxon. N. Norvic. atque omnes priores editi. Curio primus *τὸ est* delevit; quod loco suo restitui.

Ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset] Perspicue mendosum *Marco cognomen. Prænomen* enim potius scribendum esset, ut ait Quintilianus III. 7. 'M. Manlii prænomen e familia in posterum exemptum est.' At legendum puto *nomen.* Erravit autem librarius, quia *Marco cognomen* scripsit, syllaba, ut fit, repetita sine causa. Itaque recte Plutarchus in lib. Τῶν Κεφαλαίων c. 90. p. 285. Τὸν Μάλιον ἀπώμοτόν φασιν εἶναι τῷ οἴκῳ· μηδενὶ Μαλίῳ ὄνομα Μάρκου γενέσθαι. *Sigon.* Adversus hanc Sigonii conjecturam insurrexit Robortell. Emend. I. 23. existimans prænomen interdum etiam *cognomen* adpellari. Ad id etiam probandum adducit locum Val. Max. III. 4. ex. 3. ubi de rege Servio Tullio inquit: 'Statuæ ipsius titulus abunde testatur, servili cognomine et regia adpellatione perplexus.' Sed vide qua ratione sententiam defenderit Sigonius Emendat. II. 22. Eamdem etiam probat Schottus ad Aurel. Vict. de Viris Inlustr. c. 24. addito loco ex Cic. Orat. Philipp. I. 13. et Festo voce 'Manliæ.' Quemadmodum autem locus Valerii Max. accipiendus sit, vide ad eum notas virorum doctorum. Ceterum *cognomen* hic omnes servant codd. At *ne cui de Manlia gente Manlia cognomen esset* habent Voss. 2. et 3. sed *Manlia* posteriore loco deletum erat: *ne cui de Manlia gente Manlii cognomen esset* Voss. 4. et Berg. *Manli,* pro *Marco,* etiam est in Exc. Pith. apud Hearnium. Similiter fere erratur in Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. c. 24. 'Gentilitas ejus Manlii cognomen ejuravit.' Locutio autem 'ne cui Marco nomen,' vel 'cognomen esset' eadem est, atque illa, quam supra scriptori huic vindicavi in Epit. lib.

II. 'Servo indici, cui Vindicio nomen fuit, libertatem dedit.' 'Nomen' et 'cognomen' etiam alibi in Mss. commutari solent. Vide ad II. 16. § 4. et ad VII. 22. § 3. Id autem hic ex repetitione ultimæ syllabæ vocis præced. ut Sigonius ceusuit, tanto facilius accidisse potuit. Nam ita *loco conatus*, pro *loco natus*, in optimo cod. est apud Liv. VII. 4. § 5. Alia ejusdem erroris exempla vide ad XXXVII. 41. § 5.

C. Licinius et L. Sestius tribuni plebis legem promulgarunt] *Cilicinius* Voss. 2. 3. 4. Deinde *L. Sextius* Voss. 1. 2. 3. 4. Leid. Berg. et Hearnii Oxon. N. atque ita etiam Sigonius edidit, quem nemo recentiorum audivit, quod tamen facere debuerant. Sestii enim patricii fuerunt, et hinc tribuni plebis esse non potuerunt; Sextii vero plebeii. Livius etiam passim hoc lib. L. Sextium vocavit. Vide cap. 35. et postea. Solent autem voces 'Sextius' et 'Sestius' in Mss. confundi; vide ad III. 32. § 5. *L. Septimius* datum est in Boend. Postea tamen similiter *L. Sextius* in fine Epit. scriptum exhibuit. Deinde *legem promulgaverant* Leid. *legem promulgaverunt* Voss. 1. 2. 3. 4. et Berg.

Ut consules etiam ex plebe fierent] Veteres libri non habent *etiam*. Sigon. Eamdem vocem non agnoscunt Leid. Voss. 2. 3. 4. et Berg. *ut et consules ex plebe fierent* præfert Voss. 1. *ut et consul ex plebe fieret* Boend. Error ex eo natus, quod epitomen scribendi *cons* librarius *consul* reddendam existimarit, quum reddere deberet *consules*. Eo autem errore admisso, sequebatur, pro *fierent*, dandum esse *fieret*; vide ad XXXIX. 38. § 7.

Eam legem cum magna contentione] Vet. lib. *eamque legem*. Sigon. Lectionem, quæ ante Sigonium obtinuit, ex codd. meis præfert unus Boend. etiam Hearnii Norvic. sed *ea req*; habet Voss. 1. *eam rem* Berg. *eamque*, omissa voce *legem*, quæ etiam abesse potest, Leid. et Voss. 2. 3. 4. Neque aliter Sigonius ipse edidit. Hearnius autem auctor est, reliquos codd. suos, vet. lib. Sigonii concinentes, *eamque legem* habere.

Cum magna contentione repugnantibus Patribus] Tolle ex veteri libro *cum*. Delrius. Illud *cum* magno consensu in omnibus meis superest. Verum *cum magna extensione* male exstat in Voss. 1.

Quum eidem tribuni plebis per quinquennium] Ita primum editum vidi in Elzevir. Heinsii; idque servarunt Gronovii, Donjatius, Clericus, aliique. Edd. principes præferunt *quum idem tribuni;* quomodo etiam est in Leid. Voss. 2. 3. 4. et Berg. Postea Mogunt. dederunt *quum iidem tribuni*, quod non tantum recentiores omnes usque ad Gruterum, qui in postrema dedit iterum *idem*, servarunt, verum etiam exhibet Voss. 1. Et id verum, atque ab Hearnio recte revocatum est: *idem* et *iidem* sæpe commutarunt librarii. Vide ad XL. 22. § 14. Boend. singularem lectionem obfert *quum in urbe tribuni plebis.*

Primus omnium ex plebe consul L. Sestius] Induc vocem *omnium* ex vet. lib. *Sigon.* Vocem *omnium* ignorant etiam septem, quibus usus sum, codd. quod de suis etiam Hearne testatur; nisi quod in addendis Norvic. editionum perpetuum asseclam, eam servare postea monuerit. Vide ad Epit. Liv. lib. XLVIII. Deinde *L. Sextius* iidem codd. mei, uno excepto Berg. qui tamen, quam proxime ad reliquorum lectionem, *L. Sextus* ostentavit.

Lata est altera lex, ne cuiquam plus quingentis jugeribus] Vet. lib. *ne cui.* Sigon. Similiter etiam septem codd. mei. Idem etiam credere licet de plerisque, quos Hearnius consuluit, quod, *ne cui* edens, unius tantum Norvic. meminerit, qui, vetustis edd. consentiens, *ne cuiquam* habeat. Sed *ne cui*, ut *ne qui*, *ne qua*, et similia, pro *ne aliquis*, *ne aliqua*, quæ passim ob-

currunt. Ita antea hac Epit. ‘ Senatusconsultum factum est, ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset.’ Præterea *Lata est etiam altera lex* Berg. *Lata est et altera lex* Leid. et Voss. 2. 3. ac 4. quod Hearne etiam in Sigonii ed. superesse testatur, quum tamen illæ, quas inspexi, (inspexi autem tres,) τὸ *et* non habeant. Id vero recepi. Exciderat igitur particula *et* ob similitudinem præced. *est*. Vide ad X. 1. § 5.

LIB. VII.

Duo novi magistratus adjecti sunt] In vet. lib. non est vox *novi:* et sine ea sensus stare potest. *Sigon.* Vocem *novi* etiam in Oxon. N. deesse, monuit Hearne. Eadem deest quoque in Voss. 1. ita tamen, ut ejus loco exhibeat *igitur*. At reliqui mei τὸ *novi* constanter servant. Largior equidem Sigonio, abesse posse. Quo minus tamen vocabulum illud expungendum censeam, facit tot codicum in eo tuendo consensus. Tuetur etiam Livius, lib. VII. ita incipiens: ‘ Annus hic erit insignis novi hominis consulatu, insignis novis duobus magistratibus, prætura et curuli ædilitate:’ ubi quidem unus et alter codex similiter τὸ *novis* neglexerunt; sed illi minoris sunt auctoritatis. Ceterum *Aliquot novi magistratus* præferunt Berg. et Boend. Male. Nam et hic in vocem *Duo* reliqui codd. constanter conspirant, et Livii verba modo laudata eam lectionem probant.

Prætura et ædilitas curulis] *Et curulis ædilitas* transpositis vocibus Leid. Voss. 1. 2. 3. et Berg. quod recepi. Eodem enim ordine effert etiam Liv. VII. 1. verbis modo productis. Vide ad IV. 59. § 11. Male *æditis curilis* Boend. Male etiam *præterea*, pro *prætura*, Voss. 4. Boend. et edd. vetustæ ante Mogruntinos et Aldum, qui recte primi *prætura* substituerunt.

Pestilentia civitas laboravit] *Pestilentia cum civitas laboraret* Voss. 1. Verum nihil est, quod huic membro respondeat, nisi forte in verbis seqq. τὸ *que* delendum, ac scribendum sit *eam insignem fecit mors Furii Camilli*. Reliquis tamen et scriptis et editis vulgatum tuentibus, nihil muto. Præterea *Pestilentia civitatem laboravit* male Voss. 2. et 3. a m. pr.

Cujus remedium et finis quum per novas religiones quæreretur] *Cujus remedium infirmis quum, &c.* Boend. invitis ceteris codd. qui receptam lectionem defendunt; nisi quod *cujus remedium est finis* male præferant Voss. 2. 3. a m. pr. et Voss. 4. Insuper *per novam religionem* Berg. Verum Livius in his amat numerum multitudinis; vide ad V. 55. § 1. Neque alii codd. a vulgato recedunt.

Ludi scenici tunc primum facti sunt] *Tum primum* Berg. et Boend. Supra in Epit. lib. V. ‘ Equites tum primum equis suis merere cœperunt:’ ubi unus codex habet *tunc primum*. Contra Liv. V. 13. ‘ Lectisternio tunc primum in urbe Romana facto:’ ubi varii codd. legunt *tum primum*. Quædam ad eum locum notavi. *Ludi scenici primum facti*, duabus vocibus omissis, Leid. *ludi scenici tunc facti sunt* Voss. 1. quod non placet. Diligenter enim Livius ejusque exemplo auctor Epitom. adnotare soliti fuerunt, quando quid *primum* factum sit, aut cui quid *primo* evenerit. Vide Perizonii Animadv. Hist. c. 8. p. 345.

Dies L. Manlio dicta esset a M. Pompeio tribuno plebis] Lege *a M. Pomponio* ex Livio VII. 4. et Cicerone de Offic. III. 31. *Sigonius. L. Manitio* Boend. Tum *a M. Pomponio* Leid. Voss. 1. Berg. Boend. et omnes Hearnii Oxonn. præter Norvic. qui, vulgatis prioribus, ut solet, consentiens, *a M. Pompeio* præfert: quomodo olim etiam erratum erat in quibusdam edd. Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. c. 28. Et hoc modo variatur etiam III. 54.

§ 13. *a Pompenio* Voss. 4. *a Pomponio* sine prænomine Voss. 2. et 3. At voces *tribuno plebis* deficiunt in Berg.

Propter delectum acerbe factum] Vet. lib. *actum*. Sigon. Præpositio *propter* deficit in Voss. 2. 3. et 4. Deinde *delictum* Berg. et Boenderm. *dilectum* Voss. 2. 3. et 4. Vide ad XXXVII. 51. § 7. Tum *acerbe actum* habent omnes mei, ut et Hearnii Oxonn. præter Norvic. qui *factum* servat. Sed ' facere delectum' inprobat Valla Elegant. v. 60. ubi tamen dubitat an apud Quinctil. Instit. Orat. l. II. c. 8. ' studiorum facere delectum ' vitio librariorum scriptum sit, an etiam sic dicere liceat. Sæpius autem ' factus ' et ' actus ' librariorum socordia in codd. Mss. commutantur. Vide ad VI. 28. § 2.

Et T. Manlium filium, relegatum sine ullo crimine] Vet. lib. *filium rus relegatum:* recte. Sic enim Livius. *Sigonius. Et ob T. Manlium* Berg. Hearnii Norvic. omnesque, quas vidi, edd. usque ad ultimam Gruteri, quæ prima præpositionem omisit. Ipse Livius similiter præpositiones sæpe variare consuevit. XLII. 24. ' Quem ob nullam aliam caussam, quam propter constantem fidem erga populum Romanum, odissent.' Plura exempla vide ad VI. 28. § 3. Si itaque plures codd. consentirent, id Epitomarum auctori ex assidua Livii lectione ac meditatione adhæsisse existimarem, ac scripturam illam in contextum admitterem. Nunc vero non audeo. *Et C. Manlii filium* Voss. 1. *et T. Manilium*, *τῷ filium* omisso, Boend. *et T. Manilium filium* Voss. 2. 3. et 4. Vide ad XXXIV. 53. § 2. Deinde *rus relegatum* Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. et Hearnii Oxon. N. Livium quidem pro hac lectione laudat Sigonius; in eo tamen cap. 4. ubi hæc historia refertur, eadem locutio non obcurrit. Rectius itaque laudasset Cic. de Offic. III. 31. ' Quod Titum filium, qui postea est Torquatus adpellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset:' vel Valer. Max. VI. 9. ex. 1. ' Ut a patre L. Manlio amplissimo viro rus relegatus agresti opere fatigaretur:' vel denique Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. c. 28. ' T. Manlius Torquatus ob ingenii et linguæ tarditatem a patre rus relegatus.' Eam lectionem in contextum admisi.

Adolescens ipse, cujus relegatio patri objiciebatur] Pronomen *ipse* deficit in Leid. Deinde *objiciebatur patri* Berg.

Non perseveraturum se in accusatione] Negandi particulam omiserunt Voss. 2. 3. et 4. sed pronomen *se* Leid. Voss. 1. et 2. Id autem librarii sæpius neglexerunt; neglexit et ipse Livius. Vide ad I. 23. § 5. Et ita auctor Epit. Liv. lib. II. ' Brutus jurejurando populum adstrinxit, neminem regnare Romæ passurum.' Vocibus transpositis *se non perseveraturum* habet Berg. Denique *in actione* Voss. 1. Quæ lectio si plurium codicum consensu firmaretur, eam probare non dubitarem, ac crederem *accusatione* ex alterius interpretatione marginali in contextum inrepsisse. Nam et alibi vox *accusatio* pro expositione sive varia lectione *τοῦ actio* in Mss. obcurrit. Vide Burmann. ad Quinctil. Declam. XII. 1. Nunc *τὸ actione* ex compendio, quo vox *accusatione* scribi solet, natum existimo.

Tunc omnia perniciosa omissa sunt. In patentem voraginem urbis Romæ Curtius armatus, &c.] Hic locus ita legendus: *Tunc omnia preciosa missa sunt in patentem voraginem urbis Romæ. In eam Curtius armatus, &c.* Quam lectionem veteribus in libris se reperisse, mihi affirmavit Claudius Puteanus; et Livius ipse comprobat, cum scribit c. 6. ' Donaque ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum congesta.' *Sigonius. Tunc omnia preciosa missa sunt in patentem voraginem* Ms. Pal. Antea fere excusi *Tunc omnia perniciosa omissa sunt. In patentem, &c.* inepte. Nam ultimæ

antiquitatis impressi agnoscunt illud *preciosa*. Et sic est: Romani, male interpretati oraculum, quidquid habebant domi forisque pretiosum, auro, argento, gemmis constans, in eum specum conjecere. Videatur modo Plutarchus in Parallel. § 5. aliique scriptores. *Gruterus.* Deesse hic aliquid, videre cuivis licet. Supplet membranaceus Barberinus hoc modo: *Cum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria foret, tunc omnia pretiosa missa sunt in prærultum voraginem urbis Romanæ.* Idem, *armatus sedens equo se præcipitavit, et expleta est.* Tum *a tribunicia vexatione vindicaverat.* Denique *singulare certamen feliciter iniit.* J. F. Gron. Quæ hic nomine Sigonii vulgantur, petita sunt ex tertia ed. scholiorum ejus, quæ demum eo jam diu mortuo lucem vidit. Voces autem *Quum telluris hiatu tota ad ultimum territa patria foret*, quas Gronovius in cod. Barber. reliquis præmissas invenit, et in quibus, nescio quo consilio, alia serie edidit *patria territa*, desunt non modo in Hearnii Oxon. N. et Norvic. sed etiam in omnibus meis, excepto solo Leid. qui Barberino consentit. Doujatio tamen hæc lectio, quam falso non modo Gronovium, sed Grutcrum etiam, probasse dicit, suspecta est. Displicet enim *tota patria*, pro universa civitate; deinde *ad ultimum*, quum de eo agatur, cujus nulla antea mentio facta fuerat. Fateor equidem *patria* pro quavis civitate, regione, frequentissime apud posterioris ævi scriptores obcurrere. Vide Barthium ad Gul. Britonis Philipp. VII. 827. et Vossium de Vitiis Serm. lib. VI. Verum quis nobis definiet, quo seculo auctor harum Epitomarum vixerit? Non enim Annæum Florum esse, cujus exstat Epitome rerum Romanarum, ex differentia stili et alinnde hodie inter viros doctos constat. Insuper autem Du Cange in Gloss. ad Script. Mediæ Latin. in voce ‘patria,’ ubi etiam plura ex posteriorum temporum scriptoribus exempla laudat, jam ipsum Virgilium fere similiter locutum fuisse observat Æn. I. 539. ‘Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem Permittit patria?’ Facile etiam fero *ad ultimum*: de quo vide J. F. Gronov. ad Livii XLV. 19. § 13. Ipsi vero Doujatio vetusta lectio *Tunc omnia perniciosa omissa sunt* minus laciniosa, et brevitate magis probabilis videtur: *perniciosa* autem interpretatur respectu non modo Manlii patris, cui propter delectum acerbe habitum, et filium nullo suo crimine rus relegatum diem dixerat, sed etiam Manlii filii, qui tribunum plebis sacrosanctum domi suæ invitum intentato mortis metu patris accusationem omittere coëgerat. At si vetustas edd. consuluisset, *perniciosa omissa* demum ab Ascensio receptum reperisset, priores vero *pretiosa omissa* exhibere. Tanto minus autem ei consentire possum, quod omnes codd. quos adhibui, et Hearnii Oxon. N. uno ore legant *pretiosa missa sunt*, eaque verba cum seqq. jungant. Præterea *in patentem voraginem* servant Voss. 1. et Boend. *in parentem voraginem* Berg. solito scribarum errore, qui alibi ‘parere’ et ‘patere’ confundere consueverunt; vide ad Livii IX. 18. § 7. *In prærultam voraginem* Voss. 2. 3. 4. et apud Hearnium Excerpta Pith. Ita Livius V. 37. ‘Allia e Crustuminis montibus prærlto defluens alveo.’ X. 2. ‘Inde esse ostium fluminis prærlti.’ XXII. 2. ‘Per prærltas fluvii ac profundas voragines hausti pene limo.’ XLIV. 8. ‘Prærltas voragines cavatoque medio alveo ripas utrimque præcipites.’ Colum. IV. 1. ‘Nec sane positio seminum prærltum cubile substerni desiderat:’ ita cod. Sangerm. ubi nunc editur *sibi altum.* Et ita, licet alio sensu, ‘prærltæ rupes’ dixit Livius XL. 58. ‘mons prærltus’ XLIII. 19. ‘prærlta fluminis ripa’ l.

XLIV. c. 39. Neque aliter dare voluisse videtur librarius cod. Leid. qui tamen male trajectis literis scripsit *in prælatam voraginem.* De simili errore vide ad v. 37. § 7. Adde Cortium ad Sallustii Jugurth. c. 78. § 2. Utraque lectio *prælatam* et *patentem* ex Livio præsidium petere potest. Non modo enim c. 6. ' forum conlapsum in inmensam altitudinem ' dixit, sed etiam ' patentes terræ hiatus ' vocavit. Prius tamen recepi; quoniam verisimilius videtur librarios *prælatam* per *patentem,* quam *patentem* per *prælatam,* exposuisse. Denique *urbis Romæ. In ea Curtius* Boend. *urbis Romanæ. In eam Curtius* reliqui nostri, et cum illis Hearnii Oxon. N. *In eam Curtius* Sigonii tertia, inde Gruteri ultima, postea reliqui receperunt; *urbis Romanæ* autem demum Gronovius admisit, de quo vide ad Epit. Liv. lib. XLIX. Doujatius, qui profitetur religionem sibi fuisse, veterem lectionem mutare, attamen tanta negligentia ad eam adtendit, ut Gronovium secutus contra fidem datam *urbis Romanæ* ediderit.

Curtius armatus equo se præcipitavit, eaque expleta est] *Curtius armatus sedens equo* Berg. *Curtius armatus equo sedens* Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. et Boend. *equo insidentem armatum se in specum inmisisse* Curtium, Livius dixit c. 6. Hanc etiam lectionem non modo Gronov. ex Barberino cod. et recentiores eum secuti receperunt; verum insuper quoque Doujatius, licet testatus sit religionem sibi fore, veterem lectionem mutare. Deinde pronomen *se* non adparet in Voss. 2. 3. et 4. Livium etiam eo omisso verbum ' præcipitare ' absolute, quasi neutrum foret, adhibere solitum fuisse, vidimus ad XXV. 11. § 6. Hic tamen *se præcipitavit* præfero, ut ita pateat sponte Curtium se in hanc voraginem inmisisse, non autem casu incidisse. Præterea *et expleta est,* ut Gronov. in Barber. invenit, præfert etiam Leid.

Manlius adolescens, qui patrem a tribunicia vexatione liberaverat] Vet. lib. *T. Manlius.* Sigon. *Lucius Manlius* Vossian. 2. 3. et 4. *T. Lucius Manlius* Berg. *T. Lucius Manilius* Voss. 1. *T. Manlius* Leid. *T. Manilius* Boenderm. Deinde *liberaverat* servant Voss. 1. Hearnii Oxon. N. et Norvic. *liberavit* Berg. et Boend. *vindicaverat,* quod Gronovius ex Barber. in contextum admisit, præferunt Leid. ac Voss. 2. 3. et 4. Livius ipse c. 10. ' T. Manlius, Lucii filius, qui patrem a vexatione tribunicia vindicaverat.'

Provocantem aliquem ex militibus Romanis, in singulare certamen descendit] *Aliquem de militibus* Voss. 2. 3. et 4. Livius de singulari certamine Valerii cum alio Gallo cap. 26. ' Provocat per interpretem unum ex Romanis.' Deinde verbum *descendit* deest in Voss. 1. 2. 3. 4. et Berg. Ejus loco *feliciter pugnavit* præfert Leid. Solus hic recte vulgatum Boend. tuetur. ' Descendere ' autem proprium huic rei verbum est. Vide Tennul. ad Front. II. 1. ex. 11. Mox *eoque occiso,* pro *eique,* Voss. 1. et Berg.

Torquem aureum detraxit] *Torquem auream* et mox *quam,* pro *quem,* Berg. Utroque genere ' torque ' sive ' torquis ' usurpari solet. Vide Vossian. Gramm. III. 29. sed præsertim Nic. Heinsium ad Nason. Fast. I. 599. At reliqui codd. hoc loco vulgatum servant, et masculino etiam usus est Livius VII. 10. ' Ab omni alia vexatione intactum uno torque spoliavit.'

Et ex eo Torquatus est nuncupatus] *Torquatus vocatus,* sine *τῷ est,* Voss. 1. *vocatus Torquatus* Boend. *Torquatus vocatus est* Leid. Voss. 2. 3. 4. Berg. Hearnii Oxon. N. et Exc. Pithœi.

Duæ tribus additæ] Ita constanter editi, et ex scriptis meis Boend. At *Duæ tribus adjectæ* Leid. Voss. 1. 2. 3. 4. Berg. et Hearnii Oxon. N. Utraque locutio in hoc scriptore obvia est. Prior supra Epit. lib. VI. ' Qua-

tuor tribus additæ sunt.' Altera Epit. lib. II. 'Ob hoc Claudia tribus adjecta est.' lib. IX. 'Tribus duæ adjectæ sunt.' lib. X. 'Duæ tribus adjectæ sunt:' et lib. XIX. 'Duæ tribus adjectæ sunt.' Si itaque plurium codicum scriptura præferenda foret, posterior recipi deberet. Nihilominus priorem non ejeci, quod Livius non modo VI. 5. VIII. 17. IX. 20. et X. 9. verum etiam hoc lib. c. 15. verbo 'addere' utatur. Solent autem verba 'addere' et 'adjicere' a librariis commutari; vide ad lib. XXXVI. c. 40. § 9.

Pomtina et Publilia] Prior harum tribuum in excusis antiquioribus vocatur *Pompeiana*, vel *Pomponiana:* quod posterius etiam servat Hearnii Norvic. *Pomponia* etiam in Ascens. 1513. et 1516. aliarumque margine: sed *Ponturia* in Berg. et Boenderm. *Pomptinia* in Voss. 2. et 3. *Pontinia* in Leid. et Vossian. 4. *Pomtina,* quod Gruterus in contextum ultimæ ed. recepit, et recentiores omnes servarunt, in solo superest Voss. 1. *Pontina* Aldus dederat; quod usque ad memoratam Grut. ed. obtinuit. In inscriptionibus antiquis modo per compendium POM. vel POMP. vel POMPT. vel PONT. dicitur, modo plene POMPTINA, vel PONTINA. Quoniam autem sine dubio tribus hæc ab agro Pomptino dicta sit, idque nomen apud Livium, addita litera *p*, *Pomptinus* edi soleat (vide ad II. 34. § 4.) quin et ita apud Livium vulgetur hoc lib. cap. 15. similiter etiam hic scribendum credidi. Posterior *Publicia*, vel *Publitia* dicitur in excusis, *Publia* in Leid. Berg. et Boend. *Publitia* in Norvic. apud Hearnium, *Plublia* in Voss. 4.. *Publilia* primum edidit Jac. Gronovius, quomodo est in Voss. 1. 2. et 3. Ejus autem mentio est in lapidibus apud Gruter. ΠΟΠΑΙΛΙΑ p. DIII. PVBLIL. p. MCX. num. 9. PVBLILIA p. DLXVIII. num. 1. et apud alios. Vide P. Manut. ad Cic. ad Famil. VIII. 8.

Licinius Stolo lege ab ipso lata damnatus est] *Lucinius Stollo* Boend. *Lucinius Stolo* Voss. 2. *Licinius Stollo* Berg. Deinde *lege latia damnatus* Leid. et Voss. 1. *lege data damnatus* Voss. 2. et 3. *lege dato damnatus* Voss. 4. Sed 'datus' et 'latus' sæpe in Mss. confunduntur; vide ad I. 4. § 7. *Lege lata damnatus* Boend. et apud Hearnium Exc. Pithœi: *lege damnatus* Berg. Quamvis autem omnes codd. vocabula *ab ipso* omittant, illa tamen servanda esse credidi, quod Livius Licinium 'sua lege' damnatum dicat c. 16. Et ita plures alii scriptores.

Quod plus quingentorum jugerum agri possideret] Aut lege *plus quingenta jugera*, ut Livius VI. 35. aut *plus quingentis jugeribus*, ut in Epit. lib. VI. *Sigon. Plus quingentis jugeribus agri* Leid. Voss. quatuor, Berg. Boend. et Hearnii Oxon. N. Se idem quoque in membranis Palat. invenisse, Gruterus infra testatur. Non opus igitur est, ut cum Donjatio conjiciamus *quod plus quingentorum jugerum agrum possideret.* Accedit, tria vocabula eadem syllaba *rum* desinentia proxime juncta ingratum sonum efficere. Quamvis enim auctorem Epitomarum vix ad similia adtendisse existimem, ea tamen adversantibus Mss. ipsi obtrudenda non videntur. Insuper ex hac lege sequeretur, nulli plus possidere licitum fuisse, quam agrum quingentorum jugerum; non itaque ædes urbanas, non pecuniam numeratam, non alia quævis: quod ubi antecessorum Parisiensium primicerius cautum repererit, vellem addidisset. Video quid voluerit. Sed ita dandum fuisset *plurium quingentorum*, vel *quam quingentorum jugerum agrum.*

M. Valerius tribunus militum Gallum] *Militem* Leid. et Voss. 1. Male. Valerius enim similiter *tribunus militum*, is autem, cum quo ex provoca-

tione congressus est singulari certamine, simpliciter *Gallus*, non addita voce *miles*, vocatur apud Liv. VII. 26. et Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. c. 29. Livius inferius eodem cap. Gallum et Valerium 'militum' nomine designat: 'Adeo duorum militum eventum utraque acies animis perceperat.' Ex eo vero, quod et Valerium, qui tribunus militum erat, *militem* vocarit, eam vocem non stricte accipiendam esse patet. Quin et ipse Livius 'ducem' adpellat eodem capite, dicens, 'Circa jacentem ducem sterne Gallorum catervas.' Et Gellius ex libris Annalibus IX. 11. 'Dux interea Gallorum vasta et ardua proceritate.' Et postea, 'Sic tribunus ducem hostium ferocissimum vicit interfecitque.'

Insidente galea corvo] *Galeæ* in v. l. legitur. *Delrius.* Delrii lectionem recepit Gruterus in ultima ed. eamdemque probant Leid. Voss. 1. Berg. et Boend. *Gallo*, pro *galea*, præferunt Voss. 2. 3. et 4. Similiter Florus I. 13. 'Insidente galeæ sacra alite adjutus, retulit spolia.' Ita enim Salmas. ex vetustissimo cod. aliisque emendavit, quum ibi etiam *insequente Gallo* legeretur. Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. c. 29. 'Corvus ab ortu solis galeæ ejus insedit.' Præterea *insedente* Boend. Vide ad IX. 2. § 3.

Unguibus rostroque hostem infestante, interemit] *Et ungue et rostro hostem infestante* Leid. *et ungue rostroque infestante hostem* Berg. *et unguibus rostroque hostem infestantem* Voss. 1. *et unguibus rostroque infestante hostem* Boend. atque edd. usque ad ultimam Gruteri, quæ prima ordinem inmutavit. Livius VII. 26. 'Os oculosque hostis rostro et unguibus adpetiit.' Deinde *occidit* omnes septem codd. mei, et Hearnii Oxon. N. Vide ad Epit. Liv. lib. LVII. circa finem. Eam autem lectionem recepi.

Et ex eo Corvini nomen accepit] *Corvi nomen*, ut antea dixi. *Sigon. Ex eo Corvi nomen* membranæ Pall. ut et supra *plus quingentis jugeribus.* Gruter. *Corvini* servant Voss. quatuor, Berg. Boend. Hearnii Norvic. et Exc. Pithœi: *ex quo Corvi nomen accepit* habet Leid. Id si placet, ita distinguam: *occidit, (ex quo Corvi nomen accepit) consulque, &c.* Ipse Valerius *Corvus*, ejus posteri *Corvini* cognominati sunt. Vide ad VII. 26. § 12.

Consulque proximo anno creatus est ob virtutem, quum vigesimum tertium ageret annum] *Haberet* Hearnii Norvic. Exc. Pithœi, et primæ edd. usque ad Vascos. qui *ageret* substituit. 'Habere' et 'agere' sæpius in Mss. confundi, vidimus ad III. 14. § 5. At in hac ipsa locutione etiam confunduntur apud Gellium XVII. 21. 'Quum septimum et sexagesimum annum ageret:' ubi, teste Gronov. alii præferunt *haberet.* At insuper *quum annum XXIII. haberet* Boend. *quum annos XXIII. haberet* Voss. 2. 3. 4. Berg. et Hearnii Oxon. N. *quum annos viginti tres haberet* Leid. et Voss. 1. Scripturæ varietas ex eo orta, quod numerus annorum per notas scriptus fuerit. Vide ad VII. 3. § 3. His autem in octo proxime memoratis codd. verba *ob virtutem creatus est* subjiciuntur, quæ, et ipsa in alium ordinem digesta, in vulgatis edd. præcedunt. Eorum itaque fidem secutus ita etiam edi jussi.

Amicitia cum Karthaginiensibus juncta] *Firmata est* Voss. 2. 3. et 4. *inita est* Boend. *juncta est* Berg. et Hearnii Oxon. N. Nihil mutandum puto; nisi forsan *est* ex tot codd. recipiendum sit. De locutione 'jungere amicitiam' vide ad XXXV. 12. § 9. Et ita etiam auctor Epit. Liv. lib. XLIV. 'Nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret:' ita enim ibi legendum, pro *conjungeret*, ex auctoritate codicum Mstorum.

Quum urguerentur a Samnitibus bello] *Quum a Samnitibus bello urgerentur* Voss. 1. Berg. et Boend.

Quum id non inpetrarent, urbem atque agros populo Romano dediderunt] Particulam negandi male omisit Berg. a m. pr. Tum *urbem et agros* Leid. Voss. quatuor, et Berg. Insuper *dederunt* Voss. 2. 3. 4. et Boend. lapsu librariorum, qui voces ' dedi ' et ' dedidi,' unius syllabæ iteratione neglecta, sæpius commutarunt. Vide quæ notantur ad XXXIX. 50. § 9.

Ob quam caussam ea, quæ populi Romani facta essent, defendi bello adversus] *Ob quam caussam pop. Rom. facta recte defendi in bello* Berg. et Boend. Deinde *contra Samnites* Berg. Sed passim in his Epitt. τὸ *contra* τῷ *adversus* subponitur. Vide ad Epit. Liv. lib. LVII.

Quum ab A. Cornelio consule exercitus in iniquum locum] *Ab A. Cornelio omnis exercitus* Voss. 1. Deinde *in locum iniquum* Berg. et Boend.

P. Decii tribuni militum opera servatus est] Vet. lib. *P. Decii Muris tribuni.* Sigon. Haud aliter Pal. *Muris* hactenus defuit edd. Epitomas omnes ex Mss. Pall. infinitis locis auxi, emendavi, supplevi, etiam post Sigonianam operam: quæ tamen monenda non duxi. Qui scire vult quid præstiterim, conferat nostra cum olim cusis. *Gruter.* Decii prænomen *P.* sive *Publii* deficiebat in Leid. Voss. 2. 3. 4. Berg. Boend. et Hearnii Oxon. N. Ejus autem cognomen *Muris* servant Leid. Voss. 4. et idem Hearnii N. Verum illius loco *Muri* est in Voss. 2. et 3. *Murenæ* in Boend. Berg. Hearnii Norvic. et, ut idem testis est, in ed. Romana principe. *D. Murenæ,* pro *P. Decii,* inveni in Rom. 1472. et Parm. At monstrum lectionis *decemviris e Ro. militibus opera servatus est* habet Voss. 1.

In quo Samnites sederant] Vet. lib. *consederant.* Sigon. *Consedevant* etiam Leid. Voss. 1. Berg. Boend. Hearnii Oxon. N. et Excerpta Pithœi: *insederant* Voss. 2. et 3. *insiderant* Voss. 4. ut forte dare volnerint *quod Samnites insederant.* Sed lectionem a Sigonio indicatam, pluriumque codicum fide firmatam, sequi præstat.

Ipse ab hostibus circumsessus erupit] *Circumseptus* Leid. Tum *eripuit* Voss. quatuor, Hearnii Oxon. N. et Excerpta Pith. *erripuit* Berg. Alibi librarii has voces confundere consueverunt. Vide ad IV. 33. § 6. ad IX. 37. § 9.

Milites Romani, qui Capuæ in præsidio erant relicti, quum de ea occupanda urbe conspirassent] Vet. lib. *Cum milites Romani, qui Capuæ in præsidio erant relicti, de ea.* Sigon. Particulam *Cum,* sive *Quum,* ex media periodo in initium ejus retulerunt etiam Leid. Voss. 1. Berg. et Boend. Ea vero pristino loco servata, nihilominus *Cummilitones,* pro *Milites,* habent Voss. 2. et 3. *Commilitones* Voss. 4. Præterea *in præsidio relicti erant* Leid. Voss. 1. et Berg. *in præsidio erant,* una voce expuncta, Boend. Deinde *de occupanda ea urbe* Leid. et Berg. *de occupata urbe,* pronomine neglecto, Voss. 1. *de occupanda urbe* Voss. 2. 3. et 4. Mox *et decreto consilio, et metu supplicii* Voss. 1.

Per M. Valerium Corvinum dictatorem, qui consilio suo eos a furore revocaverat] *Corvum,* ut dicam. *Sigonius. Corvum* etiam Leid. et Voss. 2. 3. ac 4. Vide hac Epit. Deinde *a furore* exsulant ab Hearnii Oxon. N. Male. Adprime enim ' furor ' hic convenit. Vide ad II. 34. § 11. Tum *revocarat* Berg. ut in quibusdam exstat editis.

Patriæ restituti sunt] Præter hæc adde, *Res præterea contra Hernicos, et Gallos, et Tiburtes, et Privernates, et Tarquinienses, et Samnites, et Volscos prospere gestas continet.* Sic enim est in veteribus libris: atque ita est apud Livium. *Sigon.* Quæ Sigonius ex veteribus libris addidit, exstant etiam in Leid. Voss. 1. Boend. Hearnii Oxon. N. et Excerptis Pith. Similiter quoque in Berg. nisi quod in

illo omittantur voces *et Privernates*. At contra omnia desunt in Voss. 2. 3. et 4. Insuper vox *patriæ* non adparet in Leid.

LIB. VIII.

Latini cum Campanis defecerunt] Ita passim editur. Monendum tamen, licet exigui sit momenti, unum tantum Leid. codicem vulgatæ lectioni adhærere; reliquos, Vossian. duos, Berg. et Boend. præferre *defecere*. Mox etiam *retulerunt* Voss. 1. *tulere* Voss. 2. et Berg.

Qua legatione perlata, prætor eorum Annius de Capitolio ita prolapsus est, ut exanimaretur] *Qua legatione perlecta* Voss. 1. Tum verba *perlata prætor eorum* non comparent in Leid. Deinde *animus de Capitolio* Voss. 2. *Accius de Capitolio* Boend. *Actius de Capitolio* Berg. *Aruns de Capitolio* edd. Rom. a. 1472. et Parm. Gronovius in pr. ed. *Arons Annius de Capitolio* dedit, prænomen se adjecisse e membr. Barberin. testatus. Id tamen recte in curis sec. omisit. Certe ipse Liv. hoc lib. c. 3. eum 'L. Annium' vocat. Insuper *ita clausus est, ut* Voss. 1. *ita lapsus est, ut* Leid. et Exc. Pithœi: *ita elapsus est, ut* Berg. et Boend. *ita elapsus, ut* Voss. 2. Simplici *lapsus* in historia hac referenda usus est Livius hoc lib. c. 6. Denique *ut examinaretur* ed. Rom. 1472. et quædam aliæ, perperam transpositis literis. Vide ad XXXVII. 3. § 2.

T. Manlius consul filium, quod contra edictum adversum Latinos, quamvis prospere pugnasset] *Consul filium ejus, eo quod* Vossian. 1. Berg. et Boend. *consul filium ejus quod* Norv. Hearnii, et edd. principes, pro quo Ascens. *filium suum, quod* substituit: eam vero lectionem recentiores servarunt usque ad Gruter. qui in postrema ed. pronomen expunxit. Id vero deficit etiam in Leid. et Voss. 2. Præterea *contra edictum ejus* Leid. Vossian. 2. Berg. Hearnii N. et Exc. Pithœi. Tum *contra Latinos pugnaverat, quamvis* Voss. 1. *adversus Latinos pugnaverat, quamvis* Leid. Voss. 2. et Berg. *pugnaverat adversum Latinos, quamvis* Hearnii N. et Norvic. omnesque edd. usque ad ultimam Gruteri, in qua *pugnaverat* non male omittitur: *pugnaverat in Latinos, quamvis* Boend. 'Pugnare in aliquem' apud Livium sæpe occurrit. Supra III. 12. 'Se sæpe vidente pugnasse in hostem:' hoc lib. c. 7. ubi eamdem historiam narrat, 'Adversus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti.' IX. 3. 'Omnia æqua ac plana erunt Romano, in perfidum Samnitem eunti.' XXVII. 18. 'In nuda hostium latera pugnabat.' XXII. 43. 'In obcæcatum pulvere effuso hostem pugnaturi:' et alibi passim.

Laborantibus in acie Romanis] Voces *in acie*, quæ decrant in prioribus, quas vidi, edd. et Hearnii Norvic. primus addidit Sigonius. In notis tamen nihil monuit. Sed exstant in omnibus scriptis meis.

P. Decius tunc cum Manlio devovit se] Vet. lib. *P. Decius devovit se*. Malim *P. Decius tunc cum Manlio consul devovit se*. Sigon. *P. Decius devovit se*, reliquis omissis, Voss. 1. Boend. et Norvic. apud Hearnium. *P. Decius vovit se* Berg. *P. Decius tunc consul cum Manlio devovit se* Leid. et Voss. 2. quomodo præferunt Gruteri ed. postrema, ejusque exemplo reliquæ recentiores omnes. Priscis editionibus, *P. Decius tunc cum Manlio devovit se* præferentibus, consentit Hearnii Norvic. Mox *ut concitato equo*, pro *et concitato*, Voss. 1. Deinde *in deditionem venere*, pro *venerunt*, Berg.

Minucia virgo Vestalis incesti damnata est] *Martia virgo* Berg. et Boend. Deinde *incestu damnata* Voss. 1. de qua constructione vide Voss. Gramm. VII. 26. Alterum tamen est in reliquis scriptis.

In oppidum Cales] Vct. lib. *in oppidum ex iis captum Cales.* Sigon. *Oppido existoles capto Cales* Berg. et Boend. *in oppido existales tales* Voss. 1. *in oppido exisculos capto Cales* Voss. 2. *in oppido ex hiscales capto Cales* Leid. Paullo ante *Auxonibus victis* Vossian. 2. *Anxonibus victis* Hearnii Oxon. N.

Cales colonia deducta est. Item Fregellæ colonia deductæ sunt] Suspicor ab interprete verba illa esse *colonia deductu est:* et reliquisse auctorem, *Cales, item Fregellæ coloniæ deductæ sunt.* J. F. Gron. Gronovii conjecturæ favere videtur, quod *coloniæ deductæ sunt* legant Leid. Voss. duo, et Berg. *coloniæ ductæ sunt* Boend. nisi potius dicendum sit librarios *coloniæ* pro *colonia* dedisse ob præcedens *Fregellæ*, ac sequens *deductæ sunt*, de quo errore vide ad Liv. VI. 3. § 8.

Veneficium complurium matronarum deprehensum] *Quumplurium matronarum deprehensum est* Berg. *quamplurimum matronurum deprehensum est* Voss. 1. et Boend. *quamplurium matronarum deprehensum* Hearnii Norvic. et edd. vett. Sed vide ad IV. 31. § 2. *Complurium matronarum deprehensum est* Leid. Illud *est* recepi, quoniam in plerisque scriptis superest.

Quarum plurimæ statim epotis medicaminibus perierunt] *Ex quibus plurimæ* Leid. Voss. 2. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et Hearnii Oxon. N. Præterea *captis medicaminibus* Voss. 1. et Boend.

Lex de veneficio tunc primum constituta] Auctor Epitomes dicit, quod non est in Livio: nam hic c. 18. hujus libri nihil aliud scribit, quam 'neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæsitum est;' legis tum de iis latæ mentionem non facit. Manutius in libro de Legibus Rom. c. 27. et Torrentius ad Sueton. Ner. c. 33. tradunt hoc anno, qui erat a. CCCCXXII. 'primum de veneficiis Romæ quæsitum, legemque constitutam esse,' et auctorem laudant Livium lib. VIII. Conjungunt verba Livii et auctoris Epitomes, et existimant ante id tempus Romæ legem de veneficiis non fuisse. Potuissent hoc confirmare ex Valer. Max. II. 5. ex. 3. de hoc ipso scelere matronarum: 'Veneficii quæstio, et moribus et legibus Romanis ignota, complurium matronarum patefacto scelere, orta est.' Quid ergo est, quod doctissimi interpretes juris civilis tradunt, hoc maleficium jam dudum lege XII. Tabularum vindicatum fuisse? Hoc partim e Festo voce 'Privilegium,' partim ex eo colligunt, quod Gaius in l. 236. D. de Verb. Signif. quæ ex illius libro IV. 'ad leges XII. Tabul.' est, de veneno malo agit. Sed in loco Festi nihil præsidii est, ut qui plane mutilus sit, et ita a viris doctis expleatur, ut, quod ibi legibus XII. Tab. vetari dicitur, non ad veneficos, sed ad alios pertineat. Nec fortassis *ἀντίῤῥητον* est argumentum ex inscriptione l. 236. D. de V. S. si quis obstinatus esse velit ad negandum ex ea effici, quod concludunt jurisconsulti: quia interdum etiam alia quædam legibus XII. Tabul. tribuuntur, quæ verbis illarum comprehensa non fuerant. Sed tamen eos recte sentire puto. Leges XII. Tab. magnam partem descriptæ erant ex legibus Atheniensium; apud hos autem pœna statuta erat veneficiis, deque iis cognoscebat senatus Areopagiticus, teste Demosthene adversus Aristocratem p. 728. ed. Franc. e quo descripsit Pollux VIII. § 117. qui etiam ibid. § 40. *γραφὴν φαρμάκων* memorat. Nec credibile est, vires herbarum noxiarum aliorumque malorum medicamentorum Romæ tamdiu incognitas fuisse, aut neminem iis abuti ad scelus peragendum voluisse. Si Valerius Max. veneficium Romæ ante hoc tempus neque cognitum, neque accusatum fuisse putavit, non magis ei adsentior, quam Manutio.

Nam quod hic dicit ex loco Livii apparere, 'quæ tum probitas fuerit, quum in tanta civitate per tot annos veneficii nomine in judicium vocatus nemo sit,' in eo parum ponderis est. Neque enim Livius scribit, numquam antea eam diem quemquam Romæ hoc nomine accusatum, sed de veneficiis non quæsitum fuisse; quod de quæstione extraordinaria accipi potest, quemadmodum deinde, postquam quæstiones perpetuæ factæ sunt, tamen sæpe propter atrocitatem facinoris senatusconsultis, vel plebiscitis, extra ordinem quæstiones vel magistratibus, vel privatis, mandatas legimus. Et frustra jactatur probitas illorum temporum. Nam qui ferro, aliave vi, aut fraude adversus vitam aliorum grassari non dubitabant, et ob id lege XII. Tab. coërcebantur, eos veneno, cujus usus longe tutior erat, abstinuisse, nemo facile credet. Et si jam ætate decemvirorum fruges excantare, quæ tum opinio erat, norant, cur negabimus eos vim venenorum novisse, aut, quum nossent, iis uti voluisse? Manutius quidem recte dicit, hoc ad veneficia non pertinere; sed tamen eos putasse, segetem alienam non solum carminibus, verum etiam herbis ac venenis, pellici posse, constat ex Virgilii Ecl. VIII. 95. seqq. Et aliis in rebus quoque, qui carmina ac devotiones adhibebant, his fere venenum addere solebant. Unde 'cantiones,' 'carmina,' 'devotiones,' et 'venena' ac 'veneficia' sæpe conjunguntur. Cicero de Claris Orator. c. 60. 'Idque veneficiis et cantionibus Titiniæ factum esse dicebat.' Virgilius Georg. II. 129. 'Miscueruntque herbas, et non innoxia verba.' Tacitus Ann. II. 69. 'Carmina et devotiones.' Adde Ann. III. 13. Ann. IV. 22. et 52. Ovid. Amor. El. I. 8. vs. 7. et Sueton. Calig. c. 3. Itaque consentaneum est existimare, decemviros quoque utrumque maleficium, quod inter ea quædam quasi conjunctio erat, vindicasse: eo magis, quod ignorare non poterant facinus Tarquinii Superbi et Tulliæ minoris, quorum ille uxorem, hæc maritum, ut auctor est Dionysius Halic. IV. 79. veneno sustulerat. E quo quum certum sit, Romanos totis ducentis annis ante hoc tempus scivisse, quo venenum valeret, quumque post Tarquinii ætatem usque ad a. CCCCXXII. numerus civium plus altero tanto auctus fuerit, ita ut jam supra CC. millia capitum adscenderet, nullam rationem habet velle putare, neminem in tanta multitudine hominum tam improbum fuisse, ut imitari hoc exemplum sustinuerit; vel hoc facinus semper tam occulte perpetratum, ut deprehendi et accusari numquam potuerit. Quod autem neminem ante hoc tempus veneficii nomine accusatum legimus, id neminem movere debet: nam hoc forsitan neque de furtis, neque de aliis quibusdam criminibus, quibus lege XII. Tabul. pœna statuta erat, usquam adnotatum est; nec tamen ob id negari potest, nihil horum umquam admissum, aut quemquam eo nomine accusatum fuisse. *Duk. Tunc primo* Vossian. 2. *tum primum* Boend. Deinde *constituta est* Leid. Vossian. ambo, Berg. Boend. Exc. Pithœi, Hearnii Oxon. N. et Norvic. Idem verbum agnoscunt etiam omnes edd. usque ad ultimam Gruteri, quæ prima omisit, ejusque auctoritate recentiores omnes. Quare codicum fide revocavi. Mox *quum bellassent*, pro *quum rebellassent*, Voss. ambo. Passim ita variant codd. scripti. Vide ad XL. 38. § 5.

Palæpolitani victi bello et obsidione] Vet. lib. *bello et obsidione victi.* Sigon. Non aliter etiam omnes, quibus usus sum, codd. Præterea *Neapolitani* Leid. Voss. 1. Boend. et apud Hearnium Oxon. N. Norvic. et Exc. Pithœi: etiam edd. antiqq. Mox *ad*

deditionem, pro *in deditionem*, Boend.

Q. Publio, qui eos obsederat, primum imperium prolatum, et per consules ei decretus triumphus] Ex Capit. Triumphis et ipsius Livii verbis legendum est *Q. Publilio, qui eos obsederat, primo et imp. prolatum est, et pro consule.* Sensus est: Q. Publilius primus fuit, cui in insequentem annum prorogaretur imperium, et qui non consul, sed pro consule triumpharet. *Sigon. Q. Publilio* recte a Sigonio restitutum esse, nullum est dubium, licet omnes codd. dissentiant; qui sollemni et in Livii codd. passim obvio errore *Q. Publio* præferunt. Vide ad Livii VIII. 12. § 4. Deinde *primo et imperium* perstat etiam in Leid. et Voss. utroque, *primo imperium* in Berg. et Boend. Vide ad Livii II. 44. § 3. Postea *prolatum est*, addito verbo substantivo, Leid. Vossian. uterque, Berg. et Boend. Denique *et per consules triumphus ei decretus* Berg. et Boend. *et proconsuli decretus triumphus* Leid. et Voss. 2. *et pro consule decretus triumphus* Voss. 1. Vide ad XXIII. 30. § 19.

C. Publio debitori suo] *C. Publilio.* Sigon. *C. Publio* Leid. Vossian. 2. Berg. et Boend. *T. Populico* Voss. 1. Deinde *creditori* præferunt multæ ex vett. edd. et cum iis Hearnii Norvic.

L. Papirius dictator] *L. Papirius Cursor dictator* Leid. Voss. 1. Boend. et Hearnii Oxon. N.

Contra edictum ejus prœliatus est, qui prospere adversus] Vet. lib. *contra edictum ejus prospere adversus.* Sigonius. Editionum Sigonii vetustiorum lectionem servat Hearnii Oxon. N. Sed *contra edictum ejus prœliatus est, et prospere adversus* Berg. *contra edictum ejus prœliatus est, et versus* Boend. *contra edictum est, et prospere adversus* Voss. 1. Lectioni autem, quam Sigon. in vet. lib. reperit, consentiunt Leid. et Voss. 2. Paullo ante alio ordine *occasione bene gerendæ rei invitatus* Boend.

Populi precibus donatus est] *Populi præsidio* Voss. 1. et Boend. *populi pretio* Voss. 2. Præterea *damnatus est* Leid. Male. Infra Livius hoc lib. c. 35. 'Noxæ damnatus donatur populo Romano, donatur tribuniciæ potestati, precarium non justum auxilium ferenti.' Eodem sensu Livius locutus est II. 35. 'Unum sibi civem, unum senatorem, si innocentem absolvere nollent, pro nocente donarent.' Florus III. 5. § 10. 'Ingratissimos hominum sacris suis famæque donavit:' ubi vide Dukerum. 'Condonare' dixit Livius III. 12. 'Sibi ut condonarent filium, orabat.' 'Donare' autem et 'damnare' sæpissime in Mss. commutari, docuit Burm. ad Phædri Fab. III. 10. 47. Ita et variatur hoc lib. c. 35. § 5. In verbis præcedd. *parum caussa proficeret* legunt, ordine mutato, Berg. et Boend.

Res præterea contra Samnites prospere gestas continet] *Et res præterea* Berg. Boend. et Hearnii Oxon. N. Sed vocula initialis perperam repetita est ex præcedenti *est.* Certe contrario errore illud *est* sequens *et* alibi intercepit. Vide ad Epit. lib. VI. *Et res propterea* Vossian. ambo. Sed et alibi hæ voces commutari solent. Vide Corte ad Plinii Epist. v. 9. § 1. *Et præterea contra Samnites res prospere gestas continet* Leid.

LIB. IX.

T. Veturius et Sp. Postumius] In Ms. *consules* additur. *Delrius.* Copula *et* inter duorum consulum nomina omittitur in Voss. Berg. et Boend. quam Livius etiam non agnoscit hoc lib. c. 1. Vide ad II. 17. § 1. Deinde *Postumius cons.* Boend. et Exc. Pithœi. *Postumius consul* Berg. Mox *apud furcas*, neglecta voce media, Boend. *apud furcas Caudinas*, trajectis dictionibus, Berg.

Deducto in locum iniquum exercitu] Barber. *in locum arctum*. Recte, nam propter hoc ipsum iniquum erat. Justinus I. 8. 'Cyrum ad angustias usque perduxit. Ibi, compositis in montibus insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit.' Idem XI. 8. de Alexandro: 'Itaque timens angustias magna celeritate Taurum transcendit.' Noster hoc lib. cap. 23. 'Locis angustis, milites, deprehensi, nisi quam victoria patefecerimus, viam nullam habemus.' *J. F. Gronov.* Fortassis etiam plures Mss. habent *artum*. Sed non video, cur vir summus, tantum unius auctoritate nixus, vulgatam scripturam mutandam putaverit. Neque enim dubium est, quin *loca arta* etiam *iniqua* dici possint. Et non tam ipse locus, in quem exercitum deduxerant consules, artus erat (ut quem satis patentem campum, in quo etiam castra posita fuerint, habuisse dicat Livius c. 2.) quam aditus et exitus illius. *Duk.* Juvandæ lectioni, quam Gronovius ex cod. Barber. in contextum recepit, inservire potest, quod Livius c. 2. furculas Caudinas vocet 'saltus duos altos angustos,' mox 'angustias,' deinde 'saltum artiorem.' Verum scripturam illam in uno tantum meorum Leid. reperi; at *in locum tacitum* in Voss. Berg. Exc. Pithœi, et Norvic. *in locum iniquum* Boend. ac reliqui. Gellius XVII. 21. 'Consules T. Veturius et Sp. Postumius in locis iniquis apud Caudium a Samnitibus circum vallati ac sub jugum missi.' Et ita in loco a Gronov. laudato Livius IX. 23. quum dictator se 'locis angustis' deprehensum dixisset, addit 'si homines juvare velint, iniqua loca sunt.' In verbis seqq. alio ordine *spes nulla esset evadendi* legunt Leid. Voss. Berg. et Boend.

Ita exercitum abduxerunt, ut omnes sub jugum mitterentur] *Obduxerunt* Voss. et Boend. Tum voculam *ut* ignorat Leid. Tandem *sub juga* Boend. Præterea mox *idemque*, pro *iidemque*, Berg. Boend. et antiqq. edd. Vide ad XL. 22. § 14. *Itemque* Voss. Vide ad Epit. Liv. lib. LXIX.

Tam deforme fœdus ictum erat, publica fides] Vocula *tam* exsulat a Boend. et Hearnii Norvic. Insuper *publica fide* Berg. *publice fide* Boend.

Qui per fœdus spoponderant] Vet. lib. *qui fœdus spopondcrant*. Sigon. *Qui per fidem spoponderant* Boend. *qui fidem spoponderant* Voss. et Berg. Sed 'fœdus' et 'fides' in Mss. etiam alibi commutantur. Exemplum habuimus IV. 7. § 4. et obcurrit hoc lib. c. 40. § 18. Sigonii vet. lib. consentit Leid.

Nec etiam multo post] Vet. lib. *nec multo post*. Sigon. Sigonio τὸ *etiam* dclenti favent omnes mei: ex quibus Voss. et Boend. cum edd. vett. præferunt insuper *postea*.

Pudor prioris flagitii abolitus] *Pudor flagitii prioris* Berg. et Boend. Tum *oblitus* Voss. *ablatus* Berg. Deinde addunt omnes scripti mei, et Hearnii Norvic. cum edd. ante Moguntinam verbum *est*, quod recepi.

Ufentina et Falerina] Ex Festo et lapidibus *Oufentina* scribendum. *Delrius. Offentina* Voss. Leid. et Hearnii Norvic. *Offenima* Boend. *Ofentina* Berg. Exc. Pithoei, et edd. antiqq. Deinde *Falernia* Boend. *Falerna* Vossian. *Faleria* Leid. Berg. Hearnii Norvic. et edd. vett. Vide ad hujus lib. c. 20. § 6. In verbis præcedd. *sunt adjectæ* Berg.

Suessa et Pontia coloniæ deductæ sunt] *Pontias* Voss. Leid. Berg. et Hearnii Norvic. *Pontiæ* ejusdem Oxon. B. et edd. Ascens. 1513. 1516. aliæque omnes usque ad Gruter. qui in ed. postuma voces *Ufentina et Falerina. Suessa et Pontiæ coloniæ deductæ sunt* perperam omisit errore typographorum; quibus inposuit repetitio verbi *sunt*. Eas restituit deinde Gronov. 1665. cujus loco postea Jac. Gronov. cumque secuti Hearne,

J. Clericus et nuper Londinenses dederunt *Pontia*. Sed numero plurali *Pontiæ* etiam vocantur Livio hoc lib. c. 28. 'Suessa et Pontiæ eodem anno coloniæ deductæ. Suessa Aurunconum fuerat. Volsci Pontias insulam sitam in conspectu litoris sui incoluerant:' ubi vide quæ notantur. Posset quidem videri, codd. velle *Suessam et Pontias*; potius tamen *Suessa et Pontiæ*, ut olim edebatur, revocavi.

Aquam Claudiam perduxit] Hearnius adnotat, in Livio cap. 29. esse 'aquam in urbem duxit.' Si hoc rectius dici putavit, non adsentior illi. Frontino in libro de Aquæductibus frequens est utrumque. Suet. in Aug. cap. 42. 'Perductis pluribus aquis.' Sic idem in Claud. c. 20. et Inscript. Grut. pag. CLXXVI. num. 1. CLXXVII. num. 1. *Duk.* Media vox non adparet in Voss. Leid. Berg. Boend. et Exc. Pithœi: neque in edd. etiam antiquis conspicitur ante Ascensium. Eorum itaque fide induxi, quum etiam Livius omiserit hoc lib. cap. 29. 'Viam munivit, et aquam in urbem duxit; eaque unus perfecit.' Sane aquam, quam Ap. Claudius censor in urbem duxit, 'Appia' vocatur, et distinguitur ab aqua Claudia, quam Caius Cæsar, qui Tiberio successit, inchoavit, et Claudius imperator magnificentissime consummavit, apud Frontin. de Aquæd. lib. 1. Eam tamen, quam Appius perduxit, 'aquam Claudiam' vocarunt etiam Pomponius Jctus l. 2. § 36. ff. de Orig. Jur. et Eutrop. II. 9.

Libertinorum filios in senatu legit] Vet. lib. *in senatum.* Sigon. Eamdem lectionem servant non tantum omnes codd. mei, verum etiam typis descripti Aldo antiquiores. Præterea *elegit* Voss. et Boend. sollemni errore, de quo vide ad II. 1. § 10.

Ideoque, quoniam is ordo videbatur inquinatus indignis] *Ideo, quoniam is ordo* Leid. *Ideoque is ordo* Berg. Sed in priori *que* a proxime sequenti *quoniam*, in posteriori *quoniam* a præcedenti *que* intercipiuntur. Deinde *indignis inquinatus videbatur* Leid. et Berg.

Sequentis anni consules in senatu legendo observaverunt] *Sequentis anni censores* perperam antiqq. excusi. Tum vox *legendo* exsulat a Voss. Leid. Boend. Hearnii Norvic. et Exc. Pithœi: tres vero *in senatu legendo* a Berg. qui etiam præfert *observarunt.*

Quemadmodum ante per proximos censores observatum fuerat] *Quemadmodum ante proximos censores fuerat* Vossian. Boend. et Hearnii Norvic. *quemadmodum per proximos censores fuerat* Berg. in quo tamen etiam *per* non nisi a m. sec. exstat: *quemadmodum ante per censores institutum fuerat* Leid.

Contra Apulos, Etruscos, Umbros, Marsos, Pelignos, Æquos, et Samnites] Ex vet. lib. *Appulos.* Delrius. Melius tamen per unicum *p* scribi, docuit Dausq. in Orthogr. part. sec. ea voce. Ceterum *contra Apulos, et Etruscos, et Umbros, et Marsos, et Pelignos, et Æquos et Samnites* legunt Berg. et Leid. Vide ad Epit. lib. XIII. Præterea *Umbrios* est in Boend. qui etiam non agnoscit vocem *Marsos.* In verbis seqq. *fœdus restitutum*, omissa media voce, Voss. *fœdus restitutum est* Leid. Berg. et Boend.

Flavius scriba, libertino patre natus] *C. Flavius scriba* Exc. Pithœi. *Fabius scriba* corrupte Voss. et Boend. Pari modo etiam aliis locis scribæ aberrarunt. Vide ad VIII. 22. § 2.

A Q. Fabio censore in quatuor tribus redacta est. Eaque res] Ms. auctius *Q. Fabio censore in quatuor tribus redacta est, quas urbanas appellavit.* J. F. Gron. Trigam hanc vocum, quas Gronovius in contextum recepit, agnovisse etiam videntur Voss. et Leid. quamvis enim comparati fuerint cum ed. quæ illas exhibebat, nihil tamen ex iis notatum in excerptis video. Contra vero omittunt Berg. et Boend.

Præterea *Q. Fabio*, omissa præpositione, Voss.

Eaque res Fabio Maximo nomen dedit] Vet. lib. *Maximi:* id est, ex ea re Maximus appellatus est. Sic Livius c. 46. Porro autem adde hæc verba ex Mss. ['Badius hæc habet in exemplari suo.'] 'In hoc libro mentionem habet Alexandri, qui temporibus his fuit, et, æstimatis populi Romani viribus, quæ tunc erant, colligit; si Alexander in Italiam trajecisset, non tam facilem ei victoriam de populo Romano fore, quam de gentibus, quas ad Orientem imperio suo subjecerat.' *Sigonius. Ea res* Berg. Codd. autem mei vel per compendium *Fabio Max.* vel a Sigonii vet. lib. dissentientes *Fabio Maximo* præferunt; quod eodem sensu, quo illud Sigonii, accipiendum erit. Fabio dedit nomen Maximo, simili constructione, ac supra ex Mss. restitui in Epit. lib. II. 'Servo indici, cui Vindicio nomen fuit, libertatem dedit.' Quæ autem Sigonius ex Mss. addi jussit, non modo exstant in scriptis omnibus, quibus usus sum, sed etiam in edd. vett. usque ad Aldum, qui primus omiserat.

In hoc libro mentio Alexandri magni] Gruterus, qui in postrema ed. ultima hæc verba, quæ Aldus resciderat, iterum recepit, ita edidit; cui vix convenire potest, quod sequitur *colligit.* Omnes scripti, etiam Hearnii Norvic. et edd. ante Aldum cum Sigonio legunt *In hoc libro mentionem habet Alexandri,* ultima voce *Magni* omissa: nimirum *mentionem habet* Livius. Id autem recipiendum videtur, nisi forte mox cum Boend. et edd. vett. pro *colligit* legendum sit *colligitur:* quod recepi.

Non tam facilem ei victoriam de populo Romano, quam de iis gentibus] *Non tantam ei victoriam de po. Ro. fore, quantam de his gentibus* Boend. *non tantam ei victoriam* Voss. *non tam ei victoriam* Berg. *non tam facilem victoriam* Leid. qui cum præcedenti Berg. mox legunt sine pronomine *quam de gentibus.*

LIB. X.

Sora ac Alba] Ita primum editum vidi Paris. 1573. Priores legunt *Sora et Alba.* Et ita est in Leid. Berg. et Boend. quare id in contextum recepi. Quamvis enim in hoc scriptore elegantias veterum atque optimorum, qui ante vocem a vocali incipientem potius *et,* quam *ac,* dixerunt, non quærendas existimem, præferendum tamen puto codd. scripturam ei, quæ deinceps ab operis librariorum substituta est, præsertim quum id auctori Epitomarum adhærere potuerit ex Livio; quem ita semper locutum esse, vidimus ad x. 36. § 17.

Carseoli Marsi in deditionem accepti] Hæc verba prioribus junguntur præposita copulativa *et* in Leid. Vossian. Berg. et Hearnii N. Distinguendum itaque *Sora, et Alba, et Carseoli. Marsi.* Carseoli enim, æque ac Sora et Alba, nomen est coloniæ, cujus deductæ meminit Livius hoc lib. c. 3. et c. 13. Præterea male *Causioli* Leid. *Carsioli* Voss. 1. Berg. et Hearnii N. *Castoli* Boend. Deinde *accepti sunt* omnes hi quinque codd. omnesque edd. usque ad ultimam Gruteri, qui omisisse videtur, quod modo præcesserit. Horum testium auctoritate contextui addendum putavi.

A Valerio consule tunc primum lata est] Turpem mendam tolle ex veteris libri fide, et *a Valerio consule tunc tertium lata est* restitue: id enim scribit Livius hoc lib. cap. 9. Primus autem legem de provocatione tulit a. CCXLV. P. Valerius Poplicola, II. 8. deinde a. CCCIIII. L. Valerius Potitus, III. 55. nunc demum tertium M. Valerius Corvus. *Sigon. A M. Murena consule* Leid. *a Murena consule* Voss. Berg. Boend. Hearnii Oxon. N. Exc. Pithœi, et

edd. Rom. 1472. ac Parm. Deinde *consule tunc lata est* Boenderm. *consule pretio tunc lata est* Berg. *consule tunc pretio lata est* Leid. Vossian. Hearnii Oxon. N. et Exc. Pithœi. An voluerunt *tunc tertio lota est?*

Aniensis et Terentiana] *Terentina.* Sigonius. *Amnensis* Leid. *Armensis* Boend. et ed. Rom. 1472. *Arniensis* Parm. Sed vide ad Liv. lib. x. cap. 9. § 14. Tum *Terrentia* Vossian. et Hearnii Oxoniensis N. *Terentia* Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Sed TERENTINA *tribus* obcurrit in marmore apud Gruter. p. CCCXXXIII. n. 3. Utriusque tribus Aniensis et Terentinæ meminit etiam Cic. pro Planc. c. 22. *Terentiana* a Sigonio rejectum primum obcurrit in ed. Vascos.

Bellum indictum, et adversus eos sæpe prospere pugnatum] *Indictum est* Voss. 1. Berg. et Hearnii Oxon. N. Sed illud *est* librariis relinquo. Deinde *adversus eos prospere*, omissa voce, edd. principes usque ad Gruter. qui *sæpe* addidit. Et sane nullus codicum eam vocem omisit. Grutero enim consentiunt Leid. et Voss. *adversus eos sæpe et prospere* præfert Berg. *adversus eos semper prospere* Boend. et Hearnii Oxon. N. Sed Gruteri lectionem probo. Tum *pugnatum est* Leid. Voss. Berg. Boend. Hearnii Oxon. N. et omnes excusi usque ad Gruterum, qui in postrema ed. omisit: quare id loco restitui.

P. Decio et Q. Fabio ducibus, pugnaretur, Romanusque exercitus] Vet. lib. *Q. Fabio consulibus ducibus.* Sigonius. Vocem *consulibus* nullus meorum agnoscit. Contra vocem *ducibus* nescit Leid. Deinde *pugnorent* est in Voss. De hoc errore vide ad II. 26. § 4. Tum *et Romanus exercitus* Leid. Voss. Berg. et Boend. In verbis seqq. *in mogno discrimine esset*, pro *in maximo*, Hearnii Oxon. N. Vide ad Epit. Liv. lib. VI. *in magno esset discrimine* Berg. et Boend. Præterea *secutus patris exemplum, devovit se*, alio ordine, Leid. Voss. et Berg. *secutus patris exemplum, se devovit* Boend.

Et morte sua victoriam ejus pugnæ populo Romano dedit] *Populo Romano reddidit* Hearnii Oxon. N. Alibi similiter peccant librarii. Exemplum habuimus VII. 15. § 4. Ceterum omnia hæc verba cum quatuor sequentibus perperam exsulant a Berg.

Qui jurejurando adstrictus fuerat, quo majore constantia virtutis in aciem descenderet] Vet. lib. *qui jur. obstrictus, quo majore const. virt. pugnaret, in aciem descenderat.* Probe. *Sigon. Obstrictus* Sigonius: vet. tamen lib. *astrictus*, atque hoc multis aliis locis Noster usurpat. *Delrius.* Lectio, quæ ante Sigonium vulgo exstabat, primum obcurrit in Froben. ed. 1535. Antea edebatur, *qui jur. astrictus suo, quo majore const. virtutis in aciem descenderet.* Sed Sigonio fere consentiunt libri scripti, nisi quod *qui, jur. adstrictus suo, majore* præferat Voss. *qui, de jur. obstrictus suo, majore* Berg. *qui de jur. obstrictus, ut majore* Leid. Sigonium, cui Boend. consentit, sequor. Bis enim eodem vocabulo in hac historia usus est Livius: ut c. 38. 'Primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis:' et c. 41. 'His vinculis fugæ obstricti stabant.'

Censa sunt civium capita ducenta sexaginta duo millia, et trecenta viginti duo] Vocem *civium* non agnoscunt Voss. et Berg. Male. Vide ad Epit. lib. I. Priora quatuor vocabula pejus adhuc exsulant a Leid. Ceterum numerus hic civium, qui censi sunt, primum editus est ab Aldo. Antea edebatur *ducenta septuaginta duo millia et trecenta viginti.* Et ita præferunt Voss. Boend. et Hearnii N. *ducenta septuaginta duo millia, et ducenta viginti* Leid. *CCLXX. M. et CCXX.* Berg. *CCLXII. millia et CCCXX.* Exc. Pithœi. In eo itaque omnes consentiunt, τὸ *duo* ejiciendum: plerique autem, *septuaginta* pro *sexaginta* legendum esse. Verum ita dissentiet

auctor ab ipso Livio hoc lib. cap. ult. quod ne fieret, vulgatum mutasse Aldus videtur. Sed non semper inter Livium et auctorem harum Epitomarum convenire, dictum est ad Epit. lib. III. et ad Livii III. 20. § 10.

LIB. XI.

Consul male adversum Samnites pugnasset] Vox *consul* abest a Boend. Deinde *adversus Samnites* legunt Voss. Leid. Berg. et Lov. Vide ad Epit. Liv. XLVII. Mox vocem *eo* non agnoscit Hearnii N.

Fabius Maximus pater] Valerius I. 7. et IV. 1. Sed præcipue videndus Zonaras tomo II. p. 41. et seq. (VIII. 1.) *J. F. Gron.*

Deprecatus hanc sibi ignominiam] Ms. cod. *hanc filii ignominiam.* Delrius. *Timens hanc filii ignominiam* Leid. *deprecatus hanc filii ignominium* Voss. Berg. Boend. Lov. Hearnii N. Exc. Pithœi, Norvic. et primæ edd. Frobenius demum a. 1535. lectionem, quæ nunc circumfertur, substituit; ad quod nullam aliam caussam habuisse videtur, quam quod mox *filio*, et deinde *filius* sequatur. Orosius III. 22. 'Pater ejus Fabius Maximus, ignominiam filii deprecatus, legatum se filio iturum ultro obtulit.' Mox *cum iturum se filio legatum* Lov. *quod iturum se legatum filio* Berg. *quod iterum se filio legatum* Exc. Pithœi cum vett. edd. *quod interim se filio legutum* Hearnii N.

Atque ejus consiliis et opera filius consul adjutus] Ita edidit J. Clericus, secutus ed. Doujatii, qui iterum expressit ed. Freinshemii. Et hoc etiam superest in excusis usque ad Gruterum, qui in postrema ed. τὸ *atque* ejecit, quam vocem etiam omittunt Voss. Leid. Berg. Boend. et Lov. Unum tantum Norvic. laudat Hearnius, qui vetustioribus excusis adsentiatur. Ego, codd. secutus, τὸ *atque* iterum ejeci. Præterea *ejusque consiliis* Boend. et *filius consul adjutus est* Berg. sed ultimæ voci additæ erant notæ, eam delendam esse indicantes. Vox *consul* exsulat a Leid. eadem cum præcedenti *filius* a Boend. In verbis seqq. *ductum in triumphum* præfert Leid.

Quum civitas pestilentia laboraret, missis legatis, ut Æsculapii] *Quum pestilentia civitas laboraret* Berg. et Lov. Deinde *missi legati* Leid. et Berg. quod verum esse, et sensus aperte requirere videtur, ut cohæreat oratio 'missi legati deportavere:' in contextum itaque recepi. Mox *in navem illorum*, pro *eorum*, Berg. quæ vox omittitur in Leid. ut etiam *esse* in Berg. a m. pr. Deinde *deportaverunt* Voss. Leid. Berg. Boend. et Lov.

Eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco sedes Æsculapii constituta est] Castiga ex fide vet. lib. *ædes Æsculapio consecrata est.* Nam Festus etiam lib. IX. inquit in voce 'In insula:' 'Æsculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime sustententur.' Et Valerius I. 8. § 2. 'At in ripam Tiberis egressis legatis, in insulam, ubi templum dicatum est, transnavit.' *Sigon.* Ms. codex *constitutu est.* Delrius. Voces 'ædes' et 'sedes' sæpe permutari, præter multos alios, etiam interpretes juris civilis ad princ. Instit. de Milit. Testam. adnotarunt. Hic, *sedes Æsculapio consecrata est*, potest notare, ædes consecrata est Æsculapio, quæ ei perpetua sedes esset. Liv. V. 22. 'In Aventinum æternam sedem suam, &c. perlatam, ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit.' Curtius IV. 7. § 16. 'Tandem ad sedem consecratam Deo ventum est.' Hoc loco tamen non displicet *ædes*, eo quod puto scriptores Latinos in simplici et historica narratione hujusmodi rei magis dicere 'vovere,' 'facere,' 'dedicare,' 'consecrare ædem,' vel 'templum' alicui Deo,

quam 'sedem.' *Duker.* *Eoque insula Tiberis egresso* Berg. Tum *ædes Æsculapii* Leid. *ædes Æsculapio* Vossian. Berg. et Hearnii N. *Æsculapio ædes* Lov. et Boend. Vulgatum *sedes* defendi potest illis quæ notantur ad Livii I. 55. § 4. et v. 39. § 12. utrumque etiam ferri potest, *Æsculapii* et *Æsculapio;* vide ad v. 27. § 7. Hic itaque codd. sequi malui. Solent autem 'ædes' et 'sedes' passim in Mss. commutari; vide quæ ad primum locum Livii notavimus, ut et ad v. 42. § 1. Adde ad x. 9. § 13. et Burm. ad Quinctil. Instit. Orat. IV. 2. pag. 319. Præterea *consecrata est* Berg. at id, quod ante Sigonium exstitit, servant Leid. Vossian. Lovel. Boend. Hearnii Norvic. et Exc. Pithœi. Sigonii emendationem probavit Schottus ad Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. c. 22. eamdem etiam servavit Gronov. Miror itaque, Clericum, qui sollemniter promiserat se operam daturum, ut Livius ad J. F. Gronovii mentem quam accuratissime ederetur, in Epitomis tamen librorum deperditorum vel Doujatium vel Freinshem. secutum esse, et hic *constituta est* edidisse.

Quoniam, ... usus erat] *Quoniam, &c. usus esset* Lov. Boend. Norvic. et edd. antiqq. ac recentiores, usque dum Gruterus 1628. *usus erat* restitueret, quod est in Voss. Leid. ac Berg. Posteriorem hanc lectionem Gronov. recepit. Verum Clericus cum Freinshem. ac Doujat. alteram. Insuper *qui quandoque* Leid. Sed præstat vulgatum. Paullo ante Postumii prænomen deest in Hearnii N. *consul* autem, pro *consularis*, legit Boend. Utraque lectio defendi potest. Militum enim opera in agro suo usus est, quum consul esset, et quidem prinsquam adhuc paludatus ex urbe profectus foret: at die dicta damnatus est, quum consularis esset. Vide Fragm. Dionys. Halic. in Exc. Peiresc. p. 531. et seqq. Verum, quum a vulgato stent plures codd. ei etiam adhæreo.

Cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quarto renovatum est] Duæ priores voces non adparent in Voss. Berg. et Lovel. sed *pacem petentibus hostibus* præfert Leid. *pacem petentibus Samnitibus* Boend. *Samnitibus pacem petentibus* Norvic. et edd. vett. usque ad Mogunt. quæ prima dedit *Cum Samnitibus.* Mox *bellaverant*, pro *rebellaverant*, Boend. frequenti scribarum errore; vide ad XL. 38. § 5. *rebellaverunt* Berg. Vox autem *bis* exsulat a Leid.

Coloniæ deductæ sunt, Castrum, Sena, Adria] De Sena per hos annos in agro Gallorum deducta Polybius libro secundo. *Sigonius.* Castrum non hoc tempore, sed initio primi belli Punici coloniam deductam esse, testatur Vell. Paterc. I. 14. *Hadria* autem est in Leid. et edd. Rom. 1472. ac Parm. Vide ad Livii XXIV. 10. § 10.

Triumviri capitales tunc primum creati sunt] Vide Varronem de L. L. IV. p. 22. Ante duumviri erant, in causa Horatii Trigemini primum constituti, post in Manlii Capitolini. Livius VI. 20. *H. Vales.* Nihil omnino certi de anno quo primum creati sunt, constitui posse, existimat Pighius in Annal. ad an. CDLXIV. pag. 405. quia Pomponius l. 2. § 30. D. de Or. Jur. triumviros hos post prætorem peregrinum creatos esse memorat. Sed, quum id chronologiæ adversari videatur, vide qua ratione JCtum excuset Rupert. in Encheir. cap. 16. Ceterum *Triumviri. N. capitales tum primum creati sunt* Boend. *tum primum creati*, omissa voce sequenti, Lov.

Censu acto, lustrum conditum est] Ita edidit Gruterus an. 1628. eamque lectionem Gronovii servarunt. Neque aliter erat in Berg. Antea edebatur *Census actus est, lustrum conditum*, quod exemplo Freinshem. et Doujatii revocavit Clericus. Verum

ita in nullo codicum exstitit, nisi in perpetuo editionum adsecla Norvic. Contra *Census actus est, lustrum conditum est* præfert Leid. *Census actus, lustrum conditum est* Boend. *Censuatio lustrum conditum est* Voss. *Censu acto lustrum conditum* Lov.

Censa sunt civium capita ducenta septuaginta tria millia] Vet. lib. CCLXXII. *Delr.* Ita et Leid. Berg. Lov. Boend. Hearnii N. Norvic. Exc. Pithœi, et edd. vetustissimæ: *ducenta septuaginta millia* Voss. Codd. numero plures sequi tutius putavi.

Propter æs alienum et graves et longas seditiones] Vet. lib. *post graves et longas seditiones.* Nam Augustinus etiam III. 17. de Civitate Dei ita loquitur: 'Post graves et longas Romanas seditiones ad ultimum plebs in Janiculum hostili diremptione secessit.' *Sigon.* Sigonium, cod. sui lectionem adoptantem, quum alii, tum etiam Gronovii secuti sunt. Clericus vero post Freinsh. et Doujat. priorem, quæ ante Sigonium exstitit, recepit. Sigonio consentit Hearnii N. Verum *propter æs alienum, et longas seditiones*, duabus mediis vocibus omissis, exhibet Leid. *propter æs alienum, propter graves et ultimas seditiones* Berg. *propter æs alienum, propter longas et graves seditiones* Voss. *propter æs alienum, propter graves et longas seditiones* Lov. *propter æs alienum, et propter graves et longas seditiones* Boend. Mox *ad Janiculum*, pro *in Janiculum*, Boend. Supra Epit. lib. II. 'Quum propter nexos ob æs alienum Sacrum in montem secessisset.'

Unde a Q. Hortensio dictatore deducta est] De hoc dictatore sic Plinius XVI. 10. 'Q. Hortensius dictator, cum plebes secessisset in Janiculum, legem in Esculeto tulit, ut, quod ea tulisset, omnes Quirites teneret.' Idem scribit Gellius XV. 27. Idem est in Institutionum Justiniani lib. I. tit. 2. § 4. Hac de re supra dixi in librum octavum. *Sigon.* Forte *reducta est.* J. F. Gron. De lege Hortensia multa habent interpretes Institut. ad § 4. de Jur. Nat. Gent. et Civ. et alii ad l. 2. § 8. D. de Or. Jur. nec non, qui de Legibus Romanis scripserunt. Marcilius ad d. § Instit. reprehendit Justinianum, qui plebiscita, *lege Hortensia lata*, non minus valere cœpisse, quam leges, auctor est. Nam melius dicturum fuisse ait, 'primum lege Horatia, deinde Hortensia, postremo autem etiam lege Publilia.' Sed, Justinianum et, quem hic sequitur, Pompon. d. l. 2. § 8. de Or. Jur. sine reprehensione solius legis Hortensiæ mentionem fecisse, dudum ostenderunt viri doctissimi. Arrogantissimus censor autem, in quo alium accusat, ipse culpa non vacat, ac turpiter errat. Nam lex Publilia, de qua Livius VIII. 12. prior fuit lege Hortensia: illa enim a. CCCCXIV. hæc a. CCCCLXIV. lata est. In eodem luto hæret Vinnius ad Instit. l. d. merito ibi ob id notatus ab Heineccio. *Duk.* De lege Hortensia, ut et Horatia ac Publilia de eadem re latis, vide ad VIII. 12. § 14. Ceterum *abducta est* Voss. Sed placet Gronovii *reducta est*, nimirum in urbem. Solent autem sæpe 'deducere' et 'reducere' commutari; vide ad VI. 26. § 8.

Contra Volsinienses] *Vulsinienses* lapides Capitolini. *Sigon. Volsinenses* Berg. *Volinenses* Boend. *Vulsinenses* Voss. *Vulscinentes* Leid. Vide ad V. 31. § 5. Sequens vocabulum *gestas* exsulat a Voss.

Contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuerat] Meminit Plinius ejus rei XXXIV. 6. 'Publice autem ab exteris posita est,' inquit, 'Romæ C. Ælio tribuno plebis, lege perlata in Stennium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infestaverat. Ob id Ælium Thurini statua et corona aurea donaverunt. Iidem postea Fabricium donavere statua, liberati obsidione.' Hic autem Plinii locus vitium nobis ostendit, librariorum culpa natum, in

Liviana Epitome. Nemo non enim nunc facile intelligit, pro *Tyrrhenis* (cum hoc vocabulum pro Etruscis sive Tuscis populis in usu potius fuerit olim apud Græcos magis, quam apud Latinos vel Romanos scriptores historicos) eo loco *Thurinis* reponendum esse. *Pighius* in Annal. ad a. CDLXIII. pag. 404. En quid hoc monstri? Romani auxilium tulere Tyrrhenis, id est Etruscis, contra Lucanos? at unde his tam subito tanta potentia, uti ab extrema Italiæ ora per tot gentes, et, quod omnium maximum, per ipsum Romanum imperium Etruscos bello petierint? Nugæ sunt, et mendum exscriptoris satis immane: qui, quum Volsiniensium Etruscorum nomen heic legeret, nec satis perciperet vocabulum genuinum *Thurinis*, correxit id, seu corrupit potius, in *Tyrrhenis:* quo vocabulo nusquam hactenus ipse usus est Livius, nisi ubi v. 33. ait, Tuscum mare Græcis dici 'Tyrrhenum.' *Cluver.* Ital. Ant. IV. 14. p. 1264. Idem apparet ex Valerio Max. I. 8. 6. ubi de Fabricio. Meminit etiam Dionys. Hal. in Excerptis Legat. p. 306. *H. Vales. Turnis* Boend. *Tyrhenis* Hearnii N. *Turinis* Berg. quare in contextum *Thurinis* recepi. Præterea *placuit* contra fidem omnium codd. edidit Freinshem. quem inprovide Donjatius et Clericus secuti sunt.

LIB. XII.

L. Cæcilius prætor cum legionibus ab iis cæsus est] Hunc 'Cæcilium prætorem' Orosius III. 22. et Augustinus III. 17. indicant. Polyb. II. 19. Λεύκιον στρατηγὸν nominat, in ejusque occisi locum suffectum esse M'. Curium. *Sigon.* Vide Jac. Gronov. ad Polyb. II. 19. *Duk.* Circa initium hujus belli non convenit inter scriptores. Secundum Polyb. loco laud. cum Gallis Arretium obsidentibus prœlio congressus Λεύκιος στρατηγὸς cecidit. Ejus deinde successor Μάνιος Κόριος legatos de redimendis captivis misit, quos Galli interfecerunt. Eorum itaque necem ut ulciscerentur Romani, cum iis prœlio congressi victoriam reportarunt. Contra, si Orosium et Augustinum locis laud. sequamur, Romani, audientes Gallos Senones cum Lucanis, Bruttiis, Samnitibus, et Etruscis de bello sibi inferendo conspirasse, missis legatis eos exorare conati sunt. Verum, legatis interfectis, ad eorum necem ulciscendam profectus Cæcilius prætor prœlio interiit. Iis hic consentit auctor Epitomarum. Diversas eorum narrationes se conciliare posse credit Merul. ad Enn. fragm. pagg. 309. et 310. statuendo, primum, cujus Polybius meminit, prœlium accidisse a. CDLXIX. eoque periisse L. Cæcilium consulem: hujus autem prœlii Orosium, Augustinum, et auctorem Epitomes nullam mentionem fecisse. Consuli deinde interfecto substitutum M'. Curium legatos ad Gallos misisse, qui eos necarunt. Anno deinde sequenti CDLXX. Cæcilii consulis fratrem Cæcilium prætorem cum Gallis alterum prœlium commisisse, cujus memoriam præter Polyb. servarunt etiam Oros. Augustin. et auctor Epitom. Ut autem sententiam verisimilem reddat, duos hoc tempore fratres Cæcilios, quorum alter Titi prænomen habuit, floruisse docet ex Plinio Hist. Nat. VII. 28. 'Q. Ennius, T. Cæcilium Dentrem fratremque ejus præcipue miratus, propter eos sextum adjecit annalem:' atque ex eodem Plinii loco hic *T. Cæcilius prætor* scribendum conjicit. Ejus tamen sententiam probare nequeo varias ob caussas. Primo enim in prænomine Cæcilii prætoris nihil hic mutant ulli codd. aut edd. Deinde Polyb. secundo prœlio Romanos victoriam obtinuisse, eoque maximam Gallorum Senonum partem cecidisse

refert. At unico illo prœlio, quod referunt Oros. Augustin. et auctor Epitom. prætor Romanorum cum legionibus periit; et tamen eorum verba de secundo prœlio intelligenda esse monuit Merula. Prætcrea, utrum hoc tempore duo fratres Cæcilii, quorum alter Titi prænomen habuerit, vixerint, incertum puto. In loco enim Plinii omnes codd. *sextum decimum*, pro *sextum*, legere, auctor est Harduinus. Ennius autem XVI. Annal. non res hujus temporis, sed quæ a. DLXIV. et undecim sequentibus gesta sunt, retulit, secundum ipsum Merulam. Potius itaque credo, alios annales secutum esse Polybium, alios autem Oros. Augustin. et auctorem Epitom. et per 'L. Cæcilium prætorem' eumdem intelligó, qui anno præcedenti consul fuerat. Nam, ut Pighius in Annal. ad ann. CDLXIX. p. 413. docuit, in usu fere tunc erat, ut alter consulum in annum sequentem prætor crearetur. Ita, teste Liv. x. 22. Ap. Claudius prætor constitutus est; quem anno præcedenti consulem fuisse, ex Livio et Fastis constat. Aliud exemplum in Papirio vide apud eumdem Livium x. 47. Id tamen verum videtur, hunc L. Cæcilium, primo consulem, mox prætorem, non tantum Metelli, ut Pighius credebat, sed etiam, Dentris, ut Merula volebat, cognomen habuisse. Fasti enim anonymi, quos Noris. et Eccard. in Hist. Med. Ævi ediderunt, ita consules hujus anni notant, *Tucca et Metello*, vel *Tucco, Metello*. At fasti Siculi Ταχίου καὶ Δέντωνος· et fasti Idatiani *Tacio et Dentone*. *Dentone* autem ex *Dentre* corruptum puto. Ceterum verba *cum legionibus* desunt in Boend. at, iis tantum transpositis, *ab iis cum legionibus cæsus est* præferunt Berg. et Lovel. Paullo ante vero *a Gallis et Senonibus* perperam legit Voss.

Duce, qui præerat classi, occiso] Vet. liber *duumviro, qui præerat classi.* Duumviri autem navales creari primum cœpti sunt a. CDXLIII. *Sigon. Duce* servant Voss. et Norv. Ejus loco *lucæ* legit Boend. *luce* Berg. *duumviro* Leid. et Lov. Mox *de injuriis*, omisso medio pronomine, Boend. et Berg. *de his injuriis* Voss. Tum *ob hoc bellum his indictum est* Boend. et Berg. *ob id bellum indictum est* Leid.

Brutios] 'Bruttii' duobus *tt* in Capitolinis lapidibus scribuntur, itemque in nummis argenteis, quos perantiquos pater habet tuus cum his literis BPETTIΩN. Præterea Eustathius in Dionysium vs. 362. docet, omnino Βρεττίους διὰ τῶν δύο ττ esse scribendos. *Sigon.* Vide etiam Pighium in Annal. ad a. CDLXXI. p. 418. Dausq. Orthogr. parte II. ea voce, Cellar. Geogr. Ant. II. 9. p. 582. et quæ notantur ad Silii VI. 15. Contra unicum *t* præfert Cluver. Ital. Ant. IV. 15. p. 1283.

A compluribus ducibus bene pugnatum est] *Aliquam pluribus ducibus* Berg. *a quam pluribus ducibus* Voss. *a quam plurimis ducibus* Boend. Sæpius has voces in Mss. commutari, dictum est ad IV. 31. § 2. Adde Burmann. ad Petron. Satyr. c. 21. p. 71.

Quum in præsidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Jubellio missa esset] Polybius I. 7. hunc Δέκιον Καμπανὸν vocat. *Sigon. In præsidio* Leid. Berg. et Boend. Infra XXVIII. 28. 'Rhegium quondam in præsidium missa legio.' Tum *Reginorum* hic et mox Berg. et Boend. Utroque modo nomen urbis scribi solet, prout illud deducatur vel a Græca voce ῥήγνυμι, vel a Latina *Rex*. Vide Cluver. Ital. Ant. IV. 15. pag. 1296. Similiter etiam mox *Regium* iidem duo codd. ubi *Regnum* legunt Voss. Leid. et Hearnii N. Deinde *Decio missa* Leid. *Decio in bello missa* Vossian. *Decio Jubelio missa* Berg. Hearnii Norvic. et edd. vett. Sed per duplex *ll* quoque scribitur lib.

XXVIII. c. 28. In verbis seqq. etiam *occupaverunt*, pro *occupavit*, Lov. in contextu, ut 'legio' tamquam conlectivum construatur cum verbo plurali, quemadmodum 'cohors' et similia alia, de quibus vide ad XXXV. 26. § 9. At reliqui servant *occupavit;* et ita in unius istius margine etiam emendatur.

LIB. XIII.

Valerius Levinus consul] *Lævinus* ex Capitolinis lapidibus a 'Lævo,' ut 'Crassinus' a 'Crasso,' 'Albinus' ab 'Albo.' Plutarchus in Pyrrho p. 392. mendose 'Αλβῖνος habet, pro Λαιβῖνος. *Sigonius.* Similia vide apud Pighium in Annal. ad a. CDLXXIII. p. 431. ubi insuper notat, Zonaram VIII. 3. male eum Λαονῖνιον, sive *Lavinium*, vocasse; quomodo etiam hoc loco per errorem præfert Boend. Vox *consul* deest in Leid.

Elephantorum maxime inusitata facie] Codd. nihil mutant. At Salmasius ad Flori I. 18. § 6. *invisitata facie* scribendum conjecit. De ea voce late vide ad Livii V. 35. § 4.

Post prælium quum corpora Romanorum] Ita edidit Gruter. a. 1628. itaque est in Lov. Antea edebatur *Post id prælium*, quod servant Leid. Voss. Berg. Boend. et Hearnii N. quorum auctoritatem secutus sum. Clericus etiam pronomen, a Freinshem. et Doujat. restitutum, servavit, licet Gronovii, ex sententia Gruteri, ex contextu ejecissent. Paullo post *quæ in acie ceciderant*, pro *qui*, quasi ad corpora referendum foret, Berg. *qui in acie exciderant* Voss. Idem etiam codex *venit*, pro *invenit*, ostentat. Sed prima syllaba excidit ob præced. vocis literam finalem; vide ad V. 27. § 6.

Populabundusque ad urbem Romam processit] *Populabundus*, omissa conjunctione *que*, Voss. Tum *ad urbem Romanam* Berg. Lov. Boend. Hearnii N. et Exc. Pithœi; vide ad Epit. Liv. lib. XLIX. Deinde *præcessit* Exc. Pithœi; vide ad Livii XLIV. 5. § 6.

Missus ad eum, ut de redimendis captivis ageret] Vet. lib. *missus ad eum a senatu, ut.* Sigonius. Ita etiam est in Leid. Vossian. Berg. Lov. et Boend. eamque lectionem omnes, etiam Gronovii, receperunt, nisi quod Freinsh. eumque imitati Doujat. et Cleric. iterum omiserint. Ex scriptis adstipulatur illis unus Norvic. Præpositionem *de* omisit Leid. Mox alio ordine *tentatus est a rege* Boend. sed voces *a rege* exsulant a Berg.

Cyneas legatus, a Pyrrho ad senatum missus, petiit] *Cineas.* Sic enim Plutarchus in Pyrrho: sic Suidas Κινέας. *Sigon.* Adde Davis. ad Cic. Tuscul. I. 24. ubi ed. Gronovii mendose *Cyneas.* At ad Fam. IX. 25. et de Senec. cap. 13. recte *Cineas.* Duk. Vocem *missus* non agnoscit Voss. Quod si plures codd. faverent, probandum judicarem, eamque elegantiam loquendi auctori Epitom. adhæsisse putarem ex assidua lectione Livii, qui ita sæpius locutus est. Ita lib. XXVIII. c. 9. 'Quum M. Fabius Maximus pater, legatus ab M. Livio consule Romam ad senatum nunciasset:' ubi plura vide. Præterea *petit* Leid. Vossian. Berg. Boend. Lovel. et Hearnii N. Vide ad Liv. XXXVII. 45. § 2.

Rex in urbem reciperetur] Ita quidam: alii tradunt eum nihil aliud, quam amicitiam et fœdus petiisse; vide Duker. ad Flori I. 18. § 16. Ceterum *in urbe* Norvic. et primæ edd. Utrumque Latinis in usu fuit; vide ad VIII. 26. § 3. *In urbem* tamen, quod omnes reliqui codd. tuentur, propter eorum auctoritatem præfero.

Propter valetudinem oculorum jam diu a consiliis publicis abstinuerat] Vet. lib. *consiliis publicis se abstinuerat.* Sigonius. Ita et Leid. Berg. Lov. et Boend. Vide ad Liv. V. 43. § 8. *A consiliis publicis se abstinuerat* Vossian. Lectionem a Sigonio damnatam unus servat Norvic. eamdem a reliquis edi-

toribus, etiam Gronoviis, desertam revocarunt Freinsh. Doujat. et Cleric. Præterea *valetudinem* primus Gruter. in ed. 1628. recepit, et plerique postea servarunt. Similiter legunt Leid. et Lov. Antea edebatur *invaletudinem*, quod tuentur Vossian. Berg. Boend. et Norvic. idque post Gruter. iterum admisere Freinsh. Doujat. et Cleric. Utrumque habet quo se tueatur. Certe 'invaletudo' est apud Cic. ad Att. l. VII. c. 2. 'Invaletudo tua me valde conturbat:' et de Amic. cap. 2. 'Quod his Nonis in nostro collegio non adfuisses, invaletudinem caussæ, non mœstitiam, fuisse:' ubi vide Langium. Et ita etiam olim edebatur infra in Epit. l. XXXIII. 'Ob subitam invaletudinem Pergamum translatus decessit.' Verum ibi nunc est *valetudinem*. Et ita unus cod. Livii lib. XXVI. c. 22. § 5. 'Oculorum invaletudinem excusavit.' Quum autem ibi codd. reliqui *valetudinem* servent, et Livius passim 'valetudo,' numquam vero, quod meminerim, 'invaletudo,' pro morbo usus sit, credibile fit, vulgatum ibi retinendum, et auctorem Epitom. eum imitatum, adeoque et hic et altero loco similiter legendum esse. Paullo ante *ex qua re*, pro *de qua re*, Voss. Sed vulgatum malo.

P. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit] Vet. lib. *Cn. Domitius*. Quod placet: est enim Cn. Domitius, qui per hæc tempora cum P. Dolabella consul fuit. Præterea Publii prænomen nusquam alias in Domitia gente reperi. Ut autem C. Marcius Rutilus primus e plebe censor fuit, auctore Livio VII. 22. et X. 8. sic Cn. Domitius primus e plebe censor lustrum condidit. *Sigonius*. Vide etiam Pighium in Annal. ad a. CDLXXIII. p. 432. Neque aliter Leid. Voss. et Lov. *P. Domitius* vocatur in Norvic. *C. Domitius* in Berg. Vide ad Livii VII. 3. § 3. Prænomen omittitur in Boend.

Censa sunt civium capita ducenta septuaginta octo millia, ducenta viginti duo] Vetus lib. *CCLXXXVII.* Delrius. *Censa sunt capita*, una voce neglecta, Leid. Vossian. Berg. Lov. et Boend. Vide ad Liv. X. 47. § 2. Contra *civium capita* constanter editi: quomodo auctorem Epitom. semper loqui solitum fuisse, vidimus ad Epit. lib. I. Præterea *ducenta octuaginta duo millia* Leid. *CCLXXXVI. millia* Boend. *CCLXXXVII. millia*, ut Delrius in vet. lib. invenit, etiam Vossianus. *CCLXXXVII.* omissa voce *millia*, Hearnii N. *CCLXXXVIII. millia* Berg. *CCLXXXVIII.* omissa etiam voce *millia*, Lov. Deinde *ducenta viginti septem* Leid. *CCXX.* Boend.

Cum Karthaginiensibus quarto fœdus renovatum est] Hujus fœderis meminit Polybius III. 25. Τελευταίως ποιοῦνται συνθήκας Ῥωμαῖοι κατὰ τὴν Πύῤῥου διάβασιν πρὸ τοῦ συστήσασθαι τοὺς Καρχηδονίους τὸν περὶ Σικελίας πόλεμον. *Sigon.* In vet. lib. *quartum fœdus* invenio. *Delrius*. Invenio etiam in Voss. Berg. Lov. et Boend.

Quum C. Fabricio consuli is, qui ad eum a Pyrrho transfugerat, polliceretur] Hunc alii *Timocharem*, alii *Niciam* appellarunt: auctor Gellius III. 8. *Sigon.* Fabricii prænomen *C.* deficit in Leid. et Berg. Deinde *Fabricio consule is, qui* Boend. *Fabricio consiliis qui* Voss. Hinc *a Pyrrho* deficit in Boend. Tum *pollicentem* male Voss. In verbis seqq. *venenum se regi daturum* legunt alio ordine Berg. Lov. et Boend.

Contra Etruscos, Lucanos, Bruttios et Samnites] *Et Bruttios et Samnites* Norvic. et edd. vett. usque ad Sigonium, qui primus edidit, ut nunc vulgo circumfertur. *Contra Lucanos, et Bruttios, Samnites et Etruscos* Leid. Voss. et Lov. *contra Lucanos, et Bruttios, et Samnites, et Etruscos* Berg. Id non displicet. Auctorem enim Epitom. hoc modo conjunctionem sæpius repetiisse, vidimus ad Epit. libb. IV.

et IX. Adde ad l. XIV. et ad l. XLVI. Τὸ *Etruscis* deerat in Exc. Pithœi.

LIB. XIV.

Pyrrhus in Siciliam trajecit] *Siciliam trajecit*, sine præpositione, Leid. Id probari posset, si plures Mss. consentirent. Vide quæ notantur ad XXXIII. 41. § 5. Nunc unius testimonio credere non audeo.

Dejectum esset in Capitolio Jovis signum, caput ejus per aruspices inventum est] Rycquius de Capit. c. 15. putat hic eamdem historiam relatam fuisse a Livio, quam narrat Cic. de Divin. I. 10. et II. 19. *Duk.* Locum mutilum esse credidit Pighius in Annal. ad a. CDLXXVII. p. 438. Rationem sententiæ, quam addere neglexit, sponte videre nequeo; nisi forte crediderit, desiderari Jovis cognomen. Nihil etiam mutant codd. nisi quod *per auspicem* legat Boend.

Qui citatus non responderat, bona vendidit] Vet. lib. *bona primus vendidit.* Hac de re sic Varro in Γεροντοδιδασκάλῳ, ut est apud Marcell. in voce 'Tenebrio:' 'Manius Curius consul in Capitolio cum delectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem.' Valerius et bona et ipsum, qui citatus erat, veniisse a Curio scribit VI. 3. *Sigon.* Vocem *primus*, quam in Norvic. deesse Hearnius notavit, inveni in Leid. Voss. Berg. Lov. et Boend. Ulterius progressus hinc Lipsius, ut auctor Valerio Max. consentiret, scribendum conjecit *bona primum, mox eum vendidit*, de Milit. Rom. I. 4. Præterea *qui tacitus non responderat*, trajectis syllabis, Berg. Vide ad Liv. XXII. 12. § 7. At 'citare' in hac re verbum proprium. Liv. II. 29. 'Citari nominatim unum ex iis, qui in conspectu erant, dedita opera jubent.' Valerius Maxim. hanc ipsam historiam referens, VI. 3. 4. 'Primum nomen urna extractum citari jussit.' Varro etiam in loco a Sigon. laud. Et ita sæpe alibi. Præterea *respondit* Leid. *responderet* Voss.

Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reversum vicit] Vet. lib. *Iterum Pyrrhum:* præclare: est enim aliud *iterum reversum* et *iterum vicit:* est autem *iterum vicit* intelligendum. *Sigon.* Sigonius videtur existimasse, 'iterum reverti' semper esse 'secundo reverti.' Non dubium est quin hoc ita recte dicatur, ut in Cic. pro Flacco c. 21. 'Iterum iste Romam se retulit.' Sed interdum 'iterum reverti' nihil aliud est, quam 'reverti,' quod idem noto pleonasmo τοῦ 'rursus' etiam 'rursus reverti' dicitur. Sic Virgil. Æn. VI. 720. 'Iterum ad tarda reverti Corpora,' et vs. 751. 'rursus in corpora velle reverti' eadem sunt. Et in hoc Ovidii Art. Am. III. 63. 'Nec, quæ præteriit, iterum revocabitur unda,' *iterum revocabitur* nihil aliud est, quam *revocabitur.* Si, quod Sigonius vult, conjungas *iterum vicit*, auctor epitomes dicit hanc fuisse secundam Curii de Pyrrho victoriam. Nam de secunda pugna Romanorum cum Pyrrho ipse Epit. l. XIII. scribit, 'Iterum adversus Pyrrhum dubio eventu pugnatum est.' Sed, Pyrrhum bis a Curio victum, nemo, quod sciam, prodidit. *Dukerus.* Ita etiam Berg. Lov. et Boend. Sed vulgatum servat Voss. *Item Pyrrhum ex Sicilia* legit Leid. Solent autem 'item' et 'iterum' sæpius in membranis commutari. Vide Burm. ad Suet. Cæs. c. 36. et Aug. c. 16. ac c. 25. Adde quæ notantur ad Livii II. 8. § 9. IV. 2. § 10. c. 8. § 1. c. 21. § 6. c. 23. § 1. c. 49. § 7. c. 54. § 1. IV. 19. § 6. ad Epit. Liv. l. XX. et alibi sæpe. Hic autem vel cum Voss. legendum *Pyrrhum iterum,* vel cum Leid. *Item Pyrrhum.* Certe *Iterum Pyrrhum, &c. vicit*, quod præclarum Sigonio videbatur, ferri nequit. Bis enim antea cum Pyrrho dimicatum fuerat, et pri-

mo quidem ‘ parum prospere,’ postea ‘ dubio eventu,’ ut refertur Epit. l. XIII. Non itaque nunc *iterum vicit.* Si autem prius malis, ‘ iterum reversum ’ dictum erit, ut ‘ rursus revocare’ apud Livium IX. 27. ‘ rursus reducere’ XLIII. 20. et similia sæpe.

Quod is decem argenti pondo facti haberet] Ita primus edidit Gruterus, inserto pronomine *is*, quod superest in Leid. Voss. Berg. Lov. et Boend. Sed in Norvic. suo deesse monuit Hearnius. Præterea *pondo decem argenti facti* Lov. *decem pondo argenti facti* Leid. Voss. Berg. et Boend. Paullo ante *Ruffum*, pro *Rufinum*, Berg. et Bocnd. Sed reliqui codd. vulgatum servant, idemque cognomen ipsi alii, qui ejus meminerunt, dant scriptores. Insuper, si verum est, eorum, qui ‘ Rufi,’ ‘ Albi,’ ‘ Corvi’ dicti sunt, posteros ‘ Rufinos,’ ‘ Albinos,’ ‘ Corvinos ’ dictos esse, ut viri docti docuerunt ad Liv. VII. 26. § 12. hic Cornelius, ‘ Rufinus ’ potius, quam ‘ Rufus,’ dicendus erit, si quidem jam ante quinquaginta, et quod excurrit, annos memoretur ‘ P. Cornelius Rufinus ’ dictator apud Livium VIII. 17.

Censa sunt capita civium ducenta septuaginta unum millia, ducenta viginti quatuor] Placet legi *CCLXXXI. millia*, ut singulis lustris numerus civium augeatur. Nam tertio ante lustro censa sunt *CCLXXII. millia;* altero vero *CCLXXVIII.* hoc *CCLXXXI.* proximo insequenti *CCXCII. Sigon.* Decem millia Sigonius addidit : mihi tamen necessarium non videtur, labefactata Epiroticis cladibus civitate, singulis lustris numerum civium augeri. *Delrius.* Nulli codd. Sigonio numerum augenti favent. Quin etiam minuit Vossian. *CCLXI. millia, CCXXIII.* præferens. Ob grave autem cum Pyrrho bellum potuit numerus civium hoc lustro potius deminutus, quam auctus, esse. Vide Livium XXVII. 36. Præstare igitur videtur ut nihil mutemus. Ultima pars *ducenta viginti quatuor* exsulat a Leid. sed ejus loco *et CCXXXIII.* legit Boend.

Rege societas juncta est] Vox *societas* non adparet in Boend. qui insuper legit *macta est:* sed *conjuncta est* Leid. Male. Vide Epit. lib. XLIV. *Tò est* omittitur in Hearnii N.

Sextilia virgo Vestalis damnata incesti] *Septilia* Voss. et Boend. Deinde *damnata incestu* Voss. Vide ad Epit. lib. VIII. Neque hoc placet. Vide ad Liv. VIII. 15. § 8. *Incesti damnata* Boend.

Coloniæ deductæ sunt Posidonia et Consa] *Cossa* legendum est. Velleius I. 14. ‘ Cossam et Pæstum ’ colonias deductas ait ‘ Fabio Dorsone, Claudio Canina consulibus.’ Et Plin. III. 5. ‘ Cossam Vulcientium coloniam ’ deductam ait. Ita enim lib. vet. *Sigonius. Prosidonia* Boend. *Possidonia* Leid. Voss. Berg. Lovel. et Norvic. Male. Creditur enim Græce dicta esse a voce Ποσειδών, quæ plerumque ‘ Pæstum ’ dicitur. Vide Cluver. Ital. Ant. IV. 14. p. 1255. Deinde *Consa* Boend. et Norvic. *Conssa* Berg. *Cosa* Leid. Voss. Lov. et Hearnii N. quod recepi. Vide ad XXII. 11. § 6.

Karthaginensium classis auxilio Mamertinis venit] Primum intelligendum est, placere antiquis grammaticis *Carthaginiensium* dici, quod a casu dandi ejusmodi nomina edantur, additis syllabis *ensis*, idque præceptum versu Ennii confirmari : ‘ Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis.’ Deinde vero vocem *Mamertinis* mendum continere. Neque enim de Mamertinis adhuc dicendi locus est, verum initio belli Punici. Et Mamertinis quidem etiam tum non Pœni, sed Romani, venerunt auxilio. *Tarentinis* autem reponendum est, non solum quia ita habent Mss. libri, sed etiam quia Anno Carthaginiensis apud Livium XXI. 10. factum esse significat, cum ait, ‘ Sed ut Tarento tum et Italia non abstinueramus ex fœdere, sic nunc Sagunto non abstinemus.’ Sic Orosius lib. IV. cap. 3.

ut ibi dicam. *Sigonius. Carthaginiensis*, non *Carthaginensis*, scribendum esse, Gronovius etiam docuit ad l. XXVIII. c. 26. § 1. Deinde *Mamertinis* superesse in Norvic. Hearnius auctor est. *Mameretinis in auxilium venit* legit Boend. Sed *auxilio Tarentinis venit* recte Leid. Voss. Berg. et Lov. Sigonii emendationem probat etiam Fabric. ad d. l. Orosii.

Contra Lucanos, Samnites, et Bruttios] *Contra Lucanos, Bruttios, et Samnites* Boend. *contra Lucanos, et Bruttios, et Samnites* Berg. et Lov. *contra Lucanos, et Samnites, et Bruttios* Leid. et Voss. Vide ad Epit. præc.

Pyrrhi mortem continet] Vet. lib. *Pyrrhi regis mortem.* Sigon. Similiter etiam Leid. Vossian. Berg. Lovel. Boend. et Hearnii N. atque ed. Rom. princeps. Vox *regis* non reperitur in Norvic.

LIB. XV.

Victis Tarentinis pax et libertas data est] *Mulctis Tarentinis* Boend. Deinde *libertas nata est* Leid. Lov. et Exc. Pithœi: *libertas nacta est* Hearnii N. Eadem varietas in libris scriptis erat X. 40. § 10. Infra XXVI. 41. § 9. *libertas orta est* Voss.

Legatos Apolloniatium ad senatum missos] *Legatos Apollinatum* Leid. *legatis Apollinatium* Voss. et Hearnii N. *legatos Appolinantium* Berg. *legatos Appolinatium* Lov. *legatos Apolliniatium* Boend. a m. pr. *Apolliniatum* a m. sec. Mox *Apollinatibus* Vossian. Leid. Lov. et Hearnii N. *Apolliniatibus* Boend. Deerat ea vox in Berg. a m. pr. pro qua *Apolinatibus* adscribitur manu altera.

Picentibus victis pax data] *Pax data est* Voss. Leid. Lov. Boend. et Hearnii N. Neque aliter erat in Berg. a m. sec. in quo omnia hæc verba deerant a m. pr. Recepi itaque *τὸ est.*

Coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio] *Deductæ sunt* Leid. et Lov. Voces *coloniæ deductæ* desunt in Berg. a m. pr. Deinde *Ariminum in Piceno ventum*, reliquis omissis, Leid. *Ariminum in pace conventum* Voss. *Ariminum in Piceno Neventum* Exc. Pithœi. Vulgatum servant Berg. et editi. Recte. Vell. Pat. I. 14. 'Interjecto quinquennio, Sempronio Sopho et Appio Cæci filio consulibus, Ariminum, Beneventum coloni missi.'

Tunc primum populus Romanus argento uti cœpit] Argentum signatum est a. CDLXXIV. Q. Ogulnio, C. Fabio consulibus, quinque annis ante primum bellum Punicum. Plinius l. XXXIII. c. 3. *Sigonius. Tum primum* Berg. et Boend. Vide ad II. 12. § 15. *Tunc primum pro argento uti cœpit* Voss. Simili errore apud Cæs. Civ. I. 9. quidam Mss. et edd. *pro beneficio* exhibent, loco *populi Romani beneficium.* Vox *Romani* hic deest in Leid. et Berg.

Umbri et Salentini victi in deditionem accepti sunt] *Sallentini* duobus *ll* scribi debent ex fide Capitolinorum triumphorum et Græcis scriptoribus. Sic enim Stephanus, Σαλλεντία, πόλις Μεσσαπίων· τὸ ἐθνικὸν, Σαλλεντινός. *Sigon.* Vide etiam Pighium in Annal. ad an. CDLXXIII. p. 433. quæ notantur ad Silii Ital. VIII. 575. et quæ dicta sunt ad Livii IX. 42. § 4. Ex Cellar. vero in Geogr. Ant. II. 9. p. 572. colligendum videtur veteres utroque modo *Salentini* et *Sallentini* scripsisse. Vide etiam Dausq. Orthogr. parte II. hac voce. *Salerni* vero, pro *Sallentini*, est in Leid. Voss. Berg. Boend. Norvic. et quibusdam edd. *Salentini* in Lov. et Hearnii N. *Sallens* in Exc. Pithœi. *Saleni* in edd. Rom. 1472. et Parm. Præterea *Vibri*, pro *Umbri*, Berg. sed vox ea exsulat a Lov. Deinde *victi et in deditionem accepti sunt* Voss.

Quæstorum numerus ampliatus est] In vet. lib. est *Quæstorum numerus ampliatus est, ut essent.* Desideratur au-

tem numerus. Sic enim in Epit. lib. II. 'Numerus tribuum ampliatus est, ut essent XXI.' et lib. X. 'Collegium augurum ampliatum est, ut essent novem:' et lib. XX. 'Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor.' Puto legendum hic esse, *ut essent octo*. Quæstores enim primum duos creatos esse anno primo post reges exactos, scribit Plutarchus in Poplicola 103. Duos deinde his additos esse, ut essent quatuor, duos qui urbanas, duos qui militares res curarent, a. CCCXXXIII. tradit Livius IV. 43. et lib. VI. et Tacitus XI. 22. cum autem Tacitus subseqnatur his verbis, 'Mox duplicatus quæstorum numerus, stipendiaria jam Italia, et accedentibus provinciarum vectigalibus,' eos profecto octonos factos esse hoc tempore significare videtur. *Sigon.* Voces *ut essent octo*, desunt etiam in Voss. Berg. Boend. Lov. et Norv. Sola tantum vox *octo* in Leid. quam recte ex conjectura adjecit Sigonius. Ita in Epit. l. XX. ubi vulgo editur, *Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor*, ab uno cod. exsulat etiam vox *quatuor*.

LIB. XVI.

Primordia urbis referuntur] Vet. lib. *urbis eorum referuntur*. Sigonius. Ita etiam Voss. Berg. Boend. et Lov.

Auxilium Mamertinis ferendum censuit senatus] Vox *Mamertinis* omissa est in Boend. Deinde *senatus censuit* Berg. Lov. et Boend. Vox *senatus* non adparet in Voss. quemadmodum nec paullo ante vocula *et* in Boend. Ceterum mutavi distinctionem, quæ post Mogunt. in plerisque edd. talis erat: *censuit senatus. Quum de ea re inter suadentes, ut id fieret, dissuadentesque contentio fuisset, transgressisque.* Ejus loco substituendam censeo quam hic exprimi curavi. In illis autem verbis *id* omittitur a scriba Leid. et *fieret*, pro *fuisset*, legit Voss.

Transgressisque tum primum mare equitibus Romanis] Copula importune interponitur, et etiam a recentioribus quibusdam edd. harum Epitomarum abest. Nec satis intelligo, cur solos 'equites Romanos' memoret, quum alii etiam pedites Romanos tum primum transgressos tradant. *Dukerus. Transgressisque* primus edidit Gronov. atque ita legunt Leid. et Lov. *Transgressis* servant Berg. Boend. et Norvic. quomodo ante Gronov. vulgo exstabat. *Transgressum* male est in Voss.

Adversus Hieronem sæpius bene pugnatum] Polybius I. 11. unam tantum adversus Romanos pugnam et cladem Hieronis refert. *Duk. Bene pugnatum est* Leid. et Lov.

Censa sunt civium capita ducenta septuaginta duo millia, ducenta viginti quatuor] Melius Eutropius II. 18. qui *CCXCII. millia* edit. Etenim tertio ante lustro censa sunt CCLXXVIII. millia, neque interea clades ulla accepta est, ut tantopere civium numerus imminutus sit. *Sigon. CCLXX. M. CCXXIIII.* Boend. *CCLXXII. M. CCXXIIII.* Norvic. *trecenta octuaginta millia ducenta triginta quatuor* Voss. *trecenta octuaginta duo millia ducenta triginta quatuor* Leid. *CCCLXXXII. millia, CCXXXIIII.* Berg. et Exc. Pithœi: *CCCLXXXII. et CCXXXII.* Hearnii N. et Lovel. Quum in minorem numerum *CCXXXIIII.* sex codd. consentiant, et Eutrop. d. l. hunc numerum edat, 'inventa sunt civium capita CCXCII. millia, CCCXXXIV.' hic etiam *triginta*, pro *viginti*, legendum esse, verisimile fit. Quin et codicum plerorumque consensus efficit, ut *octoginta quatuor millia*, quam vel *septuaginta quatuor millia*, cum antiqq. edd. vel *nonaginta quatuor millia*, cum Sigonio, legere malim: *ducenta* autem, non *trecenta*, scribendum esse, ratio docet. Ceteram, scire velim, quid sit, quod

doctissima femina Anna Fabr. ad loc. laud. Eutropii scripserit, a numero capitum, hoc lustro censorum, quæ edat Eutropius, centum ac decem deesse in tabulis Capitolinis. Quis, qui fragm. Capit. umquam inspexit, dicere poterit, iis adnotatum fuisse numerum civium, quolibet lustro inventorum? Præterea *capita civium* Boend. Paullo ante autem *conditum est* Leid. Voss. et Berg. Ultima vox antea omittebatur.

Decimus Junius Brutus] *Marcus et Decimus* Val. Max. II. 4. 4. *Marcum* hic culpa scriptoris, vel exscriptoris, omissum esse, putat Lips. Saturn. I. 8. Quod addit, ex Epitoma Liviana liquere, Livium tradidisse tria paria gladiatorum a Juniis fuisse data, id magis in conjectura, nec illa tamen improbabili, positum esse, quam liquere, dici potest. *Duk.*

In honorem defuncti patris edidit primus] Vet. lib. *primus edidit.* Sigon. Ita et Berg. et Lov. Vox autem *patris* deficit in Voss.

Colonia Esernia deducta est] Vet. lib. et Græci *Æsernia.* Sigon. *Exernia* Voss. et Boend. *e servia* Berg. Vide ad Epit. l. LXXII.

Contra Pœnos et Volscos] Dii boni! quid hoc tempore rei Romanis cum Volscis erat toties victis? certe nihil. Ergo non *Volscos*, sed *Volsinios* scribe, ut est in vet. lib. cum quibus hoc tempore bellatum esse docent historici, et maxime Capitolinus M. Fulvii Flacci consulis triumphus 'de Vulsiniensibus,' primo anno primi belli Punici actus. *Sigon. Contra Pœnos Vulsinos* Berg. *contra Pœnos et Vulsinos* Voss. Lovel. Hearnii N. et ed. Rom. princ. In edd. tamen reliquis, quas vidi, ut et in Boend. *contra Pœnos et Volscos.* At Leid. *contra Pœnos et Volscinos.*

LIB. XVII.

Cn. Cornelius consul, a classe Punica circumventus, et per fraudem velut in conloquium evocatus, captus est] Quomodo hic captus sit a Carthaginiensibus, docet Polyænus lib. VI. ubi de Carthaginiensibus loquitur, in fine XVI. 5. Missos enim ad eum ait a Carthaginiensibus simulatos quosdam transfugas, qui ei se Liparam, Siciliæ objectam, tradituros pollicerentur. Cornelius itaque versus Liparam navigavit. Carthaginienses se de pace colloquium habere cum consule fingere, summque ducem pessime a morbo habere. Rogaverunt, ut consul in illorum naves transiret, quo facilius colloqui posset. Ubi primum transiit consul, illi eum detinuerunt, et, in Romanos duce orbatos irruentes, facile victoriam consecuti sunt. 'M. Cornelium' vocat Appianus in Libyco p. 33. *H. Vales.* Sed vel ipse App. vel ejus librarii errarunt. Male etiam Κορνήλιον Γάϊον vocat Zonar. Ann. VIII. 10. Non modo enim reliqui scriptores, sed et marmora Capitolina, 'Cnæi' prænomen ei tribuunt. Præterea *classe Punica circumventus*, omissa præpositione, Voss. *a classe Punica per fraudem veluti in colloquium evocatus*, duabus vocibus neglectis, Boend. *in colloquiis evocatus* Lov. *in colloquium convocatus* Leid. Credidit librarius, per compendium scriptum fuisse *c̃vocatus.* Vide ad Livii XXII. 40. § 8.

Cn. Duilius consul] *C. Duilius* vet. lib. lapid. Cap. et reliqui. *Sigon.* Male hic a Zonara Ann. VIII. 10. et auctore de Vir. Illustr. c. 38. *Cn.* vocatur. *Delrius.* 'Caii' prænomen recte ei etiam tribuunt Leid. et Lov. Si autem verum est, quod Hearnius refert, Harduinum ad Plinii XXXIV. 11. censuisse e vett. monumentis *K.* vel *Cæsonem Duillium* reponendum esse, in iterata Plinii ed., qua sola usus sum, sententiam mutavit. Deinde *Duillius consul* Leid. *Duellius consul* Lov. *Duilius Cornelius consul* Voss. Sed recte *Duilius consul* Berg. et Boend. Præter illa quæ notavi ad Silii VI. 665. et Liv. II. 57. § 2. vide

Pighium in Annal. ad a. CDXCIII. p. 22. Hearnium ad Eutrop. II. 20. et Arntzen. ad Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 38.

Ei perpetuus honos habitus est, ut revertenti a cœna tibicines canerent, et funale præferretur] Vet. lib. *perpetuus quoque honos habitus est, ut revertenti a cœna, tibicine canente, funale præferretur.* Sic Valerius III. 6. ‘Ad funalem cereum, præeunte tibicine et fidicine, a cœna domum reverti solitus est.’ *Sigon.* Hæc verba significare possunt, ei decreto publico hunc honorem habitum fuisse. Sed id non ita est: nam ipse eum nemine prohibente sibi sumsit. Vide Cic. de Sen. c. 13. et Amm. Marc. apud Freinsh. ad Flori II. 2. § 10. Aurelius Vict. de Vir. Illustr. c. 38. itidem ambigue ‘Duilio concessum est.’ *Duk. Perpetuusque honos* Berg. a m. pr. *perpetuus quoque honos* a m. sec. Et ita etiam legunt Lov. et Hearnii N. Deinde *tibicines canerent, et funale præferretur,* ut ante Sigonium vulgo edebatur, Boend. Norvic. et Berg. *tibicines canentes proferrent* Voss. *tibicine canente funale præferretur* Leid. et Lov. Quod Sigonio placuit, quum alii, tum etiam Gronovii receperunt. At Clericus cum Freinshem. et Doujatio eam lectionem, quam expunxit, exprimi curavit.

L. Cornelius consul in Sardinia] Ex vet. lib. non vereor addere *et Corsica.* Nam in Verrii tabulis sic scribitur:

L. CORNELIVS. L. F. CN. N. SCIPIO. COS. AN. CDXCIV
DE. POENEIS. ET. SARDIN. CORSICA. V. ID. MART.

Et Zonaras Ann. VIII. 11. illum Valeriam Corsicæ urbem principem aliasque multas expugnasse testatur. *Delrius.* Voces *et Corsica,* quas, ab edd. vett. exsulantes, Delrius ex vet. lib. eruit, ignorant Boend. et Norvic. Contra easdem servant Leid. Voss. Berg. Lov. et Hearnii N. Recte itaque Gruter. eas in ult. ed. contextum recepit probantibus etiam Gronoviis: inprudenter vero Doujatius et Clericus, Freinshem. secuti, omiserunt. Præterea *Sardos et Corsicos* Leid.

Atilius Calatinus consul, quum in locum iniquum, a Pœnis circumsessum, temere duxisset exercitum] *Attilius* Leid. et Boend. cum plerisque edd. antiqq. *Actilius Callatinus* Berg. Sed recte in Marmoribus Capitolinis ATILIVS CALATINVS vocatur. Vide ad Livii V. 13. § 3. Tum *in locum a Pœnis circumsessum,* omisso *iniquum,* Exc. Pithœi. Insuper *a Pœnis in locum circumsessum* Berg. *in locum a Pœnis obsessum* Lov. *in locum iniquum a Pœnis circumseptum* Leid. Eadem ratione ‘obsessus’ et ‘obseptus’ permutari, vidimus ad IX. 43. § 8. Vide etiam Gebh. ad Liv. XXI. 38. § 8. Zonaras autem, hanc historiam narrans, Ann. VIII. 12. refert, Romanos incidisse *ἐς χωρία προλελοχισμένα, in loca insidiis præoccupata:* cui *circumseptum,* quam *circumsessum,* magis convenire videtur. Frontin. vero I. 5. § 15. et IV. 5. § 10. Romanorum exercitum in vallem demissum dixit, ‘cujus latera omniaque superiora hostis insederat.’ Insuper *exercitum duxisset* alio ordine Berg. Lov. et Boend. Ceterum omnia hæc verba, ut et sequentia usque ad *in se converterat,* sive usque ad finem periodi, desunt in Voss. et Hearnii N.

M. Calpurnii tribuni militum virtute et opera evasit] Hunc XXII. 60. ‘Calpurnium Flammam’ nominat Livius: eundem ‘Q. Cædicium’ Cato, alii ‘Laberium’ appellarunt: auctor Gellius III. 7. *Sigon. Μάρκος Καλπούρνιος* etiam vocatur Zonaræ Ann. VIII. 13. ‘M. Calpurnius Flamma’ Plinio XXII. 6. ‘Calpurnius Flamma’ Floro II. 2. § 13. secundum Frontin. locis laud. ‘Alii Laberium, nonnulli Q. Cæditium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum scripserunt.’

Cum trecentis militibus eruptione facta hostes in se converterat] *Cum quatringentis militibus* Boend. quot ipsi etiam tribuit Cato, teste Gellio III. 7. Sed reliqui constanter *trecentis* legunt, quibus adstipulantur alii scriptores, qui hujus historiæ meminerunt. Tum *hostem in se converterat* Berg. *hostes in se convertit* Boend. atque edd. ante Gruter. 1628. cujus lectionem *converterat* servant Leid. et Lov. Quamvis autem eamdem etiam Gronovii probarint, Clericus tamen, Freinshem. et Doujatii exemplo, *convertit* revocavit.

Atilius Regulus consul, victis navali prœlio Pœnis, in Africam trajecit] Hæc verba Gruterus in postrema ed. ad sequentem Epitomen retulit, et, resectis ejus verbis initialibus *Atilius Regulus consul in Africa*, cum sequentibus conjunxit, interponendo voculas *et ibi:* in quo quin codd. suos secutus fuerit, nullus dubito, quum similem ferme lectionem inveniam in Leid. Berg. et Lov. quemadmodum contra prioribus edd. consentiunt Voss. Boend. et Hearnii N. Priscam lectionem, quam, adstipulantibus Doujatio et Clerico, Freinshemius reduxit, servavi, non tantum ut ita conveniret inter Epitomen et Supplementa Freinshemii, verum etiam, quod eam lectionem veriorem esse judicem, et de diversis Atiliis Regulis consulibus in fine hujus et in initio sequentis Epitomes agi existimem: et quidem hic de C. Atilio Regulo Serrano, quem Fasti Capitol. ut et triumphales a. CDXCVI. consulem fuisse, et de Pœnis navalem triumphum egisse docent: ibi vero de M. Atilio Regulo, quem anno seq. CDXCVII. M. Cædicio consuli in magistratu mortuo subfectum esse, iidem Fasti Capit. testantur.

LIB. XVIII.

Atilius Regulus in Africa serpentem] Vet. lib. *Atilius Regulus consul in Africa.* Sigon. Ad finem Epitomes præced. dictum est, periodum istius Epit. finalem a Grutero in ed. postr. ad finem hujus trajectam esse, resectis quatuor prioribus hujus Epit. vocabulis, et interpositis duabus voculis *et ibi*, quibus periodum illam sequentibus ' serpentem portentosæ magnitudinis ' adnectebat. Grutero per omnia consentit Lov. nisi quod, pro *et ibi*, tantum legat *ibi*. At Leid. periodo ex priori Epitoma in hanc rejectæ subjicit nihilominus *Atilius Regulus in Africa serpentem.* Similiter etiam Berg. nisi quod alio ordine legat *Atilius Regulus serpentem portentuosæ magnitudinis in Africa.* Ex reliquis codd. qui vett. edd. adsentiuntur, vocem *consul*, a Sigonio additam, ignorant Voss. Boend. Exc. Pithœi, Norvic. et Hearnii N. Ex unico igitur Sigonii vet. lib. adsumtam expunxi. Utrum autem historia hæc acciderit, quo anno Regulus consul esset, an vero, quum, deposito consulatu, imperium ipsi prorogatum foret, incertum puto. ' Consulem ' tamen vocat Gellius VI. 3.

Serpentem portentosæ magnitudinis cum magna militum clade occidit] Hanc historiam a T. Livio curiose pariter ac facunde relatam scribit Valerius I. 8. ext. 19. Quam eamdem recitat etiam ex Ælio Tuberone Gellius VI. 3. *Sigon. Portentuosæ magnitudinis* Leid. Voss. Berg. Lov. Boend. et pleræque edd. antiqq. quomodo etiam in Mss. et edd. Suetonii legi, Burmann. testatur ad Sueton. Domit. cap. 4. Vide ad Livii XXXIX. 1. § 5. Deinde *maxima militum clade* Leid. Norvic. et edd. usque ad Gruterum, qui a. 1628. *magna* substituit, cui concinunt Voss. Berg. Lov. et Boend. quorum duo medii etiam alio ordine *magna clade militum.* Sæpius superlativum pro positivo gradu librarios in Livii Epitomis dedisse, videbimus ad Epit. l. LI. Et ipsum eti-

am Livium *multos milites*, non *plurimos*, dixisse, colligendum videtur ex Val. Max. loco a Sigonio laudato. Denique *cecidit* Leid. Vide ad Livii XXXVI. 36. § 6.

Quum aliquot præliis adversum Karthaginienses] Vet. lib. *Cum aliquot præliis bene adversus Carth.* Sigon. Ita et Leid. Voss. Berg. Lov. Boend. et Hearnii N. Passim *adversus* in Mss. Livii et Epitomarum legi, ubi editores ostentant *adversum*, videbimus ad Epit. l. XLVII.

Successorque a senatu] Membranæ *successorque ei a senatu* continent. *Delrius.* Eam lectionem, quam Gruterus a. 1628. in contextum recepit, firmavit etiam Leid. Voss. Berg. Lov. et Boend. Sed, in Norvic. perpetuo editionum adsecla, non reperiri, Hearne testatur.

Id ipsum per literas ad senatum missas questus est] *Ad senatum scriptas* Voss. Lov. et Hearnii N. *ad senatum missas scriptas*, recepta utraque lectione, Leid. *questus est* primus Gruterus a. 1628. recepit, quum antea *conquestus est* ederetur. Lectionem autem Gruteri probant Leid. Voss. Berg. Lov. et Boend. aliam solus Norvic. Melius itaque Gronovii aliique Gruterum secuti sunt, quam Freinsh. Doujat. et Clericus priorem scripturam revocarunt.

Inter caussas petendi successoris, quod agellus ejus a mercenariis devastaretur] Vet. lib. *a mercenariis desertus esset.* Sic Valer. IV. 4. ‘ Consulibus scripsit, villicum in agello, quem septem jugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, discessisse: ideoque petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, unde uxor et liberi sui alerentur.’ *Sigon. Inter caussas petendi successoris fuit* Lov. et Leid. *inter caussas successoris erat* Berg. et Boend. Et ita ediderunt Mogunt. Aldus, aliique, usque ad Gruter. qui a. 1628. voculam *erat*, quam principes edd. ignorarant, iterum expunxit. Præter Voss. codicem, eamdem lectionem Gronovii aliique retinuerunt. Contra τὸ *erat* restituerunt Freinsh. Doujat. et Clericus, quibus non adversor. Præterea *desertus esset* etiam Berg. Lov. et Boend. *esset desertus* Leid. Voss. Sed lectionem, quæ ante Sigon. vulgo circumferebatur, ostentat Norvic. Seneca Valerio concinit in Consol. ad Helv. c. 12. ‘ Atilius Regulus, quum Pœnos in Africa funderet, ad senatum scripsit, mercenarium suum discessisse, et ab eo desertum esse rus.’

Victus prælio et captus est] *Victus in prælio* edidit Aldus, et post eum reliqui, usque ad Gruterum; qui præpositionem, in nullo cod. obviam, omisit. *Victus et captus est* Leid. In verbis seqq. *deformaverunt*, pro *deformavere*, Voss. Berg. Lov. et Boend.

T. Coruncanus] *Ti. Coruncanius* vet. lib. Triumphi Capitolini, Polybius, Pomponius l. 2. § 35. et 38. D. de Origine Juris. *Sigon. T. Cornicanus* Boend. *T. Corinctianus* Berg. *T. Coruncanus* Excerpt. Pithœi, Norvic. et Hearnii N. *Tib. Corvicanus* Voss. *Tiberius Coruncanus* Lov. *Tib. Coruncarius* Leid. Post Sigonium, pontifici maximo verum nomen vindicantem, Freinsh. in Epit. Liv. edidisse miror *T. Coruncanus*, in supplem. Liv. hujus libri c. 47. *Tib. Coruncanus.* Præeuntem Freinsh. secuti sunt Doujatius et Clericus. Mox verbum *est* omisit Gronov. quod constanter et priores edd. et omnes scripti, etiam Norvic. servant.

M. Sempronius Sophus, Valerius Maximus censores] *P. Sempronius Sophus, M. Valerius Maximus censores* ex Capitol. lapidibus. *Sigon.* Olim edebatur *M. Sempr. Scopus, Val. Maxim. censores;* quomodo est in Boend. et Norvic. *M. Sempr. Scopus censores* in Voss. *M. Sempr. Val. Max., C. Sem-*

pronius Scopus censores in Berg. neque aliter in Lov. nisi quod *Scofus* legat, et vocem *censores* omittat. *M. Sempr. Val. Max., Cn. Sempr. Strophus censores* Leid. *M. Sempr. Val. Max., C. Sempronius Sceva* Hearnii N. Primus Froben. pro *Scopus*, an. 1531. recte restituit *Sophus*. Sed totum locum ad fidem marmorum Capitol. emendavit Sigonius, in cujus scholio per errorem librariorum exstat *M. Valerius*, quum optime in contextu *M'. Valerius* edi curarit. Vide etiam Pighium in Annal. ad an. DI. p. 44. Laudari igitur nequit, Freinshem. qui supplemento hujus libri c. 48. itidem marmorum illorum scripturam recepit, attamen in Epit. edidisse *P. Sempronius, M. Valerius Maximus censores*. Et nihilominus Freinshemium imitantur Doujatius et Clericus. Apud Valer. Max. II. 9. § 7. non *M. Valerius*, ut nunc in optimis circumfertur, sed *M'. Valerius et P. Sempronius*, ex iisdem marmoribus, ut Pighius monuit, emendandum est. Mox *senatum regerent*, pro *legerent*, Leid. et Lov. Sed ' regere ' et ' legere ' etiam alibi in Mss. commutantur; vide Nic. Heinsium ad Ovid. Fast. III. 462. Passim etiam literæ *L* et *R* confunduntur. Vide ad Livii XXVIII. 36. § 7. Præterea *XVI. senatu moverunt* Exc. Pithœi. Sed notam numeri quinarii librarii dissolverunt in *II.* Vide ad Livii XXXVII. 22. § 4. Reliqui codd. in vulgatum conspirant.

Capita CCCXVI. millia, CCXVII.] Vetus liber *CCXCVII. millia, DCCXCVII.* Recte: nam priore lustro (Epit. l. XVI.) ex Eutropii sententia censa sunt *CCXCII. millia*. Sigon. Veteri lib. Sigonii adsentiuntur Leid. et Lovel. at *CCCXVI. M. CCXCVII.* præfert Boenderm. *CCCXVII. CCXCVII.* Vossianus: *CCCXVII. millia, CCXVII.* Norvic. ac quædam ex antiqq. edd. *CCXVII. millia CCXCVII.* edd. Rom. 1472. et Parmen. *CCCXXVII. millia, CCXCVII.* Berg. Nescio vero, quæ correctiora voret exemplaria Pighius in Annal. ad annum DI. pag. 44. in quibus legi monet *CCXCVII.* &c. *CCXXVII.* Ita sane in nullo vel scripto vel excuso libro invenio. Voces autem *civium capita* desunt in Leid.

De pace, et, si eam minime impetraret, de captivis commutandis ageret] Vet. lib. *et, si eam non posset impetrare.* Sigon. Ita et Leid. Voss. Berg. Lov. et Boend. Solus Norvic. apud Hearnium veterem lectionem retinet. Præterea *de pace ageret* Voss. Berg. Boend. et Hearnii N. Insuper *de commutandis captivis* Berg. Lovel. et Boend.

Jurejurando adstrictus est, rediturum se Karthaginem] Vet. lib. *jurejurando adstrictus rediturum.* Sigon. Sigonius insuper edidit, mutata distinctione, et vocula una adsumta, *et jurejurando adstrictus rediturum se Carthaginem si commutari captivos non placuisset; utrumque negandi auctor senatui fuit:* quod placet, et omnium meorum codd. consensu firmatur. In contextum itaque recepi. Antea majori distinctione oratio post vocem *placuisset* intercidebatur.

Auctor senatui fuit: . . . reversus esset] *Auctor senatus fuit* Leid. *auctor ? sen. fuit* Boend. Deinde *reversus est* Voss.

LIB. XIX.

Speciosissimum triumphum egit] Ita quidem omnes edd. At nullus cod. iis concinit. Omnes enim, ut Leid. Voss. Berg. Lov. Boend. et Hearnii N. uno ore *speciosum triumphum.* Non diffiteor insolitum ac speciosum vere triumphum reddidisse tot elephantos ac duces hostium; Mstorum tamen consensus efficit, ut credam, idem hnic loco, quod multis aliis harum Epitomarum, evenisse; librarios loco

positivi superlativum subposuisse. Vide ad Epit. l. LI. Codicum itaque scripturam recepi.

Tredecim ducibus hostium et centum viginti elephantis in eo ductis] *XII. Ducibus* Hearnii N. Deinde *et CXXX. elephantis* Berg. ita tamen, ut ultimo numero denario nota adjiciatur, qua eum delendum esse librarius indicabat. Sed, de numero elephantorum, in Metelli triumpho ductorum, inter auctores non convenisse, pluribus docuerunt Pintian. ad Plinii VIII. 6. circa fin. et Pighius in Annal. ad a. DIII. p. 49.

Consul, contra auspicia profectus, jussis inmergi pullis, qui cibari nolebant] Hæc lectio primum in Heinsii ed. Elzevir. obvia fuit, quum septem annis antea Gruter. in ed. postr. dedisset *consul, contra ausp. prof., jussit immergi pullos, qui cib. nol.; inf., &c.* quo modo fere est in plerisque codd. nisi quod in paucis dissentiant: *conspectus* enim est loco τοῦ *profectus* in Voss. *prospectus* in Berg. Deinde *jussit mergi pullos* Leid. Vossian. Berg. Lovel. Boend. et Hearnii N. Et sane nescio quam vim hic habiturum sit verbum compositum. Cic. de Nat. Deor. II. 3. 'Quum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit.' 'Demergi' dixit Suet. in Tib. c. 2. Ante Grunerum edebatur vulgo, *consul, qui, contra ausp. prof., jussit immergi pullos, qui cib. nol., inf., &c.* quomodo solus legit Norv. apud Hearn. Hanc lectionem, communi consensu post Grunerum spretam, revocarunt Freinsh. Doujat. et Clericus. Mihi præcipue placet lectio, quam Exc. Pithœi præferunt, *consul, contra auspicia profectus, jussis mergi pullis, qui cibari nolebant, infeliciter, &c.* Eam igitur in contextum recepi.

Claudium Glauciam dixit, sortis ultimæ hominem] Et hic et apud Suetonium in Tiberio c. 2. legendum est *Claudium Gliciam* ex Capitolina hujus dictatura: apud Suetonium enim est 'Iliciam.' *Sigon.* Acta Apost. XXIII. 26. Κλαύδιος Λυσίας: ubi Pricæus: 'in Epitome lib. XIX. Livii fit mentio Claudii Glyciæ dictatoris: uter ex altero, an neuter emendandus locus, eruditi dispiciant.' Jejune satis. Neuter profecto ex altero emendandus. *J. F. Gron. Gliciam* post Sigonium in Suet. Tib. c. 2. Torrentius, et in Annal. ad a. IDIV. Pighius emendarunt. Salmas. ad Solin. p. 43. et 137. *Glyciam* legit, sed memoria, ni fallor, lapsus scribit, 'Ilicias' apud Sueton. pueri nomen esse. Nec Auctor Epit. Liv. tradit Gliciam scribam Claudii Pulchri fuisse, quod ad Suet. dicit Torrent. Obversabatur ei, puto, quod in Fastis legitur: M. CLAVDIVS. GLICIA. QVI. SCRIBA. FVERAT. quamquam ne inde quidem pro certo constat, Claudii Pulchri scribam fuisse. Ab hoc Glicia legem de inofficioso testamento latam fuisse, et ex ea querelam descendere, ex inscriptione l. 4. D. de Inoffic. Test. quæ 'ex libro singulari Gaii ad legem Glitiam' (ita ibi scribitur) sumta est, conjiciebat Cujac. Obs. II. 21. et XIV. 14. Hanc conjecturam alii doctissimi JCti apud Ottonem ad princ. Instit. de Inoffic. Test. impugnarunt. Nec sane valde verosimilis est. Etsi enim nusquam proditum scio, quod Pighius, Torrentius, et alii dicunt, Gliciam mox et confestim se magistratu abdicare coactum, tamen nequaquam credibile est, populum Romanum ultimæ sortis hominem et dedecus dictatoriæ majestatis per trinundinum in imperio potuisse adspicere. An ulla umquam lex Glitia in republica Romana fuerit, alia controversia est. Qui id negant, præter alia argumenta hoc quoque adferunt, quod nusquam alibi mentio illius fiat. Sed hoc non magnum pondus haberet, si ostendi posset, inscriptionem d. l. 4. genuinam esse. Nam multa sunt ἅπαξ λεγόμενα, non modo vocabula ac loquendi genera,

verum etiam hominum et locorum, immo legum ac SCtorum nomina. Itaque recte, qui ita sentiunt, faciunt, quod argumenta, quibus inscriptionem illam falsi convinci posse putant, conquirere adnituntur. Ubi autem A. Augustinus Cujacii sententiam sequutus fuerit, quod Heineccius et Otto tradunt, fateor me non scire. Nam in libro de Legib. non obscure significat, sibi inscriptionem illam suspectam esse; et de Nominib. Propr. Pandect. pag. 316. nihil aliud scribit, quam se 'de Lege Glitia nullam mentionem' (alibi scil. quam in Inscript. d. l. 4.) invenisse. *Duk. Glauciam dixit*, prima voce deficiente, Leid. et Lov. *C. L. Glomerium dixit* Boend. et Berg. *Cl. Glauciam* Hearnii N. *C. Clauciam* Exc. Pithœi. *C. Glauciam* Norvic. et vett. edd. *Clo. Glauciam* Voss.

Atilius Calatinus primus dictator] *A. Atilius Calanus* esse in Exc. Pithœi et N. Hearnius testatur. Horum codicum auctoritate, *A. Atilius Calatinus* legendum esse, suspicio nasci posset, partim quia ita vocatur in Fast. Capitol. partim quia litera *A.* qua prænomen indicatur, facile elidi potuit a prima vocis seq.; quod etiam in aliis prænominibus interdum accidisse, vidimus ad IV. 49. § 1. Ne tamen verum videatur, aut saltem ut inter incerta ponam, illud efficit, quod auctor Epit. sæpissime omittat prænomina. Mox *commutatio captivorum cum Pœnis*, in alium ordinem digestis vocibus, Berg. Boend. et Lov. quorum postremus etiam ignorat sequentem vocem *est*.

Coloniæ deductæ sunt Fregellæ, in agro Sallentino Brundusium] Vet. lib. *Fregenæ:* optime. Fregellæ enim colonia deductæ sunt a. CCCXXVII. in agro Volscorum, auctore Livio l. VIII. c. 22. Idem etiam Fregenarum meminit, maritimæ coloniæ, XXXVI. 3. 'Alsii' porro et 'Fregenarum' meminit Cato in fragmentis Originum, et Plinius III. 5. Eadem menda est apud Velleium l. I. c. 14. ubi ait: 'Postque XII. annos Æsculum et Alsium, Fregellæque post biennium, proximoque anno, Torquato Sempronioque consulibus, Brundusium.' Legendum est enim *Fregenæ*. Sigonius. *Tragellæ* Boend. *Fregellæ* Berg. Lov. et Norvic. *Fregennæ* Leid. *Fregenæ* Voss. et Hearnii N. quam veram lectionem esse, multis etiam docet Cluverius Ital. Ant. II. 2. p. 499. et seqq. Vide etiam Cellar. Geogr. Antiq. II. 9. p. 466. et quæ notantur ad Silii VIII. 477. Postea municipium factum esse, ex lapide apud Gudium p. CLXXXVI. num. 6. probavit Wesseling. ad Antonin. Itin. p. 301. In ed. Gruteri ultima male *Fregena* excusum est, quod deinde postea est servatum, nisi quod Freinsh. Doujat. et Cleric. vitiosiorem lectionem *Fregellæ* revocarint. Vide etiam ad XXXVI. 3. § 6. *In agro Sallentinovum* Oxon. N. pro quo Hearnius *Sallentinorum* legendum conjicit. Ceterum *Brundusium* deductum est anno proximo post Fregenas, et quidem 'Torquato Sempronioque consulibus,' teste Vell. I. 14. Inde dissentire videtur Zonar. qui Ann. VIII. 7. circa finem belli Tarentini Brundusium expugnatum, eoque coloniam missam scribit. Hinc Pighius conjicit in Annal. ad an. DIX. p. 60. bis eo colonos missos esse, semel quo tempore Zonar. voluit, iterum quo Vell. et auctor Epitom. Livii narrarunt. Potius tamen videtur, Zonaram per prolepsin rem non suo tempore narrasse, ad id allectum occasione expugnati Brundusii. Cluverius etiam Ital. Ant. IV. 13. p. 1246. laudat Συναγωγὴν Ἱστορίων, quæ Euseb. et Hieron. Chron. subjungitur, in qua p. 332. colonorum Brundusium deductio refertur ad a. IV. Olymp. CXXXII. At annus, quo Torquatus et Sempronius consules fuerunt, ex Dodwell. sententia simul currebat partim cum an. IV. Olymp. CXXXIII. partim cum an. I. Olymp. sequentis.

Censa sunt civium capita CCLI. mil-

lia, CCXXII.] Priore lustro censa sunt *CCXCVII. millia,* hoc autem *CCLI.* minore multo summa. Hic autem numerus, si probe habet, idcirco imminutus est, quia maxima pars, cum P. Claudius consul rem navali prœlio male gessisset, interiit. *Sigon.* Pighius in Annal. ad a. DVI. p. 54. de numero etiam dubitare videtur, et, nisi numerorum notæ in exemplaribus fallant, inminuti civium numeri damnum similiter referri posse existimat ad crebra naufragia et cladem, culpa P. Claudii consulis acceptam. Ceterum in numeris nonnihil variant codd. *Civium capita ducenta quadraginta unum millia, ducenta decem et septem* est in Leid. *civium capita CCXLI. millia, DCCXXII.* Vossian. *civium capita CCXLI. millia, CCXXII.* in Exc. Pithœi : *civium CCXLI. et CCXII.* in Hearnii N. *civium capita CCXLI. millia, CCXII.* in Lov. in contextu, sed numerus minor in margine emendatur *CCXVII.* Boend. et edd. in vulgatum conspirant.

Claudia, soror P. Claudii] Prænomen omisit ed. Paris. 1573. eamque secutæ sunt aliæ usque ad Gronovium, qui an. 1665. in locum restituit. Retinent id non tantum omnes edd. vett. sed etiam codd. scripti, nisi quod *Clodia soror Pulcri Clodii* legat Leid. et *Claudia soror Pulcri Claudii* Voss. 1.

A ludis divertens, quum turba premeretur, dixit] Vet. lib. *revertens.* Gellius x. 6. de hac eadem Claudia, a ludis exeunte. *Sigonius. A ludis revertens* Leid. ac Lov. *revertens a ludis* Berg. *a ludis devertens* Voss. *a ludis divertens* Boend. et Norvic. Sæpius literas *D* et *R* in membranis antiquis confundi, vidimus ad l. IX. c. 10. § 6. Præterea *premeretur, inquit* Boend.

Utinam frater meus viveret, iterumque classem duceret] Post hoc verbum [*duceret*] quædam sunt in vet. lib. quæ non habentur in excusis: *qua tanta multitudo iterum periret.* Delrius. *ut frater meus* Boend. *ut frater meus* Lovel. *ut* pro utinam usurpari, notissimum est. Hic tamen *τὸ ut* potius a compendio scribendi natum esse, ex Boend. scriptura colligendum videtur: *iterum classem* Leid. Vossian. Berg. et Lov. Quæ autem post verbum *duceret* in vet. lib. addita invenit Delrius, in nullo meorum exstant. Quamvis autem similiter addat Sueton. in Tiber. c. 2. ‘ quo minor turba Romæ foret :’ Gell. x. 6. ‘ atque istam multitudinem perditum eat, quæ me male nunc miseram convexavit :’ et Val. Max. VIII. 1. damn. 4. ‘ sæpiusque consul factus infelici ductu nimis magnam urbis frequentiam minueret :’ hic tamen potius a nasutiore librario verba illa addita videntur.

Ob eam caussam multata est] Vet. lib. *multa ei dicta est.* Sic loco citato Gellius, ‘ ob hæc mulieris verba tam improba ac tam incivilia C. Fundanius et Ti. Sempronius ædiles plebis multam dixerunt ei æris gravis XXV. millia.’ Id factum Fabio Licino, Otacilio Crasso consulibus. De eadem Sueton. in Tiberio c. 2. *Sigon.* Consentiunt Leid. Voss. et Berg. Sed *multa ei data est* Boend. Vide ad VII. 28. § 8. *Multa dicta est ei* Lov. Vulgatum tuetur Norvic.

A. Postumium consulem, quoniam idem] Rursus Liv. XXXVII. 51. et alii, qui laudantur ad Val. Max. I. 1. 2. *Dukerus. Aurelium Postumium* Leid. Voss. Lov. Boend. et Exc. Pithœi. Vide ad Epit. lib. LXXIV. *Aurelium Postumum* Berg. Vide ad Liv. II. 21. § 2. Deinde *quoniam et idem* Lov. Mox *quum ille* Norvic. et edd. ultima Grut. priores.

Rebus adversus Pœnos pluribus ducibus gestis] Vet. lib. *a pluribus ducibus prospere gestis.* Sigon. Ita et Berg. Lov. et Boend. *prospere pluribus ducibus gestis* Voss. *prospere pluribus gestis* Leid. et ita Freinsh. Doujat. et Cleric. ediderunt. Sed lectionem, quæ ante Sigonium exstitit, servat Norv.

Summam victoriæ C. Lutatius consul, victa ad Ægates insulas classe] *Summam victoriam* Voss. Berg. et Lov. Deinde *Lucatius* Lov. *Luctarius* Berg. et Boend. *Luctatius* Leid. Voss. Norvic. Hearnii N. et priscæ edd. Male. *Lutatius* enim vocari debet, quemadmodum edidit Sigonius, et vocatur in marmor. Capit. Vide Sigonium ad Livii XXI. 18. § 10. XXII. 14. § 13. XXXI. 19. § 7. Pighium in Annal. ad a. DXI. p. 63. et quæ notantur ad Silii Ital. VI. 687. Deinde *ad Egalites insulas* Boend. *ad Gadis insulas* Leid. *ad Ægades insulas* Norvic. et priscæ edd. Sed vulgatum probum est. Vide ad Silii Ital. I. 61. *Ad Ægates insulam* Sigonius. Male. Fuisse enim tres hujus nominis insulas, suis iterum nominibus distinctas, docuit Cluver. Sicil. Ant. II. 15. p. 419. Vide ad XXI. 10. § 7.

Finem bello inposuit] Tollenda sunt hæc [*finem bello*] ut superflua, ex vet. lib. auctoritate. *Delrius.* Eadem verba etiam desunt ab omnibus meis libris; quare recte Gruter. in postrema ed. Delrio dicto audiens fuit, eademque expunxit.

Ex incendio sacra rapuit] Palladium. Vide Lips. de Vesta c. 9. *Duk. Eripuit* Boend. utrumque probari potest, et utroque etiam auctores, qui hujus historiæ meminerunt, usi sunt. Val. Max. I. 4. 4. 'Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolume servavit.' Plin. VII. 43. 'Quum Palladium raperet ex æde Vestæ.' Senec. Exc. Contr. IV. 2. 'Metellus, dum Palladium rapit, oculos perdidit.' Oros. IV. 11. 'Metellus, dum arsuros Deos eripit, vix brachio semiustulatus aufugit.'

Duæ tribus adjectæ sunt, Velina et Exquilina] Turpis menda est in voce *Exquilina:* hæc enim tribus una fuit ex urbanis quatuor a Ser. Tullio rege factis, ut supra diximus. Itaque non *Exquilina,* sed *Quirina,* restituendum, Mss. præsertim libris ita admonentibus. *Sigon.* Gruchius de Comit. II. 1. pro *Exquilina* legendum censet *Sapinia.* Mihi non videtur recedendum esse a libris scriptis. *Duk. Vellina et Equilina* Berg. *Velina et Exquilina* Boend. et Norvic. *Velina et Aquilina* Voss. *Veriana et Quiriana* Leid. *Velina et Quirina* Lov.

Falisci quum rebellassent, sexto die perdomiti, in deditionem venerunt] Tota hæc periodus ad Epit. l. XX. refertur in Berg. Leid. et Lov. Ceterum *sexto die* omittit Boend. Deinde *domiti* Norvic. et priores excusi, pro quo Gruterus an. 1628. *perdomiti* edidit; quod in omnibus Mss. meis superest.

LIB. XX.

Spoletium colonia deducta] Vet. lib. *Spoletum.* Priscianus etiam ita dicendum esse contendit II. 592. *Sigon. Spoletium* est in Epit. Aur. Vict. c. 31. et Auctore Histor. Miscellæ in Æmiliano, qui locum Epit. Aur. Vict. descripsit. *Spolitium* habet Æthic. Cosmogr. pag. 36. Geographus Ravenn. IV. p. 37. Itinerarium Antonini, et Hierosolym. Qui negant *Spoletum* scribendum esse, præcipuum sententiæ suæ fundamentum in eo ponunt, quod Græci Σπολήτιον et Σπολίτιον scribunt. Sed hoc non tam firmum est, ut aliquantulum labefactari non possit. Nam iidem etiam alia, quæ apud Latinos in *um* exeunt, per ιον efferunt; ut *Metapontum,* Μεταπόντιον, *Mediolanum,* Μεδιολάνιον. Adde quæ ad Flori III. 21. § 27. dicta sunt. *Duk. Spoletum* Leid. Berg. Lovel. Boend. ac vett. edd. Primus Frob. 1531. dedit *Spoletium;* idque est in Voss. et Hearnii N. Hanc autem formam ei, quæ Sigonio placuit, præferunt Cluverius Ital. Ant. II. 7. p. 633. et Cellarius Geogr. Ant. II. 9. p. 474. Similis diversitas etiam est in Mss. Livii XXII. 9. § 1. At *Spoletium* etiam superest apud Livium XLV. 43.

Vide etiam ad XXVII. 10. § 8. Deinde *deducta est* Voss. Leid. Berg. Lov. Boend. Hearnii N. Norvic. et edd. usque ad Gruter. qui in postrema *τὸ est* ejecit. Mox *Ligurios* Voss. Hinc *tum primum* Lov. et Boend. Deinde *promotum*, omisso verbo *est*, Lov.

Tutia virgo Vestalis incesti damnata est] Vet. lib. *Tuccia*. Sic alibi Tucciæ gentis mentio. *Sigon. M. Tuccius* memoratur apud Liv. lib. XXXV. et quatuor sequentibus; et alius 'M. Tuccius' apud Cic. ad Famil. VIII. 8. 'Tuccia Vestalis,' quæ, incesti rea, auxilio Vestæ innocentiam probavit, apud Plinium XXVIII. 2. et Val. Max. VIII. 1. absol. 6. Hic tamen nullus meorum codd. eam lectionem firmat. Nam *Lucia* est in Leid. Voss. Berg. Boend. Hearnii N. et Exc. Pithœi. *Luceia* in Lov. unde *Lucceia* scribendum esse videri posset. Et quidem gens Lucceia Romæ nota exstitit: verum diu demum postea ejus mentio fit, neque, jam hoc tempore floruisse, aliunde probari potest. *Tucia* est in edd. Rom. 1472. et Parm. unde firmari posset sententia Merulæ, ita legendum conjicientis ad Ennii Fragm. pag. 177. quam tamen recte refellit Joh. Harduinus ad Plinii XXVIII. 2. *Titia* legisse videtur Pighius, hanc historiam memorans, in Annal. ad an. DXIX. p. 95. Romæ autem gentem 'Titiam' floruisse, docet 'atrium Titium,' memoratum Livio XXXIX. 44. Quin nec Tutii incogniti fuisse videntur. Certe 'Tutius Cerealis' obcurrit apud Plinium Ep. II. 11. et 'Tutia' apud Cic. ad Att. XVI. 2. Similiter libros scriptos variare in laudatis Val. Max. et Plinii locis, constat ex illis quæ viri docti ibi notarunt.

Bellum Illyriis, propter unum ex legatis, qui ad eos missi erant, occisum] Legatos duos missos scribit Polyb. II. 8. 'C. et L. Coruncanios:' ex iis alterum Teutæ reginæ jussu fuisse interfectum, qui liberius in eam invectus erat: *ὥστε ἀποστεῖλαί τινας, τὸν παῤῥασιασάμενον τῶν πρεσβέων ἀποκτεῖναι. Sigon. Illyricis* quidam codd. ut et edd. princ. pro quo Froben. a. 1535. *Illyriis* recte substituit, consentientibus Berg. et Lov. EX. ILLVRIEIS. per literam Latinam scribitur in Fast. Triumphal. ad a. DXXV. Inconsiderate igitur *Illyricis* revocarunt Freinshem. Doujat. et Cleric. At notum omnibus est, populos hujus regionis *Illyrios*, ipsam regionem *Illyricum* plerumque vocari. Vide N. Heinsium ad Claud. in Eutrop. II. 216. Cellar. Geogr. Ant. II. 8. p. 283. et Duker. ad Flori II. 5. § 1. Recte ergo *Illyrios*, pro *Illyricos*, exhibuit vet. cod. Ciacconii apud Melam II. 3. non longe a fine. Similiter fere variant codd. X. 2. § 4. XXI. 16. § 4. XXIII. 33. § 5. XXVI. 25. § 3. et Epit. l. XLVII. aliisque locis. De his legatis, quos plures quam duos fuisse existimat, vide Pighium in Ann. ad a. DXXIII. p. 107.

Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor] *Prætorius numerus* Voss. qui etiam ultimam vocem ignorat. Vide ad Epit. l. XV.

Qui in Italiam eruperant, cæsi sunt] Vet. lib. *irruperant*. Sigon. *Coruperant* Vossian. *irruperant* Leid. Lov. Boend. et Hearnii N. *venerant irruperant* Berg. Tum *interfecti et cæsi sunt* Leid.

Eo tempore populus Romanus sociorum Latinique nominis trecenta millia armatorum habuisse dicitur] Vet. lib. *ad trecenta millia*. Eadem summa colligitur etiam ex Polybii II. 24. qui, quot quique socii pedites, quot equites dederint, exponit. In summa tamen concipienda inest apud eum labes: inquit enim, omnem exercitum, tam Romanorum quam sociorum, fuisse pedites *ὑπὲρ πεντεκαίδεκα μυριάδας*, cum sit legendum *πεντήκοντα*: equites autem fuisse *ἑξακισχιλίους*, cum sit legendum *ἑξακισμυρίους* aperte ex verbis ejusdem. *Sigon. Et eo bello*

Leid. et Voss. Tum, pro *sociorum Latinique nominis*, quod fuerat in Norvic. et edd. prioribus, Gruterus 1628. *sui Latinique nominis* reposuit, quod firmant omnes scripti, quibus usus sum. Deinde *ad numerum trecentorum armatorum* Leid. *A. trecentum armatorum* Voss. *ad CCC. millia armatorum* Lov. in contextu: *ad CCCC. millia armatorum* in ejus margine. Insuper *habuisse dicit* Lov. idem. Vide ad Livii x. 10. § 1. Mox *tunc primum*, pro *tum*, Leid. Voss. Berg. et Boend. *tunc*, omissa voce sequenti, Hearnii N. Deinde *præliis fusis*, pro *fusi*, Voss. Vide ad Livii vi. 3. § 8. Vox *fusi* deest in plerisque edd. Sigonio antiquioribus. Tandem *venere*, pro *venerunt*, Berg.

Occiso Insubrium Gallorum duce Viridomaro] Lege *Virdumaro*. Sic enim Propertius iv. 10. 41. 'Virdomari genus hic Rheno jactabat ab ipso:' et in lapidib. Capit. M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS. COS. DE GALLEIS. INSVBRIBVS. ET. GERMANEIS. ISQVE. SPOLIA. OPIMA. RETVLIT DVCE. HOSTIVM. VIRDVMARO. AD CLASTIDIVM. INTERFECTO. *Sigonius. Duce Indicio Mario* Leid. *duce Viridomato* in multis edd. vett. *duce Viridomo* Berg. *duce Ventomaro* Lov. *duce Vertomaro* Vossian. Exc. Pithœi, et Hearnii N. quod proxime ad Sigonii *Virdomaro*, vel *Virdumaro* accedit. Virdomarus autem nomen Belgicum esse, et longe circumquaque dominantem significare, docet Pighius in Annal. ad an. DXXXI. p. 130. Attamen *Virdumarus* vel *Virdomarus* metri necessitate adactus Propertius dixisse potuit, litera elisa; quæ licentia poëtis permissa fuit. Ex lapid. autem Cap. nullum argumentum sumi potest. Illi enim laceri hoc loco tantum exhibent DVCE. HOSTIVM VIR : - : - : - : - : - : - : STIDI : - : - : - Vide tamen Broekhus. ad loc. laud. Propertii. Insuper *Gallorum Insubrium* Lov. *Insubrum Gallorum* Voss. *Gallorum Insubrio duce* Berg.

Iterum Illyrii quum rebellassent] De Illyriis priore bello triumphavit Cn. Fulvus Centumalus consul, ut est in Capit. triumphis. De iisdem hoc tempore L. Æmilius Paulus Polyb. auctore III. 19. Ejus belli initium intulit Tenta regina, hujus Demetrius Pharius rex. *Sigon.* Ita etiam legunt Leid. Berg. Hearnii N. et Norvic. Sed *Item Illyrii* legunt Lov. et Boend. quod Froben. 1531. recepit, et editores deinde constanter servarunt. Vide ad Epit. lib. XIV. Vox *Item* vel *Iterum* exsulat a Voss. Paullo ante *Histri* Leid. Voss. Berg. et Boend.

A censoribus conditum est, quo censa sunt civium capita CCLXX. millia, CCXIII.] *A cens. bis conditum; primo lustro censa sunt cap. CCLXX. millia, CCXIII.* Leid. *a cens. conditum bis: primo lustro censa sunt civium capita CCLXX. millia, alio CCXIII.* Berg. *a cens. conditum: primo lustro censa sunt civium capita CCLXX. millia, DCCXIII.* Voss. *a censoribus conditum: primo lustro censa sunt civ. cap. CCLXX., alio CCXIII.* Lov. *a cens. conditum bis: primo lustro censa sunt civ. cap. CCLXXM. alio CCXIIIM.* Boend. *a cens. conditum est: primo lustro censa sunt civ. cap. CCLXX. millia, CCXIII.* Exc. Pithœi: *ex quo censa sunt* primæ edd. et Norvic. Insuper et hic et illæ minorem numerum *CCXIII.* non agnoscunt. Vulgatum primum obvium fuit in edd. Sigonii, unde an. 1628. Gruterus adoptavit.

Quum antea dispersi fuissent] Vet. lib. *cum antea dispersi per omnes fuissent.* Sigonius. Hoc modo [*cum antea per omnes dispersi fuissent*] legitur in membranis. *Delrius.* Humillimos et omnem forensem turbam in quatuor urbanas tribus ante annos quasi CXXX. conjecerant censores Q. Fabius et P. Decius. Liv. IX. 46. Hoc nomine etiam libertinos comprehendi, recte tradunt Manutius, Sigonius,

Gruchius, et Pighius. Nam hos a Fabio 'tribubus emotos' auctor est Aur. Vict. cap. 32. Quomodo ergo nunc rursus per omnes tribus dispersi fuerunt. Probabilis est sententia Sigonii de Ant. Jure Civ. Rom. II. 14. hoc vel neglegentia vel temeritate censorum post Fabium ac Decium factum fuisse. *Duk.* *Dispersi omnes fuissent* Leid. Voss. Berg. Lov. et Hearnii N. *quum dispersi per omnes antea fuissent* Boend. *per omnes*, quod viri docti in codd. repererant, in Norvic. defuisse, auctor est Hearnius.

C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit] Pighius ad a. IↃXXXIII. auctiorem hunc locum profert ex Mss. *C. Flaminius censor viam Fluminiam ab Urbe Ariminum usque munivit.* Ariminum usque perductam fuisse hanc viam, cum aliunde, tum ex Strab. v. pagg. 217. et 227. ex Itinerario Antonini, et Tabula Peutinger. satis constat; non item, quando et a quo strata fuerit. Panvinius in Descr. Urb. Romæ, Sigonius ad h. l. Pighius l. d. aliique, ex Livio, Festo, Cassiodoro ostenderunt, eam L. Veturio, C. Lutatio coss. a. IↃXXXIII. a C. Flaminio, tum censore cum L. Æmilio Papo, et non ita multo post in prœlio ad Trasimenum, quum consul II. esset, occiso, munitam fuisse. At Strabo v. 217. ab hujus filio C. Flaminio, qui a. IↃLXVI. cum M. Æmilio Lepido consul fuit, post Ligures subactos stratam scribit. Livius quidem lib. XXXIX. c. 2. hunc domitis Liguribus viam a Bononia Arretium usque perduxisse auctor est: sed quum hæc plane alia sit ab ea Flaminia, quæ a Roma Ariminum usque ferebat, plerique Strabonem diversum a Livio et aliis prodidisse agnoscunt. Hanc diversitatem se alibi compositurum dicit Bergierius de Publ. et Milit. Imp. Rom. Viis I. 8. 7. nec tamen usquam quod sciam fecit. Pauvinius conjicit Flaminiam, a patre inchoatam, a filio perfectam, vel partem ejus a patre, partem a filio factam fuisse. Verum nomina et situs locorum, quæ in utraque via memorantur, ostendunt eas nihil commune habuisse; et Casaubonus ad Strabonem adnotat, eum viam a C. Flaminio F. munitam longe aliter describere, quam Livium. Cellarius Geogr. Ant. II. p. 596. se valde vereri scribit, ne Strabo censores prope cognomines a. IↃXXXIII. cum consulibus a. IↃLXVI. confuderit. Modeste significat, se suspicari, Strabonem similitudine nominum C. Flaminii, L. Æmilii censorum a. IↃXXXIII. et C. Flaminii, M. Æmilii consulum au. IↃLXVI. in errorem ductum, C. Flaminio filio tribuisse, quod C. Flaminio patri debuerat. Hoc mihi verum, vel certe vero proximum videtur. Nam quod vir clar. in libro de Tutela Viar. part. II. c. 4. in fin. Cellario reponit, 'non solum censores, verum etiam consules, vias munivisse,' satis ab re alienum est, nec quidquam ad Strabonem adversus suspicionem Cellarii defendendum facit. Hic enim non quærit, an consules quoque vias straverint, aut id in dubium vocat, sed tantum suspicionem de errore Strabonis movet. Eam qui vanam esse putat, vel Strabonis auctoritatem Livii aliorumque testimoniis potiorem esse, vel rationem eum cum his in concordiam redigendi ostendere debet: quorum neutrum in proclivi esse mihi persuadeo. *Duk.*

Circum Flaminium exstruxit] Locus, ut omnes sentiunt, mancus ita restitui debet: *C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit, et circum Flaminium exstruxit.* De via et circo, a C. Flaminio hoc anno censore factis, auctor est Cassiodorus in Chronic. et Festus. De lustro condito C. Flaminio et L. Æmilio censoribus Livius l. XXII. et XXIII. 23. ut de hac lectione omnino dubitandum non esse videatur. Cassiodorus ita: *L. Veturio, C. Lutatio consulibus, via Flaminia munita,*

et circus Flaminius factus est. Festus antem ita: *Flaminius circus et Flaminia via dicta est a Flaminio censore, qui interfectus est ad lacum Trasimenum.* Circus Flaminius quoque 'prata Flaminia' dictus. Livius III. 54. *Sigon.* Ante Sigonium edebatur *Suburranam, Collinam.* * *munivit.* Et ita est in Lov. nisi quod *Colloniam*, pro *Collinam*, et *muniit*, pro *munivit*, præferat. Insuper verbum *munivit* deerat in Boend. quod et in Norvic. atque Rom. principe ed. deesse Hearne auctor est: ejus loco *minuit*, trajectis literis, est in Voss. quomodo 'minuendus' et 'muniendus' etiam commutantur VI. 27. § 8. *Muniit* legunt Leid. et Berg. sed in illis vox *Collinam* deficit. Cetcrum Pighius in Annal. ad a. DXXXIII. p. 136. ex Mss. codd. se doctum dicit, quæ desiderantur in Epitoma Liviana, hoc modo fere corrigenda supplendaque: *C. Flaminius censor viam Flaminiam ab Urbe Ariminum usque munivit: et circum Flaminium exstruxit.* Utrum autem censoris filius consul viam ulterius Bononiam perduxerit, vidimus ad XXXIX. 2. § 6. *Et circum* non adparet in Voss. *struxit* autem legit Lov. Præterea *Suburbanam*, pro *Suburranam*, paullo antea legunt Leid. Voss. Berg. et Boend.

Coloniæ deductæ in agro de Gallis capto, Placentia et Cremona] Videntur huc vocabula sequentis Epitomes ad hanc revocanda: ut fuerit *Coloniæ deductæ in agro de Gallis capto, Placentia et Cremona in Italia.* Sic loquitur, quod alii essent Galli extra Italiam. Ut bellum Punicum secundum et in Italia, et in Hispania, et in Gallia, et in Sicilia simul ortum est. Vossianæ autem et Gud. membranæ harum Epitomarum *In Italia*, non *In Italiam*, et priscæ edd. *J. F. Gronov.* Edd. Gruteriana 1628. priores, legunt *deductæ sunt.* Verum illud *sunt* exsulat Leid. Vossian. Berg. Lov. Boend. Hearnii N. et Exc. Pithœi; ut non sine auctoritate codd. Gruterus expunxerit. Præterea *in agro de Gallis capto* primus recepit Froben. 1535. antea fuerat *in agro a Gallis capto*, quomodo etiam nunc præferunt Berg. Boend. et Norvic. neque multum abit Voss. nisi quod mendose *in agro a Gallis captæ* dederit. Sed id Froben. displicuisse videtur, quia ambigue dictum foret, et æque intelligi posset ager, quem Galli aliis, quam quem alii Gallis eripuissent. *In agro Gallico capto* legit Lov. *in agro Gallis capto* Leid. *in agro ex Gallis capto* Hearnii N. Et ita ipse Livius loquitur v. 20. 'Nefas ducerent, captam ex hostibus in ærario exhausto bellis pecuniam esse:' et paullo post, 'Quod quisque sua manu ex hoste captum domum retulerit:' et alibi. Quod autem ad verba priora seq. Epitomes, ex sententia Gronovii huc referenda, adtinet, interdum quidem librarios ita peccasse patet ex fine Epit. lib. XVII. et initio Epit. lib. XVIII. hic tamen constanter omnes codd. vulgatum servant; quare invitis membranis nihil muto, et verba *In Italia* aliter intelligenda existimo. Vide quæ ad Epit. sequentis initium dicentur.

LIB. XXI.

In Italia belli Punici secundi acta narrantur] Malim, ut alibi, *initia narrantur.* Sigon. Acta hujus belli totis decem libris narrantur, non hoc primo solum. Commodius ergo, quod erat in cod. Barberino *belli Punici secundi ortus.* Moguntiaci natum *In Italia.* Andreas, Tarv. duæ Ven. Ascensius *In Italiam.* J. F. Gron. *In Italiam bellum Punicum secundum narratur* Berg. *In Italia Punicum secundum actum narrat* Boend. *actum narrat* etiam Hearnii N. et Exc. Pithœi. *In Italiam belli Punici secundi actum narratur* Voss. *In Italiam belli Punici secundi ortum narratur* Leid. Quum *In Italiam* tantum non omnes codd. et vett. edd. servent, accedere equeo

Gronov. ad Epit. præc. duo priora vocabula hujus Epit. ad finem illius revocanda, et *in Italia* legendum esse censenti. Eadem causa etiam efficit, ne Crevier. adsentiri possim qui voces *In Italiam* resecandas esse censebat. *In Italiam belli Punici* est adversus Italiam, sive adversus Romanos eorumque socios in Italia. Liv. VI. 10. 'Bellum multiplex fuit eodem tempore et ad Veios, et ad Capenam, et ad Falerios, et in Volscos.' XXIII. 35. 'In Italiam quum post Cannensem pugnam segnius bellum esset.' XXVII. 5. 'In Siciliam terra marique sæpe magnis cladibus bellatum esset.' XXXI. 4. 'Qui ductu atque auspicio P. Scipionis in Africam bellum perfecissent.' Ita his locis varii codd. legunt. Quædam etiam vide ad Livii X. 19. § 3. Sigonii conjectura *initia narrantur* firmari posset ex Epit. Liv. l. CIX. 'Caussæ civilium armorum et initia referuntur.' Sed *ortus narratur*, quod sensu illi convenit, est in cod. qua auctoritate alterum destituitur.

Per Iberum amnem transitus] *Per Hiberum flumen* Leid. Berg. et Exc. Pith. Paullo ante *ducis Pœnorum* Boend.

Saguntum sociorum populi Romani civitas octavo mense capta est] Membranæ habent *civitas obsessa octavo mense capta est*. Delrius. Ita et Leid. Voss. Berg. et Hearnii N. quorum fide id recepi. Sed præterea male iidem codd. *Saguntini populi Romani civitas*. Sed *Saguntum populi Romani civitas* haud melius Boend. *Saguntus* habent edd. vetustiores; *Saguntum* ejus loco exhibuit Sigon. Hoc quidem unus, illud contra nullus meorum codd. firmat. *Saguntum* autem æque ac *Saguntus* non modo aliis veterum, sed etiam Livio, in usu fuisse, vidimus olim ad Siiii XVII. 329. Mox *bellum his indictum*, omisso *τῷ est*, idem Boend.

Superato Pyreneo saltu] *Pyrenæo*. Sic Græci Πυρηναῖος. *Sigon.* Τὸ *saltu* exsulat a Voss. Simpliciter 'Pyrenæus' est XXI. 24. Vide ad XXVI. 19. § 11. Sed 'saltum Pyrenæum' Livius memorat XXI. 23.

Fusis, qui obsistere conati erant, ad Alpes venit] Vet. lib. *fusis Volcis, qui*. Sic autem tradit de Volcis Livius cap. 26. *Sigonius*. *Volscis* operarum vitio legitur, pro *Volcis*, qui Galliæ populi sunt Cæsari B. Gall. VII. *Delrius*. *Fusis, qui ei obsistere* Boend. *fusis Vulscis, qui obsistere* Berg. et Hearnii N. *fusis Volcis, quibus obsistere* Leid. *fusis Volcis, qui obsistere* Voss. Tum *et ad Alpes* Voss. et Hearnii N. Mox *laborioso*, pro *et laborioso*, Leid. *per eos*, pro *per eas*, Berg.

Ad Ticinum amnem] *Ad Ticinum flumen* Leid. Voss. Berg. Hearnii N. et Exc. Pithœi. Vide paullo ante hac Epit. Mox *τὸ postea* deficit in Voss.

Iterumque exercitu Romano ad flumen Trebiam fuso] *Iterum exercitu Romanorum* Boend. *iterum exercitu Romano* Hearnii N.

Per maximam vexationem propter vim tempestatum transiit] Immo non transiit: nam frustra id primo tentavit. *F. Sanctius*. *Per magnam militum vexationem* Boend. et Hearnii N. *per magnam vexationem militum* Berg. Vide ad Liv. Epit. lib. LI. Tum *per vim tempestatum* Voss. Vide ad Livii Epit. l. LXXXIV. *propter vim frigoris et tempestatum* Boend.

Duce hostium Magone capto] Livius 'Annonem' vocat cap. 60. Et sic emenda in Zonara: qui 'Cnæus' et 'Anno' vocati fuere, mendose Γάϊος et Βαάννων nominantur Ann. VIII. 25. *Delrius*. *Hannone* ex Livii auctoritate scribendum, etiam conjicit Oudendorp. ad Frontini Strateg. II. 3. 1. Sed codd. nihil variant, nisi quod *Magno capto* sit in Leid. An non itaque potius referendum ad ipsius auctoris errores? præsertim quum similiter *Magonem* a Cn. Scipione captum referat Orosius IV. 13. ubi, ne scribarum error accusari queat, obstat, eumdem etiam commissum esse a

Frecnlpho in Chron. tom. I. lib. V. pag. 238. Paullo ante *in Hispaniam* Voss. et Berg. Vox autem *Pœnos* male exsulat a Leid.

LIB. XXII.

Venit in Etruriam] *Venit in Flaminiam* Boend. *in Hetruriam venit* Berg.

C. Flaminius consul, homo temerarius] *Cæsar Flaminius* Voss. Tum vox *homo* deficit in Boend. Mox *signis militaribus defossis*, pro *effossis*, perperam idem codex. Livius hoc libro c. 3. ‘Abi, nuncia, signum effodiant.’

Quæ tolli non poterant] Livius de hoc omine agens c. 3. *convelli* dicit, quod proprium in ea re verbum est, ut et ‘vellere.’ Virgil. Georg. IV. 188. ‘aut castris audebit vellere signa.’ Æn. XI. 19. ‘ubi primum vellere signa Adnuerint Superi.’ Vide ibi Serv. et Cerd. Gron. ad Liv. III. 54. et Modium ad c. 3. hujus lib. Tamen etiam ‘tolli’ dicuntur ‘signa.’ Infra c. 6. ‘Sublatis raptim signis.’ XXV. 33. ‘Signis repente sublatis Celtiberi abeunt.’ XXXII. 30. ‘Et signis sublatis aut domos redirent, aut ad Romanos transirent.’ *Dulc.*

Ab equo, quem conscenderat, per caput devolutus] *Quem consederat* Boend. et Berg. Tum *in caput devolutus* Boend. Mox *Transimenum lacum* Voss. Boend. Hearnii Norvic. et vett. edd. Vide hoc lib. c. 4. § 1. Voces autem *cum exercitu* omittuntur in Voss.

Sex millia, quæ eruperant, fide ab Maharbale data, perfidia Hannibalis vincta sunt] *Quæ ruperant* Voss. et Berg. ubi prima litera posterioris vocis a prioris ultima intercepta est. Vide ad II. 44. § 6. *Quæ eruperunt* Leid. *quæ supererant* Boend. Male. Livius c. 6. ‘Sex millia ferme primi agminis, per adversos hostes eruptione inpigre facta, ex saltu evasere.’ Deinde *fide a Maharbale data* Leid. *fide Heherbale data* Voss. *fide ab Herbale data* Berg. *fide ab Adherbalo data* Boend. *fide ab Attherbale data* Exc. Pithœi. Tum *victa sunt* Leid. *victi sunt* Boend. Vide ad XXX. 12. § 7.

Duæ matres, insperato receptis filiis] Vet. lib. *ex insperato*. Delrius. Similiter Leid. Voss. Berg. et Boend. Ita Livius locutus est V. 23. ‘Velut ex insperato immensum gaudium fuit.’ XLIV. 5. ‘Vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nactis locum.’ Vell. II. 112. ‘Ex insperato victoriam vindicaverunt.’ Ita ‘ex composito;’ vide ad I. 9. § 10. ‘ex inproviso;’ vide ad VI. 33. § 7. Tot itaque codicum auctoritate præpositionem in contextum recepi. Verum insuper *et duæ matres* Exc. Pithœi. Sed vocula *et* nata est ex ultimis literis dictionis præced. Vide ad XXXIX. 18. § 8. Mox *Ob hanc caussam et cladem* Boend. *Ob hanc caussam ac cladem* Voss.

Territum adversis prœliis militem pugnæ committeret] Uno consensu repudiant vocem *territum* Leid. Voss. Berg. Boend. Hearnii Norv. et priscæ edd. quæ tamen necessaria est, et ab Aldo jam recepta fuit. Deinde *adversis prœliis pugnam committeret* Leid. *adversis prœliis milites pugnæ committere* Voss. *milites* etiam Berg. *adversis prœliis militem pugnare permitteret* Boend. Mox *sed opponendo se tantum* Leid. *et opponendo se tantum* Voss. Berg. et Boend. Tum *inpedire*, pro *inpediret*, Voss.

Ut populi jussu ei imperium cum dictatore æquaretur] *Æquaretur ei cum dictatore imperium* Leid. Voss. Berg. et Boend. quorum consensum spernere non potui. In præcedentibus *timidum et segnem*, trajectis vocibus, Hearnii Norvic. et edd. antiqq. usque ad ultimam Grut. cui consentiunt codd. mei.

Quum in iniquo loco conflixisset, et in maximo discrimine legiones ejus essent] Vet. lib. *cum iniquo*. Sigon. Vet.

cod. *quum iniquo*. F. Sanctius. Ita et Voss. Leid. Berg. et Boend. Utroque modo scriptores locuti sunt. Utrum igitur eligatur, parum interest. Illud *in* vel natum esse potuit aut a præced. vocis litera ultima, aut a seq. syllaba prima, vel ab alterutra earum interceptum esse: *in iniquum locum* præferunt edd. Froben. 1535. priores. Ego, codd. secutus, præpositionem sustuli, quod et Crevier. fecisse video. Præterea *in magno discrimine* Leid. Voss. et Berg. Vide ad Epit. Liv. lib. L. et mox hac ipsa Epit.

Fabio Maximo, discrimine liberatus est] Voces *Maximo* et *est* desunt in Boend. Deinde *ex discrimine* legunt Norvic. Hearnii, et priscæ edd. Sed postrema demum Gruteri præpositionem omisit, quæ etiam a reliquis scriptis abest. Mox *castra cum eo conjunxit* Leid. et Berg.

Idemque milites facere commilitonibus jussit] Vet. libri non habent vocem *commilitonibus*. Sigonius. Vocem *commilitonibus* ex omnibus scriptis servat unus Hearnii Norvic. Omnes autem hæ voces omittuntur in Leid. Sigonius præterea edidit *facere milites*, consentientibus reliquis meis.

Vastata Campania, inter Casilinum oppidum et Callicolam montem] *Vastata Capua* Leid. Tum *inter Cassilinum* Leid. idem: *inter Cassilanum* Berg. *inter Pasilianum* Voss. *inter Passinianum* Boend. *inter Pasilinum* Exc. Pithœi. Deinde *Caliculam* Berg. *Callicolum* Voss. *Callicum* Boend.

Sarmentis ad cornua boum ligatis] *Alligatis* Leid. Berg. Boend. Hearnii Norvic. omnesque edd. usque ad ultimam Gruteri, in qua demum *ligatis* receptum est. Revocavi itaque priorem lectionem. Cic. in Verr. v. 28. 'Si, ut consuetudo est, universos ad palum adligasset.' Mox *in quo Callicola insidebat* Boend. *quod Gallicula insidebat* Voss. *quod Caliculam insedebat* Berg.

Idemque Fabii Maximi] *Idemque Q. Fabii Maximi* Voss. Leid. Berg. et Boend. Prænomen haustum fuerat a voce præced. Vide ad XXIV. 11. § 2. Mox *tamquam dictatorem*, pro *proditorem*, Berg.

Cum maxima clade adversus Hannibalem] *Cum magna clade* Leid. Voss. Berg. et Boend. Eamdem varietatem jam supra hac Epit. habuimus.

Senatoribus octoginta, consularibus atque prætoriis aut ædiliciis triginta] *Senatoribus XC.* Vossian. Berg. Boend. Exc. Pithœi, Hearnii Norvic. et edd. Aldo antiquiores. Nisi *octuaginta* servasset Leid. credidissem auctorem Epit. ut aliis bene multis locis, ita etiam hic, a Livio dissentire; Aldum vero, ut dissensum tolleret, *octoginta* substituisse. Nunc vero ob unius cod. auctoritatem ἐπέχω. Præterea *et consularibus* Leid. *M. consularibus aut prætoriis* Voss. *mille consularibus, prætoriis et ædilibus XXX.* Berg. et Boend. *consularibus et prætoriis* Exc. Pithœi. Paullo ante *cæsa eo prælio*, pro *cæsaque*, Boend.

Post quam cladem quum a nobilibus] *Post quam quum a nobilibus* Leid. Berg. et Exc. Pithœi; quasi vox *clades* ex præcedenti repetenda foret. *Post quæ quum a nobilibus* Voss. et Boend. quorum posterior etiam mox *iniret*, pro *iniretur*, præfert. Vide ad X. 10. § 1.

Qui postea Africanus nuncupatus est, stricto super capita deliberantium ferro] *Qui postea Africanus vocatus est* Leid. et Voss. *qui Africanus postea vocatus est* Berg. *qui Affricanus postea nominatus est* Boend. Tum *supra capita deliberantium* Voss. Vide ad XXIII. 36. § 6. *Super capita consultantium* Leid. et Berg. Mox *juravit, pro hoste se habiturum eum* Berg. et edd. principes: *juravit pro hoste eum se habiturum* Boend. Verba in eum ordinem, qui nunc obtinet, primus digessit Froben. a. 1535. Deinde *in verba non jurasset*, τῷ *sua* omisso, Boend.

Effecitque, ut omnes minime relictum iri a se Italiam] Vet. lib. *ut omnes non relictum iri.* Sigon. *Effecit, ut omnes* Leid. Deinde *non*, pro *minime*, etiam Leid. Berg. et Boend. Sæpe in his Epitomis pro *minime* in plerisque codd. *non* reperiri, notamus ad Epit. lib. XLIX. Præterea *relictum iri ab se Italiam* Boend. *relictura a se Italiam* Voss. *relicturos se Italiam* Berg.

Præterea trepidationem urbis] Verba *Propter paucitatem, &c. redemti non sunt* ante hæc transferuntur in Berg. Boend. et edd. antiqq. Insuper *trepidatio nunc urbis* perperam Boend. Mox *meliori eventu* Berg. et Boend. *prosperiore eventu* Leid.

Opimia et Floronia, Vestales virgines, incesti damnatæ] *Opinia* Leid. et Voss. *Oppimia* Berg. *Oppia* Hearnii Norvic. et edd. vett. Tum *Florentia* Leid. Voss. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et edd. principes. Verum *Opimia* et *Floronia* etiam apud Livium vocantur cap. 57. Deinde *damnatæ sunt* Leid. Voss. Berg. Boend. Hearnii Norvic. omnesque edd. usque ad ultimam Gruteri. Voculam igitur contextui reddidi.

Propter paucitatem vero militum servorum octo millia armata sunt] Hæc verba cum seqq. *captivi, &c. redemti non sunt*, quæ in quibusdam codd. loco mota esse modo dixi, omittuntur in Hearnii Norvic. at sola vox *vero* non adparet in Leid. Berg. et Boend. Mox *redemti sunt*, male omissa particula negandi, Voss.

Varroni obviam itum est] Τὸ *est* exsulat a Voss. Berg. et Boend.

LIB. XXIII.

Ad Hannibalem defecerunt] Ita edidi auctoritate Leid. Vossian. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Antea vulgatum fuit *defecere*.

Annulos aureos, a digitis occisorum Romanorum detractos, in vestibulo] Ms. *effudit*, quemadmodum T. Livius c. 12. *Delrius.* Ita et omnes, quibus usus sum, codd. quam lectionem ultima Gruteri ἔκδοσις recte recepit. Præterea *annulos aureos corporibus occisorum detractos* Leid. et Berg. *corporibus*, pro *a digitis*, etiam Boend. Voss. et Exc. Pith. quorum prior insuper *subtractos, et in vestibulo.*

Post quem nuncium Hanno, ex Pœnis nobilissimus, suadebat] *Hanno, vir ex Pœnis nobilibus* Leid. Berg. et Boend. *Hanno, ex Pœnis vir nobilibus* Exc. Pithœi. *Hanno, ex Pœnis vir nobilissimus* Norv. omnesque, quas vidi, edd. usque ad ultimam Gruteri, quæ vocem *vir*, nescio quo jure, ex contextu ejecit. Eamdem restitui, ubi eam inserendam esse plerique codd. suaserunt. Ita in Epit. Liv. lib. II. 'Ti. Atinius vir de plebe.' Præterea *Post quem nuncius Hanno a majoribus Pœnis* Voss. *Post quem quidem nuncium* Norvic. et edd. quibus usus sum, omnes ante ultimam Gruteri. Mox *peteret* Leid. et Berg. Neque aliter edidit Sigon. quasi hunc numerum requireret præcedens *senatus.* Livium tamen eam vocem conlective cum verbo plurali sæpissime construxisse, vidimus ad IV. 58. § 4. Id autem ex Livii lectione etiam auctori Epit. adhæsit.

Nec tenuit, obstrepente Barcina factione] *Nec obtinuit* Voss. quod ex glossa esse videtur. Vide hoc lib. ad c. 20. § 10. Tum *strepente Brachina factione* Leid. *obstrepente barbaria factione* Voss. *obstrepente Branchina familia* Boend. *Barcinæ factionis* meminit Liv. lib. XXI. capp. 2. et 9. XXIII. 12. et alibi. Sed et 'Barcinam familiam' memorat XXIII. 13.

Claudius Marcellus prætor ad Nolam] In vet. lib. etiam prænomen continetur. *Delrius.* Prænomen ipsi erat *Marcus*, quod mihi in nullo cod. obvium fuit. Raro etiam auctor Epit. prænomina usurpat. Sed *C. Lucius Marcellus* legunt Leid. Voss. et Berg.

quod ex compendio *Cl.* pro *Claudius*, natum est. Vox *prætor* deficit in Leid.

Exercitus Hannibalis, &c. enervaretur] Tota hæc periodus ad finem Epitomes rejicitur in Voss. Leid. Berg. Boend. Norv. et priscis edd. In Aldina demum hoc loco positam vidi. Præterea vocem *Capuæ* ignorant Leid. Voss. Berg. et Boend. qui etiam legunt *corporis animique viribus enervaretur.*

Item mures essent; et nucibus, per Vulturnum amnem a Romanis missis, vixerint] *Et mures inclusi essent: nucibus, &c. a Roma missis vixerunt* Voss. et Leid. *et mures ederent, et, cum fame inclusi essent, nucibus, per Vulturnum a Romanis missis, vixerunt* Berg. et Boend. *vixerunt* etiam Norv. et edd. ante Moguntinam. Paullo ante *ita a fame vexatum est* Voss.

Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem] *Ex equestris ordinis hominibus* Boend. Vox *ordine* deficit in Voss. et Leid. *hominibus CXLVII.* legit Berg. Sed Livius, *centum septuaginta septem* in senatum lectos esse, narrat cap. 23. Mox sequens periodus *L. Postumius, &c. cæsus est* exsulat a Leid.

Ne recederent inde] *Ne decederent* Leid. et Exc. Pithœi. Verba hæc interdum commutari a librariis, vidimus XXXV. 10. § 2. Et hic quidem ea lectio præferenda videtur, quod 'decedere' de militibus ex præsidio vel provincia abeuntibus sollemne sit. Eamdem etiam probavit Crevier. Tὸ *inde* non adparet in Leid.

Finito bello. Inter Philippum Macedonum regem] *Macedoniæ regem* Berg. et Boend. Ceterum in ultima hujus Epitomes parte ordinem plane mutant Berg. Boend. Norvic. et edd. antiqq. Hac enim serie periodi finales exhibentur: *finito bello. Sempronius Gracchus consul Campanos cecidit. Claudius Marcellus prætor, &c. spem belli dedit. Inter Philippum Mac. &c. juncta est. Præterea in Sardinia, &c. et Mago et Hanno capti:* quibus deinde ultimo loco subjungitur periodus, cujus supra mentio facta est, *Exercitus Hannibalis, &c. enervaretur.* Omnia vero in ordinem, qui nunc obtinet, primus Aldus digessit.

In Sardiniu feliciter a T. Manlio prætore adversus Pœnos Sardosque res gestas] *In Hispaniam feliciter* Boend. *in Hispania pugnatum feliciter* Berg. *in Hispania feliciter* Leid. Vossian. Norv. et antiqq. edd. usque ad Ascens. qui a. 1513. *in Sardinia* substituit. Præterea *a P. et Manlio prætoribus adversus Pœnos res gestas* Berg. Voss. Leid. Boend. Norv. et edd. Aldo priores: *a P. et Manlio prætore* Exc. Pithœi. Paullo ante vocem *consul* ignorat Leid. *occidit* vero, pro *cecidit*, præfert Berg. Solent librarii voces illas in his Epitomis confundere. Vide ad libb. v. XVIII. LXXV. XCI. XCIV. XCVI. CVIII. et alibi. Adde quæ notantur ad Livii XXXVI. 36. § 6.

A quo Hasdrubal dux, et Mago, et Hanno capti] *De quibus* Voss. et Berg. *a quibus* Berg. Boend. Norv. Exc. Pithœi, et edd. antiqq. Tum *capti sunt* Leid. *Hasdrubal, Mago et Hanno capti* legit Berg.

Claudius Marcellus prætor] *C. L. Marcellus* Berg. *C. Lucius Marcellus* Voss. Vide ad hanc Epit. Ceterum, ut recte etiam observavit Crevier. quæ hic a Livio referuntur, non a Claudio Marcello prætore, sed ab eodem consule gesta sunt. Consulem enim creatum refert Liv. hoc lib. c. 31. at victoriam de Hannibale reportasse c. 44. et seqq.

Primusque tot cladibus, &c.] *Primusque omnium tot cladibus* Norv. et edd. usque ad Gruter. qui vocem *omnium*, in nullo cod. obviam, in ultima ed. omisit. Vide ad Epit. l. XLVIII.

LIB. XXIV.

Cujus avus amicus populo Romano

fuerat] De hac locutione ago ad XXXIX. 47. § 11. Interim tamen *populi Romani* Leid. Voss. Berg. et vetustissimæ edd. Ambigue *po. Ro.* est in Boend. et Mediol. a. 1505. *populo Romano* demum Ascensius. Sed veterem lectionem revocavi. Præterea *cujus pater* quatuor mei, cum Norv. Exc. Pithœi. et edd. antiqq. pro quo Aldus ex fide historica substituit *avus*. Mox *per crudelitatem*, pro *propter*, Boend. Vide ad Epit. Liv. lib. LXXXIV. Insuper idem cod. omittit *τὸ est*.

Adversus Pœnos et Hannonem ducem] *Adversus Hannonem ducem* Leid. *adversus Pœnos et Hannibalem ducem* edd. ante Aldum: *adversus Pœnos et Annibalem ducem Pœnorum* Boend. qui idem etiam paullo ante scribit *pro cons.* id est *pro consule*, ut edidit Sigonius. In sequentibus etiam habet *servorum maxima opera*, pro *maxime*. Male. Vide ad V. 40. § 5.

Claudius Marcellus consul] Prius nomen olim per compendium *Cl.* scriptum fuerat, ut solet; hinc alii, disjunctis literis, fecere *C. L. Marcellus*, alii *C. Lucius Marcellus*: prius inveni in Berg. posterius in Vossian. Sed vide ad Epit. Liv. l. XXIII. Mox *pene tota*, pro *prope*, exhibet Boend. Vide ad XXI. 58. § 3.

Nocturno prœlio . . . in Macedoniam . . . perfugit] *Nocturno bello* Leid. et Berg. Vide ad III. 61. § 2. Tum præpositio *in* deest in Leid. et Berg. eadem cum proxima voce in Voss. Præterea *profugit* Voss. Berg. Boend. Norvic. omnesque edd. usque ad Lugdun. quæ a. 1553. *perfugit* substituit; quod Paris. 1573. et hinc reliquæ recentiores receperunt. Vide ad XXXVII. 57. § 2.

Valerius prætor missus] Sequitur auctorem suum. Nam et Livius c. 40. 'prætorem' vocat, qui tum imperio prorogato 'proprætor' erat c. 10. Vide ad XXIII. 40. *Duk. Missus est* Voss. Berg. Boend. Norv. omnesque edd. usque ad ultimam Gruteri: id vero loco pristino restitui.

Syphax, rex Numidarum, in amicitiam adscitus] *Continet: a quibus Syphax* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi. Deinde *rex Numidiæ* Vossian. Berg. et Boend. Vide ad Epit. Liv. l. XLVI. Paullo ante præpositio *a* deerat in Boend. Vide ad VI. 11. § 4.

Contra Massanisam regem Masæsulorum pro Karthaginiensibus pugnans victus] Sincera lectio et sententia hujus loci eruitur partim ex ipso Livio, partim ex veteribus Epitomæ libris, in quibus ita est: *et a Massanisa rege Massyliorum pro Carthaginiensibus pugnante victus*. Sigon. Priscarum edd. lectionem apud Hearnium servat Norv. cui nullus meorum adsentitur. *Quia contra Massinissam regem Massiliorum pro Carth. pugnavit victus* Leid. *quia Maxinissam regem Massiliorum pro Carth. pugnantem victus* Vossian. *quia Masinissa Maxiliorum rege pro Carth. pugnavit victus* Berg. *qui a Maxinissa Massiliorum rege pro Carth. pugnante victus* Boend. Lectionem Sigonii probo: nisi quod scribendum putem *Masinissa*. Vide hoc lib. c. 49. § 1. Qui autem ex emendatione Sigonii *Massylii*, a Livio *Massyli* vocantur c. 48. Vide quæ ibi notantur ad § 2.

In Maurusios cum maxima manu transit] Ita Gronov. a. 1665. primus edidit; quum antea pro primis duabus vocibus legeretur *in Hispaniam ad Scipionem*, quod servant Leid. Vossian. Berg. Boend. et Norv. Crevier. incertum putans, quis primus mutaverit, emendationem desumtam docet ex Liv. c. 49. Suspicatur tamen, gravius mendum latere, et aliquot verba intercidisse. Deinde *cum manu transiit* Leid. *cum magna manu transiit* Voss. et Berg. *cum magna manu transiens* Boend. Vide ad Epit. Liv. l. LI. 'Ingentes copias' dixit Liv. loco laud. *magnas* itaque revocavi.

Præterea *transiit* etiam Norv. et priscæ edd. pro quo Mogunt. substituerunt *transit*. Vide ad Epit. Liv. l. CIII. Mox *Africa ab Hispania dirimitur* Leid.

Quorum auxiliis accitis] Æque bene vet. lib. *ascitis*. Delrius. Ita et omnes mei, atque Exc. Pith. Sed præterea *auspiciis*, pro *auxiliis*, Berg. et eadem Exc. Pithœi. Etiam in præcedentibus *recepti sunt*, addita ultima voce, Voss. Berg. et omnes edd. usque ad ultimam Gruteri, quæ τὸ *sunt* omisit; quod restitui. Ceterum ultima hæc pericopa deest in Leid. Boend. et Norvic. At in Berg. et priscis edd. inseritur post verba *Valerius prætor missus est;* quem ordinem primus Aldus inmutasse videtur, ut Epitomes auctor ordinem Livii sequeretur.

LIB. XXV.

P. Cornelius Scipio, &c. ante annos ædilis factus est] Prænomen *P.* deest in Vossian. Berg. Boend. et Norvic. Ejus loco *L.* præferre ed. Aler. principem, testis est Hearnius. Deinde *ante legitimos annos* edd. fere pleræque ante ultimam Gruteri. Sed vocem *legitimos* nulli meorum codd. agnoscunt. Eamdem tamen vindicare videtur Livius, qui *nondum ad petendum legitimam ætatem* memorat hoc lib. c. 2. ut etiam Crevier. observat. Præterea τὸ *est* exsulat a Voss. Berg. et Boend.

Urbem Tarentum, præter arcem, per Tarentinos juvenes] In vet. lib. est *præter arcem, in quam præsidium Romanorum fugerat, per Tarentinos, &c.* Sigon. Ita et Leid. Verum ex vocibus additis duas priores *in quam* servant etiam Voss. Berg. et Boend. reliquas post vocem *simuluverant* addiderunt. Sigonium itaque sequor, ac quinque voces contextui addidi. Præterea *urbem Tarentinorum* Voss. Livius hoc lib. c. 1. 'Spe per proditionem urbis Tarentinorum potiundæ.' Deinde *simulabant*, pro *simulaverant*, Leid. Voss. Berg. et Boend. Hinc *petit*, pro *cepit*, Voss. et Berg. *potitus* Boend. *proditione cepit* Leid.

Ex Marcii carminibus] *Marci* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi: *ex Martiis curminibus* Boend. Norv. et edd. usque ad Vascos. 'Carmina Marciana' et 'Marcii carmina' vocat Livius cap. 12. Mox *a Q. Fulvio, Ap. Claudio* sine copula media Voss. *et a P. Claudio* Berg. Boend. Norvic. et edd. vett. frequenti lapsu.

In insidias ductus, a Magone interemtus est] Vet. lib. *deductus*. Sigon. Ita et Leid. ac Berg. Hinc *interfectus est* Leid. Voss. Berg. et Boend. Vide ad Epit. Liv. l. LXXIII. Mox *petiisset*, pro *petisset*, Leid. Berg. et edd. Rom. 1472. ac Parm. *petivisset* Boend.

Conflixit acie cum Hannibale, qui cum exercitu eum cecidit] Vet. lib. *conflixit cum Annibale, et cum ex. cæsus est*. Sigonius. Ita et omnes mei, nisi quod tamen nullus eorum τὸ *acie* omittat. Paullo ante *octo millibus militum acceptis, dux factus* Leid. *octo millibus militum acceptis, dux militum factus* Berg.

In quo prælio hominum sexdecim millia ceciderunt] *XX. millia hominum ceciderunt* Voss. Boend. et Norv. *XX. millia hominum occiderunt* Leid. et Berg. *hominum viginti millia ceciderunt* edd. vett. pro quo *sexdecim millia* Aldus substituit, quia etiam Livius hunc numerum prodit c. 21.

Capua obsessa est a Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus] Hæc verba exsulant a Norvic. et ed. Aler. principe, teste Hearnio, quæ in Boend. et nonnullis aliis edd. vett. præcedenti periodo *Cn. Fulvius, &c.* præponuntur. Τὸ *est* non adparet in Leid. et Boend. neque præpositio *a* in Voss. Mox voces *et ingentem se virum gessit* omittuntur in Leid. solum pronomen *se* in Voss. et Berg. Præterea *in tumultu captæ urbis* Berg. *et in eo tumul-*

tu captæ urbis Boend. *Tà urbis captæ* neglexit scriba Leid.

Anno octavo, quam in Hispaniam iverant] Qui *anno octavo?* an non Cn. Scipio anno septimo, Livio auctore c. 36. postquam in Hispaniam venerat, undetrigesimo die a morte fratris interfectus est? an non idem diutius quam P. Scipio Hispaniæ præfuit? an non uterque, cum in Hispaniam a. DXXXII. missi forent, an. post D. et XXXIIX. cæsus fuit? Malim igitur *anno sexto* legere; cum in hoc loquendi genere ne primus quidem annus numerari soleat: et apud Livium pro *septem* legendum *sex* quibusdam non injuria videatur. *Delrius.* Vide ad c. 36. § 14. *Quando in Hispaniam* Boend. Sed *quam* est 'postquam.' Vide ad VI. 29. § 10. Tum *iverunt* Leid. et Berg. *ierant* Voss. et Boend. *ierunt* Exc. Pithœi. Paullo ante *tantarumque* non est in Leid. Voss. Berg. et Boend. Hinc *triste exitium*, pro *tristem exitum*, præfert Voss. Vide ad v. 27. § 10.

Amissaque provinciæ possessio foret, nisi L. Marcii] *Ejus provinciæ* Leid. Voss. Berg. Boend. Norv. omnesque edd. ante ultimam Gruteri. Voculam igitur revocavi. Deinde *ni L. Marcii* Boend. qui et mox *equitum*, pro *exercituum*, male præfert.

Ad triginta septem millia cæsa ex mille octingentis: præda ingens capta] Emenda ex veteribus libris et ipsomet Livio *ad mille octingentos triginta capti: præda ingens parta.* Sigon. *Ad viginti septem millia*, vel *ad XXVII^m.* Leid. Voss. Berg. Boend. et edd. ante Aldum, qui *ad triginta* reposuit, et locum asterisco notavit. Pro *cæsa* Gronov. 1665. edidit *cæsi;* quod, ut elegantius et magis ad Livii gustum, probat Crevier. quamvis se ignorare fateatur, quis mutaverit. Sed, quum omnes scripti et priores editi alterum servent, id etiam revocandum judicavi. In reliquis verbis plerique codd. mei, et quos Hearne adhibuit, lectionem, quæ ante Sigonium exstitit, servant; nisi quod Leid. præferat *et quatuor millia trecentos viginti captos: præda ingens capta.*

LIB. XXVI.

Ad tertium ab urbe Roma lapidem] *Ad tertium lapidem ab urbe Roma* Leid. Vossian. et Berg. *ab urbe Romana* Boend. et ita edidit Sigon. Vide ad Epit. l. XLIX. Mox *super amnem*, pro *Anienem*, Voss. et Berg.

Ipse vero cum duobus] Vox secunda exsulat a Leid. Voss. Berg. Boend. et Exc. Pithœi.

Usque ad ipsam Capenam portam, ut urbis situm exploraret, obequitavit] Forte id factum fuit, et affirmat Val. Max. III. 7. 10. 'Capenam portam armis Annibale pulsante.' Vix tamen credibile est, Pœnum præter castra Fulvii et Æsquilinam portam pergere potuisse ad Capenam; nec id Livius concedit; adeo ut, si epitomator quoque innnere voluerit, eum ab Aniene versus Romam propius accessisse, haud dubie etiam scripserit Collinam portam, ut Liv. c. 10. cum quo facit Plinius XV. 20. 'Portæ Colliuæ adequitans ipse Hannibal.' Et Servius ad Æn. VIII. 110. 'Hannibal nunciatus est circa portam Collinam urbi ingruere.' Sed et statim *per biduum* vult Livius c. 11. non *triduum.* Jac. Periz. Vide quæ notet Perizon. in Animadv. Hist. c. 9. p. 379. Vocem *ipsam*, quam ignorat Norv. Hearnii, et Gruterus demum in ed. ult. addidit, servant omnes codd. mei, et ed. Rom. a. 1472. Tum *situm urbis* Leid. Voss. Berg. et Boend. Verbum autem 'obequitare' in hac re etiam usus est Liv. c. 10. Verum id ibi ratio orationis requirit: hic, si libri addicerent, mallem *adequitavit*, quod Plinius adhibuit. Vide ad I. 14. § 7.

Nam quum in castra rediissent] *Redissent* ed. Mediol. 1480. *redisset* Voss.

rediisset Berg. Vulgatum defendunt dicta ad III. 28. § 2. Particulam *nam* minime hic convenire, notat Crevier. nisi forte aliquid ante eam intercidit, quale reperimus apud ipsum Liv. c. 11. 'In religionem ea res apud Pœnos versa est. Nam,' &c. Ceterum mox idem loco *τοῦ consulibus* scribendum conjicit *proconsulibus*, et inferius *Q. Fulvius proconsul*, vel *proconsule*.

Principes Campanorum veneno sibi consciverunt mortem] Addita voce *Aliquot principes* Leid. *Principes Campani* Norvic. et edd. quas vidi, ante ultimam Gruteri, cui *Campanorum* legenti consentiunt reliqui codd. Vide ad XXV. 11. § 12. Vox *veneno* deest in Voss. *mortem* in Berg. at vocibus transpositis *mortem consciverunt* est in Voss. Leid. et Boend.

Ut securi feriretur] *Ferirentur* Leid. Ipsum Livium ita sæpissime locutum esse, vidimus ad IV. 58. § 4. In Epit. autem l. XXXI. *senatus censuissent* unus codex præfert.

Literas a senatu missas] Literas Fulvius accepit, non a senatu, sed C. Calpurnio prætore; cum quibus etiam senatusconsultum mittebatur. Num igitur legendum *a prætore missas?* Delrius.

Quum in comitiis apud populum quæreretur] *Quum comitiis*, omissa præpositione, Leid. Voss. et Berg. Vide ad XXXI. 7. § 1. Tum *quæreretur apud populum* alio ordine Berg. Mox *Hispanorum imperium* Voss. et Boend.

P. Scipio, P. filius, qui in Hispania ceciderat] Omnium horum verborum loco *Cecilius* est in Voss. Duæ priores voces desunt in Leid. reliqua ita legit: *P. filius ejus, qui in Hispania occiderat.* Sed *P. Scipio, filius ejus, qui, &c.* Berg. Mox voces *uno die* exsulant a Leid. Voss. Berg. Boend. et Exc. Pithœi.

Quum ageret vigesimum quartum annum, videreturque divina stirpe creatus] *Quum ageret XXIV. annos* Berg. *quum haberet annos XXIV.* Leid. Voss. et Boend. *quum haberet annos XXIII.* Exc. Pithœi. Deinde *creatus* non adparet in Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi: ejus loco *genitus* est in Boend. An *videreturque divinæ stirpis?* Mox *quia*, pro *quoniam*, Leid. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Sed tota vox omittitur in Voss.

Anguis sæpe numero videbatur] *Sæpe videbatur* Leid. Voss. Berg. et Boend. *sæpe numero visus erat* Norv. *sæpe numero visus est* omnes edd. usque ad ultimam Gruteri: *videbatur* hic parum adcurate dictum esse, judicat Crevier.

Adversum Acarnanas et Philippum Macedoniæ regem] *Acarnanos* Leid. *Cannas* Voss. *adversus Acarnanas* Berg. *adversus Acarnanes* Boend. et edd. Moguntina antiquiores. Vide ad Epit. l. XLVII. Quatuor ultimæ voces desunt in Leid. *Macedonum regem* habent Norvic. et omnes edd. et usque ad postremam Gruteri.

LIB. XXVII.

Cn. Fulvius proconsul] Eutropius ait III. 14. 'Annibal in Italia Cn. Fulvium consulem subito aggressus, cum octo millibus hominum cepit.' Quo loco aut est reponendum *Cn. Fulvium proconsulem;* aut *consul* sumitur pro 'proconsule,' quemadmodum nonnumquam *prætor* pro 'proprætore.' *Delrius.* Prænomen omittitur in Boend. *Gaius Nerinus Fulvius* perperam legit Voss.

Cum exercitu ab Hannibale cæsus est] Vet. lib. *cæsus ad Herdoneam est.* Recte: ita enim quoque Livius. *Sigon.* Tà *cum exercitu* desunt in Leid. qui præterea *ab Hannibale ad Aceroneam cæsus est* præfert: *ab Hannibale ad Ieroneam cæsus est* Voss. et Boend. *ab Hannibale ad Hieroneam cæsus est* Berg. *ab Hannibale cæsus ad Heroneam est* Exc. Pithœi. Voces *ad Herdoneam*, ut in vett. edd. plerisque, ita etiam desunt in Norv.

A Claudio Marcello consule adversus eumdem ad Numistronem pugnatum est] *Ab Claudio Marcello* Leid. *a C. Lucio Marcello* Voss. Voces *consule adversus eumdem* desunt in Boend. Hinc *Anumirisio pugnatum* Voss. *ad Numisonem pugnatum est* Leid. *ad Numisionem pugnatum est* Exc. Pithœi : *ad Missanem pugnatum est* Boend. *ad Munistonem pugnatum est* Berg. Mox *nocte recessit* Voss. et Berg. *nocte excessit* Boend.

Donec effugeret] Vet. lib. *donec confligeret*. Sigon. Ita et omnes mei. Hearnii Norv. solus alteram lectionem tuetur. Mox τὸ *fuit* non adparet in Leid. Voss. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Hinc *Marcellus sequenti* iidem codd. nisi quod *sequenti Marcellus* legat Berg.

Fabius Maximus pater consulis] Emenda *pater consul*, ut c. 8. ‘Maximus filius.’ *Sigon.* *Maximus* deest in Boend. vox sequens in Leid. Voss. et Berg.

Tarentinos per deditionem accepit] Vet. lib. *per proditionem recepit:* egregie : ut enim amissum fuerat, sic receptum proditione Tarentum est. Plut. in Fabio pag. 186. Τὴν δὲ Ταραντίνων πόλιν ἔσχεν ἑαλωκυίαν ἐκ προδοσίας. *Sigon.* Consentiunt Leid. Voss. et Berg. *per deditionem recepit* Boend. *per deditionem accepit* Norv. Vide mox ad XXVII. 1. § 1.

In Hispania ad Bœculam Scipio cum Hasdrubale Hamilcaris conflixit, et vicit] *Ad Besulam* Berg. *ad Bætuliam* Norv. cum edd. antiqq. *ad Ventuliam* Boend. Deinde *Hasdrubale et Hamilcare* Leid. Vossian. Berg. Boend. Norv. et priores edd. Præterea *conflixit evicit* Exc. Pithœi. In seqq. *cum donis remisit* Boend. *cum donis misit* Leid. Norv. et edd. usque ad Grut. qui in ultima ἐκδόσει dedit *dimisit*, consentientibus Voss. et Berg. Ceterum hæc periodus usque ad verba *cum donis dimisit* in Leid. et Voss. demum exstat post illa *populo Romano abstulisset*. Verum in Berg. et Boend. ordo plurimum mutatur. Nam τῷ *recepit* subjicitur *Claudius Marcellus* usque ad *Crispinus fugit*. Hinc sequitur *Lustrum a censoribus* usque ad *Romano abstulisset*. Postea hæc *In Hispania* usque ad *cum donis dimisit*. Tum *Hasdrubal, qui cum exercitu* usque ad finem Epitomes ; quibus ultimo loco subjungitur *Res præterea* usque ad *gestas continet*.

Crispinus consules speculandi caussa egressi e castris] Secunda vox non comparet in Leid. et Voss. Tum *progressi* legunt Leid. Voss. Berg. Boend. et Exc. Pith. quod recepi. Præterea *a castris* Norv. et edd. antiqq. invitis reliquis Mss. Infra Liv. c. 27. ‘Si quos longius a castris progressos possent excipere.’ Mox τὸ *fuit* exsulat a Leid. Voss. Berg. et Boend.

Res præterea a P. Sulpicio prætore] *Res præterea feliciter a P. Sulpicio* Boend. *Res præterea feliciter a P. Scipione in Hispania, et a P. Sulpicio* Berg. Leid. Voss. Exc. Pithœi, Norv. et edd. antiqq. nisi quod Norv. et pleræque edd. omiserint τὸ *feliciter*. Idem vero Boend. cum Leid. et Voss. periodum hanc usque ad *gestas continet* in finem Epitomes rejecerunt. Sed additamentum hoc minus necessarium est, quia rerum a Scipione prospere in Hispania gestarum jam antea hac Epit. mentio facta fuit. Mox *Astreos continet*, omissa media voce, Leid. *Asires continet* Voss. *Assirios continet* Berg. *a Sirios continet* Boend. *Ascræos gestas continet* Exc. Pithœi.

Centum triginta septem millia centum et octo] $CXX\overset{m}{X}VII.$ *et CVIII.* Boend. et edd. antiqq. *millia et centum octo* Vossian. et Norv. *millia centum octo* Leid. et Berg. Mox *ex numero* Voss.

Ut se Hannibali conjungeret, cum millibus hominum quinquaginta sex cæsus est] Vet. lib. *capta vero quadringenta*. Si captorum numerum Noster addidit, scribo *capta vero quinque mil-*

lia et quadringenta. Eum namque numerum Plinius, Orosius et Diaconus recensent, licet a Polybio minor referatur; et Zonaras, Florus, Eutropius, auctor de Viris Illustribus nullum edant. *Delrius. Hannibali jungeret* Vossian. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Tum vox *hominum* deest in Leid. Præterea, *cæsus est, capta X^m. CCCC.* Berg. *cæsus est, capta V. CCCC.* Voss. et Exc. Pithœi: *cæsus est, capta V^m. et CCCC^ti* Boend.

M. Livii consulis ductu, sed non minore opera Claudii Neronis consulis] Perperam in Eutropio Claudio. Neroni 'Appii' prænomen præfigitur: cum T. Livio, Val. Maximo, Verrio Flacco, Cassiodoroque 'C. Claudius Nero' dicatur. *Delrius.* Vox *consulis* priori loco deest in Leid. τὸ *sed* in Norv. et omnibus fere edd. usque ad ultimam Gruteri. *Ductu, animo tamen minore, quam opera* Boend. Mox *qui tunc oppositus Hannibali erat* Leid.

Ita ut inimicum falleret, electa manu profectus] Vet. lib. *ita ut hostem falleret, cum electa manu profectus.* Sigon. Præpositio addatur, an absit, parum interest. Sed pro *electa* Livius frequentius dicit *delecta.* II. 20. 'Quam delectam manum præsidii caussa circa se habebat.' Sic lib. XXVI. capp. 5. et 50. 'Cum delectis mille et quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem revertit.' Corn. Nepos Annib. cap. 4. 'Cum delecta manu saltus occupantem.' *Dukerus.* Norv. perpetuus vett. editionum adsecla, *inimicum* tuetur, sed omnes mei *hostem.* Vide ad Epit. l. CX. Deinde præpositionem *cum* etiam servant Leid. Voss. Berg. Boend. edd. Rom. 1472. Parm. et, teste Hearnio, ed. Rom. Aleriensis. Sæpius Livium eam omittere solitum fuisse, vidimus ad I. 14. § 7. et XXII. 9. § 5. At simul etiam certum est, eumdem etiam sæpissime addidisse. I. 14. 'Cum parte majore atque omni equitatu profectus.' Præstare itaque puto, ut addamus præpositionem, quam etiam Crevier. recepit. Præterea *delecta manu* Boend. quod, quum *delicta* in ed. Camp. invenisset, magis placere atque usitatius esse, idem Crevier. professus est. Recte. Liv. c. 43. 'De toto exercitu civium sociorumque, quod roboris erat, delegit.' Vide ad XXXIV. 29. § 10. Mox *circumvenit ad Metaurum amnem* Voss. *circumvenerat ad Methaurum amnem* Berg.

LIB. XXVIII.

A Silano, Scipionis legato, et ab L. Scipione fratre] Silanum a Scipione cum parte copiarum adversus hostes missum fuisse, plus semel scribit Livius; legatum Scipionis nusquam vocat. Adjutorem Scipioni ad res gerendas datum Silanum prætorem, scribit XXVI. 19. Prorogatum ei et Scipioni imperium in Hispania, donec ab senatu revocati forent, XXVII. 7. P. Scipioni et M. Silano suas Hispanias suosque exercitus in annum decretos, ibid. c. 22. Et Scipio in oratione ad milites seditiosos eum eodem jure eodemque imperio secum in provinciam missum dicit, XXVIII. 28. *Duker. Et L. Scipionis fratre* Leid. *et ab L. Scipionis fratre* Voss. Mox *a L. Sulpicio proconsule, Attalo* Leid. *a Sulpicio proconsule, Attalo* Voss. *a Sulpicio pro cons. ab Attalo* Boend. *a Sulpicio proconsule, socio Attalo* Exc. Pithœi. Tum *referuntur* deest in Berg.

M. Livio et Claudio Neroni] *Et Cl. Neroni* Berg. *et L. Neroni* Leid. *et Q. Neroni* Exc. Pithœi. Sigonius edidit *et C. Neroni*, ne scilicet ei prænomen deesset, quum suum etiam Livio tribuatur. At non necesse. Ita enim Epit. l. XXVII. junguntur 'Claudius Marcellus, T. Quinctius Crispinus consules.' Mox ibid. 'M. Livius, Claudius Nero.' Epit. lib. XXIX. 'Censores M. Livius et Claudius Ne-

ro.' Mox *quoniam in collegæ provinciam venerat, ut ejus victoriam adjuvaret* Boend.

Et in hoc habitu plus gloriæ reverentiæque habuit] Vet. lib. *et in hoc actu.* Sigon. Continetur in veteri libro *habitu,* pro *actu.* Delr. *In hoc habìtu* etiam omnes mei. Deinde *plus gloriæ dignitatisque* Boend. Mox *Vestæ* deest in Voss. *Virgo* in Leid. Voss. Berg. et Boend.

Cum Pœnis debellavit decimo quinto anno ejus belli, anno quinto postquam ierat] *Tertio decimo* post bellum initum scribit ipse Livius c. 16. nimirum an. IↃXLVII. L. Veturio, Q. Cæcilio consulibus, quum initum fuisset an. IↃXXXV. 'quartodecimo belli' consulatum gessit Scipio cum P. Licinio capp. 38. et 39. *Duker. Cum Pœnis bellavit* Voss. Leid. Berg. Boenderm. Norv. et edd. pro quo Froben. 1531. recte reposuit *debellavit.* Vide ad Epit. Liv. l. XXXVII. Tum *XIIII.* vel *quarto decimo anno* iidem codd. et omnes edd. usque ad ultimam Gruteri: et ita olim edebatur apud Livium c. 16. ubi nunc ex emendatione Glareani substitutum est *tertio decimo anno:* quomodo Crevier. etiam hic reposuit. Deinde *quinto post anno, quam ierat,* vel *iverat* Vossian. Leid. Berg. et Boend. Mox *præclusisque in totum* Leid. et Voss. *exclusis in totum* Berg. et Boend. *perclusisque in totum* Exc. Pithœi; ubi etiam, addita voce, *possessione provinciæ ejus* exaratur.

A Tarracone in Africam ad Syphacem regem Numidarum duobus navigiis transvectus] Pro voce *Numidarum* in Ms. legitur *Massiliorum:* unde fit, ut existimem scribendum *Masæsylorum,* quod Livio probatur. *Delrius.* Præpositio *a* deest in Boend. et edd. vett. Dissentit autem Epitome a Livio, qui Scipionem non *a Tarracone,* sed *a Karthagine,* in Africam trajecisse refert c. 17. Deinde *regem Massiliorum transvectus,* mediis omissis, Berg. et Boend. *regem Massiliorum trajecit* Leid. et Vossian. Consentio igitur Delrio *Masæsylorum* emendanti. Ita enim etiam Liv. eum vocat cap. 17. Mox *cenavitque,* pro *accubuit,* Boend. *cœnavit* Leid. Berg. Norv. Exc. Pithœi, et edd. antiqq. pro quo Ald. dedit *accubavit,* Curio *accubuit.* Utroque verbo 'cœnare' et 'adcumbere' in hac re usus est Livius c. 18. Ita tamen, ut posterius conjunxerit cum vocibus *eodem lecto,* quæ etiam hic obcurrunt.

Munus gladiatorium in honorem patris patruique Karthagini novæ dedit] *Carthagine nova* legendum. *Sigonius. Carthagini novæ* Leid. Vossian. Berg. Boend. Norv. Exc. Pithœi, et omnes edd. præter Sigonianas, ante Gronovium, qui a. 1665. Sigonii conjecturam recepit. Minori mutatione dedissent *Karthagini nova edidit,* siquidem *Karthagini* non est hic casus tertius, sed sextus. Vide ad cap. 26. § 1. 'Edere' autem in hac re proprium verbum est, quo etiam Livius in hac historia utitur c. 21. Ipse etiam auctor in illa re adhibet Epit. l. XVI. 'D. Junius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus.' Ceterum *munus gladiatorum* Berg. cum edd. Rom. 1472. ac Parm. Vide ad X. 38. § 3. Mox *aut in honorem ducis* desunt in Boend. errore librarii, ob repetitionem voculæ *aut.* Vide ad IX. 11. § 11. Deinde *in certamen* exsulant a Leid. Voss. Boend. Berg. et Exc. Pithœi.

Occiderunt, se insuper præcipitaverunt] Vet. lib. *et se insuper.* Sigon. Solus Norvic. voculam *et* ignorat; quam, præter reliquos Mss. vindicant etiam edd. Rom. an. 1472. ac Parm. Paullo ante in nomine urbis Astapæ admodum variant codd. *Oisiana urbs* est in Leid. *Gigia urbs* in Vossian. et Boend. *Gisia urbs* in Berg. et Exc. Pithœi: *Gythia urbs* in Norv. et ed. Rom. princ. *Gytthia urbs* in edd. proximis. Ascensius primo ad marginem monuit, urbem hanc a Livio c. 22. 'Astapam' vocari, id mox Mogunt. in contextum receperunt. Præ-

terea τὰ *ab Romanis* non adparent in Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi.

Confirmatus discussit] Membranæ continent *repressit*. Delrius. Lectio illa in nullo apud me cod. obvia fuit, sed omnes vulgatum *discussit* tuentur. Alterum ex glossa natum videtur. Livius IV. 49. ' Tentatum, &c. ut rogationem ferret, &c. per intercessionem collegarum discussum est.' Vide ad Silii VII. 153. Paullo ante *dum gravi morbo inplicitus est*, pro *esset*, Leid. Vossian. et Berg. quod recepi. Vide ad I. 40. § 7.

Et amicitia facta est cum Masinissa] Tolle vocem *est*, ut uno ambitu orationis hæc tota sententia comprehendatur. Sic vet. lib. *Sigon.* Eamdem vocem omittunt Leid. Voss. et Boend. Sigonii itaque lectionem admisi. Mox *qui illi quidem auxilium*, una voce auctiores, perperam Norv. et edd. vett. Recte eam Sigonius et deinde Grut. in ed. postrema ejecerunt.

Cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Karthagine scriptum erat] Præpositio *cum* deest in Voss. Berg. Boend. et Exc. Pithœi, quasi hic revocanda sit ex præcedenti ' cum Masinissa.' Verum ipse Livius præpositiones plerumque repetere solitus est. Vide ad VI. 28. § 6. quem hic auctor Epit. imitatus esse videtur, ut sensus verborum tanto apertior foret. Τὸ *inde* deest in Norv. et quibusdam edd. antiqq. Præterea *cum ex Carthagine* Exc. Pithœi: *cum Karthagine* Voss. et Berg.

Permissumque, in Africam trajiceret, si ex republica esse censeret] Vet. lib. *si e rep.* Sigonius. Ita Jac. Gronov. edidit, consentiente Berg. Priores dederant *permissumque, ut in Africum;* quod firmat Boend. *permissumque, ut Africam* Leid. Præterea *si e republica* Boend. *si de republica* Voss. Berg. et Exc. Pithœi: *si id de republica* Leid. Mox *a minori Baleari* Boend. et edd. Rom. 1472. ac Parm. Præterea *hiemaverat* Leid. Voss. Berg. et Boenderm.

LIB. XXIX.

Ex Sicilia C. Lælius in Africam a Scipione missus] *Sicilia C. Cecilius in Africa a Scipione missus* Boend. *C. Cecilius*, vel *C. Cæcilius*, etiam Voss. Leid. et Exc. Pithœi. Mox *exponit* primum inveni in postrema Gruteri ed. Priores legunt *exposuit*, consentientibus Leid. Voss. Berg. Boend. et Norv. quod recepi, et Crevierius etiam probavit, ut adcuratius responderet præcedenti *reportavit*.

Conquerentis, quod non exercitum] Vet. lib. *quod nondum exercitum.* Sigon. Similiter Leid. et Berg. Insuper *querentis* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi.

Ipse in acie occisus] *Ipse acie*, omissa præpositione, Berg. quod dictum esse potest ut ' ceciderant pugna Cannensi ' XXIII. 21. § 7. ubi etiam olim *in pugna* edebatur. At hic reliqui *in acie* tuentur. Deinde *occisus est* Voss. qui cum Leid. Berg. Boend. Norv. et edd. antiqq. mox versu seq. τὸ *est* post *deditus* omittunt, quod Ascens. 1513. addidit.

Qui in Galliam et Liguriam ierat] Vet. lib. *qui in Gallia et Liguribus erat.* Sigon. *In Gallia et in Liguribus erat* Gruteri ultima ed. *In Gallia, in Liguribus erat* Leid. Berg. et Boend. *Erat* et *ierat* in Mss. confundi, vidimus ad XXXIX. 21. § 6. *In Beulia in Liguribus* edidit Campan. unde Crevierius conjecit *in Albingaunis Liguribus*, adducto simul loco ex Liv. c. 5. ubi Mago ' inter Albingaunos Ligures Gennamque' stare dicitur.

Ex Africa et militum ampla manus missa, et pecuniæ] Duæ priores voces desunt in Leid. tertia vox in Berg. et Boend. Tum *magna militum manus missa* Leid. Sed vide ad Epit. Liv. lib. XLIX. Hinc *et pecunia* Boend. Mox *auxilia daret* Leid. *auxilia doceret* Voss. *auxilia duceret* Berg. et Boend. Præterea *se Hannibuli conjungeret* Leid. Livius c. 4. ' Conjungeretque se Hannibali.' Insuper *trajecit, Lo-*

cros, sine media copula, Leid.

A Pesinunte, oppido Phrygiæ] *Pessinunte* ex Græcis. *Sigon. A Pessimonte* Berg. et Boend. *a Pessinonte* Voss. et Leid. Vide ad Liv. XXIX. 10. § 5. Mox *posse* deest in Voss. Sed ipse Livius eam vocem agnoscit cap. 10. 'Eum pelli Italia vincique posse.' Præterea *reportata*, pro *deportata*, Boend. sollemni scribarum errore. Vide ad XXXIX. 38. § 9.

Quoniam ita responsum habebat] Ita ultima Gruteri ed. quod in nullo cod. obvium fuit. *Responsum habebatur* edd. priores, et Norvic. *responsum videbatur* Boend. *responsum jubebat* Leid. Voss. et Berg. quod verum puto, et in contextum adoptavi. Mox *repetiretur* Vossian. *exciperetur* Leid. Berg. et Exc. Pithœi. Vide ad Liv. XXIX. 11. § 6.

De inpotentia Q. Pleminii legati quererentur] *De inpudentia* Leid. Voss. Berg. Norv. Exc. Pithœi, et edd. antiqq. cujus loco recte Froben. 1531. *impotentia* substituit. Vide ad Epit. Liv. l. XLIII. Deinde *P. Levini* Voss. *P. Levinii* Berg. et Boend. *Pleminii Levinii*, duplici lectione juncta, Leid. et edd. ante Mogunt. qui ex mente Livii *Q. Pleminii* substituerunt. Sed, auctorem, quemadmodum plerumque solet, prænomen omisisse, ex codd. vestigiis colligo; in quibus ideo 'Publii' prænomen ei tribuitur, quod litera initialis perperam a nomine *Pleminii* separata erat.

Quod pecuniam Proserpinæ abstulerat] *Qui pecuniam* Leid. Vossian. et Berg. Vide ad XXXVII. 35. § 4. Deinde *sustulerat* Leid. Voss. et Exc. Pithœi. Mox voces *et liberos eorum ac conjuges stupraverat* exsulant a Leid.

Pleminius, in catenis Romam perductus] Prima vox deest in Voss. Leid. et Exc. Pithœi: *qui in catenis* legit Boend. Paullo post *tamquam is luxuriaretur* primum adparuit in ultima Gruteri ed. quod exstat etiam in Leid. et Voss. *tamquam luxuriaretur* legunt edd. priores: *tamquam ibi luxuriaretur* Berg. et Boend.

Amicitiæ, quam cum Scipione ipse junxerat, renunciavit] *Amicitiam renunciavit* Boend. quam sollemnem in hac re locutionem inlustrat Sigon. ad Liv. XLII. 25. § 1. Vox *ipse* deest in Berg. et Boend. Paullo ante *accepta in matrimonium Sophonisba filia Asdrubalis* Leid.

Rex Masæsylorum] Vet. lib. *Massyliorum*, ut supra dixi. Nam *Masæsylorum rex* erat Syphax. *Sigon.* Similiter omnes codd. et edd. ante Moguntinam. Vide ad XXIV. 48. § 2. et XXVIII. 17. § 4.

Dum pro Karthagine in Hispania militat] Vet. lib. *dum pro Carthaginiensibus.* Sigon. Similiter iterum scripti mei. Mox *patre Galla* Leid. Berg. Boend. Norv. et edd. ante Mogunt. Præterea *regno exciderat*, pro *de regno*, Leid.

Cum ampla manu interemit] *Cecidit* Leid. *occidit* Voss. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Passim in Epitomarum edd. *interimere* exstat, ubi in Mss. leguntur *occidere, interficere, concidere*, vel similia verba. Vide ad Epit. Liv. l. LVII. Mox *hiberna communiit*, pro *communivit*, Leid. et Voss. Hinc *P. consul*, pro *Sempronius consul*, Exc. Pithœi.

Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita CCXV. millia] Vet. lib. *CCLXV. millia.* Sigon. *CCXIIII*^{m}. Leid. Berg. Boend. Norv. Exc. Pithœi, et edd. ante Aldum: *ducenta quatuordecim millia* Voss. Et ita est in optimis apud Livium codd. c. 37. quare hanc lectionem recepi. Ceterum hæc verba in Leid. Voss. Berg. Boend. Norv. et iisdem edd. rejecta sunt ad finem Epitom.

A populo damnatus] Addita voce *a populo Romano damnatus* Norvic. et edd. ante Gruter. qui in ultima ed. τὸ *Romanus* delevit, quod in nullo etiam meorum inveni. Paullo ante τὸ *Livio* deerat in Vossian. Leid. et Berg.

Mox vero *testimonium tulisset* Leid. *testimonium dedisset* Voss. Sed *testimonium dixisset*, ut vulgo editur, et reliqui codd. servant, dixit Livius etiam c. 37.

Minime bona fide] Vet. lib. *non bona fide*. Sigon. Non aliter est in Leid. Voss. Berg. et Boend. Passim editores in his Epitomis Livii dederunt *minime*, ubi in codd. superest *non*. Vide ad Epit. Liv. l. XLIX. Livius etiam c. 37. dixit ' non sincera fide.' Ultima periodus hujus Epit. ita exhibetur in Boend. *omnes tribus, una excepta, i. omnes XXXIIII^or^ omnem videlicet populum ærarium reliquit, quod innocentem se condemnassent*, reliquis omissis. *Una excepta*, pro *extra unam*, etiam inveni in Berg.

LIB. XXX.

In Africa Scipio Karthaginienses et eumdem Syphacem Numidarum regem] Vocem *Scipio* delent Vossian. Leid. Boend. et Exc. Pithœi; ex quibus tamen Boend. eamdem transfert post vocem *Hasdrubalemque*, Leid. post vocem *vicit*. Deinde iidem quatuor codd. cum Berg. *Numidiæ regem*. Mox *plurimis maximisque prœliis*, pro *pluribus prœliis*, Boend. Hinc *bina hostium castra*, omissa copula *que*, Voss. Berg. et Boeud. Præterea vocem *quadraginta* non agnoscunt Exc. Pithœi: nec *hominum* Leid.

Syphacem per C. Lælium cepit] Vet. lib. *per C. Lælium et Massanisam cepit:* atque ita Livius. *Sigon.* Voces a Sigonio additæ non adparent in Boend. et Hearnii Norvic. *Syphacem P. C. Lælius et Masinissa cepit* legit Berg. *Syphacem P. Cornelius et Masinissa ceperunt* Leid.

Statim adamat, et, nuptiis factis, uxorem habait] Ita primum exhibuit postuma Gruteri ed. Omnes priores legerunt *adamavit*, quod revocandum docuerunt Leid. Berg. Boend. et Hearnii Norvic. revocavit etiam Crevierius. In Voss. autem corrupte legitur *statim et alma*. Præterea *in uxorem sumpsit* Boend. Paullo ante *Sophonisbam Syphacis* Berg. omissa voce media, quæ etiam abesse potest, et a librariis passim interposita est. Vide Lipsium ad Tac. Hist. IV. 42. et Modii Novant. Lect. ep. 15. Quum tamen reliqui eamdem tueantur, delere nolui.

Venenum ei transmisit: quo quidem hausto illa decessit] Vet. lib. *venenum ei misit, quo hausto*. Sigon. *Castigatus a Scipione*, sine particula *que*, Leid. Voss. Berg. et Boend. quorum fide eam delevi. Tum *venenum amisit* Voss. *venenum transmisit* Boend. *venenum ei transmisit* Hearnii Norv. *venenum ei misit* Sigonio consentientes Leid. et Berg. Deinde priorum edd. lectionem *quo quidem hausto* solus iterum servat Hearnii Norv. Sed cum Sigonii libro faciunt Voss. et Leid. *quo impavida mulier hausto decessit* Ber. *quo illa hausto decessit* Berg.

Hannibalem ex Italia revocarent] Voces *ex Italia* exsulant a Voss. Leid. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Præterea *evocarent* Voss. Paullo ante *est* deerat in Berg. Verum per compendium hoc modo ē scripta a proximæ vocis litera finali elidi potuit.

Anno decimosexto Italia discedens] *Anno XVI. flens Italia* Boeud. quod librarii glossema puto. *Vix lacrimis temperans* legatorum verba audisse dicitur apud Liv. h. l. c. 20. non tamen flesse. Præterea *decedens*, quod Crevierius ex ed. Campani recte recepit, firmant Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi. ' Excedere ' dixit Liv. cap. 20. Eadem varietas in hac voce est hoc lib. c. 33. § 6. Solent sæpe verba ' decedere ' et ' discedere ' confundi in Mss. Vide ad II. 31. § 11. Mox *tentavitque colloquio* Leid. Deinde *non convenissent, acie victus est fususque ingenti prœlio et Carthaginensium strage, quibus pacem petentibus data est* Boend.

Mago bello, quo in agro Insubrium, &c. mortuus est] Vet. lib. *Mago, qui bello in agro.* Sigon. Ita et Voss. ac Leid. *Mago, bello qui in agro* Berg. *Mago dux Pœnus bello, quo in agro* Boend. Solus Norvic. exhibet editionum ante Sigonium lectionem. Ceterum omnis hæc periodus ad finem Epit. rejicitur in Leid. Voss. Berg. Boend. Norv. et priscis edd. quam Aldus in hunc locum jam revocavit.

Dum in Africam per legatos revocatus reverteretur] Livium dicturum fuisse *dum revertitur*, vel *quum reverteretur*, mihi persuadent ea quæ Gronov. ad II. 47. XXI. 34. XXXIII. 48. et XXXV. 8. adnotat. *Duk. Dum revertitur* etiam edidi ex fide Voss. Msti. Vide ad I. 40. § 7. Et ita supra Epit. lib. XXVIII. ex codd. reposui, *dum gravi morbo inplicitus est*, pro *esset.* Ceterum *evocatus everteretur* Boend.

Ex vulnere mortuus est] Vet. libb. pleniores *ex vulnere mortuus est. Massanisæ regnum restitutum est.* Sigon. Quatuor voces, quas ex vet. lib. Sigonius revocavit, adparent in omnibus meis. Solus eas omisit Hearnii Norv.

Quem Q. Terentius Culleo senator pileatus secutus est] Loco horum verborum ita plenius exhibet Boend. *quem Q. Ter. Culeo sen. Romanus, inter captivos a Carth. Scipioni restitutus, pilleatus triumph. secutus est; omnique inde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit. Sifax Tibure obiit in ipso triumphi tempore.* In reliquis neque volam neque vestigium eorum invenio.

Scipio Africanus] Impedita est cum hac distinctione et particula *ita* oratio. Ea supervacua videtur esse, et legendum, *Scipio Africanus, incertum m. p. f. an populari aura, cognominatus. Primus certe:* vel *cognominatus; primus certe.* Duk. *Ita cognominatus sit* Leid. Vossian. Ber. Norv. omnesque edd. ante recentissimam Gruteri.

LIB. XXXI.

Caussæ feruntur hæ. Tempore] Vet. lib. *referuntur.* Sigonius. Consentiunt Berg. et Boend. *referuntur. Hoc tempore* Voss. Vox *caussæ* deest in Leid.

Juvenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas venerunt] Potuerunt quidem primo Athenas, et inde ad templum Cereris venisse. Sed quum Livius cap. 14. hoc non dicat, non debuit Auctor Epit. de suo addere, quod ab imperitis harum rerum ita accipi posset, quasi templum Cereris, in quo sacra Initiorum agebantur, Athenis fuerit; quod utique falsum est. Vide Meursii Eleusin. c. 6. *Duk. Non initiaverant* Boend. sollemni errore. Vide ad XXIII. 29. § 16. *Erant initiati* Berg. et ed. Camp.

In sacrarium Cereris cum aliis pluribus suis intraverunt] *Cum aliis popularibus suis* legendum. *Sigon.* Præpositio *in* exsulat a Boend. Livius c. 14. dixit 'templum Cereris ingressi sunt.' Utrumque genus loquendi usitatum fuit. Sine præpositione 'intrare domum' Livius dixit VI. 34. § 9. ubi vide. Ab aliis præpositionem addi, docuit Burm. ad Suet. Cæs. c. 18. et inprimis, quem laudat, Nic. Heins. ad Ovid. Met. VII. 492. Plurium igitur testimonio adhæreo. Deinde *pluribus* servant Boend. et Norv. quorum etiam prior, mutato verborum ordine, *cum pluribus aliis suis* dedit. Jac. Perizonius in Animadv. Hist. IX. 378. vel legit *cum aliis pluribus intraverunt*, vel *cum aliis intraverunt*, quia Livius cap. 14. nulla 'popularium' mentione facta, simpliciter dicit 'cum cetera turba ingressi sunt.' Verum etiam alibi Auctor Epit. a Livio dissentit. Quum itaque reliqui codd. *popularibus* servent, et ea vox per compendium scripta *ppl'aribus* facile in *pluribus* corrumpi possit, Sigonii lectionem servavi; præsertim quum ex mente Perizon. insuper una, vel etiam duæ voces,

invitis omnibus scriptis et editis, ejiciendæ forent.

Tamquam nefas summum commisissent, ab Atheniensibus cæsi sunt] Vet. liber *summum scelus*. Delrius. *Summum nefas*, et *occisi sunt* Berg. et Boend. quod posterius etiam est in ed. Camp. Eadem illa mox *morte suorum*. Verum de voce 'mortibus' vide Baluz. et Cuper. ad Inscriptionem libri 'de Mortibus Persecutorum,' et Weitz. ad Inscriptionem carminis 'De Mortibus Bonm.' Ea utitur Lucan. I. 302. 'Vulneraque, et mortes, biemesque sub Alpibus actæ.' Silius v. 669. 'quæ vulnera cernis, Quas mortes?' XIV. 557. 'Hinc clamor, gemitus illinc, mortesque, fugæque.' Senec. Nat. Quæst. I. 1. 'In tantis erroribus es, ut existimes Deos mortium signa præmittere.' Oros. II. 5. 'Cessatum a mortibus non est.'

Ad vindicandum illos auxilium a Philippo petierunt] Vet. lib. *ad vindicandos illos*. Sigonius. Auctior est hac parte vet. lib. hoc modo: *auxilium a Philippo petierunt: Athenas oppugnaverunt: Athenienses auxilium a Romanis petierunt*. Delrius. *Ad vindicandos illos* etiam codd. mei, cum ed. Camp. Deinde *auxilia a Philippo* Leid. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Idem autem supplementum est etiam in meis, ita tamen, ut in paucis apicibus differant, hoc modo: *petierunt*, (*petierunt* Leid.) *et Athenas oppugnaverunt*. (*oppugnare cœperunt* Boend. *oppugnarunt* Exc. Pithœi) *Athenienses a Romanis auxilia* (vox *auxilia* deest in Vossian. *auxilium a Romanis* legunt Boend. et Exc. Pithœi) *petierunt* Leid. Voss. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Verum illa ex sequentibus efficta videntur.

Paucis mensibus post pacem Karthaginiensibus datam, quingentesimo quadragesimo anno ab urbe condita, quum Atheniensium] Restituendum est, ut post ostendam, *quingentesimo et quinquagesimo*. Sigon. *Anno ab urbe condita quingentesimo quadragesimo primo et paucis mensibus post pacem Karth. datam, a primo autem Punico ad secundum bellum finitum sexaginta tres anni fuerunt. Cum igitur legati Ath.* Leid. qui mox vocem *legati* omittit: *pacem Karth. datam quingentesimo anno ab urbe condita pacis jam porta clausa fuit: ceptum autem anno CCCCCV° cum Ath.* Boend. *Post pacem Karth. datam quadringentesimo anno* (*D. anno* Exc. Pithœi) *ab urbe condita paucis mensibus porta Jani clausa* (tres ultimæ voces desunt in Voss. et Berg.) *cœptum est autem anno* (*datum est aut* Voss.) *DV.* (*CLV.* Berg.) *cum Atheniensium* Voss. Berg. et Exc. Pithœi. *Post pacem Carth. datam D. anno ab V. C. paucis mensibus porta Jani clausa. Cœptum est autem anno DV. cum Atheniensium* Norv. et edd. antiqq. Quam lectionem verbis Livii c. 5. adversari, Budæus observat de Asse v. p. 583. Ejus loco deinde Aldus substituit, quod tempore Sigonii vulgo exstabat in editis. Illam autem lectionem formasse videtur ad verba Livii ex c. 5. § 1. ubi emendationem suam pluribus adstruit.

Et senatus id censuisset ferendum] *Et id senatus ferendum censuissent* Leid. Vide ad Epit. Liv. l. XXVI. *id senatus ferendum censuisset* Berg. omissa vocula *et*, quam interceperunt ultimæ literæ præcedentis vocabuli *petissent*, vel *petissēt*. Vide ad XXXVII. 59. § 1. *Senatus et id censuisset ferendum* Boend.

Ut sociæ civitati ferri opem populus juberet] *Ut socias civitates ferre quoque opem juberet populus* Boend. *ut sociæ civitati ferre quoque opem populus juberet* Norvic. et pleræque edd. vett. neque hinc differt Berg. nisi quod *judicaret*, pro *juberet*, perperam præferat: *ferri opem populus quoque juberet* Leid. et ed. Frob. a. 1535. cum multis seqq. *ferendamque opem populus juberet* Voss. pro *ferendam quoque*, ut habet ed. Camp. Vide ad V. 27. § 1.

Horum auctoritate voculam *quoque*, quam demum ultima Gruteri ed. expunxit, restitui.

Exercitu ad Macedoniam duclo] Ita Gronov. a. 1665. edidit. Olim vulgabatur *in Macedoniam*. Quam lectionem, quia in eamdem etiam omnes codd. consentiunt, revocavi.

Et millia hominum triginta quinque] Livius cap. 21. *supra millia XXXV.* edit. Ideo recte Ms. *milia hominum XXXVI.* Delrius. Pariter Leid. Voss. Berg. Boend. Norv. et edd. ante Aldum. Quare id revocavi. Paullo ante *eo in prælio* ed. Camp. *eo in bello* Norv. et edd. antiqq. pro quo Gronov. *eo bello* dedit, adsentientibus scriptis. Deinde *cæsus est* Voss. Similis varietas supra hac Epit. notata est.

Adjuvantibus rege Attalo et Rhodiis, bellum gerebat] *Bellum gerebat, adjuvantibus rege Attalo et Rhodiis* Berg. Boend. et ed. Camp.

LIB. XXXII.

In puppi longæ navis lauream esse natam] Sic etiam Florus II. 7. § 7. ‘Nata in prætoria puppe laurus.’ Vetustiores magis dicunt *enasci*. Livius c. 1. hujus libri. ‘In Herculis æde capillum enatum.’ Et ‘Lauream in puppi navis longæ enatam.’ Suet. Aug. c. 92. ‘Enatam inter juncturas lapidum ante domum suam palmam.’ Val. Max. I. 7. 12. ‘Palmam viridem Trallibus, &c. inter coagmenta lapidum justæ magnitudinis enatam.’ *Duk.* Livius XLII. 2. ‘Priverni lana pulla terra enata.’ XLIII. 13. ‘Palmam in area enatam.’ Et ‘Palmam enatam impluvio suo.’ Et ita ipse auctor Epit. Liv. lib. L. ‘Pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur.’ Si quis etiam hic ita legendum censeret, existimare posset, primam literam vocis *enatam* ab ultima præcedentis *esse* interceptam fuisse: de quo vide ad II. 44. § 6. Præterea *in puppe* Leid. Voss. et Berg. Tum *laurum* Leid. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Verum Livius c. 1. et *puppi* et *lauream* maluit. Paullo ante *ex diversis locis*, pro *regionibus*, ed. Camp. Mox perperam *Flaminius*, pro *Flamininus*, Leid. Voss. Berg. Boend. Norv. et vett. edd. hic, et mox. Deinde *Acarnanibus*, pro *Athamanibus*, Berg. Norv. et edd. vett. *Acarnanis* Boend. *Acharnaniis* Leid. *Flamininus* et *Athamanibus* Frob. 1535. emendavit.

Consulis frater navali prælio, &c. Eubœam et maritimam oram cepit] Voss. caret *τοῖς oram cepit.* Gud. major *τῷ cepit*, quasi ex præcedente membro intellectum velit *τὸ vexavit*, et *navali bello.* Sed Gudianus alter plenius *Lucius Quintius Flamininus frater consulis, Attalo rege et Rhodiis adjuvantibus, in Eub. et mar. oram trajectus, Eretriam expugnavit.* J. F. Gron. Nihil mutant Berg. et Boend. nihil etiam ex suis Hearne notavit. At Gud. alteri in plerisque adsensus Leid. præfert *L. Quintius consulis frater, Attalo rege et Rhodiis adjuvantibus, in Eub. et mar. oram trajectus, Eretriam expugnavit:* quam lectionem recepi. Clericus, vulgatam et Gud. alterius lectiones confundens, edidit *L. Quintius Flamininus consulis frater navali prælio, &c. in Eub. et mar. oram trajectus, Eretriam cepit.* Verum, hoc libro nullum memorari navale prælium L. Quinctii, recte observat Crevier. quare pro *navali prælio* ex Gud. majore legit *navali bello:* ultimam vero partem periodi formavit ad fidem Gud. alterius. Verum ne sic quidem locum sanum credit. Ipsum enim offendunt *τὰ in Eubœam et maritimam oram.* Deinde, quum Livius L. Quinctium duas Eubœæ urbes Eretriam et Carystum expugnasse capp. 16. et 17. referat, se non magnopere repugnaturum testatur, si quis legendum esse crederet *Eretriam*

et Carystum cepit. Mox *Græci Achæi* perperam Voss.

Conjuratio servorum facta] Periodus hæc sequenti ‘ Prætorum numerus,’ &c. postponitur in Berg. Boend. et edd. Camp. Rom. a. 1472. Parm. aliisque Aldina antiquioribus. Mox etiam *Karthaginiensium obsidibus* Leid. Berg. et ed. Camp. quod recepi. Nam ita etiam Liv. c. 26. ‘ Obsides Karthaginiensium Setiæ custodiebantur.’

Obpressa est] Addit Ms. *duo millia necati sunt:* quod quid sibi velit, lector consideret. Sane Livius Cornelium prætorem de quingentis supplicium sumsisse scribit. *Delrius.* Eadem verba exstant in Leid. (qui tantum τὸ *sunt* omisit) Voss. Berg. Boend. Norv. et edd. ante Aldum, qui ideo ejecisse videtur, quoniam Liv. c. 26. narrat L. Cornelium prætorem tantum de quingentis supplicium sumsisse. Verum auctorem Epitomarum sæpius alibi a Livii narratione in diversa abire, viri docti observarunt: unde ea sola caussa verbis his expungendis subficere nequit. Mecum sentit Crevier. quare ejecta illa loco suo restitui.

Cornelius Cethegus consul] Mediam vocem non agnoscunt Norv. Boend. et antiquissimæ edd. quam primus addidit Sigonius. *Gracchus* ejus loco legunt Voss. et Berg. quorum posterior vicissim omittit vocem *consul.*

LIB. XXXIII.

Cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit] *Philippo, &c. acie victo debellavit*, omissa præpositione *cum*, Voss. Nihil muto. Eadem locutio obcurrit Epit. Liv. lib. XXVIII. ‘ P. Scipio in Hispania cum Pœnis debellavit.’ lib. XXXVII. ‘ L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho debellaverat.’ lib. LIX. ‘ In Sicilia cum fugitivis debellavit.’ l. LXXXVIII. ‘ Cum Samnitibus ante portam Collinam debellavit.’ Etiam apud Livium IV. 58. ‘ Nondum debellatum cum Volscis esse.’ VIII. 23. ‘ Quoad debellatum cum Græcis esset.’ cap. 36. ‘ Dehellari eo die cum Samnitibus potuisse.’ IX. 16. ‘ Cum Ferentanis uno secundo prœlio debellavit.’ XXXVIII. 12. ‘ Cum Antiocho uno prœlio debellasset.’ In principio Epit. prænomen Quinctii exsulat a Voss. et Boend. Tum *Flaminius* male Voss. Leid. Berg. Boenil. Lov. 2. Norv. et edd. antiqq. qua ratione librarii passim aberrarunt. *Flamineus* Mead. 1. (hujus enim lib. Epitome in Lov. 2. et Mead. 1. superest.) Tandem τὸ *proconsul* non adparet in Leid. *pro con.* duabus vocibus legit Boend.

Ad Acarnanas profectus, Leucadem urbem, quæ caput est Acarnanum, in deditionem accepit] Hæc est vet. lib. lectio, ab hac, quæ vulgata est, longe diversa, *Acarnanes, Leucade urbe, quæ caput est Acarnaniæ, expugnata, in deditionem accepit.* Sosipater Charisius Instit. Grammatic. lib. I. *Acarnanas* dici debere negat; quemadmodum nec ‘ Pæanas,’ ‘ Titanas,’ &c. Tamen neque Cicero, neque Livius, neque Virgilius, neque Papinius hoc reformidarunt. *Delrius. Ad Carnanes Leucadem urbem, quæ caput est Acarnanum, in deditionem cepit* Boend. *ad Carnas Leucade urbe, quæ caput est ad Carnarium exp. in d. a.* Voss. *Acarnavas, Leucade urbe, quæ caput est Acarnavum, ex. in d. a.* Berg. *quæ caput est Acarnanum* Lov. 2. *quod caput est Acarnanum* Leid. et Mead. 1. *quæ caput est Acarnaniæ* Exc. Pithœi, Norv. et edd. usque ad Grut. cujus ultima dedit *Acarnanes, Leucade urbe, quod caput Acarnanum, expugnata, in deditionem accepit.* Admodum dubito an non legendum sit *Acarnanas.* Non tantum enim eam lectionem verisimilem reddit quorundam codicum, quamvis vitiosa, scriptura; verum ita et formavit auctor casum quartum

hujus vocis in Epit. Liv. lib. XXVI. ' Bellumque gestum adversus Acarnanas.' Et ita ipse Liv. eodem lib. c. 24. ' Et Acarnanas restituturum se.' Laudatum antem a Delrio locum Charis. *Acarnanas* dici debere negantis, non inveni: at lib. I. p. 14. exstat ei similis, in quo erroris arguit, qui ' Pæanas,' ' Titanas,' et ' Alcmanas' dixerunt. *Quod caput*, pro *quæ*, defendi potest ex illis quæ dixi ad lib. XXXII. c. 30. § 6. Item ex Liv. hoc lib. c. 17. ' Leucade hæc sunt decreta: id caput Acarnaniæ erat.' Et tandem ex duobus codd. meis. Quare licet *quæ caput* sit in plerisque Mss. id mutare nolui. Contra vero verbum *est*, quod in omnibus scriptis et edd. ante Gruteri ultimam exstat, revocavi. Paullo ante *illius frater proconsul* Voss. *ejus frater procos.* ed. Camp. *ille frater proconsulis* Berg. et Mead. 1. *frater pro cons.* Boend.

Prætor a Celtiberis cum exercitu cæsus est] Hoc non habet e Livio. Nam is cap. 25. eum in Hispania citeriore prœlio victum non ita multo post ex vulnere exspirasse scribit; Celtiberos non memorat. Et sic Oros. IV. 20. Sempronii provincia erat Hispania citerior, Celtiberi autem ultra Iberum erant. Sed quum senatus eum et Helvium, cui ulterior evenerat, jussisset terminare, quæ ulterior citeriorve provincia servaretur, teste Liv. XXXII. 28. Sigonius de Ant. Jur. Provinc. I. 5. putat, tum veteres terminos harum provinciarum mutatos, et Celtiberos, qui ultra Iberum erant, deinde inter citerioris Hispaniæ populos numeratos fuisse. Sic verum esse potest, quod de Celtiberis dicit Auctor Epitomes. *Duker. Cæsus est cum exercitu* Berg. et ed. Camp. quæ omnes voces cum præcedentibus *prætor a Celtiberis* desunt in Boend. Periodus etiam hæc et sequentes in eum ordinem, quo nunc vulgantur, primum ab Aldo digestæ sunt. Priores edd. legerunt hac serie: *Pax petenti P. G. l. data est. Attalus, a Thebis ob s. v. P. t. decessit. C. Sempronius Tuditanus p. a C. c. e. cæsus est. L. Furius.* Nec aliter legunt Voss. Leid. Berg. Lov. 2. et Mead. 1. Consentit etiam Boend. qui tamen verba, quæ modo dixi, omittens ita ultimam hanc periodum sequentibus conjungit: *C. Sempronius Tuditanus et Claudius Marcellus cons.* neglectis iterum vocibus *L. Furius Purpureo.*

Ob subitam valetudinem translatus] Vet. lib. *Pergamum translatus:* recte: Livius enim ita c. 21. ' Attalus æger Thebis Pergamum advectus moritur.' *Sigon.* *Pergamum* cum ed. Campani agnoscunt etiam omnes Mss. nostri, nisi quod *Pergameam* sit in Boend. Deinde *invalitudinem* edd. præter Campan. antiqq. pro quo Frob. 1535. *valetudinem* substituit, concinentibus scriptis. Vide ad Epit. lib. XIII. Mox *Græcia liberata data est* Boend. *gratia libera data est* Voss. Berg. et Mead. 1. *Græcia libertati data est* Exc. Pithœi.

L. Furius et Claudius Marcellus] Vet. lib. *L. Furius Purpureo et M. Claudius Marcellus.* Sigon. Vocem *Purpureo*, vel corrupte *Purpurio*, aut *Purpurius*, agnoscunt quidem Voss. Leid. Berg. Lov. 2. et Mead. 1. cum ed. Campani; verum nullus Claudii Marcelli prænomen servat. Id etiam in postrema ed. expunxit Gruterus, sed Crevier. revocavit.

Hannibal, frustra in Africa bellum molitus] Vox *frustra* non adparet in Leid. Tum *in Africam bellum molitur* Boend. *in Africam* etiam Mead. 1. Mox *adversæ factionis principis delatus* Boend. *adversæ factionis principibus delatus* Berg. Lov. 2. et Mead. 1. *adversæ factionis principibus*, sine voce *delatus*, Leid. *adversæ factionis princeps delatus* Voss. In fine *bellum adversus Romanos parantem*, pro *contra*, Berg. Lov. 2. Mead. 1. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Vide ad Epit. Liv. l. LVII.

LIB. XXXIV.

C. Oppius tribunus plebis] Cnæi prænomen ei tribuunt Leid. Voss. Berg. Boend. et edd. Frobeniana 1531. antiquiores, Aldo excepto, qui vulgatum primus admisit. Præterea vox *Oppius* deest in Voss. Utrumque male.

Bello Punico] Obscurus et mutilus locus. Supplemus nos, nota numeri, quæ exciderat, interjecta, *belol Punico II.* In summo enim ejus fervore a. 541. latam esse novimus. *Reinesius*, Var. Lectt. I. 21. p. 879. Hoc eruditi senis acumen vanum est: nec magis necessarium, quam XLV. 14. ubi senatus Romanus respondet Masinissæ filio: 'populum Romanum ab eo' (nempe patre) 'bello Punico forti fidelique opera adjutum.' Et sic aliis locis multis. *Jac. Gron.* Ex eo quoque, quod capp. 1. et 6. consules, quibus lata est, nominantur, satis intelligitur, bello Punico II. latam fuisse. *Duk.*

De stringendis cultibus matronarum] Vet. lib. *de fingendis cultibus.* Sigon. *De fingendis cultibus* Sigonius ex vett. libris, cum ederetur *stringendis.* Sed illa veterum librorum scriptura una litera adjuvanda est, ut sit *de finiendis.* 'Finire cultus' est modum finemque cultibus et eorum sumptibus statuere. Cicero de Leg. II. 26. 'Sepulchris autem novis finivit modum: nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem.' De Finib. II. 9. 'De cupiditatibus finiendis.' Hoc libro cap. 6. 'Si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem.' Vide ad XXXV. 7. Quin etiam Gud. alter minore forma, ut conjeceramus, *de finiendis matronarum cultibus tulerat, cum magna contentione.* Sic enim quoque, ut et major, Vossianusque, non *maxima:* quod aliquoties in his Epitomis pro illo inculcatum est. *J. F. Gronovius. Stringendis*, quod ante Sigonium vulgo legebatur, in nullo meorum codd. superest; neque id in alio invenit Hearnius, quam in Norvic. perpetuo typis descriptorum adsecla. Frustra igitur Doujatius hanc lectionem defendit, et 'stringere' simplex interpretatur per compositum 'adstringere,' aut, quod idem esse contendit, 'arctare,' 'comprimere:' 'constringere' autem eo sensu usurpari docet c. 3. et XXXV. 7. *Fugiendis* est in Berg. et Boend. *fingendis*, ut Sigonius malebat, in Voss. At Gronovio recte adsentitur Leid. Supra IX. 34. 'Ira finitæ potestatis Mam. Æmilium ærarium fecerunt:' ubi quod 'finire potestatem' dixit, IV. 24. 'modum,' vel 'temporis modum inponere magistratui' adpellavit. Tum *matronarum cultibus* Vossian. Leid. Boend. et ed. Campani. Vox *cultibus* deerat in Berg. Hinc *cum magna contentione* Leid. Voss. Berg. Boenderm. exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. Liv. l. LI. Mox *quum M. Cato auctor fuisset* Boend. et ed. Camp.

Data iis pace, qualem ipse voluit] *Qualem voluit* Boend. *qualem ipse volebat* Leid. et Berg. Mox *sub ditione erant*, omissa media voce, Boenderm. Tum *finiit* Leid. et Berg. *finit* Voss.

Et L. Cornelius Cethegus] *C. Cornelius* ex Capitol. censura. *Sigon.* Ita et in Boend. fuisse videtur. Paullo ante *ut fieret*, omisso pronomine, Voss. Berg. et Boend. *ut fierent* ed. Camp. *ut id fierent* Rom. 1472.

Coloniæ pleræque deductæ sunt] Vet. lib. *Coloniæ plures.* Sigon. Non est audiendus liber ille. *Pleræque* est 'multæ,' 'magna pars.' X. 13. 'Eo anno plerisque dies dicta ab ædilibus, quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent:' et c. 31. 'In exercitu Ap. Claudii plerosque fulminibus ictos nunciatum est.' XXXV. 6. 'Privatim plerisque senatoribus M. Claudius scripserat.' Hoc cap. 8. dicit 'ad magnam partem senatorum.' Suet. in Tiber. c. 76. 'Dedit

et legata plerisque.' *Duk.* Sigonii vet. lib. consentiunt ex meis Voss. Leid. et Berg. cum ed. Campani. Probavit hanc lectionem etiam Crevier.

Res præterea adversus Boios et Insubres Gallos feliciter gestæ referuntur] Vet. lib. *Res præterea in Hispania et adversus Boios et Insubres.* Sigonius. Similiter Voss. Leid. Berg. et edd. antiqq. *Res præterea in Hispania, et in Gallia adversus Boios* Boend. et ed. Campani. *Res præterea adversus Boios* primus Aldus, mox Frob. 1531. ediderunt. Ceterum omnia hæc verba post voces *tyranni erant, finivit* inserunt Berg. Boend. et edd. antiqq.

Græciamque omnem liberaverat, ob hanc rerum gestarum multitudinem] *Rerum factarum* Vossian. Leid. Berg. Boenderm. et pleræque edd. antiqq. Vide viros doctos ad Ovid. Her. IX. 105. At insuper *Græciam omnem liberavit. Ob hanc, &c.* Berg. Mox *ad Antiochum regem confugerat, bellum moliri* ed. Camp. *bellum moliri* etiam Boend. *bellum commoliri* Leid.

Tentaverat autem per Aristonem] Vet. lib. *Tentaverat autem Annibal per Arist.* Sigon. Similiter Voss. Leid. et Berg. *Tentaverat enim Hannibal* Boend. et ed. Camp. Mox *ad bellandum* Leid. Voss. Boend. et ed. Camp. Verum 'rebellare' hic est 'iterum bellare,' ut sæpe apud Livium et alios usurpatur. Solent autem 'bellare' et 'rebellare' a librariis commutari; vide ad XL. 38. § 5.

LIB. XXXV.

P. Scipio Africanus legatus ad Antiochum Ephesi cum Hannibale, &c.] Ita in libris Græcis Acilianis, quos Latine verterat Claudius XXV. 39. scriptum fuisse dicit Livius c. 14. quod indicio est, eum nullum alium hujus historiæ auctorem habuisse; de qua etsi judicium suum non interponit, tamen ei fictam visam fuisse, ex iis, quæ de legatis ad Antiochum missis et de Africano scribit, colligi potest. Legati ad Antiochum missi sunt an. IↃLX. XXXIV. 59. Eodem Africanus cum aliis legatis in Africam ad disceptandas controversias inter Carthaginienses et Masinissam venit: ibid. cap. ult. ac deinde P. Cornelium patruelem in petitione consulatus adjuvit c. 10. hui. lib. Eo tempore autem legati ad Antiochum adhuc in Asia erant, ac demum a. IↃLXI. post comitia, quibus repulsam tulerat P. Scipio, et quum jam novi consules magistratum iniissent, Romam reverterunt capp. 20. et 22. Adde quæ ad XXXIV. 59. dicta sunt. *Duk.* Vocem *Scipio* excludit Voss. Tum *legatus ad Antiochum missus* Leid. Voss. et Berg. *legatus missus ad Antiochum* Norv. et, præter Campan. omnes edd. usque ad Gruter. cujus postrema vocem *missus* expunxit. Utroque modo Livius locutus est. Exempla additæ dictionis *missus* produci necesse non est, quum passim obcurrant. Ejusdem omissæ vide ad XXVIII. 9. § 1. et XL. 54. § 9. Quia autem verisimilius est, librarios eam, ubi deerat, addidisse, quam, ubi invenerant, ejecisse, nihil mutandum putavi. Tum *Ephesi Hannibalem* Voss. Præterea *se Antiocho adjunxerat* Berg. Mox *si fieri possit* Boeud. Deinde *metum vitæ, quem* Boenderm. Norv. omnesque edd. usque ad Grut erum, cujus ultima ἔκδοσις *metum ei* substituit: quod probant Leid. Voss. et Berg.

Inter alia quum quæreret, quem fuisse] *Inter ea* Voss. Deinde *quæreret ab Hannibale, quem* Voss. Boend. edd. Ald. eamque secutæ usque ad Gruter. *quæreretur ab Hannibale, quem* Norv. et edd. Aldo priores, nisi quod Campan. *quæreretur de Scipione* legat. Vulgatum primum vidi in ed. postrema Gruteri, quod probat Berg. Mox *eoque parva manu* Voss. *eo quod parva manu* Berg. addita vocula, quæ et a scribis addi-

tur XXXV. 21. § 9. *Eo quod innumerabiles exercitus* Boend. Insuper *supra humanam spem esset* ed. Camp. *supra fidem humanam esset* Norv. et edd. reliquæ usque ad Gruteri ultimam, quæ vulgati auctor est, efficti forsan ex narratione Livii c. 14.

Pyrrhum, inquit, castra metari primum docuisse] Hujus iterum lectionis auctor est postrema Gruteri editio. Campanus vulgarat *Pyrrhum, inquit, eo quod castra metari docuisset.* Consentit autem Boend. *Pyrrhum, inquit, eo quod castra metari primus docuisset* Voss. et Berg. *inquit, Pyrrhum, eo quod castra metari docuisset* reliquæ edd. usque ad Gruterum, et Norvic. Grutero adsentitur Leid.

Ad hoc neminem elegantius loca cepisse] *Et adhuc* Berg. *adhuc* Voss. et Boend. cum ed. Camp. *ad hæc* Norv. et reliquæ edd. usque ad ultimam Gruteri. Vide ad XXI. 52. § 10. Tum *loca elegantius cepisse* Voss. et Leid. *loca commodius et diguius cepisse* Boend. et ed. Camp. quod ex interpretis glossa natum puto.

Exsequenti, quem tertium diceret, semet ipsum dixit] [Vide Lectt. Var.] *Et sequenti* Voss. Boend. et ed. Camp. sollemni errore scribarum. Vide ad XXVIII. 19. § 6. Deinde *diceret*, pro *duceret*, perperam etiam pauci codd. c. 14. § 10. Tum *semet dixit* Voss. Norv. et, excepta ed. Camp. reliquæ omnes ante ultimam Gruteri. *Semet ipse dixit* se in Oxon. D. invenisse, Hearnius testatur. Male.

Ridens Scipio, Quidnam tu diceres, si me, inquit, vicisses] *Arridens Scipio* Boend. et ed. Camp. Hinc *Quidnam tu, inquit, diceres, si me vicisses* Leid. Mox *Tum vero, inquit, me* Boend. et ed. Camp. *Tunc vero me, inquit* Voss. Leid. et Berg. Deinde vocula *et* priori loco deest in Exc. Pithœi. Insuper *et ante alios ponerem* Leid. *et alios posuissem* Berg. *et ante alios omnes posuissem* Boend. et ed. Camp.

Inter cetera prodigia, quæ plurima fuisse traduntur] *Interea prodigia plurima fuisse trad.* Boend. *Interea prodigia multa fuisse trad.* ed. Camp. *Inter ea prodigia* Vossian. Norv. et reliquæ edd. ante Sigon. qui, consentiente Berg. *Inter alia prodigia* dedit: quod obtinuit, usque dum Gruter. in postrema ed. ex Pighio in Annal. ad an. IDLXI. p. 276. subponeret *Inter cætera prodigia*, cui concinit Leid.

Bovem Cn. Domitii consulis locutum, Roma cave tibi, refertur] *Cn. Domitio consule* Norv. et edd. usque ad Sigon. qui ex eodem Pighio vulgatum adscivit, quod etiam firmant omnes nostri. Deinde *locutam* Leid. et Berg. Hinc *cave tibi, Roma, referuntur* Boend. *fuisse ferunt, Roma, cave tibi* Leid. Mox verba *Adparant in Antiochum bellum Romani* exsulant ab omnibus scriptis meis, Norv. et edd. primis. Ascensius demum a. 1513. addidit.

Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, incitatus ab Ætolis, qui et Philippum, &c. sollicitabant] *Nabis tyr., qui et Phil., &c. sollicitabat* Leid. *qui Philippum* Berg. Boend. et ed. Camp. Hinc *sollicitabat* etiam Voss. et Berg. Mox *a pop. Rom. descivisse* Voss. *a pop. Rom. deseruisse* Berg. Sed hæ quatuor voces cum septem sequentibus desunt in Voss.

Ab Ætolis interfectus est] Gud. minor *ab Ætolis et Alexameno duce eorum interfectus est.* J. F. Gron. Similiter Leid. nisi quod voce adhuc auctior legat *ab Ætolis et ab Alexameno*, quod recepi; vide ad VI. 28. § 6. *Ætolis interf. est*, omissa præpositione, Voss.

Cum quibus societate juncta, Antiochus Syriæ rex, cum bellum Græcis intulisset] *Quum societate juncta Ant. Syr. rex bellum Græcis intulisset* omnes scripti nostri, et ed. Camp. Mox *plures urbes*, pro *complures*, Vossian. Deinde *et Tyrum*, pro *et totam Eubœam*, idem Voss.

LIB. XXXVI.

M'. Acilius Glabrio consul] Sic re-

ponendum est apud Entrop. IV. 3. et in Ciceronis Dialogo de Senect. cap. 10. de ea ed. loquor, quæ P. Suffridi est; qui, cum sic antea recte appellaretur, insulse, Balduinum secutus, *M. Attilium* nuncupavit. *Delrius. Attilius Glabrio*, omisso etiam prænomine, Voss. et Boend. *Acilius Glabrio* Leid. et Berg. *L. Attilius Glabrio* Norv. *M. Attilius Glabrio* Exc. Pithœi, et edd. vett. *M. Acilius Glabrio* ed. Frob. 1535. Sed Sigonius demum verum prænomen reddidit, quem vide ad hujus lib. cap. 1. § 1. Vox *consul* deest in Voss.

Antiochum, apud Thermopylas, Philippo rege adjuvante, victum] A Liviana veritate declinavit auctor Epitomes. Nam erat Philippus tunc quidem in partibus Romanorum; verum, quamvis ipse ab eis adjutus Athamaniam Amynandri in suam redegisset potestatem, tamen eos contra Antiochum jam proficiscentes vicissim adjuvare non potuit, utpote morbo impeditus. Certe pugnæ ad Thermopylas non interfuisse illum, atque ea causa se excusasse consuli, aperte scribit Livius c. 25. Rectius omnia se haberent, si hoc ordine in Epitome legerentur: *Ant. apud Therm. victum Græcia expulit, idemque Ph. rege adjuvante Ætolos subegit.* Verum ille, quia memoriæ ejus inhærebat Philippum toto hoc contra Antiochum bello Romanis favisse, inconsulto et invito suo Livio, isto quoque in prœlio, quo uno Antiochus a Glabrione e Græcia ejectus est, adfuisse Macedonem putavit. *Jac. Perizon.* Animadv. Hist. cap. 9. pag. 376. *Antiochum ad Thermopylas* Leid. et Exc. Pithœi: *ad Thermopylas Antiochum* Berg.

P. Cornelius Scipio Nasica consul ædem matris Deûm, &c.] Eadem oscitantia contra clarissima auctoris sui verba affirmat, consulem Nasicam ædem matris Deum, quam ille antea in Palatium intulerat, dedicasse; quum diserte Livius c. 36. a Nasica quidem Deam, quum ex Asia advecta fuit, in Palatium a mari esse delatam, ædem vero ejus tunc a M. Junio Bruto prætore urbano dedicatam referat. *Jac. Perizon.* Animadv. Hist. c. 9. p. 377. *P. Scipio Nasica* Leid. Mox *Boios et Gallos in deditionem recepit* Voss. *Boios et Gallos* etiam Boend. Norv. et edd. vett. Copulam primus omisit Frob. 1535. Præterea *accepit, de iis triumphavit* Leid. et Exc. Pithœi.

LIB. XXXVII.

L. Cornelius Scipio consul, legato P. Cornelio Scipione Africano] Consulis prænomen *L.* exsulat a Voss. Boend. Norv. et plerisque edd. antiqq. ante Frob. 1535. Vide ad Liv. XXXVII. 1. § 1. Vox etiam *consul* non adparet in Leid. ut nec Africani prænomen *P.* in Leid. Voss. Berg. et Boend. Contra voce auctiores *Africano fratre* legunt Voss. et Berg. cum ed. Camp.

Qui se legatum fratris futurum dixerat] Lib. XXXVIII. c. 58. ‘Quum legatus fratris esset.’ Sed frequentius tertio casu. Epit. Liv. l. XI. ‘Iturum se filio legatum pollicitus est.’ XXXVIII. 58. ‘Cui legatus in Asiam iret.’ Cic. pro Muren. c. 9. ‘Legatus L. Lucullo fuit.’ Suet. Ner. c. 3. ‘Eidem Antonio legatus.’ Gell. IV. 18. ‘Fuerat enim L. Scipioni Asiatico fratri suo imperatori in ea provincia legatus.’ Adde Grævium ad Suet. Tib. c. 12. In Livio c. 1. est, ‘se legatum iturum.’ Forte *se ei legatum iturum.* Duk. Pronomen *qui* deest in Berg. *qui legatum fratris futurum dixit* legit Voss.

Si ei Græcia et Asia provincia decerneretur] Livius scribit c. 1. ‘P. Scipio Africanus dixit, si L. Scipioni fratri suo provinciam Græciam decrevissent, legatum se iturum.’ Egregie itaque habetur in membranis *si ei*

Græcia provincia decerneretur. Nam consules jussi sunt Græciam et Italiam sortiri: cuique Græcia sorte obveniret, permissum, cum in provinciam venisset, si e republica judicaret, exercitum in Asiam transportare. *Delrius.* Livius ‘ Græciam ’ tantum dicit. Et hæc sola ei decreta est, cum eo, ut, si e republica videretur esse, exercitum in Asiam trajiceret. Capp. 1. et 2. *Duk.* Τὸ *ei* ignorat Leid. Tum *Græcia provincia*, omissis duabus mediis vocibus, Voss. Leid. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Ita igitur edendum curavi. Mox Lælii prænomen *C.* abest a Voss. et Berg.

Profectus ad bellum adversus Antiochum gerendum, in Asiam] *Adversum Antiochum* Boend. Vide ad Epit. l. XLVII. *Adversus Antiochum regem* Berg. et Exc. Pithœi: *profectus adversus Antiochum regem, in Asiam*, reliquis neglectis, Leid. Mox *primus omnium Romanorum ducum in Asiam trajecit* Berg. et ed. Camp.

Æmilius Regillus adversus regiam classem Antiochi feliciter pugnavit ad Myonnesum] Nihil opus erat voce *Antiochi* in brevissima Epitome. Potuit huc transferri e margine. *Duk.* Primam vocem expellunt Voss. Leid. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Tum *Regulus* legunt Leid. et Berg. *Regilius* Boend. Hinc *ad Mionesum* Voss. *ad Myonesum* Norv. et edd. vett. *ad Mionensum* Berg. *ad Monesum* Leid. *ad Imonensem* Boend. et ed. Camp. Mox *Rhodiis juvantibus* Leid. Voss. Berg. et ed. Camp.

M'. Acilius Glabrio, &c.] Ultima hæc pars Epitomes alio ordine in Mss. et edd. antiqq. proponitur. Nam in Voss. Leid. Berg. Boend. et editis ante Aldum post verba præcedd. ‘ patri remissus est ’ primo loco subjungitur periodus *Victo deinde Antiocho, &c. montem cederet.* Secundo *L. Cornelius Scipio, &c. adpellatus est.* Tertio *Colonia deducta est Bononia.* Quarto *Eumeni, quo, &c. ampliatum.* Quinto *Rhodiis quoque, &c. civitates concessæ.* Sexto *Æmilius Regillus, &c. triumphum duxit.* Ultimo tandem *M'. Acilius Glabrio, &c. de Ætolis triumphavit.* Ceterum corrupte hic *M. Acilius* Leid. *M. Accilius* Berg. *M. Attilius* Voss. Boend. et edd. antiqq. qui error in præcedentibus sæpe notatus est; vide ad XXXV. 24. § 5. Mox voces *et de Ætolis* desunt in Voss. Verum Liv. ipse c. 46. de M'. Acilio inquit, ‘ Triumphans de rege Antiocho et Ætolis urbem est invectus.’ Eo minus autem Ætolorum hic mentio omitti potest, quia c. 58. testatur, ‘ vere æstimanti Ætolicum magis ad Thermopylas bellum, quam regium,’ fuisse.

Adjuvante Eumene rege, Attali Pergameni filio, pax data, ea cond.] Vet. lib. *Eumene rege Pergami, Attali filio.* Sigon. *A L. Scipione* Voss. *a L. Scipione Cornelio* Boend. Tum *rege Attalo Pergamei filio* Boend. *rege Attali filio* Leid. et Berg. *rege Attali Pergami filio* Voss. *rege Pergami, Attali filio* Exc. Pithœi, quod recepi. Deinde *pax data est conditione* Voss. *pax data est ea conditione* Leid. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Et hoc quoque probavi. Mox *Eumenis, &c. regnum ampliatum* Voss. Leid. et Boend. Vulgatum elegantius est, si tamen auctor Epitomarum elegantias captarit. Inferius *navali prælio vicerat* Voss. Leid. et Berg. Tum *triumphum reduxit* iidem Mss. *triumphum deduxit* Exc. Pithœi.

Qui cum Antiocho bellaverat] Vet. lib. *debellaverat:* recte. *Sigon. Qui Antiochum debellaverat* Voss. et Boend. cum ed. Camp. *qui cum Antiocho debellaverat* Leid. et Berg. de qua locutione vide ad Epit. Liv. l. XXXIII. Solent autem verba ‘ bellare’ et ‘ debellare ’ a librariis confundi; vide ad III. 71. § 6. VIII. 39. § 16. IX. 27. § 2. X. 10. § 7. Epit. Liv. l. XXVIII. XXIX. 14. § 1. XXX. 28. § 8. XXXVIII.

13. § 11. XL. 50. § 5. et alibi.

Cognomine fratri coæquatus] Libri veteres *exæquatus*. Sigon. *Cognomine fratris exæqualus* Leid. *cognomine fratri æquatus* Boend. *cognomine fratri exæquato* ed. Camp. *cognomine fratri exæquatus* Voss. et Berg. quod admisi.

LIB. XXXVIII.

Obsessos per deditionem accepit] Liber unus Hearnii *in deditionem*. Hoc multo usitatius est. XXVIII. 23. 'Ceteris ejus regionis metu in deditionem acceptis.' Et XXVI. 16. XXVIII. 22. XXIX. 3. XXXVI. 40. Nec credo *per deditionem* hic satis defendi posse e VI. 9. 'Nepete exercitus ductus, quod per deditionem acceptum jam totum Etrusci habebant.' *Duker*. *In deditionem* Leid. Voss. Berg. Boend. et Exc. Pithœi, quod ipsi Livio frequens Mstorum auctoritate hic recepi; vide ad XXXIII. 20. § 5. Mox *Cephalaniam* Leid. et Voss. *Cephaloniam* Berg. Boend. et edd. Camp. ac Rom. 1472. *Cephalemiam* Norv. *Cephaleniam* edd. prioribus posteriores. Similes scripturæ varietates observavimus ad XXXVII. 13. § 11. Sed *Cephalleniam* scribendum docuit Sigon. ad XXXVIII. 28. § 5. Deinde *et totis provinciis*, pro *Ætolis domitis*, Voss. et Boend.

Tolistobogios, Tectosagos et Trocmos] *Tectosagas*, ut antea dixi. *Sigonius*. Gentium harum nomina varie corrumpuntur in Mss. *Tholostobojos, et Thoros Agios, et Tyrenos* Leid. *Tholosbigios, et Totholegas, et Ticinos* Vossian. *Bojos, et Totosagios, et Trocinos* Berg. *Colosubergios, et Totologas, et Tracinos* Boend. *Ætolos Regios, Totosagios, et Trocinos* Norv. et edd. antiqq. excepta ed. Campani, quæ Msto Boend. consentit. Earum primam *Tolistobojos* a Livio vocatam esse, contendit Sigon. ad c. 15. § 15. Id autem recepit quia ita jam in Livio passim editur, eique lectioni favent Leid. et Berg. vestigia. Post eam autem vocem inserui copulam *et* ob quatuor priorum uniusque ed. consensum. Vide ad Epit. l. XLVI. Secundam *Tectosagas* vocandam docuit Sigon. ad c. 16. § 11. quo etiam ducunt vestigia Voss. et Boend. Quod autem mox 'Brenno duce' Asiam ingressos dicat auctor, in eo ipsum a Livio discedere observat Perizon. Animadv. Hist. c. 9. p. 376. Insuper *minime parerent* Norv. et edd. antiqq. præter eam, cui præfuit Campanus, *non parerent* exhibentem, ut restituit ed. Gruteri postrema, quatuor scriptis nostris concinentibus; vide ad Livii Epit. l. XLIX.

Et cum ea loca, quæ tenent, occupaverantque, referuntur] Vet. lib. *et quando loca, quæ tenent, occupaverint, referuntur*. Sigon. *Et cum ea loca* Boend. Norv. et edd. antiqq. *et quoniam ea loca* Berg. *et quemadmodum ea loca* Voss. et Leid. quod Gronov. recepit. Deinde *occupaverunt, refertur* Boend. *occupaverantque, referuntur* Norv. *occupaverint, refertur*, ut Gronov. edidit, Leid. Voss. et Berg. Mox *virtutum et pudicitiæ* Boend. et editio Camp.

Nam quum Orgiagontis, regis Gallogræcorum, uxor captiva esset, centurionem, &c. occidit] *Quæ cum regis Gall. uxor fuerit, capta centurionem* Vossian. Berg. Boend. Norv. et edd. principes. Curio deinde *fuisset* τῷ *fuerit* substituit. At Gronovius, quod nunc vulgo editur, adscivit, accinente, ut videtur, Leid. Ceterum *Ortiagontis* emendandum Sigonius docuit ad c. 19. § 2. quod quum ibi in contextum receptum sit, etiam hic post Crevier. admittendum censui. Insuper *occidit, caputque ejus ad maritum pertulit* quinque vocibus auctior idem Leid.

Censa sunt civium capita CCLVIII. millia et CCCXXVIII.] Quia libri discrepant, Livius sequendus est. *Delrius*. Livii verba hæc sunt c. 36.

'Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta octo millia, trecenta octo,' quæ Pighius in Annal. ad a. IↃLXIV. p. 289. ex hac Epit. emendanda censet. Mihi secus videtur. Priorem numerum *CCLIIII.* exhibet ed. Camp. *CCLVIIII.* Boend. Norv. et reliquæ edd. vett. Tum copula *et* exsulat a Leid. Voss. et Berg. Posteriorem numerum *CCCX.* concipiunt Leid. et Exc. Pithœi: *CCCXX.* Berg. *CCCXXX.* Voss. Boend. Norv. et editiones antiqq. Legendum vero existimo *capita CCLVIII. millia, CCCXVIII.* una tantum numeri denarii nota ex vulgata scriptura expuncta; ita enim optime convenit auctori Epitomes cum cod. Moguntini scriptura c. 36. Si quis etiam contendere velit, alium numerum Livium, alium auctorem Epitomes edidisse, non adversabor. Non enim semper consentiunt. In sequentibus *cum Attalo rege* Boend. *cum Aratale rege* Voss. *cum Ariacate rege* Berg.

Acta per se caussa in senatu] Vet. lib. *pro se.* Sigon. *Acta per se caussa in senatu* Voss. Norv. et edd. antiqq. *acta per se in senatu caussa* Boenderm. Paullo ante *condicentibus decem de legatis* Voss.

Ut quidam aiunt, a Petilio Acteo tribuno pl.] Vet. lib. *a Q. Petillio tribuno plebis.* Sigonius. *Ut quidam tradunt* Leid. Voss. Berg. et Boend. Tum *a P. Penolo tribuno plebis* Voss. *a P. Petillio,* vel *Petilio, tribuno plebis* Leid. Berg. et Exc. Pithœi: *a P. Petilio Ateio tribuno plebis* Boend. *a Petilio Acteio tribuno plebis, ut quidam aiunt, a Nævio* Norv.

Quod præda cum Antiocho capta] Vet. lib. *præda ex Antiocho.* Sigon. Similiter Voss. Leid. et Boend. *quod præda capta,* omissis duabus vocibus, Berg.

Postquam is dies venit, evocatus] Vet. lib. *Postq. dies venit, is ev. in rostra.* Sigon. Dissentiunt nostri omnes, qui altero ordine voces exhibent.

Ne amplius tribuniciis injuriis vexaretur] Vox *amplius* deest in Berg. vox *injuriis* in Voss. vox *Liternum* in Vossian. Berg. Boend. et ed. Camp. Insuper *recessit* legit Voss. *defunctus sit* Leid. Voss. Berg. Boend. et ed. Camp.

Scipio Asiaticus] *L. Scipio Asiaticus* omnes scripti, et edd. usque ad ultimam Gruteri, quæ prænomen omisit. Id itaque restitui. Mox *in vincula et in carcerem* Berg.

Qui antea Scipionibus inimicus erat] Vet. lib. *fuerat.* Sigonius. Voss. et Gud. uterque *fuerat.* J. F. Gronov. Similiter Berg. Insuper *quia antea* Norv.

Quum populus quæstores in bona ejus publice possidenda misisset] Lege *cum prætor quæstores.* Sic enim Livius c. 60. 'In bona deinde L. Scipionis possessum publice quæstores prætor misit.' *Sigonius.* Voss. et ambo Gud. ablegant τὸ *prætor.* Scribe, *cum quæstores in bona ejus publice possidenda missi essent.* J. F. Gron. Non tantum τὸ *prætor* abest a Vossian. Leid. Berg. Boend. et Exc. Pithœi, verum iidem etiam *misissent* præferunt, unde Gronovii conjectura *missi essent* tanto verisimilior redditur. Certe quæstores non miserunt, sed missi sunt. Eodem modo peccatur IV. 37. § 4. et V. 12. § 4. Alia similium errorum exempla vide ad XXIII. 29. § 16. Deest etiam vox *publice* in Leid. quam tamen Livius servat.

Non modo in iis ullum vestigium] Ita Voss. Berg. Boend. et edd. antiqq. pro quo Ascens. *nullum* reposuit, non adtendens *non modo* poni pro 'non modo non;' vide ad XXV. 26. § 10. Recte igitur priscam lectionem revocavit ultima Gruteri ed. quam sine caussa recentiores rejecerunt. Mox *pecuniæ regis* Boend. et ed. Camp. Vide ad XXXI. 35. § 6.

Tantum in ærarium redactum, quantæ summæ] Voces illæ *in ærarium* delendæ sunt; neque enim in veteribus

libris reperiuntur, neque apud Livium, cujus hæc verba sunt libro hoc extremo. *Sigon.* Voces *in ærarium*, quas priscis edd. adsensus Norv. agnoscit, desunt in Voss. Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. Deinde *redactum est* Leid. *tantum redditus tantæque summæ, quantæ erat damnatus* Boend.

Quæ necessitati ei erat ad cultum retenta] Lege ex veteribus libris, et ex ipsomet Livio, cujus hæc verba sunt, *quæ necessaria ei erant ad cultum, redemta*. Sigonius. Lectio a Sigonio damnata superest in Boend. et Norv. at Sigonio consentiunt Vossian. et Berg. nisi quod prior *reddenda*, alter *erat* præferant. *Quæ necessaria ei, a proximis cognatis sunt redemta* Leid.

LIB. XXXIX.

Æmilius consul, &c. viam a Placentia usque Ariminum perductam] Hearnius ex ed. Aleriensi laudat *L. Æmilius*, ex Exc. Pithœi et ed. Sigon. *M. Æmilius*, quod etiam præferunt Voss. Berg. Boend. et edd. Camp. Rom. a. 1472. et Tarvis. prior. Solet autem sæpe auctor Epitomarum prænomen addere, ubi primum alicujus meminit. Quod autem prænomen in multis et edd. et Mss. hic omissum sit, inde factum est, quod librariis et operis animus erat, literam illam, prænominis notam, variis coloribus depingere; quod, opere absoluto, facere neglexerunt. Multa in seqq. obcurrent exempla. Deinde *viam Placentia* Voss. Berg. Leid. et Boend. Hinc *usque ad Ariminum* Boend. et ed. Camp. Vocula *usque* contra deest in Voss. Postea *productam* Voss. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Livius ipse dixit c. 2. 'Viam a Bononia perduxit Arretium.' Et, 'Viamque ab Placentia Ariminum perduxit.'

Initia luxuriæ, introducta ab exercitu] *Initia luxuriæ, in urbem introducta* Exc. Pithœi. Livius hoc lib. cap. 4. 'Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est.' Mox *sublati sunt* Exc. Pithœi. Sed mox sequitur 'sublatum est,' unde hoc repetitum videtur.

Et quidem nocturnum, scelerum omnium seminarium] Voss. et ambo Gud. nesciunt τὸ *quidem*. J. F. Gron. Nesciunt etiam Leid. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et edd. Camp. ac Sigonii. Tum *omnium scelerum* Voss. et Berg. Hinc *maximum seminarium*, addita voce, Norvic. Exc. Pithœi, et pleræque edd. ante Sigonium, cui vocem additam expungenti consentiunt Voss. Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. qui iidem libri mox ignorant voces *a consule*.

L. Valerio Flacco et M. Porcio Catone, vir et belli et pacis artibus maximus, motus est senatu L. Quinctius Flaminius] Lege, *M. Porcio Catone, viro et belli et pacis artibus maximo*. In his enim ejus laudes digreditur hoc libro Livius, ubi de censura ejus loquitur, quæ laudes L. Quinctio nec tribuuntur, nec tribui jure possunt. *Sigon.* Hæc censura refertur a Seneca Controv. lib. II. ubi 'Flaminium' reponere convenit. *Delrius.* Gud. minor, *septem moti fuerunt senatu. Ex quibus fuit L. Quintius Flamininus consularis et insignis nobilitate et honoribus, Quintii Flaminini frater, eo quod, cum Galliam provinciam consul teneret, rogatus in convivio a P. Œnio Philippo, scorto nobilissimo, quem amabat, Gallum quendam sua manu occiderat: sive, ut Valerius Antias tradit, quod unum ex damnatis securi percusserat.* Τὰ *in convivio* et *unum ex damnatis* confirmant et Gud. alter, Vossianusque. Delendum vero τὸ *fuit*, et Titi prænomen abesse nequit. *J. F. Gron. M. Valerio* male Voss. Berg. Boend. Norvic. et edd. vett. Deinde copulam inter duo censorum nomina omittit Voss. at voces *et M. Porcio* Berg. Hinc *Ca-*

tone septem moti fuerunt senatu; ex quibus fuit L. Quintius Flaminius, consularis et insignis nobilitate et honoribus, Quintii Flaminii frater Leid. Tò *viro* exsulat a Voss. Berg. Boend. Norv. Exc. Pithœi, et edd. antiqq. quam vocem primus addidit Ascens. 1513. sine qua quum sensus constet, ex codicum auctoritate eam iterum delevi. Deinde *L. Quintius Flaminius frater* Voss. Boend. et Exc. Pithœi: *L. Quinctius Flamini frater* Berg. An dedit auctor *L. Quinctius Flaminini frater?* Potius tamen puto quasdam voces præcedentium similitudine a librariis omissas esse. Mox *Galliam provinciam consul obtineret* Voss. et Berg. *Galliam provinciam consul teneret* Leid.

Rogatus a Philippo Pœno, quem amabat, scorto nobili] Vet. lib. *rogatus in convivio a Philippo Pœno.* Sigon. *Rogatus in convivio* Leid. Voss. Berg. et Boend. quorum consensu recepi; ut jam antea fecit etiam Crevier. Tum *a Philippo Pœnio* Leid. et Voss. *a Pœnio Philippo* Berg. Boend. et multæ edd. *a Pœno Philippo* ed. Camp. *a P. Œnio Philippo* Norv. Exc. Pithœi, et, ut Hearnius monet, ed. Rom. princeps. Mox *scorto nobilissimo* Leid. Sed vide ad Epit. Liv. l. LI.

Sive, ut quidam tradiderunt, unum damnatorum] *Sive, ut Valerius Antias tradidit, quod unum ex damnatis* Leid. *unum ex damnatis* etiam Voss. Berg. Boend. et Exc. Pithœi: *ex damnatis*, omissa voce *unum*, ed. Camp. Codicum lectionem recepi. Vocula *sive* deerat in Voss. Mox *meretrice Placentia* Boend. Tum *exstat oratio M. Catonis in eum* Berg. Boend. et ed. Camp. Deinde *Scipio interim decessit* Voss. Berg. Boend. et ed. Camp.

Tamquam jungente fortuna] Ms. *lugente.* Delrius. Pariter Voss. Berg. Leid. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Mox *circa id tempus* Norv. et pleræque edd. vett. Tum *funera maximorum virorum adjuncta* ed. Camp.

Quum dederetur Romanis, qui ad exposcendum illum T. Quinctium Flaminium miserant, veneno sibi mortem conscivit] *Ne ded. Rom., (ad exposc. enim eum T. Q. Flam. miserant) veneno mortem consciit sibi* Leid. *qui ad exposcendum eum* Voss. et Berg. *quia ad exposcendum eum* Boend. Tum *veneno mortem consciit* Voss. et Berg.

A Messeniis interemtus veneno, quum ab iis bello captus esset] Vulgatum *interemtus* in uno tantum superest Norvic. cujus loco *occisus* legunt Leid. Voss. Berg. et Boend. Sæpissime in edd. Epitomarum 'interimere' datum esse, ubi codd. earum 'occidere' præferunt, videbimus ad Epit. l. LVII. Deinde *quum et bello captus esset* Voss. *quum ab iis in bello captus esset* Leid. et Exc. Pithœi: *quum ab his captus esset* Berg.

Pollentia, et Pisaurum, et Mutina] *Potentia*, ut post dicam. *Sigon. Polensia* Voss. *Polentia* Berg. Boend. Norv. Exc. Pithœi, et edd. vett. nisi quod *Patentia*, pro *Potentia*, ut est in Leid. sit in ed. Camp. Crevierius vulgatum tuetur. Vide ad cap. 44. § 10.

Res adversum Celtiberos] *Adversus Celtiberos* uno consensu Leid. Voss. Berg. et Boend. Vide ad Epit. Liv. l. XLVII. Mox voces *et initia caussasque belli Macedonici* desunt in Boend. pro quibus *et caussas belli Macedonici* exhibet Leid.

Cujus origo inde venit] Vet. lib. *inde fluxit.* Sigon. *Fluxit* etiam Voss. Leid. Berg. et Boend. cum ed. Camp. *venit* Norvic. Mox *a Romanis inminui* Boend. et ed. Camp. *minui a Romanis* reliquæ edd. vett. cum cod. Norvic. Tandem vox *locis* deest in Leid.

LIB. XL.

Liberos eorum, quos in vinculis nobilissimorum hominum habebat, conquiri

ad mortem jussisset] Gud. min. *conquiri obsides jussisset.* J. F. Gron. Crevierius dubitans, utrum hæc verborum constructio legitima sit, legit *nobilissimos homines.* Contra, sensum verborum hunc esse, judicat Perizon. in Animadv. Hist. c. 9. p. 376. Philippum interfici curasse privatim conquisitos undique liberos eorum, quos in custodiam diviserat per domos nobilissimorum hominum, seu quos in vinculis tenebat apud nobilissimos sui regni homines. Quod quum aperte falsum foret, forte legendum judicabat alio tantum ordine, *liberos eorum, quos in vinculis habebat, nobilissimorum hominum.* Ut saltem dicat auctor, Philippum ad mortem conquiri jussisse liberos nobilissimorum hominum, quos publice in vinculis et carcere continebat. Agnoscit tamen, ne sic quidem cum Livianæ historiæ fide convenire. Perizonii emendationem, aut certe sensum, quem auctorem Epitomes, admissa hac emendatione, expressisse credebat, firmat scriptura ed. Camp. et codd. Boend. et Berg. in quorum prioribus duobus obvium fuit *liberos eorum, quos in vinclis tenebat, nobilium hominum:* in postremo *liberos eorum, quos in vinculis habebat, nobilium hominum,* Sed aliud latet. Ne reliquorum codicum lectiones, quæ in paucis apicibus a vulgata differunt, memorem, probandum puto, quod obfert Leid. *Quum Philippus liberos eorum, quos occiderat, conquiri obsides jussisset.* Ita convenit inter auctorem hujus Epitomes et Livium ac Polyb. Nam Livius narrat c. 3. ‘ Postremo negare propalam cœpit, satis tutum sibi quidquam esse, nisi liberos eorum, quos interfecisset, comprehensos in custodia haberet.’ Polyb. vero Exc. Peiresc. p. 1436. Ἔγραψε τοῖς ἐπὶ τῶν πόλεων διατεταγμένοις, ἀναζητῆσαι τοὺς υἱοὺς καὶ τὰς θυγατέρας τῶν ὑπ' αὐτοῦ Μακεδόνων ἀνῃρημένων εἰς φυλακὴν ἀποθέσθαι.

Theoxena, pro liberis suis et sororis admodum pueris verita regis libidinem] *Et sororis* deest vet. lib. *Delrius.* A priore marito, quem Philippus interfecerat, vidua relicta fuerat cum uno filio. Apud Poridem liberos enixam non fuisse, argumento sunt verba Livii c. 4. ‘ suum sororisque filios.’ Sed auctor Epitomes ‘ liberos ’ de uno filio dixisse potuit, ut sæpe scriptores Latini. *Duk. Theolona* Voss. *Theolphona* Boend. *Theolphana* ed. Camp. Deinde τὰ *et sororis* desunt in Leid. Voss. Berg. et Boend. Duo posteriores insuper legunt *verita pro liberis suis admodum pueris,* nisi quod vocem *pueris* ignoret etiam Berg. Quamvis autem hujus scriptoris verba ad normam castæ Latinitatis exigenda non putem, ferenda tamen non videtur locutio *verita libidinem regis pro liberis.* Vide igitur num legendum, *Theoxena liberis suis et sororis admodum pueris, verita regis libidinem, prolatis in medium gladiis et poculo, in quo erat venenum, suasit, ut inminens, &c.* Tum *ludibrium morte fugerent* Leid. et Berg.

Et quum persuasisset, ipsa etiam se interemit] Membran. Barberin. *suasit iis, ut imminens lud. morte eff.: quod cum pers., ipsa se cum viro in mare præcipitavit.* J. F. Gron. Auctius Leid. *quod quum persuasisset, ipsa se cum viro e navi in mare præcipitavit:* quod recepi.

Regis liberos Perseum et Demetrium] Scripti *Persen* non hic modo, sed et mox *ad Persen devenit.* J. F. Gron. *Regis filios Persen et Demetrium* Leid. Vossian. Berg. Boend. et ed. Camp. *Persen* præferunt etiam Exc. Pithœi; vide ad XLII. 25. § 2.

Confictis criminibus, inter quæ accusatione parricidii et adfectati regni, primum petitus] *Fictis criminibus* Leid. Berg. et Exc. Pithœi. Dein *accusatione parricidii et affectatione regni* Leid. *accusationem patricidii et affectationem regni* Berg. *actionem parricidii et affectionem regni* Voss. *accusationem parricidii et affectionem regni* Boend. et

Norvic. *accusationem parricidii et affectionem regni primum ferret* edd. vett. nisi quod *inter quæ et affectionem regni, primum petitur* præferat ed. Camp. Quod nunc exstat, primum inveni in ed. Frob. 1531. Tum *primus petitus* Voss. et Exc. Pithœi: *primus competitur* Boend. et ed. Camp. *primum ferro petitur* Norvic.

Ad ultimum, &c. veneno necatus est; regnumque Mucedoniæ, &c. ad Perseum devenit] Linguæ Latinæ vel mediocriter periti dicerent *et ut fraude fratris, &c. necatus fuerit, regnumque, &c. deveuerit.* Duk. *Et ad ultimum, &c. veneno necatus, regnum Muc., &c. ad Persem venit* Boend. et ed. Camp. *necatus est: quare Macedonia, &c. ad Persen venit* Voss. *ad Persen venit* etiam Berg. *ad Persea venit* Exc. Pithœi: *ad Persen pervenit* Leid.

A compluribus feliciter gestas continet] *A quam pluribus* Voss. Norvic. et edd. vett. ante Ascensium, qui a. 1510. recte *compluribus* dedit. Vide ad IV. 31. § 2. *A compluribus ducibus feliciter gestas continet* Exc. Pithœi. His autem verbis proxime subjunguntur quæ paullo post obcurrunt, *Colonia Aquileia deducta est*, non tantum in edd. Aldina antiquioribus, sed etiam in Mss. Boend. et Berg. quorum posterior paullo ante præfert *in Liguribus et in Hispania.*

In ugro L. Petilii scribæ] *L. Petillii*, ut supra. *Sigon.* Vide ad XXXVIII. 50. § 5. *L. Peliæ* Boend. Mox *sub sarculo* Voss. *sub Juniculo cultoribus agri, arca lapidea clausi, inventi sunt et Græci et Latini* Berg. *arca lapidea clausi*, omissa præpositione *in*, etiam Leid. Voss. et Exc. Pithœi. In ordine ultimorum verborum cum Berg. faciunt Boend. et ed. Camp.

In quibus plura, quæ dissolvendarum religionum, prætor, ad quem delati erant, quum legisset, juravit senatui] In quibusdam libris additur verbum substantivum *erant.* Sed Sallust. Jugurth. cap. 88. etiam sine eo dixit, 'Quæ postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit.' *Duk. In quibus complura diss. rel. caussu videbantur, prætor, ad quem delati erant, juruvit in senatu* Leid. *in quibus complura diss. rel. prætor, ad quem delati erant, legisset, juravit senatui* Berg. *in quibusquam plurima, quæ diss. rel., prætor, ad quem delati erant, legisse juravit senatui* Voss. *in quibus complura, quæ diss. rel., prætor, ad quem delati erant, legisset, juravit senatui* Boend. *in quibus complura, quæ diss. rel., cum prætor, ad quem delati erant, legisset, juravit senatui* ed. Camp. A vulgato non dissentiunt Norvic. et priscæ edd. nisi quod, una voce anctiores, legant *quæ diss. rel. erant.* Sed verbum *erant* omisit ed. Gruteri postrema; idque in nullo exstat cod. Forte legendum *in quibus quum plura, quæ diss. rel., prætor, ad quem delati erant, legisset, juravit senatui,* vel *in senatu.* In seqq. *contra Ro. po. esse*, pro *contra rempublicam*, sollemni errore Boend. *contra populum Romanum esse* ed. Camp. Vide ad IX. 26. § 8. Tum vocula *et* deest in Leid. Voss. Boend. et ed. Camp.

Filium, falsis alterius filii in eumdem delationibus inpulsus] Vet. lib. *falsis Persei alterius filii.* Sigon. Similiter Voss. et Berg. *filium Persei alterius filii* Leid. Voces *in eumdem* desunt in Leid. *in eum* legunt Vossian. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Forte *falsis Persei alterius filii delationibus.* Certe *in eumdem*, vel *in eum*, ex glossa additum videtur. Paullo ante *confectus* non adparet in Leid.

Et de pœna Persei cogitavit, voluitque] *Et* temere e fine vocis præced. repetitum videri potest. *Duk.* Vocula illa abest etiam a Leid. sed *etiam de pœna* legit ed. Camp.

Morte raptus est: regnum Perseus accepit] Vet. lib. *excepit.* Sigon. Prima vox exsulat a Leid. Tum *Perseus regnum excepit* Berg. *Perseus regnum accepit* Boend. et ed. Camp. *accepit* etiam Voss. et Norv. *cepit* Leid.

LIB. XLI.

Ti. Sempronius Gracchus proconsul] Vide ad XXXIX. 29. *Duk. Proprætor*, pro *proconsul*, legendum monet Merula ad Enn. Fragm. p. IↃLXXI. Sed vide quæ notantur ad XL. 39. § 1. Paullo ante verbum *est* deficit in ed. Camp.

Gracchurim oppidum in Hispania constituit] Recte: sic enim Festus lib. VII. 'Gracchuris urbs Iberæ regionis, dicta a Graccho Sempronio, quæ antea Illurcis nominabatur.' *Sigon. Græcorum oppidum* Voss. *Gracchorum oppidum* Leid. Lov. 2. Berg. Boenderm. Norv. et edd. vett. Frob. demum a. 1531. *Gracchurim* vulgavit. Ejus loco *Graccurim* sine adspiratione ex auctoritate nummorum antiquorum scribendum esse, monnit Duker. ad Flori lib. II. c. 17. § 9. eadem ratione, qua *Graccus*, omissa itidem litera *h*, in nummis scribi solet. At in Fastis Capitol. semper GRACCHVS exaratum offendi; quos secutus etiam hic *Gracchurim* servavi: vide ad III. 25. § 5.

A. Postumio Albino proconsule Vaccæi ac Lusitani subacti sunt] Vet. lib. *Et a Postumio Albino*. Sigon. *Et a Postumio* etiam Voss. Leid. Lovel. 2. Berg. et edd. vett. *Et Postumio* Boend. *A Postumio*, omissa copula, primus edidit Frob. 1531. *A. Postumio* Curio; quod ad Sigonium usque obtinuit, licet *L. Postumius* constanter vocetur XL. 35. Præterea *Vactei ac Lusitani* Boend. *Vactri et Lusitani* Leid. *et Lusitani* etiam Lov. 2.

De utrisque triumphavit] Vet. lib. *uterque triumphavit*. Recte: id est, Gracchus et Albinus: ille de Celtiberis, hic de Lusitanis: ita enim Livius cap. 7. *Sigon.* Similiter Voss. Leid. Lov. 2. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. *de utrisque* Norv. et edd. reliquæ vett.

Antiochus, Antiochi filius] Antiochus Magnus duos hoc nomine filios habuit, Antiochum, successorem patri futurum, sed ante eum mortuum, Liv. lib. XXXV. capp. 13. et 15. et hunc, deinde cognomine Epiphanem, qui Seleuco fratri natu majori successit. Eum a patre Romanis obsidem datum fuisse, scribunt Liv. l. XLII. c. 6. Appian. in Syriac. pagg. 112. 113. 116. Athen. X. 10. et Auctor Maccab. I. 1. 10. *Duk.* Vide Barbeirac. Histoir. des Anciens Traités, part. 1. artic. CCCCXV. p. 371. Primam autem vocem *Antiochus* librarii, sequentis similitudine decepti, omiserunt in Leid. et Boend. Forte eodem errore infectus est adhuc Ascon. Ped. ad Cic. Orat. in Pison. c. 22. 'Tradunt et Antiochi regis filio obsidi domum publice ædificatam:' ubi videtur legendum *Antiocho Antiochi regis filio*. Mox *obses a patre Romanis datus* Lov. 2. et Berg. quomodo Gronov. in tribus Mss. se invenisse ad verba proxima monnit. Dein *qui patre defuncto* Voss. et ed. Camp.

In regnum Syriæ dimissus] Tres membranæ, *obses a patre Romanis datus, mortuo fratre Sel., qui patri def. succ., in regnum Syriæ ab urbe dimissus*. J. F. Gronov. Si Auctor Epitomes credidit morte Seleuci Romam nunciata, Antiochum a Romanis ad occupandum regnum Syriæ dimissum fuisse, eum falli puto. Convenerat inter Romanos et Antiochum M. ut obsides tertio quoque anno mutarentur, excepto filio regis. Deinde post multos annos Seleucus, qui Antiocho patri successerat, pro fratre filium suum Demetrium obsidem Romam misit, nec ita multo post, Antiocho jam a Romanis dimisso, ab Heliodoro per insidias occisus, et Antiochus, qui Athenis nuncium de nece fratris acceperat, auxilio Eumenis et Attali regno Syriæ, quod Demetrio Seleuci filio debebatur, potitus est. Ita hæc narrat Appian. in Syriac. pag. 116. *in regnum ab urbe dimissus* Boend. et ed. Camp. *in regnum Syriæ ab urbe dimis*

sus non modo reliqui codd. Leid. Voss. Lovel. 2. Berg. Norv. et Exc. Pithœi, sed etiam reliquæ edd. usque ad ultimam Gruteri. Recte voces *ab urbe* ab ea omissas restituerunt Cleric. et Crevier.

Civium capita ducenta septuaginta tria millia, ducenta quadraginta quatuor] *CCLXIII. m. CCLXXXIIII.* Boend. et ed. Camp. *ducenta sexaginta tria millia, ducenta octuaginta quatuor* Voss. *CCLVIII. et CCXCIIII.* Berg. Exc. Pithœi, et Lov. 2. a m. pr. *CCLXXXX. CCXCIIII.* a m. sec. *CCLXIII. millia, CCCCXCIIII.* Norvic. et editio Roman. princeps. *CCLXIII. millia, CCXCIIII.* edd. proximæ usque ad Frob. qui a. 1531. edidit *CCLXIII. millia, CCXLIIII.* mox Curio *CCLXXIII. millia, CCXLIIII.* Revocavi igitur *ducenta sexaginta tria millia*, ut non tantum omnes ante Curionem edd. sed et multi codd. præferunt. In posteriore parte ambigo, utrum pro *quadraginta*, quod nulli codd. vel edd. ante Frobenium tuentur, et ex nota numeri centenarii *C.* in notam quinquagenarii *L.* perperam commutata natum est, *octoginta*, an *nonaginta*, scribendum sit; posterius tamen admisi.

Q. Volumnius Saxa tribunus plebis legem tulit] Emendo *Q. Voconius:* sic enim Cic. in Caton. cap. 5. ubi legis Voconiæ meminit: sic in Orat. pro Cornel. Balb. cap. 8. sic Augustin. de Civit. Dei III. 21. sic cæteri. Est enim hæc lex Voconia celebris. *Sigonius. Quelonius* Berg. *Q. Velonius* Voss. et Lovel. 2. *Q. Volonius* Leid. unde recte Sigon. *Q. Voconius* emendasse confirmatur. Emendationem ejus probavit Vertran. Maurus de Jure Liber. cap. 13. similiterque ante ipsum emendarunt Lud. Vives ad Augustin. de Civ. Dei, III. 21. et Hotom. ad Cic. in Verr. I. 41. Cognomen *Saxa* abest a Boend. Tum *tribunus populi* Voss. et Norvic. Celeberrimam legem Voconiam pluribus illustrarunt, et de ejus auctore, ætate, et argumento late egerunt Balduin. Ant. Augustin. de LL. in voce 'Voconia,' Pighius in Annal. ad an. IDLXXXIV. p. 375. Periz. in Dissert. Triad. pag. 99. et nuper Wieling. Lection. Jur. Civ. II. 19. et seqq.

*Ne quis hæredem mulierem instituere*t] Similiter Ascon. ad Cic. in Verr. I. 41. 'Voconius legem tulerat, ne quis census, hoc est pecuniosus, hæredem relinqueret filiam.' Augustin. de Civ. Dei III. 21. 'Lata est etiam illa lex Voconia, ne quis hæredem feminam faceret, nec unicam filiam.' Verum Wieling. loc. laud. cap. 20. non a verbis *ne quis*, sed a voce *qui* Voconium legem suam orsum esse docet.

Res contra Ligures, Istros, Sardos, et Celtiberos a compluribus ducibus gestas] Addo *prospere* ex membranarum fide. *Delrius. Adversus Ligures* Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Campani. Vide ad Epit. Liv. lib. LVII. Tum *Istros et Sardos* Leid. Lov. 2. et Berg. *et Istros et Sardos* Voss. Boend. et ed. Camp. Hinc *a pluribus ducibus* Boend. et ed. Camp. *a quam pluribus ducibus* Voss. Vide ad IV. 31. § 2. Deinde *prospere gestas*, ut Delrius ex suo emendat, Voss. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Et hanc lectionem ultima Gruteri ed. recepit. At voces *et Celtiberos a compluribus ducibus prospere* desunt in Leid. et Berg.

Et initia belli Macedonici continet, quod Perseus] *Continet, et initia belli Macedonici* Boend. omnesque edd. ante postremam Gruteri. At ordini vocum, quem Gruterus induxit, favent reliqui scripti. Deinde *quod Perses* Leid. vide ad XLII. 25. § 2. Mox vocem *enim* ignorant Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. Norv. et primæ edd. Ascensius eam addidit a. 1513.

Qui præter religionem, quod quam multa] Ergo, quum hæc Epitome fieret, jam mutilum erat cap. 20. hujus libri. In eodem enim errore versa-

tur, qui tenuit aliquamdiu viros doctos, quæ illic narrantur, ad Persen Macedonem pertinere. In quem qui potuit prolabi, quisquis integrum Livium vidit? Sic tamen semper editum, nec secus Vossianus, et major Gudianus. In minore nullum horum verborum vestigium est. Unde mihi suspicio nascitur, primogenio aliquo in exemplari ea scriptoris vitio prætermissa, in marginem deinde conjecta fuisse: itaque sequentium alios eadem dissimulasse, alios ad finem allevisse, quæ superius erant interponenda hoc modo: *Antiochus, Antiochi filius, obses a patre Romanis datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriæ ab urbe dimissus, præter religionem, qua multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Jovis Olympii et Antiochiæ Capitolini, vilissimum regem egit. Lustrum a censoribus, &c.* Juvat utcumque, quod in Voss. et Gud. *religionem quam multa*, non *religionem quod quam multa*. J. F. Gron. Tota hæc periodus aberat etiam a Leid. at solam voculam *quod* ignorant Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Camp. Sententiam Gronovii secuti Clericus et Crevierius ultima hæc verba superius inseruerunt. Tantum tamen conjecturæ, licet vera esse videatur, indulgere non audeo.

Templa magnifica multis locis erexit, Athenis Jovis Olympii, et Antiochiæ] Scribe *et Antiochiæ Capitolini*. Sic enim Livius hoc lib. cap. 20. alioquin imperfecta et oratio, et historia erit. *Sigon. Templa magnifica Jovis Olympii violans, multis sociis Athenis et Antiochiæ vilissimum regem egit* ed. Camp. quam lectionem vitiosam esse, fragmentum Livii a Sigonio laudatum docet. *Multis sociis*, omissa seq. voce *erexit*, Voss. Lovel. 2. et Boend. *multis sacris*, eadem voce deficiente, Berg. τὸ *Capitolini* in nullo est meorum.

LIB. XLII.

Q. Fulvius Flaccus censor templum Junonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliavit] Prænomen omittitur in Voss. Norvic. et edd. ante Sigonium: prænomen et nomen in Boend. Tum *Junonis Lacta sine tegulis* Exc. Pithœi: *Junonis Locrinæ* Voss. Lov. 2. in margine, et Boend. cum ed. Campani. Sed 'Juno Lacinia' jam sæpe ante memorata est. Memoratur et c. 3. Hinc *exspoliavit* Leid. Vide ad lib. XXXVIII. c. 14. § 10. Mox *quam dedicabant* Voss. *quam dedicabat* Leid. et Lov. 2. quod recepi. Nondum enim dedicaverat, sed adhuc ædificabat templum, teste Liv. c. 3.

Asiæ rex in senatu de Perseo, Macedoniæ rege, questus est] *Asiæ rex a sede Perseo, &c. quæsitus est* Boend. *Asiæ rex de Perseu* Voss. *Asiæ rex de Perse* Berg. Vide hoc lib. ad cap. 25. § 2. Mox *ob quam rem bello ei indicto* Voss.

Cui Macedonia decreta erat] Tres membr. *cui mandatum erat*. Scribe, *ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus consul, cui id mandatum erat, in Macedoniam transit*. J. F. Gronov. *Cui Macedonia mandata erat* Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *cui mandatum erat* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi. Mox *transit*, pro *transiit*, Voss. et Leid. Vide ad Epit. Liv. lib. CIII.

Levibusque expeditionibus, equestribus prœliis, in Thessalia cum Perseo parum felici eventu pugnavit] *Levibus expeditionibus* sine copula Leid. Boend. et ed. Camp. quorum primus insuper omittit voces *equestribus prœliis*. Dein *in Thess. cum P. eventu pugnavit* Voss. et Exc. Pithœi: *in Thess. prospero cum eventu pugnavit* Leid. *in Thess. cum P. prospero eventu pugnavit* Berg. *in Thess. cum P. felici eventu pugnavit* Lov. 2. Boend. Norv. et edd. ante Paris. 1573.

De agro fuit dies ad disceptandum a

senatu datus] Membr. Barber. *de agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus.* J. F. Gron. Neque diem certum, nam hoc est 'diem dare' et 'dicere,' neque arbitrum datum dicit Livius. Vide capp. 23. 24. *Duker. De agro quæstio fuit; dies eis a senatu ad disceptandum datus* Boend. quod recipi posset, modo legeretur *dictus*, pro *datus*. *De agro fuit ei dies a senatu ad disceptandum datus* ed. Campani: et ita Berg. nisi quod pronomen *ei* desit. *De agro fuit arbiter in senatu ad disceptandum datus* Lov. 2. Gronovii codici consentit Leid. cujus etiam lectionem recepi. At 'arbitri dati' Livius non meminit; verum nec *diei dati*, vel *dicti*. Tantum c. 24. nomine senatus Masinissæ nunciatur, 'ut de iis, de quibus Karthaginienses querantur, legatos quam primum ad senatum mittat:' Karthaginiensibus, 'ut ad disceptandum veniant.' Sæpe auctorem Epitomarum a Livio diversa tradere, antea observavimus.

Rogandos, an in fide permanerent] Membr. Barber. *rogandos, ut in fide permanerent.* J. F. Gron. *Ad socios rog., civ. et reges, ut in fide* Boend. et ed. Camp. *ad socias civitates regesque rogandos, ut in fide* Berg. *ad civitates socias et reges rogandos, ut in fide* Lov. 2. Leid. Norvic. omnesque edd. ante ultimam Gruteri, quæ perperam *an in fide* exhibuit. Mox *est* deest in Boend. et Lov. 2.

Civium capita CCLVII. millia CCXXXI.] *CCLXIX. m. et XV.* ego contra exemplarium auctoritatem ex ipsomet Livio castigo. *Delrius. CCLVII^m. et CCXXXI.* Boend. *CCCLVII. millia CCXXXI.* Lov. 2. *ducenta quadraginta septem millia et ducenta triginta unum* Leid. et Berg. Alium numerum edidit Livius c. 10. Hunc tamen, quem exhibet Epitome, veriorem putat Pighius in Ann. ad a. IↃLXXIX. p. 356.

LIB. XLIII.

Prætores nonnulli, eo quod avare et crudeliter provincias administrassent] Vet. lib. *Prætores aliquot.* Sigon. *Aliquot* etiam Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Camp. quorum omnium fide recepi. Tum *Rectores*, pro *Prætores*, Voss. Quæ lectio inde nata est, quod librarii, omissa litera initiali, postea ornatius pingenda, scripserint *retores* vel *rætores;* unde postea alii dederunt *Rectores.* Tum *crudeliter et avare* Boend. quomodo est apud Liv. c. 4. 'Quo crudelius avarinsque in Græcia bellatum erat.' At in hac ipsa re c. 2. dixit, 'De magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti.' Deinde *administrarant* Leid. et Exc. Pithœi apud Hearnium: *administraverant* Lov. 2. et Berg.

P. Licinius Crassus proconsul complures in Græcia urbes] *Consul* legendum conjicit Sigonius ad c. 4. § 1. Sed vide quæ ibi notantur. Præterea *quamplures in Græcia urbes* Voss. Norvic. et pleræque edd. vett. Reliqui codd. cum ed. Camp. recte *complures;* vide ad IV. 31. § 2. Mox *crudeliter* deest in Leid. Hinc *corripuit*, pro *diripuit*, Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Camp.

Captivi, qui ab eo venierant, ex senatusconsulto postea restituti sunt] Vet. lib. *qui ab eo sub corona venierant.* Sigon. *Qui captivi ab eo* Boend. et ed. Camp. Tum *ab eo sub corona venierant* Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Camp. Præterea voces *ex senatusconsulto* desunt in Leid. et Berg. earum loco *etsi* præfert Voss. in quo, ut et Berg. perperam librarii dederunt *destituti sunt*, perpetua literarum *D* et *R* commutatione; vide ad IX. 10. § 6.

A præfectis classium Romanorum multa inpotenter in socios facta] Vet. lib. *Item a præfectis classium.* Sigon. *Ro-*

manorum potest ferri; sed malim *Romanarum*, ut sæpe alibi 'classis Romana.' *Duk.* Illud *Item* exstat itidem in omnibus scriptis meis, et in ed. Camp. Hinc *præfectis classibus Romanorum* Boend. et ed. Camp. *præfectis classium Romanarum* Vossian. et edd. Rom. 1472. et Parm. quod a sequentibus mutatum Frob. 1535. revocavit, et reliqui editores servarunt usque ad Gruterum; cujus ultima ed. iterum admisit *Romanorum*. Sed recte Crevierius ei denuo *Romanarum* substituit. Insuper *multa impudenter* Boend. et ed. Camp. Solent hæ voces a scribis librariis confundi; vide ad VII. 39. § 5. et Epit. Liv. lib. XXIX. Reliqui codd. servant vulgatum: sæpe etiam 'inpotens,' 'inpotentia,' et 'inpotenter' hoc sensu apud Livium obcurrunt. 'Crudeliter et avare' in hac historia dixit Liv. c. 4. Tandem voces *in socios* desunt in Leid. In verbis proxime seqq. *præterea* deest in omnibus Mss. meis, et ed. Camp.

Continet, victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius. Motus] Vide Livium capp. 18. 19. 20. et deprehendes quanta negligentia, qui optimos auctores in ista redegerunt compendia, rem sæpe gesserint. Nec enim Gentius omnis Illyrici erat rex, sed tantum Labeatium Illyriorum, et Perseus, tantum aberat, ut Gentio aut regioni, cui ille præfuit, bellum intulerit, ut contra nihil sibi majori habuerit curæ, quam eum ad amicitiam et societatem secum jungendam omni modo perlicere. Atque ideo non Illyricum, cujus rex fuit Gentius, sed alios Illyrici populos, inter suum et Gentii regnum interjectos, vicit ac domuit. *Jac. Perizon.* Animadv. Histor. c. 9. p. 375. *Et victis Dardanis et Illyrico, cujus* (*Illyriis, quorum* Berg.) Leid. Lovel. 2. Berg. Boend. Norv. Exc. Pithœi, et edd. vett. Voculam *et* primo loco omisit demum Frobenii ed. 1531. Forte legendum *devictis Dardanis;* vel, mutata interpunctione, *et, victis Dardanis et Illyrico, cujus rex erat Gentius, motus, &c.* Ultima etiam verba in Mss. corrupte prostant. *Rex erat genio: motus* Leid. et ita Voss. nisi quod vocem *rex* omittat: *rex erat gemino: motus* Berg. a m. pr. *in gemino* a m. sec. *rei erat: semimotractus* Boend. *rei erat: Semnine tractus* ed. Camp. *Gentio,* pro *Gentius,* Exc. Pithœi. Voces *Gentius: motus* desunt in Lov. 2.

Motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat, ipso interemto consedit] Vet. lib. habent *ab Elonico.* Lib. XL. extremo, (c. 58.) 'Clondicus' dicitur; ut dixi, mendose: dux enim Bastarnarum fuit, qui in Dardaniam venerant, atque ibi manserant, a Philippo rege excitati. Quare, pro *Hispapania, Pæonia* lego. Est enim Pæonia Dardaniæ continens, ut ait Livius XLV. 29. In ea igitur cum bellum excitaret, interfectus a Perseo rege significatur. *Sigon. Qui in Pæonia ab Elonico* ab Sigonio acceperunt, quum in vetustis esset *qui in Hispania ab Olonico.* Putat hunc esse, qui lib. XL. extremo appellatur Bastarnarum dux in Dardanos. Pighius in Annal. ad a. IↃLXXXIII. p. 370. tuetur antiquum, et eo refert, quod ab injuria ævi superest c. 4. hujus libri. Suspicatur autem in hostium rebellium exercitu ex seditione ventum ad arma, et ante congressum prœlii cum Romanis Olonicum et alios belli principes ab his, qui pacem malebant, occisos: qui reversi in castra et capita ostentantes adversariorum tantum pavorem fecerint. Recordor, quod Florus scribit II. 17. fuisse, nimirum, qui argenteam hastam quatiens velut cœlo missam, et vaticinanti similis Celtiberos concitavit, Salondicum: sed, quum pari temeritate castra consulis adisset, juxta prætorium pilo vigilis exceptum finem bello in ipsis initiis fecisse. Numquid ergo scribendum *qui*

in Hispania ab Salondico. Hujus enim et socii capita præcisa et hastis suffixa per dimissos ex captivis Hispanis ad castra Celtiberorum misisse prætorem credibile est, quibus conspectis conciderent animi rebellantibus. Nam ad hoc belle referas illa c. 4. 'culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad pœnam ipsi obtulissent.' Nam quod 'consulem' vocat Florus, qui Livio 'prætor' est, nihil me terret. *J. F. Gron.* 'Olonicum' hic dici, qui Floro est 'Salondicus,' putat Vinetus ad Flor. II. 17. *Duker. In Hispania* servant omnes codices constanter. Tum *ab Olomico* Voss. *ab Holonico* Boend. et ed. Camp. *ab Helenico* Leid. *ab Elenico* Lov. 2. *a bello Punico* Berg. Dein *ipso in templo* Boend. Scriptum per compendium fuerat *int'empto*, quod minima mutatione in *in templo* abire potuit. Ceterum Gronovii adversus Sigonium sententiam pluribus tuetur Hearne ad c. 4. § 1.

Princeps in senatu lectus est] Illa *in senatu* in uno apud Hearnium cod. desiderantur. *Princeps in senatu lectus* est in Livio XXVII. 11. et XXXVIII. 28. *Dukerus.* Tà *in senatu* desunt in Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Deinde *electus* legit Berg. Vide ad XXVIII. 42. § 5. *Factus* Leid.

LIB. XLIV.

Q. Marcius Philippus per saltus penetravit] Vet. lib. *per invios saltus penetravit.* Sigonius. Ita etiam omnes scripti nostri, et ed. Camp. nisi quod *penetraverat* sit in Boend. Supra Livius IX. 14. 'Non hæc Furculas, nec Caudium, nec saltus invios esse.' XL. 27. 'Hos ipsos Ligures per saltus invios conscctati cecidernnt.' XLIV. 20. 'Exercitum per invios saltus in Macedoniam inductum.' Contra 'saltus pervius' est IX. 43. VII. 34. et alibi. Insuper *Marcius Philippus,* omisso prænomine, Vossian. *M. Philippus* Boend. *Marcus Philippus* ed. Camp. *C.* vel *Gaius Martius Philippus* Norvic. et plures ex primis edd. *L. Martius Philippus* ed. princeps, teste Hearnio. Error inde ortus est, quod librarii literam initialem omiserint, ut postea variis coloribus ornatius exararent; quod deinceps alii facere neglexerunt, alii perperam alind, quam debebant, prænomen addidernnt, alii nomen gentile *Marcius* in prænomen *Marcus* mutarunt, et vel integre vel solita nota *M.* scripserunt; vide ad Epit. Liv. l. LXII. Mox *et complures urbes* Leid. Lov. 2. et Berg. *quam plures urbes* Voss.

Misere legatos Romam, minantes, ut Perseo essent auxilio, nisi p. R. c. e. p. atque amicitiam conjungeret] Annotaverat Muretus, hanc Epitomen valde sibi suspectam esse. Credo ob hunc ipsum locum, quem tamen sic tentat: *legatos Romam, ut Perseo essent auxilio, minantes populo Romano, nisi cum eo.* Certius auxilium Gudiani minoris, in quo est, *Rhodii misere legatos Romam, minantes, se Perseo auxilio futuros, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam jungeret.* Postremum verbum sic quoque Vossian. et Gudianus alter edunt. *J. F. Gronov. Legatos Romam miserunt* Boend. et ed. Camp. Tum *minantes, ut Perseo auxilio essent* Voss. Berg. Boend. et ed. Camp. *minantes, quod Perseo auxilio essent* Lovel. 2. *minantes fore, ut Perseo essent auxilio* Jac. Perizonius ad marginem Livii emendavit. Sed præfero lectionem, a Gronovio ex Gud. minore probatam, et a Clerico ac Crevierio receptam, quam firmat insuper Leid. Deinde *nisi* (*ni* Boend.) *populus Romanus cum eo* (*cum illo* Lov. 2. Berg. et Voss.) *pacem atque amicitiam jungeret* omnes nostri Mss. Exc. Pithœi, et ed. Camp. De locutione 'jungere amicitiam' vide ad XXXV. 12. § 9. Ea etiam utitur auctor Epit. Liv. l. VII. 'Amicitia cum Karthia-

giniensibus juncta.' Similiter 'jungere pacem' Livius dixit I. 1. XXVII. 9. Auctor Epit. l. LXXXV. 'jungere fœdus' VII. 30. 'jungere societatem,' vide ad Epit. Liv. l. XLVI. Mox *indigne latum*, omissa media voce, Voss.

Quum id bellum L. Æmilio Paullo] Gud. major *Cum id belli L. Æmilio Paullo*. J. F. Gron. Similiter Lov. 2. quod Clericus recepit; vide ad VII. 26. § 12. Reliqui tamen nostri vulgatum servant, quod prætuli.

Paullus in concione precatus est, ut, &c.] Qui Epitomam hanc scripsit, parum accurate videtur Liviana verba legisse: neque enim in concione, quam Paullus habet, antequam in provinciam exeat, quicquam tale invenitur. Immo Paullus ait, se tali usum esse precatione, postquam Perseum vicerat. Verba ejus sunt in oratione ad Quirites post triumphum XLV. 41. 'Postquam omnia secundo navium cursu in Italiam pervenerant, neque erat, quod ultra precarer, illud optavi, ut, cum ex summo retro volvi Fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius, quam respublica, sentiret.' Item Valerius V. 10. 'Paullus,' inquit, 'in oratione, quam de rebus a se gestis ad populum habuit: Cum in maximo proventu felicitatis vestræ, Quirites, timerem, ne quid mali Fortuna moliretur, Jovem optimum maximum, Junonemque Reginam, et Minervam precatus sum, ut, si adversi quid populo Romano immineret, totum in meam domum converteretur.' Ergo neque antequam in Macedoniam iret, neque in concione ita precatus est. *Sigon.* Tres membranæ, *precatus, ut quicquid diri pop. Rom. immineret, in suam domum converteretur, et in Mac. profectus vicit Persen, totamque Maced. in pot. redegit.* Voss. unus *super domum suam.* J. F. Gron. Tribus Gronovii codd. ex meis consentiunt Lovel. 2. Berg. et Boend. et primo omittunt τὸ *est*, deinde legunt *in suam donum*, vel *in domum suam*, pro *supra domum suam*, ac denique *vicit Persen, totamque*, pro *Perseum vicit universamque.* Verbum *est* omittunt etiam Leid. et Voss. *super* vel *supra domum suam*, quod servant Vossian. et Leid. Latine dictum non est. *In domum suam* etiam Exc. Pithœi. Eam autem lectionem firmat locus Valer. Max. a Sigonio laudatus. *Persen vicit* etiam Leid. et Voss. Ita mox hac Epit. probavi *Perses*, pro *Perseus;* vide ad XLII. 25. § 2. Hinc *totamque Macedoniam* iidem quoque Leid. et Voss. Solent hæ voces in Mss. Epitomarum passim commutari; vide ad Epit. Liv. l. LII. Lectionem itaque Gronovii recte Crevierius recepit. Eumdem errorem auctoris hujus Epitomes, quem carpit Sigonius, observat etiam Jac. Perizon. in Animadv. Hist. c. 9. p. 375. Insuper vox initialis *Paullus* deest in Leid.

Antequam confligeret, dixit exercitui, &c.] Hæc non Paullum dixisse, sed C. Sulpicium Gallum tribunum militum, tradit Livius c. 37. et Valerius VIII. 11. Itaque legendum est, *Ant. confligeret, C. Sulp. Gallus tribunus militum dixit.* In veteribus autem libris est *prædixit exercitui, ne miraretur, quod luna defectura erat.* Sigonius. Quinque voces, *C. Sulpicius Gallus tribunus militum*, a Sigonio additæ, exsulant a Vossian. Lov. 2. Berg. et Boend. earum duas posteriores *tribunus militum* agnoscit Leid. Deinde *prædixit* est in omnibus quinque Mss. nostris, et in ed. Camp. Præterea *proxima nocte defectura esset* Lov. 2. et ed. Camp. *proxima nocte defectura erat* Berg. *prox. nocte defutura esset* Boend. *nocte proxima defectura erat* Leid. Similiter in his vocibus variant scripti III. 22. § 2. et IV. 30. § 7. Eodem modo 'fui' et 'feci;' vide ad XL. 50. § 5.

Rex Illyriorum, quum rebellasset, ab Anicio prætore victus] Ms. mendose *a Licinio.* Scribendum *a L. Anicio:* nam ita quum scriptum fuisset, librarii *ab Anicio* effecerunt. *Delrius*

Ab Anicio primus edidit Froben. an. 1531. *a Licinio* omnes priores, consentientibus Leid. Voss. Berg. Boend. et Norvic. *a Latino* Lovel. 2. Puto Delrium recte conjecisse *a L. Anicio.* Insuper *rex Illyricorum* Boend. Norv. et priscæ edd. Verum vide ad Epit. Liv. l. xx.

Cum uxore, et liberis, et propinquis, Romam missus] Ita primus Gronov. edidit an. 1665. concinentibus Leid. et Voss. Priores *et cum uxore, et liberis, et propinquis,* quod servant Boend. et Norvic. *et cum uxore, liberis, ac propinquis* Lov. 2. et Berg. An legendum *et cum uxore, liberis, ac propinquis Romam missus est?* quod in Berg. inveni: vide ad verba seqq.

Ab Alexandria legati a Cleopatra et Ptolemæo regibus venerunt] *Legati ab Al. ad Cleopatram et Ptolemæum regibus* Boend. *Ex Al. legati a Cleopatra* Vossian. *Legati Al. a Cleopatra* Leid. *Legati Alexandri a Cleopatra* Lov. 2. *Legati ab Alexandria a Cleopatra* Berg. et ed. Camp. Legendum puto *Al. legati a Cleopatra,* ut est in nonnullis edd. Illud *ex,* quod obvium fuit in Voss. mutandum est in *est;* et referri debet ad proxime præcedentia *Romam missus.* Quum postea abiisset in *ex,* alii ei substituernnt *ab,* alii plane omiserunt.

De Antiocho rege Syriæ, quod is bellum inferret] Vet. lib. *his,* id est, Cleopatræ et Ptolemæo. *Sigon. Qui his bellum inferret* Leid. *quod his bellum referret* Voss. *quod his bellum inferret* Boend. et ed. Camp. *quod eis bellum inferret* Berg. *quod is bellum inferret* Norv. et Lov. 2. Mox *Persen sollicitatis* Vossian. *Perses sollicitatis* Leid. quod admisi. Vide paullo ante.

Quia eis pecuniam, quam promiserat, non dabat] *Quod his pecuniam* Boend. *quia is pecuniam* ed. Frob. 1531. quod editores servarunt usque ad Gronovium, qui an. 1665. vulgatum substituit. Tum *minime dabat* Norvic. et edd. ante Sigonium. Vide ad Epit. Liv. l. xlix.

Ab eis relictus est] Hoc de Eumene et Gallis verum est, non de Gentio, quem victum in deditionem venisse paullo ante recte scripsit. *Duk. Relictus ab his est* Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Camp.

LIB. XLV.

Perseus ab Æmilio Paullo in Samothracia captus est] *A* vel *ab Paullo Æmilio* Boend. et ed. Camp. Tum *in Thracia* Leid. *in Semothrace* Boend. *in Samothrace* Voss. Lov. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. 'Samothracam' vocat Livius l. xliv. capp. 45. 46. et l. xlv. capp. 5. 6. 'Samothracen' l. xlv. capp. 28. et 40. Alibi 'Samothraciam.' Vide ad xlii. 25. § 6.

Ab obsidione socii regis absistere] *Ab obsidione Ptolemæi regis* Voss. *ab obsidione solo regis* Lov. 2. et Exc. Pithœi: *ab obsidione regis* Boend. et ed. Camp. Sed nihil mutandum. Emphasis enim est in voce *socii.* Caussa, cur Romani missis legatis jusserint ut Antiochus ab obsidione absisteret, illa fuit, quod Ptolemæus 'socius rex' esset. Eam lectionem servant Leid. et Berg. cum reliquis editis. Deinde *absisteret* Norvic. et editi ante Modium, quod firmant Leid. et Lov. 2. *abstineret* præferentes. *Abstinere* Voss. Berg. et Boend. quod ex interpretatione alterius marginali natum videtur; vide ad xxxi. 17. § 10. Sequor vulgatum *absisteret,* ut *juberent, absisteret* dictum sit per ellipsin τοῦ *ut.* Ita hac Epit. 'Jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret.' Vide ad x. 41. § 8. et xxxii. 16. § 9. Mox *traditisque mandatis* Lov. 2.

Consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset] Voculam *ille* non agnoscunt scripti nostri, et Exc. Pithœi. Eamdem vocem cum præcedenti omittit ed. Camp. Tum *faciundum* edd. principes, sed invitis codd. Hinc *responsum* Lov. 2. Mox *unus le-*

gatorum Norv. et edd. vett. Sigonius deinde *unus ex legatis* substituit; at nemo eum audire dignatus est, nisi demum Gruter. in ed. postrema; et hinc omnes recentiores ita vulgarunt. Consentiunt scripti nostri. Præterea *regem* abest a Boend.

Jussitque, antequam circulo excederet, responsum daret] Immo *dare*. J. F. Gronov. Conjecturam hanc probat Crevierius; eamdem, non monito lectore, in contextum recepit Clericus. Sed omnes nostri vulgatum tuentur, quod revocavi. Sed supra hac Epitome.

Populorum ac regum in senatum admissæ] *Atque regum* Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Tum voces *in senatum* omittit Leid. *in senatu* legunt Voss. Lov. 2. Berg. et ed. Camp. ambigue *in Se*. Boend.

Quia eo bello contra populum Romanum fuerant, exclusæ] *Qui eo bello* Voss. et Leid. sollemni scribarum commutatione. Vide ad XXXVI. 33. § 5. Hic receptam lectionem præfero. Ratio enim redditur, cur Rhodiorum legati in senatum admissi non sint. Tum *fuerunt* Boend. *faverant* Voss. et Exc. Pithœi; quod probavi. Suet. Calig. cap. 30. 'Infensus turbæ faventi adversus studium suum exclamavit.' Solent autem *favi* et *fui* in Mss. confundi. Vide ad III. 45. § 1. VI. 40. § 3. et VII. 16. § 3. Denique *exclusæ* Leid. Berg. et ed. Camp. Verum una tantum hoc tempore Rhodiorum legatio Romæ erat, licet constans ex pluribus legatis. Vide Livium c. 25.

Postero die, quum de eo quæreretur] Hoc non est in Livio. *Duk. Postera die* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Livium ipsum potius *postero die* dicere maluisse, vidimus ad I. 12. § 1. Mox *indiceret*, pro *indiceretur*, Boend. Vide ad X. 10. § 1. Hinc *legati gerunt*, pro *egerunt*, male Voss. et Leid. *gerunt legati* Berg. Dein *nec tamquam socii, nec tamquam hostes* Berg. Lov. 2. et Boend.

Macedonia in provinciæ formam redacta] Non tum, sed post devictum Pseudophilippum. Error est auctoris. *J. F. Gron.* Auctorem Epitomes jure summo reprehendit Gronovius. Verum, quia Liv. capp. 29. et 30. Macedonum rempublicam a L. Paullo victore ordinatam, formula etiam, quæ universos teneret, dicta, refert, ille ex eo, ut videtur, confestim in provinciæ formam redactam autumat, non cogitans, dici diserte a Livio c. 29. 'Omnium primum liberos esse Macedonas, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus,' jussisse Paullum; quæ utique cum provinciæ forma, ut inter omnes constat, minime conveniunt. *Perizon.* Anim. Hist. cap. 9. pag. 374. Errorem ab auctore Epitomes commissum etiam Sigonium de Ant. Jur. Prov. I. 8. notasse, monuit Duker. ad Flori II. 14. § 5. Ceterum *redacta est* Boend. Norv. Exc. Pithœi, et edd. ante Gruterum, cujus ultima τὸ *est* omisit, quod exsulat etiam a Voss. Leid. Berg. et Lovel. 2.

Æmilius Paullus, repugnantibus militibus suis] *Paullus Æmilius* Boend. et ed. Camp. Tum *repugnantibus militibus triumpho ejus* iidem libri: *repugnantibus militibus ipsius* Voss. Berg. et Exc. Pithœi: *repugnantibus militibus ejus* Lov. 2. Norv. et reliquæ edd. principes: *militibus suis*, quod habet etiam Leid. demum inveni in ed. Bas. a. 1554. Sed priorem lectionem revocavi.

Et Perscum cum tribus filiis ante currum duxit] Tres membranæ, *et Persen cum tribus filiis duxit ante currum*. J. F. Gronov. Pars illa hujus libri, in qua Livius triumphum Paulli exposuerat, periit. Duos filios Persei, Philippum et Alexandrum, hunc naturalem, illum natura fratrem, adoptione filium, memorat XLII. 52. Liberos parvos regios præter Philippum, c. 6. hujus libri, Plutarchus in

vita Paulli duos filios Persei cum una filiola ante currum Paulli ductos fuisse tradit. In hoc libro c. 39. tantum duorum filiorum Persei, Philippi et Alexandri, mentio est. *Duk.* Hoc lib. cap. 28. ‘Persea quidem cum majore filio Philippo, traditos A. Postumio, in custodiam misit: filiam cum minore filio, a Samothracc adcitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit.’ Ceterum *et Persen* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et ed. Camp. Vide Gronov. ad XLII. 25. § 2. Tum *duxit ante currum* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Mox *solida contingeret*, medio pronomine omisso, Leid. Præterea voces *quorum alterius mors patris triumphum præcessit, alterius secuta est* desunt in Leid. ultima vox deest in Voss. *triumphum patris* legunt Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp.

Capita trecenta duodecim millia, octingenta quinque] Pighius ad annum IↃLXXXIV. ex Aldino antiquissimo habet *CCCCXI. ↀ. IↃCCCX.* Non potest dubitari quin hic scribarum error sit. Nam, quod ex Epit. libb. XLVI. XLVII. et XLVIII. constat, tribus sequentibus lustris prope quarta parte pauciora capita civium censa sunt. De numero capitum hoc lustro censorum nunc nihil in Livio legitur. Opportunus de eo dicendi locus fuerat c. 15. ubi hoc fortassis cum aliis intercidit. Sed quum superiore lustro tantum ‘ CCLXIX. millia et quindecim ’ civium capita censa fuerint lib. XLII. c. 10. et eo, quod præcesserat, tantum ‘ CCLXXIII. millia CCXLIV.’ Epit. lib. XLI. mihi non apparet causa tantum quinque annis, qui inter lustrum proximum et hoc interfuerant, aucti numeri civium, ut nunc *CCCXII. millia IↃCCCV.* eorum capita censeri potuerint. *Duk.* Vulgatum superest in Leid. et Lov. 2. nisi quod eorum prior, addita copula, legat *et octingenta quinque.* Sed *trecenta duodecim millia DCCCCV.* est in Voss. *CCCXII*^{m}. *octingenta nonaginta quinque* in Berg. Boend. et ed. Camp. Qua Aldi ed. Pighius usus sit, nescio: at illa, quam ego consului, a. 1521. a vulgato nihil differt. Paullo ante *a censoribus conditum est* Boend. et ed. Camp. *a censoribus conditum,* deficiente *τῷ est,* Berg. et Lov. 2.

Prusias, Bithyniæ rex, Romam, ut senatui gratularetur] *Rex Bithyniæ* Lov. 2. Tum *ut in senatu gratias ageret* Berg. *ut senatui gratias ageret* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Frob. qui a. 1535. *gratularetur* emendavit. Mox *ex Macedonia paratam* Boend. sollemni errore scribarum. Vide ad v. 6. § 1. Dein *filium suum senatui commendavit* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante ultimam Gruteri, quæ *τὸ suum* omisit. Eamdem vocem non tantum ejecerunt omnes post Gruterum editores, sed etiam omnes scripti nostri, et ed. Camp.

Libertum se populi Romani dicebat] *Se populo Romano esse dicebat* Norv. et edd. vetustiores: *se populi Romani esse dicebat* iis proximæ usque ad Gruterum, qui iterum in ultima ed. *τὸ esse* expunxit, accinentibus omnibus scriptis nostris, et ed. Camp.

LIB. XLVI.

Eumenes rex Romam venit] Non venit Romam. Quum Brundusium venisset, quæstor ad eum missus est cum senatusconsulto, quod, quum fama esset, eum Romam adventare, factum fuerat. Polyb. Legat. XCVII. qui δόγμα senatus fuisse dicit, id est, ‘ senatusconsultum,’ non ‘ legem,’ ut Auctor Epitomes. *Duk.*

Qui, quia Macedonico bello se medium egerat] Grævius ad Suetonium Claud. c. 29. observat ‘ ago me principem,’ ‘ patrem,’ ‘ ministrum ’ Latinis auribus insolens loquendi genus et inauditum esse. Illas enim adsuesse audire ‘ ago principem,’ ‘ pa-

trem,' 'ministrum.' Sumtas autem locutiones esse ex scena, ubi 'ago Davum,' 'Simonem' est ejus personam gero; sic et 'agere mimum,' 'comœdiam' dici histriones, qui et propterea *actores* dicebantur. Ita Livius XLV. 25. 'Lenem mitemque senatorem egit.' Ovid. Her. II. 78. 'Hæredem patriæ, perfide, fraudis agis.' Val. Max. IV. 7. 3. 'Nec hactenus amicum egisse contentus, etiam fugæ ejus comes accessit.' Vell. Pat. II. 114. 'Agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis.' Vide viros doctos ad Plinii Ep. I. 17. Hanc locutionem Auctori Epit. restituens pronomen *se* delevi fide codd. Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Neque est, quod cuiquam locutio illa eruditior, quam pro genio scriptoris, videatur. Quum enim ita in quatuor Mss. invenerim, genus illud loquendi ab ipso potius, quam ab indoctioribus librariis, profectum credo; præsertim quum forte ob oculos habuerit verba deperdita Livii, quem subinde exprimere solitus est; atque ipse eamdem locutionem etiam adhibuerit lib. LII. 'Ipse L. Mummius abstinentissimum virum egerat.' Voculam *quia* omittunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Sed eam elisit præcedens pronomen *qui*. Vide ad IV. 58. § 4.

Ne aut inimicus judicatus videretur] Veteres lib. *ne aut hostis*. Sigon. Similiter omnes quinque, quibus usus sum, Mss. et ed. Camp. invito Hearnii Norv. Vide ad Epit. l. CX.

In comitio lex lata est] Vox *comitio* inepto legitur sensu. Melior antiqua lectio *in commune lex lata est, ne cui regi*. Sigon. Eamdem lectionem firmant omnes codd. mei, et ed. Camp. Probant eam etiam Pighius in Annal. ad a. IↃLXXXVII. p. 388. et Ursin. ad Polyb. Exc. Legat. num. XCVII. docens eam adstrui posse ex Polybio, qui dixerat *καθόλου*. Hearnii Norv. vitiatæ lectioni adhæret. Præterea *res*, pro *lex*, Leid. Berg. et Lovel. 2. sollemni errore scribarum. Vide ad XXXVI. 9. § 9. Tandem *data est* Lov. 2. Vide ad I. 4. § 7.

Ne cui regi Romam] Ita demum in postrema Gruteri ed. vulgatum inveni, consentientibus omnibus scriptis nostris, et ed. Camp. Priores præferunt *ne cuiquam regi;* quod sibi etiam in Norv. obvium fuisse, Hearnius testatur.

Marcellus consul Alpinos Gallos] [Vide Lectt. Var.] Omnes nostri vulgatum exhibent.

C. Sulpicius Gallus Ligures subegit] Vet. lib. *Gallus consul*. Sigon. Obsequens c. 71. in hoc anno: 'Galli Ligures deleti:' distinctio post *Galli* ponenda videtur, vel legendum *Galli et Ligures deleti*. Dnk. Vocem *consul* a Sigonio additam agnoscunt omnes scripti mei, et ed. Camp. quam contra a Norvicensi abesse Hearnius monuit. Insuper cognomen *Gallus* abest a Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quod forte librarius neglexit, quia modo præcessit *Gallos*. *C. Sulpicius Gallos Ligures* ediderunt Feyerab. et Modius, pro quo recte *Gallus* reposuit Gruterus. Et, ita scribendum esse, monuit etiam Cluver. Ital. Ant. I. 7. 50. Neminem enim veterum auctorum, quorum monumenta exstant, adfirmasse, Ligures Gallicam gentem esse. Non adtendit itaque Cluver. ad corruptum Obsequentis locum; cui optimam medicinam adtulit Dukerus, ut jam sententiæ huic non obstet. Similiter Pighius in Annal. ad a. IↃLXXXVII. p. 388. ex loco illo Jul. Obseq. docet hoc anno 'Ligures et Gallos' deletos esse. In eo tamen Cluver. aberravit, quod Sigonium apud Nostrum ex vet. lib. *Gallus*, pro *Gallos*, emendasse scripserit; quum demum post Sigonium corrupte *Gallos* editum fuerit. In Fastis Triumph. Gallus triumphasse dicitur de *** BVS. TAR *** NEIS. Priorem lacunam viri docti supplent *LiguriBVS*. Quinam vero populi ceteris vocum reliquiis lateant, incer-

tum est. Mox *questi sunt* Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. idque voluit scriba Boend. qui aberrans dedit *quesiti sunt*.

Quod fines suos depopularetur] Ita primum editum vidi a Froben. an. 1531. quem recentiores omnes secuti sunt. Priores præferunt *popularetur*, concinentibus scriptis nostris, et Hearnii Norv. quorum auctoritate recepi. Solent autem passim hæ voces confundi. Vide ad II. 62. § 4. X. 12. § 7. et XXXVII. 27. § 9.

Dixeruntque, eum conspirasse contra populum Romanum cum Antiocho] Hoc non Prusiæ, sed Asiaticarum civitatum legatos quosdam dixisse, scribit Polyb. Legat. CIV. *Duk.* Τὸ *eum* exsulat a Voss. *ipsum conspirasse* legit ed. Camp. Deinde *versus populum Romanum* Berg. *adversus populum Romanum* Voss. Lov. 2. et Boend. Vide ad Epit. l. LVII.

Societas cum Rhodiis deprecantibus juncta est] Ita Gronov. 1665. edidit, consentientibus Berg. Lovel. 2. et ed. Camp. *cum Rhodiis precantibus* Boend. Priores vulgo legunt *cum deprecantibus Rhodiis*: et ita reliqui scripti, et Hearnii Norv. Deinde *unita est* Boend. Sed 'jungere societatem' locutio est ipsi Livio frequens. Ita XXIII. 33. 'A Philippo rege se missum ait ad amicitiam societatemque jungendam cum populo Romano.' XXXIII. 2. 'Rogatio inde, &c. lata recitataque de societate cum Romanis jungenda.' Lib. XXXIV. c. 57. 'Quum ad amicitiam petendam jungendamque societatem venissent.' Similiter locutus est ipse auctor Epit. l. XIV. 'Cum Ptolemæo Ægypti rege societas juncta est.' Epit. l. XXIII. 'Inter Philippum Macedonum regem et Hannibalem societas juncta est.' Pari modo 'jungere amicitiam' inlustratur ad XXXV. 12. § 9.

Lustrum a censoribus conditum est. Censa eo sunt] Vet. lib. *Censa sunt.* Sigon. Consentiunt scripti nostri, et ed. Camp. at voculam *eo* servat Norvic. Hearnii, passim vulgatis adhærens. Verbum *est* non adparet in Leid. Berg. et Lov. 2.

Trecenta viginti septem millia viginti duo] Placet magis Mstum Jacobi Susii, in quo *CCCXXXVII. millia XXII.* notata sunt, sicut in Plutarcho, qui in L. Paulli vita pag. 275. totidem ipsum millia civium recensuisse refert. *Pighius* in Annal. ad a. IↃLXXXIX. pag. 395. Scripti nostri nihil mutant; nisi quod Boend. legat *CCCXXVII. M. et XXII.* Exc. Pithœi *CCCVII. millia.* Ed. Campani *CCCXXVII. millia XXXII.* Secundum Plutarchum loco laudato ἀνεγράψαντο κατ' αὐτὸν [Αἰμίλιον] μυριάδες ἀνθρώπων τριάκοντα τρεῖς, ἔτι δ' ἑπτακισχίλιοι, τετρακόσιοι πεντήκοντα δύο.

Princeps senatus lectus M. Æmilius Lepidus] Censores fuerunt L. Æmilius Paullus, Q. Marcius Philippus. Ab his quartum princeps senatus lectus est: nam, ante ter lectum fuisse, dixerat Livius XL. 51. XLI. 27. et lib. XLIII. cap. 15. Deinde quintum, ac denique sextum lectus est, Epit. libb. XLVII. et XLVIII. haud scio an nulli præter eum contigerit. *Duk.* Vox *lectus* non conspicitur in Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ptolemæus Ægyptiorum rex, a minore fratre e regno pulsus] Tres scripti *Ptol. Ægypti rex, pulsus regno a minore fratre, missis.* J. F. Gron. Hoc quidem præferendum puto propter auctoritatem Mstorum, et quod præpositio *e* hic temere a fine vocis præced. repetita videri potest. Nec tamen Gronovium vulgatam scripturam tamquam minus Latinam, improbasse credo. Livius XXV. 31. 'Per seditiones pulsi ab domo.' Florus I. 10. 'Pulsis ex urbe regibus.' *Dukerus. Ægypti rex* præferunt etiam Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et editio Camp. Non memini titulum *Ægyptiorum rex* apud Livium vel auctorem Epitomarum obcurrere: at contra

sæpe *Ægypti reges* memorantur. Vide Livium XXVII. 30. XXXI. 2. XXXII. 33. XXXV. 13. XXXVI. 4. XXXVII. 3. lib. XLV. capp. 13. et 44. Auctorem Epit. libb. XIV. XLV. LII. CIV. CXI. aliisque locis. Pariter 'rex Syriæ,' 'Cappadociæ' potius dixit, quam 'Syrorum,' 'Cappadocum.' Vide Epit. libb. XXXV. XLIV. XLVI. et XLVII. Æque autem 'rex Numidarum' adhibuit, ac 'Numidiæ.' Vide ad Epit. l. LXII. et contra 'rex Macedonum' potius, quam 'Macedoniæ;' vide ad XL. 29. § 4. quamvis tamen et alterum apud eum obcurrat XL. 6. et alibi. Crevierius edidit *rex Ægypti*, et ita in tribus codd. Gronovium, in ed. autem Campani se invenisse testatus est. Sed in ordine vocum aberravit. Deinde *pulsus regno a minore fratre* iidem codd. eademque ed. Præpositionem *e* etiam ab Exc. Pithœi abesse, Hearnius monuit. Et ita plerumque solet auctor. Sic Epit. lib. XLVII. 'Consilio Demetrii regis Syriæ et viribus pulsus regno.' Epit. l. LXVI. 'Jugurtha pulsus a C. Mario Numidia:' ubi quædam vide. Epit. l. LXXIX. 'Pulsus urbe a Cn. Octavio collega.' Epit. l. CII. 'Catilina urbe pulso.' Epit. lib. CIV. 'Ptolemæus, Ægypti rex, regno pulsus Romam venit.' Epit. l. CXI. 'Abrogato magistratu pulsus urbe:' et Epit. eadem, 'A Ptolemæo fratre regno pulsa est.' Similiter 'expellere Italia' Epit. lib. CIX. ubi etiam vide. Clericus edidit *regno pulsus a minore fratre* contra fidem omnium codd. et edd. Utrobique hic Mstos duces secutus sum.

Missis ad eum legatis, restitutus est] *Remissis* Exc. Pithœi apud Hearnium, invitis omnibus aliis, scriptis et excusis. Tum *regno restitutus est* Lov. 2. *in regno restitutus est* Boend. *in regnum restitutus est* Norv. Hearnii, et edd. omnes ante Gruterum, excepta una Campani; quæ cum Gruteri ultima voces *in regnum* omisit, concinentibus Voss. Leid. et Berg. Et possunt etiam commode ex præcedenti 'pulsus regno' intelligi.

Regnum accepit, et amicitiam cum populo Romano per legatos renovavit] Ita Gronov. a. 1665. edidit, adsentientibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani, nisi quod præpositio *cum* desit in Berg. Reliqui vetustiores typis descripti *accepit regnum, et am. per legatos cum pop. Rom. renovavit:* quomodo etiam fuisse videtur in Leid. et Voss. Eumdem ordinem reduxerunt Cleric. et Crevier.

Adversus Ligures, Corsos, et Lusitanos] *Et Corsos, et Lusitanos* Leid. Berg. et Lov. 2. quod recepi. Auctori enim familiarissimum est, ut hoc modo copulam *et* repetat. Supra Epit. l. IV. 'Res præterea gestas adversus Volscos, et Fidenates, et Faliscos continet:' ubi quædam vide, ut et ad Epit. libb. IX. et XIII. Insuper Epit. l. XXXVIII. 'Gallogræcos, Tolistoboios, et Tectosagos, et Trocmos vicit.' Epit. l. XLVIII. 'Vaccæos, et Cantabros, et alias incognitas adhuc nationes subegit.' Epit. lib. LIX. 'Caputque ejus, et manus, et pedes matri misit.' Ibid. 'Seditiones a triumviris Fulvio Flacco, et C. Graccho, et C. Papirio Carbone agro dividendo creatis excitatæ.' Epit. lib. LXXX. 'Marius Antium, et Ariciam, et Lanuviam colonias devastavit.' Epit. l. XCVI. 'Sertorius a M'. Antonio, et M. Perperna, et aliis conjuratis in convivio interfectus est.' Epit. lib. XCIX. 'Gnosson, et Lyctum, et Cydoniam, et alias plurimas civitates expugnavit.' Epit. l. CII. 'Cum Lentulo prætore, et Cetbego, et pluribus aliis conjuravit.' Epit. lib. CXX. 'Tresviri reipublicæ constituendæ per quinquennium essent ipse, et Lepidus, et Antonius.' Epit. l. CXXXI. 'Iapydas, et Dalmatas, et Pannonios subegit.'

Cum Lysia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat]

Tutore ejus ex vet. lib. et Appiano in Syriaco p. 117. *Sigon.* Duo scripti *cum Lysia tutore Dem., Sel. filius, qui Romæ obses fuerat.* J. F. Gron. Vocem *ejus*, a Sigonio demum receptam, ignorant etiam Leid. Voss. Lovel. 2. Berg. Boend. et Hearnii Norv. quam Cleric. et Crevier. iterum ex contextu ejecerunt. Deinde *qui Romæ obses fuerat* Vossian. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Clam, quia minime dimittebatur a Romanis] Vet. lib. *quia non dimittebatur.* Sigon. Post hæc verba excidit vox *elapsus.* Quod vero Sigonius *non dimittebatur*, nostri scripti confirmant. Historia est apud Polyb. Exc. Legat. num. CXIV. *J. F. Gron. Non dimittebatur* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Perperam alteri lectioni adhæret Hearnii Norvic. Passim in his Epitomis editores *minime* dedisse, ubi plerique codd. *non* præferunt, videbimus ad Epit. lib. XLIX. Mox *in regno receptus* Boend. et ed. Campani.

L. Æmilius Paullus, qui Perseum vicerat, mortuus; cujus tanta abstinentia fuit] Scripti *Persen.* J. F. Gronov. *Persen* etiam scripti nostri, et ed. Campani. Vide ad XLII. 25. § 2. Præterea *L. Æmilio Paullo, &c. mortuo, cujus tanta* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Hearnii Norv. et priscæ edd. quarum Aldina locum asterisco notavit. Frobenius deinde a. 1531. eam lectionem excudit, quæ postea vulgo exstitit. Sed Leid. præfert *L. Æmilio Paulo, &c. mortuo, tanta ejus abstinentia fuit;* quod positum est pro *L. Æmilii Paulli mortui tanta abstinentia fuit.* Vide ad Epit. l. LXVIII. Hanc igitur lectionem, codicis unius fide nisam, incertæ auctoritatis conjecturæ prætuli.

Ex Hispania et Macedonia] Hujus loci argumento quoque nituntur viri eruditissimi, qui Æmilium Paullum ter triumphasse contendunt. Sed operæ est legi, quæ adversus sententiam illorum disputat Perizon. Animadv. Histor. c. 6. pag. 211. *Duker.* Adde Perizonii ad Morellii Quæstiones Epistolicas de Nummis Consularibus Responsionem, ejus dissertationi de Ære Gravi subjectam p. 132. 156. et 229. Ceterum *et ex Macedonia* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. quod recepi. Multis aliis locis in Mss. auctoris hujus præpositiones repetuntur, quas editores vulgo ejecerunt. Vide ad Epit. libb. LII. XCIII. CXV. et CXXXIX. Id autem huic scriptori adhæsisse videtur ex diligenti Livii lectione; quem ita loqui solitum fuisse, vidimus ad VI. 28. § 6.

Maximas opes retulisset, vix ex auctione bonorum ejus redactum sit, unde dos uxori ejus redderetur] Quatuor membranæ *immensas opes et spolia ret., vix ex auct. ejus redactum sit, unde uxori ejus dos solveretur.* J. F. Gron. Vide Polyb. Exc. Peiresc. pag. 146. et Diod. p. 326. etiam Plutarch. in vita Paulli. *Duker. Immensas opes* etiam Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi, quorum nullus voces *et spolia*, quas Gronovius in Mss. suis invenit, et Clericus in contextum recepit, agnoscit. Tum *ex auctione ejus* omnes iidem codd. cum Boend. et ed. Campani. Insuper *unde uxori ejus dos redderetur* Boend. et ed. Camp. *unde uxori ejus dos solveretur* Berg. et Lov. 2. *unde dos uxori ejus solveretur* Exc. Pithœi: *unde dos uxori ejus persolveretur* Leid.

Pomptinæ paludes a Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat] Gruchius Refut. ad Poster. Disput. Sigonii c. 43. ita scribit, ut qui existimaverit, hoc anno paludes Pomptinas siccandas provinciam consularem fuisse. Hoc nequaquam verosimile, et a ratione hujus temporis alienum est. Pighius a. IↃXCIII. putat, alteri consulum Galliam et Ligures, alteri Italiam provincias decretas fuisse, et illam Anicio, hanc Cethego evenisse, eumque, quum in Italia materiam belli

non haberet, e paludibus Pomptinis agros fecisse. Quod de provinciis dicit, mihi non probabile videtur. Nam quum Livius ante a. IↃLXXXVI. in quo desinit liber XLV. sæpe tradat consulibus Galliam et Ligures provincias decretas, et has, non Galliam et Ligures alteri, Italiam alteri, etiam post hunc annum, consulibus provincias fuisse, ex Epitomis Livii et aliis scriptoribus ipse Pighius colligat, non magna ratio est, cur credamus, hoc anno alterum consulem Italiam, alterum Galliam et Ligures provinciam habuisse. Sed quamcumque demum Cethegus habuit, non potuit manu militari Pomptinas paludes, quæ in Volscis, non in provincia Italia, erant, siccare, nisi extra ordinem dato eas siccandi negotio. De Pomptinis paludibus multa habet Cluverius Ital. Ant. III. 7. 1003. et seqq. *Duker. Pontinæ paludes* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Norvic. et edd. principes. Male. Vide ad II. 34. § 4. et viros doctos ad Suet. Cæs. c. 44. *Tum provincia obvenerat* Leid. Utrumque Livio in usu fuit. Vide ad V. 12. § 6. et IX. 31. § 1. Mox *ægerque* edd. Mediol. an. 1480. Tarvis. utraque, et plures aliæ; pro quo Mediol. 1505. Ascens. 1510. et hinc reliquæ dederunt, quod non tantum edd. principes, sed et scripti nostri constanter servant. Insuper *factus est,* addita ultima voce, Berg.

LIB. XLVII.

Cn. Tremellio tribuno plebis] Hoc Pighius ad a. IↃXCIII. quo Cethegus consul fuit, non scio qua ratione, refert. Quum alio libro a Livio relatum fuisse appareat, non dissimile vero est, post illum annum factum fuisse. *Duk. Cn. Cornelio* Berg. *Cn. Tervilio* Boend. et ed. Camp. *Cn. Trevilio* Leid. *Cn. Tremelio* Lov. 2. Norv. et edd. principes. Tum *pr.* Exc. Pithœi: *prætori* Leid. et Lov. 2. in contextu: *procons.* vel *proconsuli* Voss. Lov. 2. in margine, Boend. et ed. Camp. *a po. Ro.* Berg.

Multa dicta est] Ab ipso pontifice maximo, credo, ut Q. Fabio Pictori prætori a P. Licinio apud Livium XXXVII. 51. et Cn. Cornelio Dolabellæ, duumviro navali, a C. Servilio, pontificibus maximis XL. 42. et quum de mulcta ad populum, ut solebat, certatum fuisset, tribunum damnatum fuisse. 'Jus magistratum' autem accipio jus tribunorum plebis, quibus, quod sacrosancti erant, vel Trebellius solus, vel cum eo etiam ceteri tribuni plebis, videtur contendisse non esse jus pontifici maximo mulctam dicere: de quo non dubitatum fuerat, quum pontifices maximi in alios magistratus jure illo usi fuissent. *Duk.*

Cum M. Æmilio Lepido] Æmilii prænomen deest in Voss. quod interceptum videtur a litera finali voculæ præced. Vide ad XXXIX. 5. § 11. Cognomen ejus exsulat ab Boend. et ed. Camp. Mox *contenderet* legit Voss.

Sacrorum quoque magistratuum jus potentius fuit] Vet. lib. *sacrorumque magistratuum.* Sigon. Sic quidem Sigonius ex vet. libro, quum antea legeretur *sacrorum quoque magistratuum.* Non video quid inter hanc et illam lectionem intersit. Nemo enim pontificatum dixit *magistratum sacrum.* Aut ex priori faciendum *sacrorumque, quam magistratuum, jus potentius fuit;* aut ex scripta, duabus literis deletis, *sacrorumque magistratu jus potentius fuit.* Huc etiam magis inclinabam: et ne quis offenderetur, ab altera parte poni *magistratum,* ab altera parte *jus sacrorum,* (quum aut *magistratus* et *sacra,* aut *jus sacrorum* et *magistratuum jus* comparari debeant,) observaveram similia. Lib. XXXIV. c. 44. 'Quod ludis Romanis ædilibus curulibus imperarent, ut loca sena-

toria secernerent a populo.' Non ait *a locis populi*. Quintilianus Instit. XII. 7. 'Ut accusatoriam vitam vivere, et ad deferendos reos præmio duci proximum latrocinio est; ita pestem intestinam propulsare cum propugnatoribus patriæ comparandum.' Hoc maluit, quam *defensione*. Justinus IV. 3. 'Ausi facinus, nulli tyranno comparandum:' alii *nulli tyranni comparandum*. Nequidquam. Juvat quod apud Nostrum est VII. 26. 'Cujus populi ea cujusque gentis classis fuerit, nihil certi est: maxime Siciliæ fuisse tyrannos crediderim.' Seneca de Ira I. 4. 'Rabiosum, clamosum, difficilem, asperum, quæ omnia irarum differentiæ sunt.' *J. F. Gron.* Planissima sententia est in conjectura *sacrorumque, quam magistratuum, jus potentius fuit:* id est, jus sacrorum plus valuit, quam sacrosanctorum magistratuum. Livius VII. 22. 'Nec tamen dictatura potentiorem eum consensum Patrum consularibus comitiis fecit, quam censoriis fuerat.' Et XXV. 1. 'Ubi potentius jam esse id malum apparuit, quam ut minores per magistratus sedaretur.' *Duker. Sacroram quoque magistratuum*, ut ante Sigonium edebatur, Boend. et Norv. Hearnii: *sacrorumque ob magistratuum jus potentior fuit* Berg. *sacrorum quemquam magistratuum* Voss. *sacrorumque quam magistratuum jas*, ut Gronovius primo loco conjecit, et edendum curavit, præferunt Leid. et Lov. 2. Ita satisfactum est, spero, Crevierii scrupulo; cui, probabilis licet conjectura, non ideo tamen in contextum admittenda videbatur. Eam enim nunc duo meorum codicum verissimam præstant. Eamdem Gronovii emendationem probat etiam Bosius de Pontif. Max. Rom. Vet. c. 6. At posteriorem aliis exemplis inlustrat Gronov. Observ. IV. 8. p. 121.

Lex de ambita lata] A. IↃXCIV. Cn. Cornelio Dolabella, M. Fulvio Nobiliore consulibus, ut putant Manutius de Legibus Rom. c. 28. et Sigonius de Judic. II. 30. idemque ad Fastos, et Pighius in Annal. ad h. ann. Sed de anno nihil certi ex Epitoma statui potest. *Duk. Lata est* Berg.

Capita trecenta viginti octo millia, trecenta quatuordecim] Mss. habent *CCCXXXIIX. M.* Delrius. *Trecenta quataordecim* vetus liber Ms. Jac. Susii non habet. Qui numerus an temere negligentia scriptoris alicujus in contextum irrepserit, videndum. Prioris enim et sequentis lustri summæ quid tale videntur insinuare. *Pighius* in Annal. ad a. IↃXCIV. p. 515. *Trecenta triginta octo millia* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. Hearnii, et edd. omnes usque ad Ascens. qui *CCCXXVIII. millia* a. 1513. substituit: quod recentiores edd. servarunt. Sed ejus loco nunc priscam lectionem reduxi. Numerum posteriorem nullus meorum omittit; plerique tamen in eo variant. Nam *et CCCXIIII.* legit Boend. *trecenta sexdecim* Leid. *CCCXVI.* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Ob eorum itaque in posteriori numero servando consensum Susii codicem non audio.

Princeps senatus lectus Æmilius Lepidus] *Princeps Sex. Æmilius* Excerpt. Pithœi: *princeps Sextus Æmilius* Leid. Berg. et Lov. 2. *princeps Æmilius* Voss. Boend. et ed. Campani. Nihil mutandum esse, quilibet videt. Puto olim per compendium datum fuisse *princeps se. lectus*, vel *princeps S. lectus*, unde facile ab iis, qui compendium scribendi non adsequebantur, factum est *princeps Sextus*, et mox *princeps Sex.* a nasutiore deinde, qui Æmilium in initio hujus, et præcedenti Epitome alio prænomine usum observarat, illud *Sex.* vel *Sextus* omissum est.

Ut alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret] Voss. et duo Gud. Pall. sine præpositione *Ægypto*. Lege *ut alter Ægypti, alter Cyrenis regnaret*. Sic enim amant loqui. *J. F. Gron. Alter*

Ægypto etiam Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Ex ea lectione, quæ constanter in tot nnmero codd. superest, nata Gronovii eonjectura *alter Ægypti* admodum verisimilis fit; qnam etiam probasse videtur Perizon. ad Sanctii Min. IV. 6. 371. Similes autem locutiones auctori Epitomarum usitatas fuisse, videbimus ad Epit. l. LIX. Eæ autem ipsi adhærere potuerunt ex frequentiori lectione Livii, quem iis usum vidimus ad XXXIII. 41. § 6. Similiter etiam alios locutos fuisse, docuit Oudend. ad Cæs. B. G. III. 7. Mox *Demetrii Syriæ regis* Berg. Lov. 2. et Boend. Tum *a senatu restitutus*, omisso verbo *est*, Leid.

Missi a senatu, qui] Ita demum ultima Gruteri ed. neque aliter omnes scripti nostri, et ed. Camp. reliqui typis inpressi præferunt *missi a senatu legati, qui;* quod sibi in Norv. obvium fuisse Hearne testatur. Sed vox *legati* emblema glossatoris videtur. 'Mittere' simpliciter pro mittere legatos poni, vidimus ad XXXVII. 26. § 9.

C. Marcius consul adversum Dalmatas parum prospere primum] Vox *consul* abest a Leid. Tum *et adversus Dalmatas* Boend. *adversus Dalmatas* Voss. et Berg. Et ita passim plerique codd. exhibent in his Epitomis, ubi vulgo *adversum* editur. Exempla vide ad Epit. libb. II. IV. XI. XVIII. XXVI. XXXVII. XXXIX. XLVIII. XLIX. LVIII. LXV. LXX. LXXVI. LXXVII. LXXXIII. LXXXVI. XCVIII. CVII. CX. CXVII. Similis varietas in Mss. ipsius Livii obcurrit. Vide ad I. 59. § 12. III. 28. § 8. c. 67. § 11. IV. 37. § 6. V. 4. § 14. c. 27. § 7. VI. 6. § 12. c. 38. § 4. VII. 28. § 2. IX. 18. § 7. XXI. 59. § 1. XXII. 39. § 5. XXXIV. 31. § 15. c. 32. § 18. Vide Corte ad Plinii Ep. II. 17. § 4. Tum *primum parum prospere* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Illyricos, populi Romani socios, vastaverant] *Illyrios* ex Græcis et Lapidibus Capitol. *Sigonius.* Ita etiam Berg. et Lov. 2. Vide ad Epit. l. XX. Tum *socios populi Romani* Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Dein *vastaverunt* Leid. *vastarent* Boend. et ed. Camp. An voluerunt *vastarant?* Paullo ante *bello* deest in Voss. *confligendi* in Leid. *belli confligendi caussa* legit Boend.

Massiliensium oppida, Antipolim et Nicæam] *Oppidum* omnes scripti nostri, Exc. Pithœi, Norv. Hearnii, et edd. vett. quasi tria loca, oppidum Massiliensium, Antipolis, et Nicæa vastata intelligerentur. Sed recte *oppida* postea vulgatum est, quod primum obcurrit in ed. Frob. 1535. ut Ligures vastasse dicantur Antipolim et Nicæam, quæ Massiliensium oppida regioni suæ vicina erant. Antipolim et Nicæam colonias Massiliensium fuisse, docet Strabo IV. 180. unde etiam τὰς τῶν Μασσαλιωτῶν πόλεις vocat p. 184. Similiter Polyb. in Exc. Legat. num. CXXXI. Τό τε δὲ (Μασσαλιῶται) συγκλειόμενοι τελέως, καὶ πρὸς τούτοις καὶ πολιορκουμένων τῶν πόλεων Ἀντιπόλεως καὶ Νικαίας, ἐξαπέστειλαν πρεσβευτὰς εἰς τὴν Ῥώμην.

Præterea res in Hispania a complurimis parum prospere gestas continet] Ita primus Gronov. a. 1665. edidit, quod plerique eum secuti servarunt, sed contra omnium codd. et edd. auctoritatem. *A quampluribus* Vossian. et Berg. Vide ad IV. 31. § 2. Reliqui *a compluribus*, ut ante Gronov. edebatur, quod quidam recentiorum recte revocarunt. Vide ipsum Gronov. ad Epit. l. XLIX. Tum *parumper prospere* Voss. Male. Romanis velificatus *parum prospere* dixit pro 'infeliciter.' Ita modo hac Epit. 'Adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit.' Epit. l. XLVIII. 'Hispaniense bellum quum parum prospere aliquoties gestum ita confudisset civitatem Romanam:' et alibi. Infeliciter autem Romanos circa hæc tempora cum Lusitanis bel-

lum in Hispania gessisse, colligitur ex App. Alex. Hispan. p. 286. Insuper, ordine vocum inverso, *Præterea in Hispania a compluribus parum prospere res gestas continet* Boend. Norv. Hearnii, et edd. ante Gruterum, qui dictiones, ut nunc eduntur, transposuit, consentientibus reliquis scriptis meis. Vide ad Epit. l. CIV.

Consules anno quingentesimo nonagesimo octavo ab urbe condita magistratum] *Consules annos quingentos nonaginta octo ab urbe condita magistratus* Boend. et ed. Camp. nec aliter Berg. nisi quod servet *magistratum.*

Peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis] Periodus hæc verborum obscura est, quia manca corruptaque in exemplaribus exstat. Quid enim asserit aliud, quam quod consules anni superioris, successoribus creatis, magistratum inire cœperint? Quod plane falsum est. Verum deest ibidem verbum unum, oscitanter olim a librariis exscriptoribus prætermissum, et una litera, ab aliis postea addita, superflua est. Itaque lucem haud vulgarem, ni fallor, sententia accipiet, si verbum amissum loco restituere, et ita legere visum erit: *magistratum, peractis comitiis deposuere, insequentisque anni consules creati inire cœperunt.* Quum igitur hi consules Q. Fulvius et T. Annius primi Kal. Januariis inierint magistratum suum, ut Cassiodorus testatur, qui dies deinceps, stante imperio Romano, solemnis ineundis consulatibus ordinariis permansit, necesse est, quod Q. Opimius et M'. Glabrio, consules anni superioris, (qui a Livio DXCVIII. urbis dicitur) ante tempus in fine Decembris consulatu abierint, quem ad Idus usque Martias gerere prius solebant. *Pighius* in Annal. ad a. IDC. p. 432. Tria priora vocabula desunt in Exc. Pithœi; sed omnia sex in Vossian. Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Supplementum Pighii ad marginem Livii probavit Jac. Perizonius. Verum primo in eo non memorantur Kalendæ Januariæ, quibus novi consules, et deinde eorum successores omnes, honorem inierunt; quod etiam Dukerus observavit. Deinde, quamvis in auctore Epitomarum vix elegantias linguæ quærendas existimem, admisso illo supplemento vix tamen admitti posse videtur vocabulum *creati*, quod plane supervacuum ac putidum etiam existimo. Dodwell. in Chron. Græco-Rom. quæ Dionysio Halic. subjungitur, p. 54. supplet *magistratum, peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis*, [abdicarunt: novi autem consules] *inire cœperunt.* Verum neque ibi Kalendæ Januariæ memorantur. An igitur potius legendum *creatis*, [abdicarunt, et novi consules Kalendis Januariis] *inire cœperunt?* Quid si, loco sex vocum, quæ ab omnibus Mss. nostris et vetustissima ed. exsulant, duarum aliarum compendiis receptis, legamus *magistratum K. Jan. inire cœperunt?* Videant acutiores. Certe novos consules eo die magistratum hoc anno iniisse, præter Cassiodori Chronicon, notat etiam Marianus Scotus in Chronico. *Jure*, pro *inire*, legit Boend. et mox *Movendi comitia* idem Boend. cum ed. Camp.

Inter Masinissam et Karthaginienses missi, nunciaverunt] *Inter Karthaginienses et Mas.* Voss. Berg. Boend. et ed. Camp. Tum *renunciaverunt* Leid. quod non videtur spernendum. Proprie enim 'renunciare' dicuntur legati, quum ad eos, a quibus missi sunt, de legatione referunt. Ita Livius IX. 4. 'Hæc quum legatio renunciaretur.' XXIII. 20. 'Hæc postquam renunciata legatio Petelinis est.' XXXI. 17. 'Renunciata hæc legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit.' XXXV. 6. 'Missi legati renunciarunt, L. Cornelium ad magistratus subrogandos Romam venturum.' XXXVI. 9. 'Hæc renunciata

Pheras legatio quum esset.' Alia exempla vide apud Burm. ad Quinctil. Instit. Orat. VII. 4. p. 634. Pari modo inferioris ordinis duces, ad imperatorem suum de iis quæ peragere jussi erant, referentes, dicuntur 'renunciare.' Liv. IV. 14. 'Dictatori renunciat, vocatum ad eum Mælium, repulso adparitore concitantem multitudinem, pœnam meritam habere.' Et forte hoc verbum restituendum Tacito Ann. I. 6. 'Renuncianti centurioni, ut mos militiæ, factum esse, quod imperasset,' &c. ubi nunc editur *nuncianti*. Vide loca Suetonii, quæ Lipsius ibidem laudavit.

Vim navalis materiæ] Vide ad Livii XXVI. 21. § 8. *Duk.*

Se Karthagine deprehendisse] *Deprendisse*, vel *depraendisse* Vossian. et Norv. Hearnii. Vide ad II. 29. § 4.

Quidam prætores a provinciis] Vet. lib. *Aliquot prætores*. Sigon. Pariter omnes codd. mei, et edd. Camp. At Norv. Hearnii *Quidam* servat. Optime autem *avaritiæ nomine accusati*. Vide Periz. ad Sanctii Minerv. II. 3. p. 164.

Accusati et damnati sunt] Vet. libri *accusati, damnati sunt*. Sigon. Judicio extraordinario ex senatusconsulto constituto, ut in Livio XLIII. 2. Nam prima lex de pecuniis repetundis, qua quæstio illa ordinaria facta est, demum a. IDCIV. a L. Calpurnio Pisone lata est, quum antea nulla fuisset, ut auctor est Cicero de Offic. II. 21. et in Bruto c. 27. Hæc autem ante annum illum gesta sunt. *Duker.* Veteribus libris Sigonii consentiunt omnes, quos consului, codices et ed. Camp.

LIB. XLVIII.

Lustrum a censoribus conditum est] Ultima vox non adparet in Leid. Tum *CCCXXIII. millia* Voss. Præterea *Semina belli tertii Punici* Norv. Hearnii, et edd. vett. præter eam Campani, quæ cum omnibus scriptis meis vulgatum verborum ordinem, a Frob. 1531. restitutum, servat.

Maximus Numidarum exercitus, Archobarzane duce] Membranæ continent *Ariobarzane*. Delrius. Mss. *ingens Num. exercitus, duce Ariobarzane*. J. F. Gron. *Ingens Numidarum exercitus* etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Pariter *maximus*, pro *ingens*, primi editores dederunt Epit. l. LX. Vide ad Epit. l. LI. Tum *Ariobargene duce* Lov. 2. *duce Ariobolarane* Boend. *duce Arthobarzane* ed. Camp. *duce Archobarzane* Berg. *duce Ariobarzane* Leid.

Ut Karthaginiensibus, qui exercitum specie contra Masinissam regem, sed re vera contra Romanos] Membr. Barber. et Gud. minores *Carth., cum Ariobarzanem contra Masinissam*. Quæ probo: modo addat omissum per errorem τὸ *specie*. Particulam *cum* sic accipi notavimus ad XXXIX. 12. *J. F. Gronov. Ut Karth. cum Ariobarzanem contra Masinissam regem, contra Romanos* Leid. Vox *specie* etiam abest a Voss. *sed re vera* absunt a Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi; quorum loco *sed vere* præferunt Boend. et ed. Camp. Verum illa 'specie' et 're vera,' haud facile mutanda. Livius enim, quem hic auctor Epitom. imitatur, 'speciem' et 'rem' obponere solet. Vide ad XXXIX. 35. § 4. Paullo ante *Cato suaserat* Berg. In seqq. *contra Romanos acceptum* idem Berg. Vide ad XXIII. 17. § 7.

P. Cornelio Nasica, placuit legatos mitti Karthaginem] Vox *Nasica* deest in Voss. *P. Scipione Nascica* præfert Boend. Sed infra hac Epitome 'Cornelius Nasica' memoratur. Tum *mitti ad Karthaginem* Boend. Deinde *quibus specularentur* Pithœus in cod. invenit; unde scribendum conjecit *qui ibi specularentur*. Verum nostri codd. hic nihil mutant.

Exercitum et navales materias haberent, pacem inter eos et Masinissam fa-

cere voluerunt] *Et exercitum, et navales materias* Voss. Leid. Berg. et Lov. 2. Infra h. Epit. ‘ Dicerentque, et exercitum se et classem Karthagine deprehendisse.’ Vide ad II. 44. § 3. Tum *inter Masinissam et eos* Norv. Hearnii, et edd. vett. præter illam Campani, quæ vulgatum a Grutero restitutum præfert. Neque aliter scripti nostri. Præterea *facere noluerunt* errore librarii Voss. Vide ad l. XXXIX. c. 15. § 11. Paullo ante *Castigato Karthaginiensium senatu* edit. Camp.

Qui tunc in magistratu erat] *Qui tum* Leid. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad II. 12. § 12. *Qui tamen* Voss. Vide ad XXII. 17. § 5. Mox *parituram se judicio legatis dixisset*, pro *legatorum*, Voss. Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. quod tot codicum fide recepi. Hinc *bellum concitavit adversus Romanos, suadendo*, alio ordine, Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ut legatis, quo minus violarentur, fugam explicuerit] Emenda ad fidem antiqui libri: *ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit*. Sigon. Eædem *expedierit*. Parum refert. Libro sequente ‘ a Scipione expliciti sunt.’ Florus IV. 2. ‘ Duas tamen æstus explicuit.’ *J. F. Gron. Ut legatis, quo minus violarentur*, (*violaretur* Voss.) *fuga explicuerit* Voss. Berg. et Lov. 2. *ut legati violarentur, fugam expedierit* Boend. nec aliter ed. Camp. nisi quod *expedierint* servarit. Quod ante Sigonium legebatur, exstitit in Norv. Hearnii: *ut legatis, quo minus violarentur, fuga expedierit* Leid. Sed *expedierit* ex glossa τοῦ *explicuerit* natum puto. Infra Epit. l. LXVIII. ‘ Quum virtute sua expliciti fugientem proconsulem exercitumque secuti in Italiam trajecissent.’

M. Porcius Cato filii in prætura mortui funus tenuissimo, ut valuit, (nam pauper erat) sumtu fecit] *M. Porcii Catonis filii* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi, quæ lectio probari nequit, nisi conjiciamus vocem *pater* post τὸ *funus* excidisse. Sed vulgatum servo. Tum *funus mortui filii in prætura* Hearnii Norv. omnesque edd. ante Gronov. qui a. 1665. voces in ordinem nunc receptum digessit, consentientibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Præterea *tenuissime, ut potuit, nam et pauper erat, sumtum fecit* Voss. *tenuissimo, ut potuit, nam pauper erat, fecit* Leid. *tenuissime, ut potuit, celebravit, nam pauper erat, sumtum fecit* Boend. et ita etiam ed. Camp. nisi quod *tenuissimo sumtu* servet: *ut potuit* etiam Berg. Lovel. 2. et Exc. Pithœi. Verum id alterius glossema esse videtur. Certe ita codd. variasse apud Suet. in Calig. cap. 34. viri docti ad eum locum observarunt. *Nam et pauper erat* etiam Lovel. 2. Quod autem ad paupertatem adtinet, observat Crevierius ex Plutarcho in Cat. Maj. Catonem pecuniæ colligendæ studiosissimum fuisse, nec male ei rem cessisse. Ceterum Gellius testatur, Noct. Att. XIII. 19. majorem Catonis filium ‘ prætorem designatum mortuum fuisse.’ Sed auctori Epitomes consentit Plut. in Cat. Maj. p. 251. ὁ δὲ πρεσβύτερος υἱὸς ἐτελεύτησε στρατηγῶν. Cui propterea adhærere maluit Pighius in Ann. ad a. IDCI. p. 435.

Andriscus, qui se Persei filium] *Quod se Persei filium* Berg. Vide ad XXXVII. 35. § 4. Tum *mentiebatur* Leid.

Qui princeps senatus sextis jam censoribus erat lectus] Lege *ab sextis*. Sic Liv. XLIII. 15. ‘ M. Æmilius Lepidus princeps senatus ab tertiis jam censoribus erat lectus.’ *Sigon.* Sic Sigonius: at nobis in Voss. et Gud. nec τὸ *ab*, nec τὸ *erat* occurrit. Dele igitur et τὸ *qui*. Ut sit, *Lepidus, princeps senatus sextis jam censoribus lectus, antequam*. J. F. Gronov. *Qui princeps senatus sextus jam censoribus lectus fuerat* Voss. *qui princeps senatus et sextus jam censoribus lectus* Leid. *qui princeps*

senatus sextis (*sextus* Berg. et Lov. 2.) *jam censoribus lectus* Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. nisi quod *electus* sit in Berg. *sextus*, pro *ab sextis*, Exc. Pithœi. Lectio quæ ante Sigonium obtinuit, superest in Norv. Hearnii.

Lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent] *Se* vet. lib. deest. *Delrius. Sine linteis* Vlitius intelligit sine lineis, ad Gratii Cyneg. vs. 87. Perizonius ad marginem Livii emendavit *strato linteis sine purpura:* quod verius videri potest. Vix enim 'lintea' tanti pretii fuisse videntur, ut se illis efferri Lepidus prohiberet.

In reliquum funus ne plus, quam æris denos, consumerent] Barb. et Gud. minor *ne plus deunce.* Suspicabar *decusse*, vel *decussis.* Voss. *quam æris decas.* Gud. major *ne plus, quam æris decus, consumerent.* Recte: sic enim loquebantur breviter: *quatrus, septus, octus, nonus, decus,* pro *quatrussis, septussis, octussis, nonussis, decussis.* Vide Volusium Mæcianum. *J. F. Gronov. In reliquum funeris* Leid. Deinde *ne plus, quam æris decies* Berg. Boend. et ed. Camp. quomodo etiam Pithœum conjecisse, Hearne testatur. *Ne plus, quam æris deuncem* Lov. 2. *ne plus deunce* Leid. Locus omnino corruptus est. Mihi enim persuadere nequeo, auctorem vel scripsisse *quam æris denos*, ut olim edebatur, vel *quam æris decus*, ut Gronov. legendum conjecit, et in contextum recepit. Hæc enim pecuniæ summa minor erat, quam ut ea cujusquam cadaver, etiam frugalissimo populi Romani tempore, sepeliri posset. Neque placet etiam *quam æris decies*, id est decies centena millia assium, ut Pithœus malebat; illa enim pecuniæ summa major videtur, quam ut convenire possit. Exemplo igitur Crevierii, Freinshemium imitati, qui in supplemento hujus lib. c. 9. in genere 'modicam pecuniam' memorat, ἐπέχω.

Nobilitari magnorum virorum funera solere] Ita se in Jac. Susii cod. reperisse, testatur Pighius in Annal. ad a. IOCII. p. 437. idque præstare judicat; quod Gruteri ed. ultima recepit. Neque aliter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Reliqui typis descripti præferunt *maximorum virorum*, quod servant Exc. Pithœi, et Norvic. Hearnii. Vide ad Epit. l. LI.

De veneficiis quæsitum. Publilia et et Licinia, nobiles feminæ] Vet. lib. *Poblicia.* Sigon. *De veneficis quæsitum* Lov. 2. Vide ad XXXII. 6. § 6. *De veneficiis questum* Boend. et ed. Camp. Vide ad II. 38. § 1. *De veneficio quæsitum* Leid. *De veneficio quæsitum Publiæ et Liciniæ. Nobiles* Voss. et Lovel. 2. *De veneficio quæsitum Pubᵉᵉ ac Licinie: nobiles* Berg. *Publia et Licinia* Boend. et edd. principes. *Publica et Licinia* Norv. Hearnii. Recte *Publicia*, sive *Poblicia* Sigonius emendavit. Utriusque hujus feminæ meminit etiam Valer. Max. VI. 3. 8.

Quæ viros suos necasse insimulabantur] Ms. *quæ viros suos singulares necasse.* An *consulares?* nam idem cod. lib. II. [Epit. Liv.] ubi vulgo, et recte, *Sp. Cassius consularis*, habet *Sp. Cassius vir singularis.* Fuit certe consularis alter L. Postumius. Vide Valer. Max. VI. 3. Sic conjeceram: nunc *viros suos consulares* plane scriptum in Voss. et duobus Gud. reperi. *J. F. Gronov.* Valer. Max. VI. 3. 8. scribit a Publicia Postumium Albinum 'consulem,' a Licinia Claudium Asellum, maritos, veneno necatos esse. Postumius potuit esse, quod Pighius putat, L. Postumius Albinus, quem consulem a. IOXCIX. in magistratu mortuum Fasti Capitolini produnt. Claudiorum, qui circa hæc tempora consules fuerunt, nulli cognomen fuit Asellus. Itaque Auctor Epit. fortassis non recte dixit *viros suos consulares.* Valerius Max. Postumium 'consulem' vocat, Claudium neque 'consulem,' neque 'consularem.' *Duk. Quæ viros suos necis*

insimulabant Boend. *quæ viros suos consulares necasse insimulabantur* Leid. Berg. et Lov. 2. Cum vulgatis edd. faciunt Norv. Hearuii, et Exc. Pithœi.

Quum prætori pro se vades dedissent] Hanc hujus loci germanam esse scripturam, contendo. Nam, ut omittam eam in vet. lib. inveniri, vulgata *cum prætori prædes vadesque* oppido, si Ausonio credimus, frivola est, quoniam 'prædes' et 'vades' diversa sunt, ac Poblicia atque Licinia capitis arcessebantur. Versus Ausonii sunt, (Idyll. XII.) 'Quis subit in pœnam capitali judicio? Vas. Quod si lis fuerit nummaria, quis dabitur? Præs.' Paullus quoque, ex Festo, ait, 'Vadem sponsorem significare datum in re capitali.' *Delrius.* Hic rursum Susiani codicis lectionem præfero, in quo sic habetur: *cum prætori pro se vades dedissent.* 'Vades' autem, teste Festo, proprie vocabantur sponsores dati pro reis in re capitali, ne in vinculis haberentur; 'prædes' vero, qui populo se obligant ad satisdandum, quæ vox hic otiosa plane videtur. *Pighius* in Ann. ad a. IↃCII. p. 437. *Prædes* nihil huc pertinent. Pighius ex cod. Susiano, *cum prætori pro se vades dedissent.* Voss. *pretes vades dedissent.* Gud. *cum prætore prædictos vates dedissent.* Minor *plures vades.* Forte igitur *cum prætori prædictos vades dedissent:* id est, quos ille ab iis postulaverat. Nisi malis *cum a prætore die dicta vades dedissent.* J. F. Gronov. *Cum prætore prædes vades dedissent* Exc. Pithœi: *cum prætori prædes vades dedissent* Lov. 2. *cum prætori preces vates dedisset* Boend. *cum prætori preces vates dixissent* Berg. *cum prætori plures vades dedissent* Leid. Posteriorem Gronovii sententiam maxime perspicui sensus esse, sed longius a Mss. abire, Crevierius putavit. At Delrii et Pighii conjecturam, codicum auctoritate firmatam, donec integrior lectio adpareat, in contextum admisi.

Masinissæ filius, denunciavit] Margo exemplaris Pithœi apud Hearnium *nunciavit.* Nihil muto: 'denunciare' etiam est indicare, significare. Livius XLV. 1. 'Consul ex auctoritate Patrum pro foris publicis denunciavit populo, L. Æmilium collegam signis collatis cum rege Perseo pugnasse.' *Duker. Nunciavit* etiam Leid. Berg. et Lov. 2. quod Crevierius malebat. Ego Dukeri sententiæ adhæreo. Liv. XLII. 24. 'Denunciet que Karthaginiensibus, ut ad disceptandum veniant.' XLV. 34. 'Ludicrum, &c. et in Asiæ civitates et ad reges missis, qui denunciarent, indixerat principibus.' Solent autem et alibi ita variare librarii. Exemplum habuimus ad XXVIII. 26. § 15. Mox *Karthagini* Boend. Vide ibidem § 1. Præterea *delectus steĩ agi* Voss. quod non adsequor.

Haud dubium bellum strui] Margo exemplaris Pithœi apud Hearnium *haud dubie.* Et sic, incertum ex editis quibusdam, an e conjectura, citat Pighius ad a. IↃCII. J. F. Gronovio in Livio non uno loco displicuit *haud dubie:* intactum tamen reliquit XL. 54. 'Alter filius haud dubie et sua et aliorum opinione rex.' Non multum interesse puto utrum legatur. Vide ad Liv. XXXIX. 32. *Duk. Haud dubie* etiam Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad XXXIV. 43. § 5. Præterea *bellum statui* Boend. et ed. Camp. *bellum instrui* Berg. sed prima syllaba ultimæ vocis nata videtur ex litera finali dictionis præced. Vide ad XXIII. 34. § 5.

P. Cornelio Nasica dicente, nihil temere faciundum] *P. Corn. Nascica dicendo, nihil temere faciendum* Boend. *P. Cornelius Nasica dicendo nihil temere faciendum*, vel *faciundum* Berg. et Exc. Pithœi: *P. Cornelius Nasica diceret, nihil temere faciendum* Leid. *P. Cornelio dicente, nil temere faciendum* Voss. *faciendum* etiam Lov. 2. et ed.

Camp. Mox *decem legatos mitti* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ab tribunis plebis, ... impetrare non poterant] *Ab cœtu plebis* Boend. Tum *suis* deest in Lov. 2. Hinc *impetrare non potuerat* Voss. *impetrare non potuerant* Boend. et edd. Camp. Rom. a. 1472. ac Parm. *impetrare non potuerunt* Norv. et prioribus editionibus proximæ usque ad Gruterum, qui substituit *poterant*, concinentibus Leid. Berg. et Lov. 2. Paullo ante *consules* exsulat a Lov. 2. Præterea *nec quem qua gratia* legunt Exc. Pithœi: *nec quicquam gratia* Lov. 2. *nequaquam gratia* Voss. Ceterum quum auctor Epit. dicat Lucullum et Albinum consules a tribunis plebis in carcerem conjectos esse, hinc Manutius verba Cic. de Legib. III. 9. negantis id ante D. Brutum et P. Scipionem consules factum fuisse, oratorie accipit; enimque, quod ante perquam raro, vel fortasse etiam semel dumtaxat factum erat, numquam factum dixisse.

Quum Hispaniense bellum parum prospere] *Hisp. bellum quum parum prospere* Leid. Voss. Norv. et priscæ edd. tantum non omnes usque ad Gronovium, qui a. 1665. voces in eum ordinem, qui nunc obtinet, trajecit, concinentibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Mox *ita* deest in Voss. et Berg. Insuper *confudisset levitatem Romanam* legunt Leid. et Exc. Pithœi: *confudisset lenitatem Romanam* Berg. Tandem *quia aut tribunatum* Norv. Hearnii. Sed ultima litera voci *quia* perperam adhæsit ex initio seq. Vide ad XL. 7. § 8. Alibi etiam, ubi eadem erroris caussa dari nequit, voces 'qui' et 'quia' a librariis confunduntur; vide ad XXXVI. 33. § 5.

Et excepturum militiæ genus] Vet. lib. *et excepturum se*. Sigon. Pariter legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. adversante Hearnii Norv. Tum *quidquid imperatum esset* ed. Camp.

Ad militandi studium omnes incitavit] Voss. et Gudiani: *quo ex. omnes ad studium militandi concitavit*. J. F. Gronov. *Ad militare studium* Voss. Gronovius edidit *omnes ad militandi studium concitavit*. Verum, ut se in Mss. invenisse testatus est, præferunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quod recepi.

L. Lucullus consul, cui Claudius Marcellus successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos quum videretur] Quemadmodum scriptum est apud Appianum in Iberico, non Lucullo Marcellus, sed Marcello Lucullus successit, quippe qui post Marcellum consul fuerit. Itaque ex Appiani historia sic legendum: *L. Luc. consul, quum Cl. Marc., cui successerat, pacasse omnes Celt. populos videretur, Vaccæos, &c.* Sigon. Hoc de conjectura Sigonii receptum est, quum legeretur *cui Claudius Marcellus successerat:* constat autem, Lucullum successisse Claudio, quem tertium cum L. Valerio Flacco consulem ille, A. Postumio Albino collega, proximo anno secutus est. Barb. et Gud. minor, *successerat, cum lacessere omnes Celt. populi viderentur*. Fortasse, *L. Lucullus consul cum Claudio Marcello, cui successerat, quum lacessere omnes Celt. populi viderentur, Vaccæos, et Cantabros, et alias*. Nam is Marcellus in provincia legatus Luculli mansit. Suetonius in Vitellio c. 5. 'In provincia singularem innocentiam præstitit biennio continuato, quum succedenti fratri legatus substitisset.' *J. F. Gronov.* Quod ante Sigonium vulgo edebatur, superest in Boend. et Norv. nisi quod eorum prior legat *placasse*. Reliqui codd. magis variant. Luculli prænomen *L.* omittunt Voss. Leid. et Berg. quod a proximæ vocis litera initiali interceptum videtur: vide ad V. 29. § 2. Deinde *consul, cui Claudius Marcellus successerat, placasse omnes Celtiberos*

populos videretur Voss. *consul, cui M. Claudius Marcellus successerat, quum placasse omnes Celtiberos videretur* Berg. nec aliter Lov. 2. nisi quod *omnes Celiberiæ populos* servet: *consul, cui M. Claudius Marcellus successerat, quum lacessere omnes Celtiberiæ populi viderentur* Leid. Ex ejus vestigiis legendum videtur, *L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello successerat, quum lacessere omnes Celtiberiæ populi viderentur.* Conjecturæ nihil dedi, nisi quod *qui M. Claudio Marcello* legerim, pro *cui M. Claudius Marcellus.* Prono scribarum lapsu *qui* et *cui* sæpius commutantur; vide ad IX. 34. § 14. Quum autem *cui*, pro *qui*, scriptum foret, sponte *M. Claudio Marcello* in *M. Claudius Marcellus* mutari debuit. Gronovii conjecturam probare nequeo, partim quod nimis a codicum lectione abeat, partim quod ex nullo auctore constet Marcellum Luculli legatum in provincia mansisse. Certe App. Alexandr. in Iber. pagg. 282. et 283. refert quidem, Marcellum, anno consulatus finito, in provincia substitisse, et, antequam successor adveniret, bellum, quod cum Celtiberiæ populis Bellis, Titthis, et Arvaccis gerebatur, confecisse: post adventum vero Luculli nullam ejus mentionem fecit. Crevierius vulgatum unius vocis transpositione et interpunctionis mutatione hoc modo emendat: *L. Lucullus consul, (Claudius Marcellus, cui successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos quum videretur,) Vaccæos, &c.*

Vaccæos, Cantabros, et alias regiones, et iterum alias incognitas nationes in Hispania subegit] Vet. lib. longe melius *Cantabros, et alias adhuc incognitas nationes.* Sigon. Gronovius a. 1665. edidit *Vaccæos, et Cantabros, et alias.* Cui quum Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. consentiant, eam lectionem, quam Donjatius, Clericus, et Crevierius repudiarunt, servavi. Vide ad Epit. l. IV. in fine. In reliqua parte verborum priscam lectionem probat Norv. Hearnii. At cum vet. lib. Sigonii faciunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Editores Sigonio posteriores recte emendanti obedire recusarunt usque ad Gruterum, qui mutato ordine restituit *alias incognitas adhuc nationes;* quod festinationi, quam innovandi studio, adscribere malo; licet tamen recentiores lectionem a Grutero invectam retinuerint. Præterea *incognitas in Hispania gentes* Exc. Pithœi.

P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus] *Africanus*, sine dubio recte, viri docti apud Hearnium delendum censent. Sed et alia quædam adsuta esse suspicor: nam sufficiebat *P. Cornelius Æmilianus*, ut paulo ante; vel *P. Scipio Æmilianus*, ut Epit. lib. L. *Dulc.* Vocem *Africanus* delendam censet Gronov. ad Epit. l. XLIX. quia nondum id cognomen habebat. Ne tamen, ut viri docti censuerunt, id per prolepsin excusetur, ordo, quem in oratione obtinet, vocem insiticiam esse indicare videtur. Si enim ab auctoris nostri manu profecta foret, scripsisset *Scipio Africanus Æmilianus.* Ita avus ejus adoptivus in Fastis Capit. ad a. IↃLIV. ubi censura, et ad a. IↃLIX. ubi consulatus secundus memorantur, dicitur P. CORNELIVS. P. F. L. N. SCIPIO. AFRICAN. At ipse hic Scipio ibid. ad a. IↃCVI. AFRICAN. AIMIL. et ad a. IↃCXI. AFRICANVS. AIMILIAN. vocatur, prioribus nominibus temporis injuria deperditis.

L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus] Paulli prænomen *L.* exsulat a Leid. *L. Cornelii Paulli* scribarum ignorantia legunt Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Præterea *et adoptivus* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. Hearnii, et typis excusi ante Frob. qui a. 1531. recte *sed adoptivus* substituit. Alibi sæpe

particulæ *et* atque *set*, vel *sed*, a librariis commutantur. Vide ad XXI. 26. § 6. Id autem hic tanto facilius accidisse potuit, quod prima litera τοῦ *set* intercepta sit ab ultima vocis præced. Ita XXXIII. 38. § 9. XXXIV. 4. § 5. et alibi. Si codd. addicerent, sic apud Virg. emendandum censerem Ecl. III. 65. ' Et fugit ad salices, sed se cupit ante videri :' ubi nunc *et se* editur.

Provocatorem barbarum tribunus militum occidit] *Legatus* fortasse melius. Nam in Africa postea, ut Appian. in Libyc. p. 58. et Cicero in Somnio c. 1. affirmant, tribunus fuit: quod etiam confirmat Cornel. Nepos. [Aur. Vict. in Vir. Ill. c. 58.] Huc accedit, quod ex Hispania in Africam a Lucullo ad Masinissam missus fuit. Quod munus legatorum est proprium. *Ant. Bendinellus* Locor. Histor. Annot. c. 6. Non procedit argumentum Bendinelli, Scipionem ideo potius legatum in Hispania fuisse, quia postea in Africa tribunus fuit: quasi vero hæc ordinaria militiæ promotio foret, ut quis post munus legati tribunatum acciperet; quum potius legati summo imperatori in exercitu proximi fuerint. Quin contra ex eo solo, quod in Africa tribunus fuerit, eum antea in Hispania legati munere functum non esse, efficiendum videretur. Nihilominus tamen Appian. in Iber. p. 282. Aur. Vict. in Vir. Illustr. c. 58. et, quem locum Dukerus indicavit, Ampelius c. 22. testantur Lucullum Scipione Æmiliano legato in Hispania usum esse: qui alios, quam Livius, annales secuti sunt. Idem App. in Libyc. p. 32. in genere de hoc Scipione inquit, *ὑποστρατευόμενος Λουκούλλῳ Κελτίβηρσι πολεμοῦντι, sub Lucullo adversus Celtiberos bellum gerente militans.* Alibi etiam scriptores tribunos militum et legatos confuderunt. Certe Catonem M'. Acilio Glabrioni consuli ad Thermopylas depugnanti alii tribunum, alii legatum fuisse tradiderunt. Vide ad Livii XXXVI. 17. § 1.

Et in expugnatione captæ urbis majus multo etiam periculum adiit] Vet. lib. *et in exp. interceptæ urbis majus etiam.* Unde ego lego *Intercatiæ*, testibus historicis omnibus. *Sigon.* Perperam in exemplaribus *in expugnatione captæ urbis* habetur: cum rectius legi debeat *in oppugnatione Intercatiæ urbis:* non enim expugnata fuit; sed, post oppugnationem repulsam, intercedente Scipione, conditionibus reconciliata Romanis fuit, ut Appianus diserte scribit in Iberica. Paulus Manutius ex vetusto cod. correxit *interceptæ urbis*, pro *captæ*. Verum placet magis ipsum urbis nomen edere, et *Intercatiæ urbis* legere. Valer. Max. III. 2. et Auctor de Vir. Illustr. in Æmiliano c. 58. sic nominant oppidum, in cujus obsidione Scipio provocatorem barbarum duello vicit, et in oppugnatione primus mœnia conscendit. Nominat item Appianus, qui Luculli consulis has expeditiones latius describit. Recensetur etiam inter Vaccæorum civitates XVIII. ' Intercatia ' a Polybio, Strabone, et Plinio. *Pighius* in Annal. ad a. IDCII. p. 437. Voss. Gud. *expugnatione.* Quod admittendum videtur, cum expugnata sit. *Jac. Gron.* Pro *Intercatiæ* antea legebatur *interceptæ* et *captæ*. Hoc Sigonius Emend. II. in c. 46. Emendation. Robortelli, ac deinde Pighius ad a. IDCII. recte emendarunt *Intercatiæ* ex Auct. de Vir. Ill. et Val. Max. III. 2. 6. quibus adde Ampelium c. 22. Et ita quoque in libris vetustis Epitomarum Livianarum legi, testatur Surita ad Itin. Anton. p. 440. ed. nuperæ: *oppugnatione* mihi non mutandum videtur. ' Oppugnare ' et ' expugnare,' ' oppugnatio ' et ' expugnatio ' sæpe permutantur. Quid quoque loco præferendum sit, magis ex re ipsa, quam ex librariorum levitate judicandum est. Appianus l. d. auctor est, bel-

lum cum Intercatiensibus opera Scipionis conditionibus diremtum fuisse, quum Romani ab oppidanis urbe, in quam irruperant, expulsi fuissent. Si hæc est expugnatio, Gronovius non male probat *expugnatione*. Sed aliter judicavit, et ex Appiano *oppugnatione* defendit Pighius, cujus judicium sequor. *Duk. Et in expugnatione captæ urbis*, ut præferunt edd. antiqq. legunt etiam codd. Leid. et Norv. Hearnii: *et in expugnationem captæ urbis* Boend. *et expugnatione interceptæ urbis* Berg. *et in expugnatione intercaptæ urbis* Voss. et Lov. 2. *et in oppugnatione*, cujus lectionis quis auctor fuerit, incertum esse credit Crevierius, ex Pighii conjectura primum recepit postuma Gruteri ed. Quamvis autem nullus codicum huic emendationi faveat, eam tamen cum eodem Crevierio et Dukero probo propter illa quæ Pighius notavit. Passim autem voces 'oppugnare' et 'expugnare' in Mss. confundi, vidimus ad XXI. 57. § 6. Certissima autem Sigonii conjectura primum proposita est in ed. ejus 1572. in prima enim non adparuit. Præterea *majus sibi periculum dedit* Voss. *majus et peviculum addidit* Boend. *majus etiam periculum addidit* ed. Camp. *majus etiam periculum adit* Leid. *majus etiam periculum adiit* Berg. et Lov. 2. *majus etiamnum periculum adiit* Exc. Pithœi. Tot itaque codd. consensu damnatum *multo* expunxi.

Murum primus omnium transcendit] Voss. Gud. *murum primus transcendit*, omissa voce *omnium*. Nec aliter Epit. l. LX. 'Flaccus primus Transalpinos Ligures bello domuit.' Epit. l. LXVIII. 'Malleolus matre interempta, primus insutus culeo, in mare præcipitatus est:' ubi quam confidenter ab editis recepta est vox eadem, tam constanter ab Mss. relegatur. *Jac. Gron. Primus*, vel *primum omnium* formulam esse loquendi ipsi Livio usitatissimam, constat ex illis quæ notantur ad v. 51. § 6. et XXXI. 5. § 2. Quibus adde alia v. 19. § 4. VIII. 8. § 9. XXIV. 15. § 1. XXVI. 2. § 12. XXXI. 31. § 12. XXXII. 10. § 7. XLI. 4. § 2. et pluribus locis. Nihilominus recte vocem *omnium* Gronov. hic delevisse existimo. Præter codd. enim, quos laudat, eamdem ignorant Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Insuper alibi primi editores, vel librarii codd. quos secuti sunt, vocem illam *omnium* contextui harum Epitomarum post τὸ *primus* inserere soliti sunt, non tantum locis a Gronovio laudatis, sed etiam Epit. libb. I. VI. et XXIII. Ita, 'præcipuam omnium' primam ed. Sueton. in Aug. c. 1. præferre, Casaub. monuit; ubi vocem *omnium* a glossatoris manu esse Burm. docet. Passim librarii primive editores Epitomis his varias voces ac particulas addiderunt. Ita 'multo;' vide ad verba præcedd. 'quidem;' vide ad Epit. l. LV. 'omnino;' vide ad Epit. l. LVIII. 'maxime,' vel 'quam maxime;' vide ad Epit. l. LIX. 'multum;' vide ad Epit. l. LX. 'plurimum,' vel 'quam plurimum;' vide ad Epit. l. LXIX. 'umquam;' vide ad Epit. l. LXXXVIII. 'maximus;' vide ad Epit. l. CVI. Insuper *ascendit*, pro *transcendit*, legunt Boend. et ed. Camp. Ita ipse Livius XXVI. 48. 'Præcipuum tamen muralis coronæ decus ejus esse, qui primus murum adscendisset.' Sed et vulgatum probum est. Vide ad v. 34. § 8. Paullo post vox *prætor* abest a Leid.

Dicerentque, et exercitum et classem Karthagine deprehendisse] Vet. lib. *dicerentque, se et exercitum*. Sigon. Similiter Lov. 2. Sed *dicerentque, et exercitum se et classem*, quod nunc vulgo exstat, demum exhibuit ultima Gruteri edit. Id vero probat Leid. *dicerentque, exercitum se et classem* legit Berg. *dicerentque et exercitasse et classem* Voss. Sed pronomen *se* non adparet in Boend. et Norv. Tum *deprendisse* Voss. et Lov. 2. Vide ad

II. 29. § 4. Paullo ante *cum Karthaginiensium oratoribus* Norv. et edd. antiqq. Sed voces Gronovius 1665. transposuit, cui favent Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Prorogari sententiam placuit; Catone et aliis principibus senatus suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus. Quia vero Cornelius Nasica dicebat] Emendo, admonente ita sensu, *perrogari sententias placuit.* Sic XXXII. 22. ‘ Decretum recitari, perrogarique sententias prohibuerunt.’ Et XXIX. 19. ‘ Perrogari eo die sententiæ accensis studiis non potuere.’ Deinde cætera sic lege, et interpunge: *Catone et aliis princ. senatus suadente, ut in Afr. conf. transportaretur ex., quod Corn. Nas. dicebat, nondum sibi justam causam bell. videri, placuit, ut bello abst.* Sigon. Forte *perrogatis sententiis, Catone et aliis princ. senatus suadentibus, ut in Afr. conf. transportaretur exercitus; quia Corn. Nasica dicebat.* Nam τὸ *placuit* paullo post sufficit positum. Voss. autem *quia Cornelius.* Gud. minor *qui Cornelius,* sine τῷ *vero.* Major quoque *transponeretur.* Justinus de Pyrrho XXV. 4. 4. ‘ Cum copias Chersonnesum transposuisset.’ *J. F. Gron. Rogari sententias placuit* Lov. 2. *prorogari snĩa placuit* Berg. *prorogari sententiam placuit* Leid. Boend. et Berg. *perrogari sententiam placuit* Voss. Vide ad XXXII. 22. § 5. Dein *ut in Afr. statim transportaretur exercitus* Leid. quod est ex glossa: *ut in Afr. conf. exercitus transportaretur* Lov. 2. *ut Afric. conf. transportaretur exercitus* Voss. omissa præpositione. Vide ad XXXIII. 40. § 6. Tum *quo Cornelius Nasica* Voss. Berg. et Exc. Pithœi: *quem Cornelius Nasica* Leid. *contra Cornelius Nasica* Lov. 2. *cum Po. Cor. Nascica* Boend. Si codd. conjecturæ Gronovianæ, quam Clericus in contextum recepit, faverent, eam præferendam censerem. Nunc vero verbi *placuit* repetitio non satis justa caussa videtur, ut, omnibus scriptis invitis, vulgatum mutarem. Sigonii itaque emendationem et interpunctionem recepi: nisi quod ex vestigiis Boend. addito prænomine dederim *quod P. Cornelius Nasica.* Ceterum *transportaretur* omnes nostri constanter. ‘ Transponere’ quidem in ea re adhibet Justin. XXIII. 3. Sed Livius potius utitur ‘ transportare.’ Ita XXVI. 17. ‘ Exercitum Puteolis in naves inpositum Nero in Hispaniam transportavit.’ XXXIV. 52. ‘ Ab Orico copiæ omnes Brundisium transportatæ.’ l. XXXVIII. c. 36. ‘ Ut terna millia peditum, ducenos equites secum transportarent.’ XLII. 34. ‘ In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus.’ c. 36. ‘ Quid in Macedoniam exercitus transportati essent?’ XLV. 41. ‘ Maris pericula timere cœpi in victore exercitu transportando.’ Id auctori nostro adhæsit. Mox *justam caussam videri belli* Berg.

Ut bello desisteretur] Voss. et Gudiani *abstinerent.* J. F. Gron. *Desisteretur* demum inveni in Frob. ed. 1531. priores *abstineretur;* quod servant Lov. 2. et Norv. Sed *abstinerent* Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. quod recepi: *desisteretur* repudiavit etiam Crevier. tamquam hic minus proprium, quia nondum bellum cœperat. Probavit autem *abstineretur;* sed *abstinerent* auctoritate codd. prætuli. Mox vox *classem* non adparet in Voss. Tum *exusissent* Norv. *exuissent* Berg. et Boend.

Sin minus, proximi consules de Punico bello referrent] *Si minus* Berg. Exc. Pithœi, Norv. omnesque typis excusi ante Gronov. qui a. 1665. *sin minus* vulgavit, consentientibus Leid. Voss. et Lov. 2. Vide ad IV. 5. § 6. Tum *proxime* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Insuper *de bello Punico* Voss. Leid. Exc. Pithœi, Norv. et omnes editi usque ad Gron. qui eodem anno voces transposuit, adstipu-

lantibus Berg. et Lov. 2. Octo hæc vocabula deerant in Boend. Mox *populus aliquamdiu*, sine copula *que*, Boend. idem.

Karthaginienses tum adversum fœdus bellum Masinissæ intulerunt: victi ab eo] Et hæc oratio uno conclusa circuitu in veteribus libris sic legitur: *Carth. cum adv. fœdus bellum Mass. intulissent, victi ab eo, &c.* Sigon. Libri nostri Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Sigonii libris adstipulantes, omnia unico orationis ambitu concludunt, et *cum intulissent*, pro *tum intulerunt*, præferunt. At Norv. pro more editis adhæret. Innumeris locis *quum* sive *cum* et *tum* in Mss. commutantur. Vide ad I. 14. § 5. c. 50. § 1. c. 56. § 9. II. 12. § 12. c. 23. § 13. c. 27. § 1. c. 51. § 2. c. 52. § 7. c. 65. § 5. et sæpissime. Præterea *adversus fœdus* Voss. Berg. et Boend. Vide ad Epit. l. XLVII. Tum *Masinissæ bellum intulissent* Lov. 2. *bellum intulissent Masinissæ* editio Camp.

Annos habente nonaginta duos] In uno Lov. 2. *habente annos LXXXIII.* Norv. et editi ante ultimam Gruteri *nonagesimum secundum annum habente.* Sed locum corruptum, et *annos habente duodenonaginta* legendum esse, docuit Crevierius ad h. loc. et ante eum Wesseling. Observ. I. 24. Id etiam deprehendisse videtur Freinsh., qui eumdem annum in supplemento h. lib. cap. 32. edidit.

Et sine pulpamine mandere, et gustare cibum tantummodo solito] Vet. lib. *gustare panem.* Sigonius. *Pulpamine* et *pulpamentum* frequenter, nunquam vero *pulpamen* legi. *Delrius.* Vocabuli *pulpamine* alium auctorem non habeo. Nec tamen ratio linguæ Latinæ obstat, quo minus æque dici possit ‘ pulpamen ’ et ‘ pulpamentum,’ quam ‘ stramen ’ et ‘ stramentum,’ ‘ tentamen ’ et ‘ tentamentum,’ ‘ purgamen ’ et ‘ purgamentum.’ *Duk.* *Sine pulpamine manderet, cum pane tantum solito*, omisso *et* a capite, Lov. 2. *cum sine pulpamine manderet pane tantum solido* Leid. *sine pl. panuriæ mandaret, si gustaret tantum solito* Voss. *et sine pulpamine mandente, si gustaret pane tantum solito* Berg. *et sine pulpamine mandere, et gustare tantum solito* Boend. et ita ed. Camp. nisi quod vocem *panem* servet: *et sine pulpamine manderet, et gustaret pane tantum solito* Excerpt. Pithœi. Ex omnium horum codd. lectionibus patet *tantum*, pro *tantummodo*, legendum esse; ut etiam edi curavi: nisi quis insuper ex vestigiis Leid. malit *cum sine pulpamine manderet panem tantum solitum.* In fine hujus Epit. addebant Exc. Pithœi, ‘ Motus præterea Syriæ et bella inter reges gesta referuntur; inter quos motus Demetrius Syriæ rex occisus erat.’ At in nostris nihil simile obcurrit.

LIB. XLIX.

Tertii Punici belli initium, &c. intra quintum annum, quam erat cœptum, consummatum omnino est] *Belli initium consummatum* esse, quid sibi velit, profecto difficile dictu est: neque injuria: est enim vitiosa locutio. Legitur autem in cod. antiq. *intra quintum annum, quam erat cœptum, consummati*, ut ad vocem *belli* referas, et sit sensus, Tertii Punici belli initium, intra quintum annum consummati, refertur. Sic supra Epit. lib. XVI. ‘ Origo Carthaginiensium, et primordia urbis ejus referuntur.’ Et infra Epit. l. LXVIII. ‘ Antequam Cimbricum bellum consummaretur.’ Item Epit. l. CIX. ‘ Causæ civilium armorum et initia referuntur.’ *Sigonius.* Haud scio cujus *consummatur:* nam legebatur olim *consummatum omnino est:* quod quum merito displiceret Sigonio, monuit, in antiquo cod. esse

consummati: cui ipse addit τὸ *refertur*. Barberinæ quoque et Gudianæ membranæ *consummati*. Neque est alinendum quicquam, cum sensus sermoni, ut in prologis et epitomis, abscisso satis constet; quod deest autem commode intelligatur, et a lectoris prudentia suppleatur. *Initium* (subaudi, 'hoc in libro est') *tertii belli Punici, anno altero et sexcentesimo ab urbe condita* (subaudi 'cœpti, et') *intra quintum annum, quam erat cœptum, consummati.* J. F. Gron. *Tertii belli Punici* edidit Gronov. 1665. invitis omnibus scriptis, et excusis prioribus; quorum scripturam *Punici belli* reduxi. Tum *annum* exsulat a Leid. et Berg. quasi ea vox ex præcedenti *anno* hic repetenda foret. Deinde *quam erant capti, nondum consummatum* Leid. *qui erat, consummatum est* Boend. *quam erat cœptum, consummatum est* ed. Camp. *quam erat cœpta, consummati* Voss. *quam erat cœpti, consummati* Exc. Pithœi: *quam erat cœptum, consummati* Berg. et Lov. 2. quomodo recte Sigonius emendavit. Illud *omnino* esse ex particulis quas librarii Epitomis his addere soliti sunt, videbimus ad Epit. l. LVIII. *Consummatur*, quod, cujus foret, nesciebat Gronov. primum obcurrit in ed. Gruteri postuma; quæ, periodum hanc in duas distrahens, ita præfert: *Tertii Punici belli initium altero et sexcentesimo anno ab urbe condita: intra quintum annum, quam erat cœptum, consummatur.* Ceterum Jac. Perizonius ad marginem Livii monuit, non eam Sigonii mentem videri, τὸ *referret* in contextum recipiendum esse, sed ab eo tantum in expositione loci sensus caussa additum fuisse. Sane sæpe quidem auctor Epit. hoc modo verbum 'referre' vel simile quid addidit. Vide ad Epit. l. I. verum etiam interdum omittitur. Vide ad Epit. l. XCIII.

Altero et sexcentesimo anno ab urbe condita] Sic etiam Eutropius IV. 10. quod in Orosio IV. 22. literis, numerorum notis, expressum est *DCII.* Sigonius in defensione Scholiorum suorum adversus Glareanum et Robortellum *altero* hic interpretatur *primo*. Pighius ad a. IDCIII. Orosium secutus *secundo*. Dudum non convenit inter viros doctos, 'alter' in quibusdam locis scriptorum veterum 'primus' sit, an 'secundus.' Non potest dubitari, quin sæpe sit 'secundus;' ut in multis, quæ in vulgatis lexicis, et apud eos, qui de Particulis linguæ Latinæ scripserunt, leguntur; in quibus res ipsa non patitur 'alter' aliter accipi. Sed inde non consequitur, 'alter' numeralibus, quæ ordinalia vocant grammatici, adpositum necessario esse 'secundus:' veluti in vexato illo Virgil. Ecl. VIII. 39. 'Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus:' in quo post Servium et alios etiam Passeratius ad Ciceronem pro Cæciu. c. 9. et Græv. ad Philipp. I. 13. 'alter' pro 'secundus' accipiunt, Sigonio l. d. et Perizonio Animadv. Hist. c. 7. p. 282. dissentientibus. Nec ullo certo argumento demonstrari posse credo, in Cic. Epist. Fam. XII. 25. 'Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero vicesimo die, ut dicebat, reddidit,' diem 'alterum vicesimum' esse 'secundum et vicesimum,' quod Manutius, Grævius, et Cortius ibi volunt. Livius quidem XXXIII. 21. Attalum 'altero et septuagesimo' anno mortuum dicit, quem Polybius in Exc. Peirescianis p. 102. et ex eo Suidas in Ἄτταλος, ἔτη δύο πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα vixisse tradunt; sed contra in Suetonii Tito cap. 11. 'Excessit altero et quadragesimo ætatis anno,' annum 'alterum et quadragesimum' sine controversia esse 'primum et quadragesimum,' ex ratione temporum ostendit Burmann. ad Petron. c. 108. In hac Epitoma utrum 'alter' et sexcentesimus annus sit 'primus,' an 'secundus' et

sexcentesimus, non possum decernere. Sed certum est, auctorem illius, sive hoc, sive illud voluit, aliam rationem annos ab urbe condita numerandi secutum esse, quam auctores Fastorum: nam horum alii consulatum Æmilii et Censorini, quibus consulibus Carthaginem obsideri cœpisse omnes historici consentiunt, in a. IDCIV. alii et cum his Censorin. de Die Nat. c. 17. in sequentem conferunt. *Duker.* Robortell. de Convenient. Supput. Liv. c. 4. et Emend. I. 9. *altero et sexcentesimo anno* exponit secundo et sexcentesimo, et pro eo emendat *quarto et sexcentesimo anno.* Petr. Taffinus in Chronolog. nova Ludor. Secul. c. 6. legendum putat *quinto et sexcentesimo anno.* Hanc lectionem veram esse secundum hypothesin Varronianam, contendit Hearnius; sed quum Livius secutus sit calculum Catonianum, *DCIII.* rescribendum esse, idque e Dodwelli tabulis constare. Crevierius agnoscit auctorem hujus Epitomes initium tertii belli Punici repetere ab consulatu T. Quinctii et M'. Acilii, ut ex eo probat, quod bellum hoc intra quintum annum consummatum esse dicat: id autem finitum esse Cn. Cornelio, L. Mummio consulibus, qui quinto abhinc anno magistratum gesturi sunt. Annum etiam 'alterum et sexcentesimum' intelligit de sexcentesimo primo: ipse tamen eum numerat sexcentesimum secundum, ne a Dodwelli chronologia, quam sequitur, discrepet. Illa tamen hanc sententiam adhuc premit difficultas, quod paullo post auctor Epitomes referat ludos seculares editos esse anno centesimo post proximos, qui editi erant 'anno quingentesimo et altero ab urbe condita,' id est, anno sexcentesimo altero. Eo autem anno, quo facti sunt, ex sententia Livii consules fuisse 'L. Marcium Censorinum et M. (lege *M'.*) Manilium,' docet Censor. de Die Nat. c. 17. Quum autem auctor Epitomes etiam initium belli Punici tertii in alterum et sexcentesimum annum conferat, dicendum videtur, eum etiam hic intellexisse annum, non quo T. Quinctius et M'. Acilius sed quo L. Marcius Censorinus et M'. Manilius consules fuerunt. Ceterum alio ordine *ab urbe condita anno* legunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quorum alterum sapientissimum virum in civitate habebant, alter vir optimus a senatu judicatus erat] Vet. lib. *quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter optimus vir etiam a senatu judicatus erat.* Sigon. Idem scribit Diod. Sicul. in Exc. Peiresc. p. 382. Verosimile est, utrumque errasse, et hunc filium fuisse illius, qui vir optimus judicatus fuerat. Vide Rupert. ad Pompon. l. 2. § 37. D. de Orig. Jur. *Duk.* In priori membro omnes nostri, et ed. Campani adsentiuntur vet. lib. Sigonii. Posterius vero paullo aliter exhibent. *Alter optimus etiam a senatu judicatus erat* Boend. et ed. Camp. omissa voce *vir,* quæ modo præcessit; quasi inde commode repeti posset. *Alter optimus vir etiam judicatus a senatu erat* Lov. 2. quomodo Gronov. 1665. edidit. *Alter etiam optimus vir a senatu judicatus erat* Berg. *alter etiam vir optimus a senatu judicatus erat* Voss. et Leid. quod præfert postrema Gruteri ed. quam cum Freinsh. Doujatio, Clerico, et Crevierio secutus sum. Paullo ante vocem *Nasicam* perperam omittit Leid. Scriptum fuisse videtur *Scipionem Na.* ut exstat in Boend. et hinc librarius compendium illud *Na.* non adsecutus omisit. In sequentibus *certatum est sententiis* Voss. Leid. Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. pro quo Gronov. a. 1665. substituit *certatum sententiis est,* quod præferunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Et ut omnino deleretur Karthago] Vet. lib. *et ut tolleretur delereturque*

Carthago. Sigonius. Similiter Leid. Berg. et Lov. 2. Hinc postea barbare factum *et ut totaliter deleretur Carthago* in Vossian. Boend. et ed. Camp. quod tandem mutatum est in *et ut omnino deleretur*, ut, præter reliquas ante Sigonium edd. præfert Norvic. Sed de particula *omnino* vide ad Epit. l. LVIII.

Nasica dissuadente: placuit nihilominus, eo quod contra fœdus] Vet. lib. *placuit tamen.* Sigonius. Distingue et scribe, *Nasica dissuadente. Placuit tandem.* J. F. Gronov. 'Tamen' et 'tandem' sæpius a librariis confundi, vidimus ad XXII. 2. § 11. hic tamen omnes nostri cum Exc. Pithœi, et ed. Camp. *placuit tamen* tuentur. Deinde particulam *eo* omittunt omnes iterum scripti nostri, et typis inpressi usque ad Ascensium, qui a. 1513. addidit. Potest etiam commode abesse.

Naves haberent, quod extra fines exercitum duxissent] *Exercitus* Leid. et Voss. *naves haberent et exercitus, et extra fines duxissent* Boenderm. et ed. Camp. *naves haberent, quod et extra fines exercitum duxissent* Norvic. et, teste Hearnio, ed. princeps: at vetustæ, quibus usus sum, *τὸ quod* ignorant, eamque voculam Gruterus demum loco *τοῦ et* invexit. *Quod exercitus extra fines duxissent* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Et ita Gronov. 1665. edidit, nisi quod *exercitum* receperit.

Quod socio populi Romani] *Quodque socio* Exc. Pithœi, Norv. Hearnii, et edd. ante Gruterum, qui copulam expunxit. Nec male. Eamdem enim ignorant Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad verba seqq. Tum *socio populo Romano* Voss. De locutione 'socius,' 'amicus,' 'hostis populo Romano' similibusque vide ad XXXIX. 47. § 10. Hic tamen ambigui vitandi caussa nihil muto.

Quod filium ejus Gulussam, &c. in oppidum minime recepissent] Vet. lib. *non recepissent.* Sigon. *Et quod filium* Boend. Exc. Pithœi, Norv. Hearnii, et edd. ante Gruterum, qui *τὸ et* delevit, consentientibus Leid. Vossian. Berg. et Boenderm. Toties voculam *quod ἀσυνδέτως* repeti, ex Livii stilo auctori Epitomarum adhæsisse videtur, quod librarii, et præsertim primi editores, ferre non potuerunt, et hinc particulis junxerunt. Vide ad v. 35. § 4. Præterea *non recepissent* etiam Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Passim primi editores in his Epit. *minime τῷ non* supposuerunt. Exempla vide ad Epit. libb. XXII. XXIX. XXXVIII. XLVI. infra hac Ep. et præterea Ep. libb. L. LI. LVI. LXVII. LXIX. LXXXVIII. LXXXIX. CI. CXV. CXVI. et alibi. Mox vocem *illæ* non agnoscit Berg.

Veluti omen] Hæc iterum lectio Grutero debetur; quum antea ederetur *veluti maximum belli omen*, adstipulante solo Norv. Contra Grutero adhæret Leid. nec aliter Berg. et Lov. 2. nisi quod *velut* præferant. Eodem ducunt reliquorum vestigia. Nam *veluti omnium* offert Vossian. *veluti omnibus grata Patribus* Boend. *principibus*, pro *Patribus*, legit Voss.

Diti patri ludi ad Tarentum, ex præscripto librorum Sibyllinorum, facti] Lege *ad Terentum*, qui locus erat in Campo Martio, ex Festo voce 'Sæculares,' et 'Terentum,' et Valerio II. 1. itemque lege apud Censorin. c. 17. 'Cum libros Sibyllinos decemviri adissent, renunciarunt, uti Diti patri et Proserpinæ ludi Terentini in Campo Martio fierent.' Servius in Æneid. VIII. 63. partem Tiberis 'Terentum' a 'terendo' dictam ait. *Sigon.* Vocem *Sibyllinorum* scripti codd. ignorant. *J. F. Gron.* Livius sæpe tantum 'libros' vocat III. 10. v. 50. X. 47. XXII. 36. XXV. 12. XXXI. 12. et XXXIV. 55. *Dukerus. Ludi Diti patri* Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde perperam *ad Tarentum* omnes nostri, et Exc. Pithœi, ac Norv.

Vide viros doctos ad Valer. Max. II. 4. 5. N. Heins. ad Nason. Fast. I. 501. et quos Burm. ad eum locum laudavit. Alios tamen locum *Tarentum* vocasse, constat ex Zosim. lib. II. in princ. qui τῷ κατὰ τὴν ἄκραν Ἰαπυγίαν δμώνυμον Τάραντι dicit. Præterea vocem *Sibyllinorum* nulli meorum agnoscunt. *Ex præcepto libri* perperam legit Boend.

Qui anno primo primi belli Punici, quingentesimo et altero anno ab urbe condita, facti erant] Fœdissime se habet hic locus, quem nos, auctore vetere libro, sic restituimus: *qui anno centesimo, primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita, facti fuerant.* Sensus est: Ludos seculares ad Terentum, qui centesimum ante annum, dum Punicum bellum gerebatur, anno ab urbe condita DI. facti fuerant, hoc anno esse relatos. Id autem ita esse, ratione quoque possumus confirmare. Nam si a. DI. illi facti sunt, profecto P. Claudio Pulchro, L. Junio Pullo consulibus facti sunt. Nam in eos consules hic numerus incidit ad summam annorum Livianam. Censorinus autem, de his ludis loquens, ait c. 17. ‘ Tertii ludi fuerunt, Antiate Livioque auctoribus, P. Claudio Pulchro, L. Junio Pullo consulibus.’ Præterea si post centum annos, quam illi facti erant, relati sunt, profecto, a. DCI. hi facti sint, necesse est; qui annus consules habuit L. Marcium Censorinum et M'. Manilium. Itaque Censorinus idem ibid. ait, ‘ De quartorum ludorum anno triplex opinio est: Antias enim, et Varro, et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M'. Manilio consulibus, post Romam conditam anno sexcentesimo quinto.’ Sequitur autem in numerandis urbis conditæ annis alios auctores, quam Livium, eosdem prope, quos Ciceronem et Plinium secutos esse animadvertimus. *Sigon.* Prorsus, ut Sigonius, Barberinæ membranæ, nisi quod *a primo.* Unde scribebam, *anno centesimo ante, primo Punico bello.* Nunc autem in Voss. et Gud. video *qui annum centesimum, primo Punico bello.* Ergo *qui ante annum centesimum, primo Punico.* Iidem *facti erant.* J. F. Gron. Robortellus Obs. I. 7. fidem Sigonii, se *anno centesimo, primo Punico bello* in Mss. invenisse adfirmantis, audacter sugillat, et *anno centesimo,* pro ante annum centesimum, Latine dici negat: ipse vero legendum conjicit *anno XVI. primi belli Punici.* Petrus Taffinus in Chronol. nova Ludor. Secul. c. 5. emendat *qui anno XVII. primi belli Punici, quingentesimo quinto ab urbe condita, facti erant.* Taffino adsentitur Hearne, nisi quod cum Dodwello, pro ratione Catoniana, *quingentesimo tertio* scribere malit. Verum *qui anno centesimo, primo Punico bello,* quod se in vet. lib. reperisse Sigonius testatur, mihi etiam obvium fuit in Berg. *qui annum primum Punico bello* in Boend. *qui annum centesimum a primo Punico bello* in Leid. *qui annum centesimum, primo Punico bello* in Voss. et Lov. 2. quibus consentiunt Excerpta Pithœi. Alterutra igitur Gronovii conjectura probanda videtur. Deinde *quingentesimo altero anno* Lov. 2. Quis autem sit annus ‘ quingentesimus alter,’ viri docti ad initium hujus Epit. docuerunt. Insuper *facti erant,* pro quo Sigonius dedit *facti fuerant,* in contextum revocavi, quia ita præferunt omnes Mss. mei, Norv. Hearnii, et edd. priores.

Per quos se Karthaginienses dedebant] *Carthaginienses se dedebant* Boend. Norv. et edd. ante Gruterum; qui ordinem, ut nunc editur, mutavit, consentientibus Leid. Berg. et Lov. 2. *pro quos Carthaginienses dolebant* male Voss.

Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur] *Devicit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Dein *ut decreto* Norv. et edd. usque ad Gruter. qui *ut in decreto*

dedit, adprobantibus omnibus scriptis nostris; quod Livio familiare est. Vide ad VIII. 33. § 6. et XXXVII. 52. § 10. Tum *perstaret* Boend. *præstaretur* Voss. Berg. a m. pr. et edd. Rom. 1472. ac Parm. scribarum errore, qui pariter lapsi sunt in Mss. quibusdam VIII. 33. § 6. et X. 13. § 10. Mox *proficiscerentur ad bellum* Leid. Vossian. Norv. et edd. ante Gron. qui a. 1665. *ad bellum proficiscerentur* dedit. Nec aliter Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp.

Et armis omnibus, instrumentisque belli, si qua Karthagine erant] Barber. *et armis, omnibusque instrumentis publicis.* Forte *bellicis.* J. F. Gronovius. *Et armis omnibus instrumentis bellicis* Boend. *et armis, omnibusque instrumentis belli* Leid. Voss. Berg. Norv. omnesque editi ante Gruter. vulgati auctorem; quod in uno apud me Lov. 2. superfuit. Priscam igitur lectionem prætuli, nisi quod *bellicis*, pro *belli*, dederim. Tum *Karthagini erant* Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad l. XXVIII. c. 26. § 1. Paullo ante *Qui ut in Africam* Boend. Præterea *quos impetraverant* Vossian. Berg. Lovel. 2. et Boend. Vide ad XXXV. 17. § 7. Ad hæc vox *trecentis* exsulat a Leid.

Ut in alio loco, procul a mari decem millia passuum, nec minus, remoto, oppidum facerent] Vet. lib. *ut in alium locum, dum procul a mari decem millia passuum, nec minus, remotum.* Sigon. Lectio vulgata, vet. lib. auctoritate firmata, a Sigonio rejicienda non fuit. *Delrius.* Lege *ne minus.* Sic enim loquuntur. Fortassis et pro *facerent*, legendum *transferrent.* J. F. Gronov. Livius XXVIII. 39. 'Ne minus dena millia æris.' XXXII. 26. 'Ne minus decem pondo compedibus.' Sic 'ne plus' XXXIV. 6. Vide Jac. Gronov. ad XXXVIII. 24. *Duk. In alium locum, &c. remotum* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Excerpta Pithœi, et ed. Camp. Qua lectione admissa, insuper *transferrent* cum Gronovio scribendum videtur, ubi omnes scripti et editi constanter *facerent* servant. Præterea *locum, ut a mari* Boend. *locum, a mari* ed. Camp. *locum, dum a mari* Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Vocem itaque *procul*, quam nullus Mstorum agnoscit, et sine quo optime sensus constat, delevi. Tum *ne minus* Leid. Vossian. et Exc. Pithœi. Vide ad XXXVIII. 24. § 5. Paullo ante *tum ex auctoritate* Leid. et Lovel. 2. *tunc ex auctoritate* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ad bellandum Karthaginienses compulerunt] *Ad bellum* Lov. 2. *ad rebellandum* Leid. quod foret 'iterum bellandum.' Vide ad XXXV. 19. § 7. Solent autem 'bellare' et 'rebellare' a librariis commutari; vide ad XL. 38. § 5. Mox *obsidiari oppugnarique capta est* Boend. *cæpta* deest in Berg.

Ab L. Martio, L. Manlio consulibus] Lege *L. Marcio, M'. Manilio. M.* etiam *Manilius* dicitur in Bruto c. 15. et a Valerio v. 2. ext. 4. et a multis aliis. Ipsum tamen prænomen 'Manii' tulisse, indicat Capitolinus ejus consulatus. Itaque locus in principio Somnii Scipionis ita legendus: *Cum in Africam venissem, Manio Manilio consuli ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum.* Mendose enim legitur *Anicio, Manilio consulibus.* Quidam *Marcio et Manilio* emendarunt, non recte: non enim ambobus consulibus Scipio venit tribunus, sed uni Manilio, ut Appianus et Valerius ibid. tradiderunt. *Sigon.* Gentis Marciæ nomen per *c*, non per *t*, scribendum esse, vidimus ad I. 32. § 1. *L. Manlio* in nullo vel scripto, vel edito inveni, sed *M. Manlio* legunt Leid. Norv. et edd. *et Marco Manlio* Berg. *M. Manilio* Boend. et Lovel. 2. *M'. Manilio* Voss. Μάνιον Μανίλιον vocat Appian. in Punic. p. 42. Vide etiam Pighium in Annal. ad a. IDCIV. p. 445. ubi etiam locum Cic. in principio Somnii Scipionis, sed aliter quam Sigonius,

emendare conatur. Mox τὸ *muros* deest in Berg. contra *cum cohortibus suis*, addita ultima voce, legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. quare recepi.

A Scipione Africano expliciti sunt] Lectio spuria. Nam certe tunc non sortitus id cognomen Scipio. Habet Pal. 1. *Orfitiano*. Quid? an id cognomen ei inhæsit a patre adoptivo? *Gruter*. Delendum τὸ *Africano*, ut et in Epit. præcedente: nondum enim id cognomen habebat. *J. F. Gron.* Vocem *Africano* tuentur Leid. Voss. Berg. et Boend. idque viri docti per prolepsin accipi posse docuerunt; vide Dukerum ad Flori IV. 3. § 5. Alia ejus figuræ exempla observat Burm. ad Suet. Clar. Rhet. c. 1. ejus loco *Orfitiano* præferunt Exc. Pithœi. At *Æmiliano* Lov. 2. quod reliquis lectionibus præferrem, si plures codd. id velle viderem.

Castellum, quod nocte obpugnabant] Scripti *expugnabant:* hoc est, expugnaturi videbantur, alioquin expugnaturi erant, parum aberat, quin expugnarent. Ut Cicero Att. IV. 10. 'Ad eum postridie mane vadebam, cum hæc scripsi:' i. 'iturus eram.' V. 15. 'Iter Laodicea faciebam a. d. III. Non. Sext. cum has dabam.' lib. V. cap. 17. 'Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem literas.' Hoc est 'facturus,' 'habiturus eram.' *J. F. Gron.* Plura hujus generis vide ad XXXIV. 1. Quia tamen Hearnius nullam varietatem scripturæ ex aliis adnotat, vulgatum retineri tutius puto. *Duk.* *Oppugnabant* demum Frob. 1535. recepit; quod verbum sæpe pro 'expugnare,' et vicissim, librarii substituerunt, ut vidimus ad XXI. 57. § 6. *expugnabant* hic verum existimo, quia in omnibus scriptis, quibus usus sum, omnibusque ante Frobenium edd. constanter superest, idque commode exponi posse Gronovius ad hunc locum docuit. *Expugnabant* igitur hic de conatu ac voluntate expugnandi intelligo, non de ipso actu. Ita XXXVII. 53. 'Antiochus filiam suam in matrimonium mihi dabat; restituebat extemplo civitates, quæ defecerant a nobis; spem magnam in posterum amplificandi regni faciebat.' Et ita auctor Epitomarum lib. LXXV. 'L. Porcius consul, rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit.' Plura similia vide apud Duker. ad Flori I. 18. § 12. et quæ notavi ad XXXIV. 1. § 7.

Castrisque, quæ Karthaginienses, &c. obpugnabant, liberatis, is præcipuam gloriam tulit] Vet. lib. *castrorumque, quæ, &c. liberatorum et ipse pr. gl. tulit.* Sigon. In ipso contextu Sigonius edidit *castrorumque, quæ, &c. liberatorum is ipse pr. gl. tulit:* quod præferunt etiam Leid. et Vossian. Neque multum abeunt reliqui scripti, nisi quod Berg. perperam legat *castrorum quemque Karthaginienses.* Lov. 2. *præcipue gloriam tulit.* Boend. *castrorum, quæ, &c. oppugnabant, liberator exstitit, is ipse.* Cui consentit ed. Camp. ubi *que* elisum est a seq. pronomine *quæ.* Vide ad XLI. 2. § 11. Præterea *ab urbe pariter egressi* Lovel. 2. et Boend.

Ab irrita obpugnatione Karthaginis] Duæ priores voces desunt in Vossian. Tum *oppugnatione urbis Karthaginis*, addita media voce, legit Berg. Mox *Romæ ad comitia erat* Leid. Vossian. Berg. et Exc. Pithœi. *Erat* et *ierat* etiam alibi in Mss. commutantur. Vide ad XXXIX. 21. § 6.

Exercitum duceret adversus Hasdrubalem] Ita Gruterus edidit, probantque hanc lectionem Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Neque aliter Norv. nisi quod *duceretur*, pro *duceret*, legat. Olim vulgatum fuit *exercitum ducere adv. Hasd. vellet.* Et, ita Exc. Pithœi præferre, Hearnius auctor est.

Qui cum altera manu iniquum saltum

insederat] Primam vocem omittunt Voss. Berg. Boend. et ed. Camp. qua etiam carere possumus, si verba hæc parentheseos notis includimus. Secundam vocem ignorat Leid. Si plures codd. id vellent, ne eam quidem necessariam ducerem. Certe Livium in similibus locutionibus præpositionem *cum* omisisse, ubi vulgo addi solet, vidimus ad I. 14. § 7. et pluribus aliis locis. Tum *altera manu* legit Boend. *alia manu* Voss. vide ad Epit. l. L. *alta manu* Lov. 2. vide ad XXI. 28. § 5. *Ampla manu* Exc. Pithœi; quod non videtur insuper habendum. Supra Epit. l. XXIX. 'Ex Africa et militum ampla manu missa, et pecuniæ.' Et ibid. 'Hannonem Hamilcaris filium cum ampla manu interemit.' Epit. l. LI. 'Contracta clam exiguo tempore ampla classe.' Ita 'amplissima dona' et 'amplius scutum' Epit. l. LVII. 'amplus modus' Epit. l. LVIII. Deinde *saltum iniquum* Lov. 2. et Boend. Præterea *insiderat* Voss. Boend. et quædam veterum edd. pro quo *insideret* Berg. Sed vulgatum servant reliqui. Mox *suasit populo consul* inepte Voss. *suasit primo consul* Lov. 2. Insuper *ne tam inimico loco* Lovel. 2. et Exc. Pithœi. Vide ad XXVIII. 29. § 8.

Complurium, qui et prudentiæ ejus et virtuti invidebant, sententiis] *Quam plurium* Vossian. Vide ad IV. 31. § 2. Hinc *et prudentiæ et virtuti ejus* Voss. Berg. et Lov. 2. Mox *cum, sicut prædixerat, fusus* Boend. Lovel. 2. et ed. Camp. *tum, (tunc* Voss.) *sicut prædixerat, quum fusus* Leid. Voss. et Berg. Paullo post *Romanus* ignorat, et *ab hostibus*, pro *ab hoste*, obfert Berg. Tandem *cum paucis equitum turmis* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quam virtutem ejus et Cato, vir promtioris multo ad vituperandum linguæ] Ex vet. lib. tollenda est vox *multo*. Sigon. *Quam ob virtutem* Leid. An voluit librarius? *Quam ob rem virtutem*. Sed potius nihil mutandum. Tum *ejus et* deest in Boend. sola vocula *et* in ed. Camp. Deinde vox *multo* exsulat a Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. quam proinde recte Sigonius expunxit. Vide ad Epit. l. LI. Insuper *vir promtior ad vituperandum lingua* Voss. Berg. Boenderm. et ed. Camp. Vulgatum tamen, quod servat Leid. et partim etiam Lovel. 2. *vir promtæ ad vituperandum linguæ* præferens, ab auctore Epitomarum, quam ab indoctis librariis, profectum esse, existimare malo. Mox voces *in senatu* desunt in Boend. et ed. Camp.

Qui in Africa militarent, umbris militare, Scipionem vigore] Antiq. lectio, pro *umbris*, habet *umbras*, pro *vigore*, *vigere*. Quod probo. Nam (ut ait Appianus) est versus Homericus ex Od. K. 495. a Catone usurpatus hujusmodi: Οἷος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν· id est, *solus sapit, reliqui umbræ ruunt*. Sigon. Puto *volitare*: hoc enim est ἀΐσσειν. *J. F. Gronovius. Qui Africa militarent* Leid. Sed præpositio ĩ, vel *in*, ab ultima litera vocis præced. elisa est. Vide ad XXXVII. 41. § 8. *Qui in Africam militarent* ed. Camp. Vide ad X. 19. § 3. Sed nihil muto. Perperam etiam *militarant* Boend. Tum *umbras* et *vigere* Leid. Voss. Berg. et Lovel. 2. *vigere* etiam Boend. et ed. Camp. *umbras vagantur*, duabus vocibus mediis omissis, Exc. Pithœi. Gronovii conjecturam *umbras volitare* non displicere Schulting. ad Senec. Controv. I. monuit Hearnius.

Et illum complexus est] Pro quatuor his vocibus non nisi unam Voss. *compressus*, Gudiani *complexus* habent. Recte posterior, et idem, nescio quomodo exerrans, prior voluit. Sic enim cohæret oratio: *Quam virtutem ejus et Cato in senatu sic prosecutus est, ut, &c. et populus Romanus eo favore complexus, ut, &c.* Qui geminas ex una periodos fecerunt, reliqua addide-

runt. *J. F. Gron.* Vulgatum ex ultima Gruteri ed. natum est. *Eo favore illum complexus est* præferunt antiquiores. Insuper, *illum* ab Exc. Pithœi, Norvic. et prima ed. abesse, Hearne auctor est ; quibus consentit Berg. Sed Gudianis Gronovii consentiunt Leid. Lov. 2. et Boend.

Ut comitiis complurimæ eum tribus consulem scriberent] Aut *complures*, aut *quam plurimæ*. Sed in Gud. et Voss. *ut comitiis plurimæ eum tribus consulem scriberent, cum hoc per ætatem non liceret*. Τὸ *scriberent* ambigo, sitne ab auctoris errore, an reddiderint librarii pro *juberent*. Nnn potest enim id intelligi, nisi de suffragiis latis per tabellas. Agebantur autem hæc a. IↃCV. At prima lex tabellaria Gabinia lata est a. IↃCXIV. ante quam suffragia pronunciabantur, non scribebantur. *J. F. Gron. Cum plurimæ tribus* Berg. cujus librarius voluisse videtur *eum plurimæ tribus*. At *plurimæ eum tribus* Leid. Lovel. 2. Boend. et Exc. Pithœi.

Quum hoc per ætatem minime liceret] Vet. lib. *non liceret*. Sigon. Pariter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide supra hac Epit. Præterea *quum per ætatem hoc* Boend.

L. Scribonius tribunus plebis] *L. Trebonius* Berg. et Boenderm. sed male. Nam ex Valer. Max. VIII. 1. 2. constat Libonem tribunum plebis Lusitannrum patrocinium suscepisse, et Ser. Galbam pro rostris vehementer increpuisse, actioni autem tribuniciæ M. Catonem subscripsisse. Ex Cic. etiam ad Attic. XII. 5. patet L. Libonem circa hoc tempus tribunum plebis fuisse. Deniqne ex sequentibus hujus Epit. certum est, tribuno plebis, qui rogationem de Lusitanis promulgavit, ‘ Libonis ’ cngnomen fuisse. ‘ Libo ’ autem non Treboniæ, sed Scriboniæ gentis cognomen erat.

Qui, ex fœdere populo Romano dediti, a Sergio Galba in Galliam venissent] Vet. lib. *qui, in fidem populi Romani dediti, a Ser. Galba.* Porro autem *in Gallia,* non *in Galliam*, sensu ita postulante, lego. *Venissent* enim, pro *venundati essent,* accipiendum est. Nam, inquit Valer. IX. 6. ‘ Galba trium Lusitaniæ civitatum convocato populo, tanquam de commodis ejus acturus, novem millia electa, et armis exuta partim trucidavit, partim vendidit.’ *Sigon.* Non displicet, quod ex aliis adnotavit Hearnius, *in Galliam.* Sed destitnor exemplis e scriptoribus Latinis. E Græcis Casaub. et alii quædam attulerunt ad Lucæ Act. Apost. VII. 9. ἀπέδοντο αὐτὸν εἰς Αἴγυπτον. *Duker. Qui, ex fœdere populo Romano dediti* primus edidit Ascensius a. 1513. quum ipse triennio ante *qui fœdere populi Romani,* at reliqui omnes *qui in fœdere populi Romani* vulgassent, quod superest in Norvic. Hearnii, et propius accedit ad lectionem, quam Sigonius ex vet. lib. recepit, *qui in fidem populi Romuni.* Neque aliter inveni in Leid. Voss. et Lovel. 2. sed *qui in fidem po. Ro.* in Berg. *qui in fide po. Ro.* in Boend. et ed. Camp. Quum Sigonium secutæ edd. *ex fœdere populo Romano* retinuissent, Gruterus, ejus emendationem recepturus, partem tantum vulgati mutavit, ac dedit *in fidem populo Romano,* quod recentiores retinuerunt usque ad Crevier. qui tandem recte *in fidem populi Romani* ex mente Sigonii substituit. Livius XXXVII. 45. ‘ Asiæ civitates in fidem consulis sese tradebant.’ XXXVIII. 31. ‘ Quum in fidem Achæorum vicos tradidissent.’ Tum *a Servio Galba* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pith. et ed. Camp. Vide ad v. 29. § 2. Deinde *in Galliam* omnes scripti nostri. Cujus locutionis exempla licet nec mihi suppetant, eam tamen præfero, et sensu etiam ab altera differre existimo. *In Gallia* enim venit, vel venumdat, qui in Gallia consistens vendit ; sed *in Galliam,* qui alibi constitutus vendit ea conditione, ut in Galliam abducatur.

Certe Galba, qui prætor Hispaniam ulteriorem obtinuit, non videtur Galliam, alterius provinciam, adiisse, ut in ea captivos Lusitanos venderet; sed id potius in ipsa Hispania ementibus Gallis fecisse, qui eos in Galliam adsumerent. Simili locutione 'scribere legiones in Bruttios' est scribere eas Romæ, quæ deinde in Bruttios mittantur, XXIX. 13. Codicum igitur lectionem restitui. Mox *in libertatem restitueret* perperam Voss. *restituerctque* Boend. *restituerent* ed. Camp.

M. Cato acerrime suasit] Rogationi causam dedit perfidia Galbæ in Lusitanos, quam Appian. in Iberic. pag. 288. Cic. in Bruto c. 23. (ubi in quibusdam edd. perperam est *T.* pro *L. Libo*) Valer. Max. VIII. 1. 2. IX. 6. 2. et Sueton. in Galb. cap. 3. narrant. Sed vel plura fuerunt hujus rogationis capita, vel alia rogatio separatim a Scribonio in Galbam lata est. Nam Cic. de Orat. I. 53. Libonem in eum 'quæstionem,' et in Brut. c. 23. 'rogationem privilegii similem' tulisse, auctor est. De rogatione, qua Lusitani restituebantur, alibi nihil proditum inveni: eam, quæ in Galbam lata erat, Catonem suasisse, addit Cic. in Brut. quod Valer. Max. VIII. 1. 2. Catonem actioni tribuniciæ subscripsisse dicit. Sed, eam non acceptam fuisse, ex iis apparet quæ Cic. ibi, et pro Muren. c. 28. Valer. Max. l. d. et Quintil. Inst. Orat. II. 15. de ratione qua Galba periculum evaserit, tradunt. Nam quod Livius XXXIX. 40. Galbam a Catone ad populi judicium adductum, Plutarch. in Vit. Caton. et Auct. de Vir. Illustr. c. 47. a Catone accusatum scribunt, in hanc sententiam accipio, Catonem in suadenda rogatione Scribonia ita aspere et vehementer apud populum de Galba loquutum, quod Cic. dicit, et ita accusatorie crimen ejus exaggerasse, ut pro accusatore haberi potuerit. Nam Catonem in hac actione tribunicia non accusatoris, sed tantum suasoris partes egisse, ex Cic. patet, qui nihil aliud, quam eum hanc legem suasisse, dicit. Appian. in Iberic. pag. 289. Galbam accusatum damnationem pecuniæ effugisse scribens, errat. *Duk.* Perperam *dissuasit* Leid.

Exstat oratio in annalibus ejus inclusa] 'Origines' Catonis 'Annales' vocat. Cic. in Bruto de hac oratione, 'quam orationem in Originibus suas retulit.' Vide Vossium de Histor. Latin. I. 5. *In Annalibus inclusa* hic forsitan dixerit Livius. Sed aliter loquitur XLV. 25. 'Ipsius oratio scripta exstat, Originum quinto libro inclusa.' *Duk. In Annalibus inclusa* Boend. *et in Annalibus ejus inclusa* Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *exstat oratio ejus in Annalibus ipsius inclusa* Leid.

Etiam ab eo in senatu laceratus] Vet. lib. *et sæpe ab eo.* Sigonius. Similiter Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. *et sæpe etiam ab eo* ex Norv. et ed. principe, aliisque laudat Hearnius; quod mihi in nullo libro, vel edito, vel scripto, obvium fuit. Crevierius ex conjectura malebat *et ipse sæpe ab eo.* Mox *condemnari* Berg.

Et filium C. Sulpicii, cujus tutor erat] Voss. *et suplicali filium, cujus.* Gud. *et supplicalis filius, cujus.* Scribe, *et Sulpicii Galli filium, cujus tutor erat.* J. F. Gronov. *Et filium C. Sulpicii,* quod in Exc. Pithœi exstare Hearne auctor est, primum in ed. Froben. a. 1531. inveni. Vetustiores præferunt *et filium Galli Sulpicii,* quibus consentit Norv. *et Sulpitii filium,* voce omissa, Leid. et Berg. *et Sulpicii Gulli filium* Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Tum *cujus ipse tutor erat* Boend. et ed. Camp.

Duæ adversum Libonem tribunum plebis rogationemque ejus, habitam de Lusitanis] *Adversus Libonem* Leid. Vossian. et Boenderm. Vide ad

Epit. lib. XLVII. Tum *rogationesque ejus habitæ* iidem cum Berg. Norvic. et vett. edd. pro quo Froben. a. 1531. vulgavit *rogationesque ejus habitas.* Ex eo tempore quum editores modo *habitæ*, modo *habitas* adscivissent, Gronov. tandem a. 1665. vulgavit *rogationemque ejus habitam:* sed, 'habere rogationem' neminem veterum dixisse, Crevierius monet. Reponit itaque *rogationemque ejus habitæ*, quod inveni in Lovel. 2. ac præferunt Exc. Pithœi; ut *habitæ* referatur ad *orationes*, quod præcedit. Et recte. Nam paullo ante etiam L. Scribonii tribuni plebis *rogationem*, non *rogationes*, ea de re promulgatam memorat. Tum *pro Lusitanis* Leid.

Propter sese castra habentes] Vet. lib. *prope se.* Sigon. Excusi et Ms. habent *propter sese castra habentes.* Sed *propter* pro 'juxta' sumitur. Sisenna Hist. lib. III. 'Partem cohortium propter mare conlocat in litore.' Varro de Liberis Educandis: 'Attestatus est Fortunam, propter cujus aram mea hostia erat cæsa.' Quæ a Nonio voce 'Propter' adducuntur. *Delrius. Prope* ab Sigonio est, cum legeretur *propter sese castra habentes.* Cujus quis non videt alterum interpretationem esse? Cicero pro Rosc. Amer. c. 23. 'Duo filii propter patrem cubantes.' Noster IX. 2. 'Castra propter aquam vallo circumdant.' Et quis non? *J. F. Gronov.* Sigonio favent Voss. et Lov. 2. *prope sese* præferunt Boend. et ed. Camp. *propter se* Berg. *propter sese* Leid. et Norvic. quod recte viri docti probarunt. Id auctori Epitomarum adhæsit ex stilo Livii, qui sæpius eo modo loquitur. Ita XXV. 23. 'Oportunus locus ad portum Trogiliorum propter turrim, quam vocant Galeagram, est visus.' XXVI. 8. 'Per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt.' XXVIII. 46. 'Propter Junonis Laciniæ templum æstatem Hannibal egit.' XXXIV. 32. 'Cum Boiorum manu propter Litanam silvam, &c. conflixit.' XLIV. 3. 'Propter Octolophum diximus regis castra.' Aliorum scriptorum exempla vide apud Emmen. ad Virg. Ecl. VIII. 87. et Tennul. ad Front. II. 3. § 22. Alteram lectionem ex hujus interpretatione natam esse, recte Gronovius docuit. Ejusdem erroris exempla in plerisque Livii locis laudatis præferunt Mss. Vide ad III. 60. § 10. V. 44. § 8. IX. 2. § 13. et Cort. ad Sall. Catil. c. 59. Mox *faceret*, pro *fateretur*, Voss. et Boend.

Quod compertum habuerit, equo atque homine suo inmolatis] Vet. lib. *equo atque homine suo ritu immolatis.* Sigon. Similiter Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi: *homine suo dissimulatis* Leid. *homine sub ritu immolatis* ed. Camp. Præterea *quidam compertum habuerunt* Boend. et ed. Camp.

Ultimæ sortis homo, Persei regis se filium ferens] *Extremæ sortis* Boend. *infimæ sortis* edd. variæ Ascensii. Sed utrumque est ex glossa alterius, pro quo stant reliqui omnes scripti, et editi. *Ultimæ sortis* vocatur etiam apud Flor. II. 14. *ultimæ stirpis* apud Vell. Paterc. I. 11. at *extremæ sortis* apud Justin. XXXV. 1. Tum *Persici regis* Boend. *Persi regis* Voss. et ed. Camp. Vide Gronov. ad Liv. XLII. 25. § 2.

Quum ab urbe Roma] Voss. *Romam.* Gud. uterque *Romana:* quod plurimis locis Livio ex vett. codd. reddidimus. *J. F. Gron. Ab urbe Ro.* per compendium scripturæ Berg. *ab urbe Romana* Leid. quod partim viri docti sæpius Livio restituerunt, partim in Mss. et edd. antiqq. inveni. Vide ad II. 10. § 2. III. 7. § 4. c. 8. § 7. IV. 7. § 1. V. 21. § 16. VII. 1. § 10. XXI. 35. § 9. XXIII. 18. § 13. c. 29. § 7. XXVI. 9. § 8. c. 11. § 2. c. 12. § 12. c. 13. § 15. c. 37. § 6. XXVII. 9. § 14. c. 22. § 12. c. 40. § 6. XXVIII. 11. § 8. c. 28. § 15. XXIX. 4. § 6. c. 14. § 13. et aliis locis. Vide etiam ad Epit.

libb. VII. LXXXVII. et LXXXVIII. Adde viros doctos ad Sallust. Catil. c. 18. Vell. Pat. l. II. capp. 111. 118. et Duker. ad Flori I. 13. in fine. Mox *ob ipsum mendacium* Leid. Vide ad V. 43. § 4. Reliqui tamen codd. vulgatum tuentur.

Multis ad falsam ejus famam, velut ad veram, euntibus] Vet. lib. *multis ad falsam ejus fabulam, velut ad veram, coëuntibus:* et recte. Nam paulo post infert, 'fabulam autem ejusmodi finxerat.' *Sigon.* Quod sustulit Sigonius, *ad falsam ejus famam, velut ad veram,* retinet Gudianus. Tacitus Ann. II. 39. de Pseudo-Agrippa: 'relinquebat famam, aut præveniebat.' Potest tamen intelligi 'fabula,' quam ipse de se serebat. Dein Voss. et Gud. *coëuntibus.* Ut Justino, 'dum auxilia coëunt.' Et XXII. 5. 'Coitura auxilia omnium adversus unam urbem.' *J. F. Gronov. Ad falsam confabulam* Voss. *ad falsam ejus fabulam* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Dein *velut ad verum* Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. Credo librariis displicuisse *veram fabulam,* quam non nisi *falsam* agnoscebant. At 'fabulam' in genere esse sermonem, rumorem, qui vel verus vel falsus esse potest, hodie constat. Tum *coëuntibus* Vossian. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et edd. principes. Livius XXVI. 22. 'Gratulandi caussa quum turba coiret.' Mox *fabulam autem talem finxerat* Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. quod tot codicum consensu probatum spernere non potui. Alibi etiam vocem *hujusmodi* auctori Epitomarum contra fidem Mstorum primi editores obtruserunt; vide ad Epit. l. LIV.

Ex pellice se Perseo rege ortum] Vet. lib. *Ex pellice se et Perseo rege.* Sigon. *Pellice se,* sine præpositione, Boend. de qua locutione vide ad II. 6. § 2. *E pellice se* ed. Camp. Sed reliqui vulgatum servant, quos sequor. Tum *et Perseo rege* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi.

Traditum educandum Cyrthesæ cuidam esse] Vetus lectio melior, *traditum educandum Cretæ se cuidam esse.* Sigon. Ita etiam Lovel. 2. et Exc. Pithœi: ut *Cretæ* sit pro 'in Creta.' Vide ad XXXIII. 41. § 6. *Circes et cuidam esse* Boend. *Cirtese cuidam esse* ed. Camp. *credent cuidam esse* Voss. *certe se cuidam esse* Berg. *Cretensi cuidam esse* Leid. Et ita Gruterus, ac post eum recentiores omnes ediderunt; cujus lectionis auctorem se nescire profitetur Crevierius.

Ut in belli casus, quod ille cum Romanis ageret] Vet. lib. *gereret.* Sigon. Veteres *ageret,* quod vix ausim cum Sigonio movere. Vide Observationum II. 3. *J. F. Gron.* Tò *in* deest in Berg. Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Deinde 'agere bellum,' æque ac 'gerere,' optimis scriptoribus in usu fuit. Ovid. Art. Am. I. 182. 'Bellaque non puero tractat agenda puer.' Mela I. 16. 'Aliena etiam bella mercede ageret.' Vide Burmann. ad Quinctil. Inst. Orat. X. 1. 908. ad Vell. Paterc. II. 109. ad Gratii Cyneg. vs. 334. et viros doctos ad Cæsar. B. G. III. 28. et Nepot. Hann. cap. 8. Ita 'agere pugnam,' 'prælium;' de quo vide ad Livii II. 47. § 1. *Male rem agere,* pro 'male bellum gerere,' dixit Justin. IV. 5. § 4. Passim autem 'agere' et 'gerere' a scribis commutari, vidimus ad Livii XXII. 28. § 1. Utrum igitur eorum hic admittendum sit, codd. consulendi, eorumque testimonio standum est. Jam vero *ageret* præfert tantum Norv. contra *gereret* omnes scripti mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. unde eam lectionem præferendam puto. Mox *stirpis regiæ* Leid. Exc. Pithœi, Norv. et edd. usque ad Gronov. qui a. 1665. *regiæ stirpis* vulgari curavit, concinentibus Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Perseo demortuo] Hæc verba non

video neque in Voss. neque in Gudianis. *J. F. Gron.* Eadem verba exsulant a Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Adramytti se educatum usque ad duodecimum annum ætatis] In prima voce variant et scripti, et editi. *Idramiti* legunt Berg. Norv. et edd. principes. *Ydramiti* Lovel. 2. *Hydramyti* Exc. Pithœi. *Idramoti* Leid. *Adramiti* ed. Frob. a. 1531. *Adramytti* Gronov. a. 1665. *Adramitti* Clericus. *Demetrii* Voss. *a Demetrio* Boend. *et a Demetrio* ed. Camp. Unde credi posset 'Demetrium' adpellatum esse, a quo Andriscus educatus est. Potius tamen lectionem illam a librariis profectam credo, quia verisimile non est, reliquos satis notum Demetrii nomen, quod et supra, et infra hac Epit. memoratur, in alia quævis monstra lectionum corrupisse. Credere igitur [illegible]alo, sub ea lectione nomen urbis latere, in qua Andriscus enutritus sit. Quam si quis in Creta quærendam censeat, quia Cretensi cuidam educandus traditus est, legi posset vel *Hierapytnæ*, vel potius *Hydramiæ*, quæ utraque Cretæ oppida apud Steph. Byz. et alios memorantur. Vide Meurs. Cretam I. 11. Si vero indicetur urbs extra Cretam, in qua Creteusis, Andrisci educator, habitarit, legendum dicam *Adramyttii*, vel potius *Adramyttei*. Ita enim hanc urbem vocat Livius XXXVII. 19. 'Adramytteum Æmilius et Eumenes venerunt.' Græcis Ἀδραμύττιον, vel Ἀδραμύττειον vocatur. Certe Andriscum ἐξ Ἀδραμυττίου fuisse, tradit Zonar. Ann. XI. 28. Præterea *XI.* pro *XII.* ed. Camp. Tum *annum suæ ætatis* Voss. *ætatis annum* Berg. Lov. 2. Boeud. et ed. Camp.

Patrem esse credentem, a quo educaretur] Vet. lib. *patrem eum esse credentem, a quo.* Sigon. Additum a Sigonio *eum* servant Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boeud. et edd. principes: *patrem ejus esse* Norv. et edd. prioribus proximæ: *patrem esse* deinde Frob. an. 1535. Tum *dicentem et credentem* Boend. Præterea *a quo educatum, ignarum generis fuisse sui* Voss. *generis sui fuisse* Berg.

Quum prope vitæ finem ultimum esset] Vet. lib. *cum prope ad ultimum finem vitæ esset.* Sigon. Et hoc Sigonii: nam prioribus ignotum τὸ *ad:* et genus loquendi ab Livio accepit auctor. Vide ad II. 48. et VI. 42. *J. F. Gron.* Præpositio *ad*, quam interposuit Sigonius, non modo superest in omnibus Mss. meis, Exc. Pithœi, et Norv. Hearnii, sed etiam in edd. antiqq. Primus Frob. a. 1535. eam omisit. Utrumque autem loquendi genus Livio in usu fuisse, vidimus ad VI. 42. § 10. quare, tot testibus credendum arbitratus, vocem, a Gronovio expunctam, revocavi. Præterea *ultimum vitæ finem* Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp.

Detectam tandem originem] Vet. lib. *detectam sibi tandem.* Sigon. Quomodo *sibi*, cui non prius detecta res fuerat, quam postquam ad puberem ætatem venisset? Et hoc imprudenter inculcavit Sigonius. Si quid mutandum, scribe, *detectam tandem originem suam falsæ matri, et libellum datum.* Nec in Voss. conspicuum τὸ *sibi.* J. F. Gron. Vocem *sibi* agnoscunt Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et priscæ edd. omnes tamen alio ordine *tandem sibi* legunt: *detecta tandem sibi origine sua* etiam Boend. et ed. Camp. Primus Frob. a. 1535. pronomen omisit, iisdem verisimiliter rationibus inductus, quibus hic utitur Gronovius. Et sane ei locus esse nequit. Si tamen, tot codd. adversantibus, integram vocem expungere audacius videatur, pro *sibi* legerem *ibi*, ut Jac. Perizon. ad marginem Livii conjecit, totumque locum ita constituerem: *detectam tandem ibi originem suam falsæ matri, et libellum datum. Ibi* autem erit *tum.* Vide ad VII. 23. § 4. Solent sæpe hæ voculæ

commutari. Vide ad XXVI. 26. § 1. Mox *Persæ regis* Voss. et Boend. Vide Gronov. ad XLII. 25. § 2. Præterea *in occupatos* Berg. *in occupato* Voss. et Boend. *in occultato* Exc. Pithœi.

Pubescenti libellum tradidit] Repone *traditum*, ut orationis consequntio conservetur, item ex vet. lib. *Sigon. Traditum* etiam Vossian. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Præterea *pubescenti sibi libellum* Leid.

Tum scientem mulierem subditititium se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus] Longe, mea quidem sententia, rectius legitur in scripto libro, qui fuit Philippi Torrentini, viri integerrimi, *Tum mulierem scienti subditititium se esse, sed veram stirpem ignoranti, edidisse genus.* Delrius. Voss. *se subductum esse.* Gud. uterque *se subditum esse.* Glossæ, *Subditus, ὑποβολιμαῖος.* Terentius Heaut. v. 3. 12. 'Subditum se suspicatur.' *J. F. Gron. Se subductum esse* Berg. et Boend. *se subditum esse* ed. Camp. *subditum se esse* Leid. Lovel. 2. Exc. Pithœi, Norv. Hearnii, et edd. principes, pro quo demum *subditititium* datum vidi in ed. Ven. 1498. Præterea *tum*, vel *tunc*, *scienti mulieri* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Hinc legendum patet *tum scienti mulierem subditum se esse, veram stirpem ignoranti, edidisse genus.* Τὸ *sed*, quod insuper inserit Delrius, in nullo meorum inveni. Id autem adjectum fuisse potest in ejus exemplari ab eo, qui verba sine hac particula non satis cohærere putabat. Vide ad VI. 32. § 8. Potuit etiam in reliquis Mss. elisum esse ab ultima syllaba vocis præced. Vide aliud exemplum ad XXXIX. 26. § 12.

Priusquam manaret ad Eumenem res, Perseo inimicum] Hoc ordine voces edidit Gronov. 1665. Nec aliter legunt Berg. Lov. 2. et Boend. *manaret res ad Eumenem* ed. Camp. *ad Eumenem manaret* reliquæ typis descriptæ. Tum dictio *res* exsulat a Lov. 2. sed *ad Eumenem regem, Perseo inimicum* Berg. *ad Eumenem, regi Perseo inimicum* Voss. Boend. et ed. Camp. *ad Eumenem res, regi Perseo inimicum* Leid. Mox *abscederet iis locis* Leid.

Sperantem aliquod a Demetrio auxilium] Sic iterum vocum ordinem Gronov. 1665. constituit, consentientibus Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Sed priores præferunt *auxilium a Demetrio;* a qua lectione stant Vossian. Leid. et Exc. Pithœi.

Atque ibi primum, quis ipse omnino esset, palam expromere ausum] Voss. et Gud. *atque ibi primum, quis esset, palam expromere ausum.* Et sufficere hoc censeo. *J. F. Gron. Quis esset, palam exprimere* Voss. et ed. Camp. sollemni errore. Vide ad l. XXXIV. c. 61. § 8. *Palam, quis esset, expromere* Boend. et ed. Camp. *quis esset, palam expromere* Leid. Berg. et Lov. 2. Inter illas voces, quas passim primi editores infarsernnt, esse vocem *omnino*, videbimus ad Epit. l. LVIII. Præterea *atque ibi primo* Boend. et ed. Camp.

LIB. L.

Thessalia, quum et illam invadere armis] *Thessaliam quum et ille invaderet armis* Leid. Vocula *et* omittitur in Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Mox *per Romanorum legatos* Exc. Pithœi, Norv. et edd. antiqq. pro quo Gronov. 1665. *per legatos Romanorum* edidit, concinentibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Tum *auxiliis atque Achæorum* Boend. et ed. Camp.

Prusias rex Bithyniæ, omnium humillimorum fautor atque vitiorum] Vet. lib. *omniumque humillimorum vitiorum*, ut 'regem' etiam 'vitiorum' intelligamus. Humilitas ejus et imbecillitas animi cognita est, cum, raso capite, cum pileo legatis Romanis obvius, se populi Romani libertum esse dixit. *Sigon.* Vet. lib. *rex Bithyniæ, omnium humillimorum vitiorum fautor.*

Delrius. Copulativa deest in Voss. Gud. *omnium humiliue morum atque vitiorum.* Forte *omnium humilium vitiorum atque morum.* Nam morum humilitatem probavit, cum se libertum populi Romani dixit. *J. F. Gronovius. Omnium humillimorum vitiorum* Leid. et Boend. *omniumque humillimorum vitiorum* Berg. et Exc. Pithœi: *omnium humillimorumque vitiorum* Lov. 2. *omnium humillimorum vitiorum infamia obrutus* edidit Clericus ex Suppl. Freinsh. c. 4.

Adjuvante Attalo rege, Pergami occisus est] Lectio hæc aperte falsa est. Quomodo enim Prusias Pergami interfectus esset, quæ regni Attali metropolis fuit? Insuper auctor est Appian. in Mithrid. p. 175. eum Nicomediæ interfectum esse. Peccatur hic tantum vitiosa interpunctione, quæ a Dan. Heinsio in ed. Elzevir. recepta, et postea a recentioribus servata est. Vetustiores hic nullam distinctionem agnoscunt præter Sigonium, qui recte dedit *adj. Attalo rege Perg., occisus est.* Hanc distinctionem nuper Crevierius recepit. Verbum *est* non adparet in Voss. et Lov. 2.

Habebat alium filium, qui pro superiore ordine dentium] Vet. lib. *alterum filium.* Sigon. Similiter Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Reliqui Voss. Leid. Boend. et Norv. Hearnii *alium* servant. Ita sæpe variant librarii. Vide ad Liv. IV. 9. § 14. V. 49. § 6. VI. 37. § 7. X. 2. § 6. c. 26. § 9. c. 44. § 1. XL. 8. § 12. et ad Epit. l. XLIX. Adde Cortium ad Sallust. Jug. c. 13. § 1. et ad Plinii IV. 9. § 19. Tum *pro superiori ordine* Voss. De hoc Prusiæ filio vide Kühn. ad Polluc. II. 94. et Harduin. ad Plinii VII. 16. Ex scriptoribus autem, quos laudant, hunc alium Prusiæ filium 'Nicomedem' vocat auctor, cujus verba servat Suidas in voce Ἀπολλωνιὰς λίμνη. *Prusiam* vero Valer. Max. I. 8. ext. 12. Laudat ibi Vorstius similem locum Solini cap. 1. 'Quidam etiam vice dentium continui ossis armantur soliditate: qualem habet Bithyniorum rex Prusias.' Verum ultima pars hujus loci ita vulgo editur: *quulem filium Bithynorum rex Prusias hubuit.* Secundum illam lectionem Solinus Plinium secutus non prodit, quo nomine filius Prusiæ dictus fuerit; quibus tertius accedit auctor hujus Epit. nisi quis forte probandam putet conjecturam Gronov. in verbis seqq.: qua admissa eum 'Prusiam' vocaret. Ceterum ille sive Prusias, sive Nicomedes cognominatus est 'Monodes.' Vide ad Livii XLII. 12. § 3.

Quum legatos, &c. Romani misissent, et unus] Gud. *Cum inde legatos:* tum *ad Romanos misissent cum unus.* Voss. *Cum in legatos* et *ad Romanos.* Suspicor fuisse, *Habebat alium filium, qui, pro superiore ordine dentium, enatum habuisse unum os continens dicitur, cognominem. Legati ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam ab Romanis missi; cum unus, &c.* Uterque autem codex *alium,* non *alterum,* quod subjecit Sigonius. *J. F. Gron. Quum inde legatos, &c. ad Romanos misisset* Berg. *Quum tres legatos, &c. ad Romanos misisset* Lov. 2. *Quum legatos, &c. ad Romanos missi essent* Exc. Pithœi: unde legendum videri posset *Quum legati, &c. ab Romanis missi essent.* Quum tamen Leid. et Boend. nihil mutent, potius est ut credamus librarium ejus cod. aberrantem *missi essent,* pro *misissent,* dedisse. Similem errorem habuimus l. IV. c. 18. § 6. at contrarium V. 13. § 4. et Epit. l. LVIII. Plura similia vide ad XXIII. 29. § 16. Forte tamen ex uno cod. *Quum tres legatos* recipiendum. Et huic lectioni favent illi Mss. qui *in legatos, iñ legatos,* et *inde legatos* præferunt. Numeri enim ternarii nota *III.* et *in, iñ,* vel *inde,* sæpe a scribis commutantur. Vide ad IV. 9. § 13. et XXIX. 15. § 9.

Et unus ex iis caput multis cicatrici-

bus sparsum haberet] Vet. lib. *farsum*, id est, ' repletum.' Hujus rei meminit Plutarch. in priore Catone p. 340. et Appian. in Mithrid. p. 174. *Sigon.* Sigonius divinandum reliquit *farsum* probaverit, nec ne. *Farsus* æque ac *fartus* dici, ex Hygin. Fab. CXXVI. ' ventriculum farsum,' et ex Apicio de Art. Coquin. VIII. 8. ' in leporem farsum,' docet Borrich. in Cogitat. de Ling. Lat. p. 103. Munckerus ad Hygin. ex Apicio IV. 2. addit ' longanones porcinos farsos,' et ex Fragm. Petron. cap. LXIX. ed. Burm. ' uvis passis, nucibusque farsis;' ac præterea scribit vetustissimos dixisse ' farsos,' ostendi e voce ' farsura ' in Tertull. advers. Valentin. c. 27. His addi possunt loca Tertull. de Pall. c. 4. ' hiatus crinibus infarsos :' et adv. Marcion. III. 10. ' stercoribus infersam carnem.' Sed viderit Munkerus, quomodo horum scriptorum testimoniis probare possit, vetustissimos dixisse *farsus*. Ipse in Hygino edidit *fartum*, Schefferum sequutus, qui ita legendum putabat, Burmannus et alii in Petronio *fartis*, et novissimus editor in Apicio *fartos*. In hac Epitome nec unius codicis rationem habendam puto, nec scio an satis Latine dicatur *caput cicatricibus fartum* pro ' refertum,' ' plenum.' *Sparsum* sic recte dicitur, ut in Livio XXII. 1. ' Fontem ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis,' et Ovidio Met. XI. 309. ' Nox cœlum sparserat astris.' *Duker.* Hoc ordine primus voces edidit Frob. 1531. priores τὸ *caput* in penultimam sedem rejiciebant, ut Gronovius iterum an. 1665. vulgari curavit : quod probant Berg. et Lov. 2. *et unum ex his multis cicatric. plenum pene desertum haberet* legit Boend. *et unus ex his multis cic. plenum pene destructum haberet caput* ed. Camp. Præterea *fractum*, pro *sparsum*, Leid. *sarsum* Voss. *farsum* Berg. quod Sigonius in contextum recepit. At recte sequentes editores lectionem hanc taciti, Dukerus etiam nominatim spreverunt. Vulgatum *sparsum*, quod tuetur Lov. 2. præfero. Livius XLI. 21. ' Cæritesque anguem in oppido suo jubatum, aureis maculis sparsum, adparuisse adfirmabant.' Virg. Ecl. II. 41. ' Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo.' Ita ' spargere campum cæde Dolonis ' dixit Ovid. Art. Am. II. 135. ' spargensque comas ultricibus undis ' Met. III. 190.

Tertius ingenio socors] Mediam vocem non agnoscit Boend. Deinde *secors* scribunt Voss. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et plures ex vett. edd. quarum quædam mox etiam *secordia* ostentant. Variis locis ita scriptum præferunt membranæ vetustæ. Præter illa quæ notavi ad I. 22. § 5. et VI. 37. § 8. vide ad XXV. 13. § 7. cap. 20. § 6. XXVII. 25. § 3. et infra ad Epit. l. LII.

Quæ eo tempore ex stirpe generis Persei, regis Macedonum, inertia, &c.] Mihi satis constat, optime Ms. continere *stirpe generis parem Maced. regi : inertia socordiaque sim. Prusiæ, &c.* Delrius. Bala hic est Alexander, Polybio, Straboni, Josepho, Machabæorum scriptori, Justino commemoratus, quem Ptolemæus Philometor et alii adversus Demetrium subornaverant. Sed, hunc de sanguine Persei fuisse, nemo alius, quod constet, tradidit. ' Sortis extremæ juvenem ' vocat Justinus XXXV. 1. Ipse se Antiochi Illustris filium ferebat. An fuit, *ex stirpe generis incerti, inertia socordiaque similem Prusiæ regem?* J. F. Gron. *Quæ ex eo tempore stirpem generis pacem Mac. regis inertia* Berg. *quæ eo tempore stirpe generis pacem Mac. regis inertia* Boend. et Lovel. 2. *quæ eo tempore stirpe generis parem regis Maced.* Leid. nec aliter Voss. nisi quod *pacem* legat. Delrii emendatio minimum a scriptis nostris discedit; quam etiam probat Crevierius, docens agi de Alexandro Bala, et per

Macedonum regem, cui stirpe generis par fuisse dicitur, intelligi Andriscum vel Pseudophilippum. Mox *inertia et socordia, &c. omnes regis* desunt in Voss. ob repetitam vocem *regis*. Vide ad IX. 11. § 11.

Jacente eo in ganeo et lustris] Gud. *graneo*. Vult nimirum *jacenti in ganea et lustris*. J. F. Gron. *In grauia* Berg. *in ganea*, ut Gronov. conjicit, Lovel. 2. Parum interesse, utrum malis, *in ganea*, an *in ganeo*, monet Crevier. Observo tamen, Livium, cujus forte verba auctor Epit. servavit, 'ganeam et lustra' dixisse XXVI. 2. 'Eum in ganea lustrisque, ubi juventam egerit, senectutem acturum.'

Ammonius regnabat] Hunc amicum Alexandri vocat Joseph. Antiq. XIII. 8. Auctor Epit. eum 'regnasse' dicit, id est, rege per inertiam ac socordiam curam regni negligente, omnia ex libidine et arbitrio suo administrasse; quod Justino XXX. 2. est 'regnum possidere.' Laodicen filiam Antiochi Epiphanis fuisse, e Polybii Legat. CXXXVIII. et CXL. colligitur. Eam si uxorem habuit Balas, sequutus est exemplum regum Ægyptiorum; nam ipse quoque se Antiocho Epiphane natum ferebat. Quem 'Antigonum Demetrii filium' dicat, non liquet. Vix dubitari potest, quin Demetrium, Seleuci filium, designet, eum, qui se, Epiphane patruo mortuo, clam Roma, ubi obses erat, proripuit, et, Antiocho Eupatore, filio Epiphanis, ejusque tutore Lysia occisis, regno Syriæ potitus, Epit. l. XLVI. ac deinde a subditivo Bala victus est. Sed, huic filium fuisse 'Antigonum,' nusquam proditum legi. Duos illius filios, Demetrium Nicatorem, qui Bala victo regnum paternum recuperavit, et Antiochum Sedeten, Demetrio fratre a Parthis capto, itidem regem Syriæ, memorant Josephus Antiq. XII. 12. et XIII. 8. 12. Appian. in Syriac. p. 132. et Justin. XXXV. 2. et XXXVI. 1. *Duker.*

Hanionis Berg. *Hammonis* Leid. *Amonius* Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Per quem et amici omnes regis, et Laodice] Prius *et* non agnoscit Boend. Vide Livii II. 44. § 3. Tum *Laodocie* Lovel. 2. *Laodicia* Boend. *Lauditia* ed. Camp. *Laudociæ* Voss. *Laudice* Berg. Mox *vir insignis decessit* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gruterum, qui lectionis nunc exstantis auctor est. Ei autem consentiunt omnes nostri, nisi quod Berg. voces *vir insignis* ignoret.

Inter cetera opera juvenilia] De Masinissæ robore senectæ multi testantur, et inter eos Cic. de Senect. cap. 10. ubi, pro *summam in eo esse corporis siccitatem*, suspicor legendum esse *corporis firmitatem*. Nam *firmitatis*, non *siccitatis*, corporis argumenta sunt, quæ de eo referunt Cic. Polyb. in Exc. Peiresc. p. 174. Valer. Max. VIII. 13. ext. 1. Appian. in Punic. p. 39. 64. et Diodor. Sic. in Biblioth. Photii p. 1161. qui εὐτονίαν σώματος vocat. *Duker.* Vocem *opera* non agnoscit Boend. *Inter cetera juvenilia opera* legunt Berg. Lovel. 2. et ed. Camp.

Genuerit unum filium] Vet. lib. et Latina oratio ferunt, ut legatur *filium genuerit*. Sigonius. Lectio a Sigonio restituta superest in omnibus codd. meis, Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Inter tres liberos maximum natu, Micipsam, Gulussam, Manastabalem] Vet. lib. *Inter tres liberos ejus*. Sigon. *Inter tres liberos ejus, quorum maximus natu Micissa, Gulussa, Manastabal* Leid. *Inter tres liberos ejus maximus natu Micissa*, vel *Micipsa, Gulussa, Manastabal* Berg. et Voss. *Inter tres liberos ejus maximus natu Micipsa, Gulussa, Mastanabal* Lovel. 2. et ed. Camp. Nec aliter Boend. nisi quod præferat *Mistanabal*. *Inter tres liberos ejus maximus natu Mycipsam, Gulussam, Manastabalem* Exc. Pithœi. *Inter tres liberos maximus natu Mycipsa, Gulussa, Mastanabal* ed. princ. *Manastabal* pri-

mus dedit Ascens. 1513. *liberos maximos natu Mycipsam, Gulussam, Manastabalem* Mogunt. Jac. Perizonius ad oram Livii legendum conjecit *Inter tres liberos ejus maximos natu Micipsam, Gulussam, Manastabalem.* Quod ideo probare nequeo, quia hi non tantum erant maximi natu Masinissæ filii, verum potius præter illos non alios ex legitimo matrimonio procrearat: reliquos omnes, sive majores, sive minores, ex concubinis susceperat, teste Appian. Alex. in Punic. p. 63. 64. Distinctione tantum locus juvandus videtur, *Inter tres liberos ejus, maximum natu Micipsam, Gulussam, &c.* et ita Crevierius edidit. Præterea scribendum *Mastanabalem*, ut partim codd. et edd. præferunt, partim aliorum vestigia nos eodem ducunt. Vide viros doctos ad Sallustii Jugurth. c. 5. et Vales. ad Exc. Peiresc. p. 174. Ceterum Rupertus quidem ad Besold. p. 233. auctor est, ut Hearne ad h. loc. observat, filium, quem Masinissa a. LXXXVI. procreavit, ab Appian. in Punic. p. 64. *Mastanabalem* vocari; sed in eo erravit. Ab Appiano enim filiorum Masinissæ *νεώτατος* vocatur respectu eorum quos ex legitimo matrimonio procreavit. Id ex ipso Appiano colligi potest, qui de Mastanabale, moriente patre ejus, testatur *ὃς νεώτατος ὢν ἤσκει δικαιοσύνην.* At de filio, quem Masinissa post sextum et octogesimum annum genuit, Appianus ibidem testatur, *τετραετὲς παιδίον ἐνενηκοντούτης ὢν ἀπέλιπεν.* De filio autem quadrienni prædicari nequit, quod eum de Mastanabale prædicantem audivimus. Ab Appiano dissentit Zonaras, cui quidem Annal. IX. 27. Mastanabal *δικαστὴς ὢν* dicitur, sed trium filiorum Masinissæ medius, Gulussa minimus fuisse refertur. De nomine filii an. LXXXVI. procreati vide Supplem. c. 17.

Æmilianus (quum commune eis pater regnum reliquisset, et dividere eos arbitrio Scipionis] Vet. lib. *arbitro Scipione.* Sigonius. Similiter Leid. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Insuper *Æm. consul his pater regnum reliquisset* Vossian. *quum comune ejus pater reliquisset* Boend. *regnum pater reliquisset* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. Præterea *dividereque eos* Boend.

Administrationem regni divisit] Membranæ Barberinæ et Gudianæ binæ *partes administrandi regni divisit.* Appianus Punic. pag. 64. *Σκιπίων δὲ τοῖς μὲν νόθοις αὐτοῦ παισὶ προσέθηκεν ἑτέρας δωρεάς· τοῖς δὲ γνησίοις τοὺς μὲν θησαυροὺς, καὶ φόρους, καὶ τὸ ὄνομα τῆς βασιλείας κοινὸν ἀπέφηνε· τὰ δ' ἄλλα διέκρινεν ἁρμόσειν πρὸς ὃ ἐβούλετο ἕκαστος· Μικίψῃ μὲν, ὃς πρεσβύτατος ὢν εἰρηνικώτατος ἦν, Κίρτην ἐξαίρετον ἔχειν, καὶ τὰ βασίλεια τὰ ἐν αὐτῇ· Γελόσσῃ δὲ στρατιωτικῷ τε ὄντι, καὶ δευτέρῳ καθ' ἡλικίαν, πολέμου τε καὶ εἰρήνης εἶναι κυρίῳ· Μαστανάβᾳ δὲ, ὃς νεώτατος ὢν ἤσκει δικαιοσύνην, δικάζειν τοῖς ὑπηκόοις τὰ ἀμφίβολα. J. F. Gron.* Tria hæc vocabula desunt in Vossian. medium in Boend. At *partes administrandi regni* legunt Leid. Berg. et Lov. 2.

Phaniæ Himilconis, præfecto equitum Karthaginiensium] *Phamææ* legendum. *Φαμαίαν* enim vocat Appian. in Libyco p. 58. et seqq. item vet. lib. Suidas *Φαμέαν. Sigon.* Recte Sigonius *Phamææ*, vel, ut in contextu edidit, *Phameæ* restituit; sed in altera voce mendum hæret. Corruptissime *Fanus Emulcares Emilcolum* Voss. præfert. *Phaniæ Amilcone* Boend. *Phaniæ Amilconi* Berg. *Phamea Milconi* Lov. 2. *Phaniæ Himilconi* Leid. Legendum aio *Phameæ*, vel *Phamææ Himilconi.* Karthaginiensium dux dicebatur *Himilco*, isque *Phamææ* cognomen habebat. Docet id Appian. in Punic. p. 58. *Ἰμίλκωνος αἰφνίδιον αὐτῷ τοῦ Καρχηδονίων ἱππάρχου προσπεσόντος, ᾧ Φαμαίας ἐπώνυμον ἦν.* Et Zonar. Ann. IX. 27. *Κακούμενος δ' ὑπὸ Ἰμίλκωνος, τοῦ τῶν Καρχηδονίων ἱππάρχου, ὃν καὶ Φαβέαν ἐκάλουν, πρὸς τὴν*

Καρχηδόνα ἐπανελήλυθε. Ubi Φαμέαν legendum est, quemadmodum du Cange se in Mss. Regio, et Colbertino invenisse monuit. Error ortus inde est, quod literæ μ et β in Mss., similibus fere ductibus scribi solerent. Vide Vales. ad Exc. Peiresc. p. 30. Pari modo emendandus Suidas vocibus Ἀμίλκας, et Ἀν' ἑκάστην· qui tamen priori loco Hamilicarem, Hannibalis patrem, et Himilconem confudit. Nisi potius Suidam in codd. corrupte Φαβέας, pro Φαμέας, præferentes incidisse velimus, quia similiter errat in voce Φαβέας. Patet ergo errasse Annam Fabri ad Eutropii IV. 10. ubi *Phameam*, ab Eutrop. *Fameam* dictum, Himilconis filium fuisse, corrupta hujus loci lectione decepta, scripsit. Ceterum, *Himilconi* scribendum esse, conjecerunt etiam Crevierius et Dukerus: et ita præferunt edd. quæ sub nomine Sigonii 1572. et 1592. prodierunt.

Suasit cum equitatu suo ad Romanos transire] Vet. lib. *persuasit, ut cum eq. suo ad Rom. transiret.* Egregie. Transisse enim eum, scribit Appianus in Punic. p. 64. et seqq. *Sigon.* Similiter Leid. Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. *persuasit, ut ad Romanos cum exercitu suo transiret* Berg. et ita Gronov. an. 1665. edidit. Lectio, quæ ante Sigonium exstitit, primum mihi obcurrit in ed. Ascensii 1513. Priores fere *suasit ut, &c. transiret*, vel *suasit, &c. transiret, τῷ ut* omisso, exhibent.

Ex tribus legatis, qui ad Masinissam missi fuerant] *Trium legatorum* Norv. et pleræque edd. vett. usque ad Gruterum, qui *Ex tribus legatis* substituit, concinentibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Præterea *missi erant* Berg. Boend. et Lovel. 2. Mox *M. Claudius Marcellus* Exc. Pithœi. Cic. in Pison. c. 19. 'M. Marcellus, qui ter consul fuit, summa virtute, pietate, gloria militari, periit in mari:' ubi vide Ascon. Τὸ *fluctibus* abest a Leid. et Berg.

Hasdrubalem, Masinissæ nepotem] Ex filia. Appian. in Punic. p. 55. et 68. ubi subselliis obrutum dicit. *Duk.*

Quem prætorem habebant, proditionis suspectum, in curia interemerunt] Hasdrubal hic 'prætor' vocatur; at ejus successor, itidem Hasdrubal, 'rex,' et Hasdrubalis uxor 'regina' dicuntur Orosio IV. 23. Caussam aperit Heindreich in Rep. Carthag. lib. II. sect. 1. c. 15. p. 313. Suffetes summam et regiæ similem potestatem Karthagine obtinuisse, et hinc Hasdrubalem ab Orosio 'regem' vocari; eam tamen tantum annuam fuisse, et hinc Hasdrubalem hac Epit. 'prætorem' (male *consulem* dicit, et Epit. l. XLIX. memorat) dici. Tum *hominem proditionis suspectum* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *proditionis hominem suspectum* Leid. Deinde *occiderunt in curia* Berg. *in curia occiderunt* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII.

Romanorum auxilia juvantis] Est insolens sermo, pro *Romanos auxiliis juvantis.* De auxiliis Gulussæ vide Appian. Punic. p. 64. et 67. *Duker. Auxilia Romanorum juvantis* editi ante Gruterum, qui voces duas priores transposuit, suffragantibus scriptis omnibus meis, et ed. Camp. *Romanos auxilio juvantis* Exc. Pithœi: quod probandum arbitror. Olim *Ro.* vel *Rom.* per compendium scriptum fuerat; et hinc minima mutatione in hunc errorem librarii inciderunt. Paullo ante *manavit* Leid. Berg. Lov. 2. et Boend. In verbis seqq. *P. Cornelius Scipio Æmilianus* Boend. et ed. Camp.

Quoniam per decem annos consulem fieri minime licebat] Veteres libri, *quoniam per annos consulem fieri non licebat.* Recte. Lex enim de decem annis erat, ne quis intra decem annos consul reficeretur, de qua in Fabio Rulliano diximus ad X. 13. § 8. Hic autem legem Annalem intelligit, a L.

Villio Annali latam, qua cavebatur, ne quis, nisi anno ætatis XLIII. capere consulatum posset, ut diximus ad XL. 43. Scipio vero anno, quo factus est primum consul, annum agebat XXXVII. *Sigon.* Voss. et duo Gud. *consul.* Lege *consuli fieri non licebat.* J. F. Gron. Adde quæ lib. II. Emendat. in c. 46. Emendationum Robortelli de hoc loco disputat Sigonius. Scipionem septimum decimum annum egisse, quum a patre ejus victus est Perseus, auctor est Livius XLIV. 14. Is sine controversia fuit anno IↃLXXXV. Prœlium exitu æstatis ejus anni factum esse, scribit Plutarchus in Paullo, a quo ad comitia consulibus in an. IↃCVI. creandis sunt anni XX. Potuit ergo Scipio, quum consul factus est, implevisse annum ætatis trigesimum septimum, vel non nisi paucis mensibus a fine illius abfuisse. *Duk.* Lectionem a Sigonio damnatam primum inveni in ed. Mogunt. Ea priores leguut *quoniam per annos.* Adversus eam scripturam, per Sigonium revocatam, insurrexit Robortell. Emend. II. 46. caussatus locutionem 'per annos' inusitatam esse, ejusque loco dicendum 'per ætatem.' Ex conjectura igitur emendat *quoniam per quinque annos,* idemque Gruchio de Comit. I. 3. visum fuisse docet. Postea emendationem suam defendit Sigonius Emend. I. 42. et addit non modo Gruchium, sed etiam Martialem Rogerium in commentario Lælii, et Ant. Bendinellum in Annot. Locor. Histor. c. 8. ante Robortellum similiter emendasse. Sigonio favent non tantum edd. vett. sed etiam omnes scripti Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norvic. Dein *consul fieri* Leid. Voss. et Berg. *cos. fieri* per compendium Boend. pro quo Grouov. emendat *consuli.* De ea locutione vide Nic. Heinsium ad Nas. Her. XIV. 64. Sive autem *consuli,* sive *consulem,* legendum sit, error in Mss. ortus est ex non intellecto compendio scribendi. Vide ad X. 10. § 2. Præterea *non licebat* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLIX.

Cum maximo certamine suffragantibus plebeiis] *Cum magno certamine* Leid. Vossian. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Ita sæpissime in his Epitomis 'maximus' præferunt edd. ubi plerique Mss. tantum *magnus.* Vide exempla libb. X. XVIII. XXI. XXII. XXIV. XXXIV. LI. LIII. LIV. LX. LXXXI. C. CIII. CIV. CV. CVI. CXII. CXIII. CXV. et CXXIX. In ipso etiam Livio simile exemplum habuimus XXI. 32. § 3. Passim etiam eas superlativos dedisse, ubi codd. positivos præferunt, vel alia ratione auxisse membranarum lectionem, videbimus ad Epit. l. LI. Præterea *suffragantibus plebeiis* demum obcurrit in ed. Ascens. 1513. priores omnes legunt *suffragantis legis.* Neque aliter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et Norv. *suffragantis legatis* Boend. Recte igitur Jac. Perizon. in margine legendum censuit *certamine suffragantis plebis.*

Repugnantibus aliquantulum Patribus] Vet. lib. *aliquamdiu.* Sigon. Similiter Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Eodem modo variant libri Epit. lib. LXVIII. Præterea *repudiantibus* Berg. Mox *creatus* sine sequenti *est* Leid. Berg. et Lov. 2.

M. Æmilius nonnullas urbes circumpositas Karthagini expugnavit] Nullum M. Æmilium Carthaginem missum belli gerendi causa accepimus. Itaque non dubitamus, quin sit M'. Manilius, qui consul primum, post autem prorogato imperio pro consule id bellum gessit per biennium, cui deinde Scipio consul anno tertio successit. Valerius quidem M'. Manilium Africam pro consule obtinuisse scribit v. 2. extr. 4. Orosius Teragam urbem expugnatam et direptam

a Manilio ait IV. 22. *Sigon. M. Æmilius* servant perperam Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. *M. Hæmylius* Leid. Dein *aliquot urbes* edidit Gruterus, concinentibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *nonnullas urbes* servant Exc. Pithœi, et Norv. Hearnii.

Cæso cum exercitu P. Juvencio prætore] Ita hoc nomen in Gronovii ed. Livii scribitur XXXIII. 22. l. XXXIV. capp. 42. 43. lib. XXXIX. capp. 31. 38. XLIII. 8. et XLV. 16. 'Juventius' tantum uno loco XLII. 27. Hanc veram scripturam esse, ostendunt Fasti Capitolini. Et sic est in Catullo Carm. XXIV. et XLIX. ubi plures Juventios memorat Achill. Statius. *Duk.* 'Marci' prænomen huic prætori tribuunt Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gruterum: is vero eum 'Publium' vocavit; quod verum ejus prænomen esse, ex Orosii IV. 13. docuit Pighius in Annal. ad a. IDCIV. p. 446. Id ipsi etiam tribuitur apud Zonar. Ann. IX. 28. omisso prænomine *Vivenno* erat in Voss. Præterea *Juventio*, ut scripti et edd. vett. non *Juvencio*, ut Gruteri postuma et post eam fere omnes dederunt, legendum esse, vidimus ad XXXIII. 22. § 8. Freinsh. eumque secutus Doujat. in Supplemento XLVI. 16. et Suppl. hujus libri c. 37. recte *Juventius* scripserunt, sed *Juvencius* in Epit. hoc loco. Crevierius vero, hoc loco *Juvencius* servans, similiter edidit quoque in Supplem. lib. XLVI. at in Suppl. hujus lib. *Juventius*. Tum *cum exercitu cæso* Boenderm. et ed. Camp.

Captusque, relicta Macedonia] Vet. lib. *recepta Macedonia*. Recte. Nam quæ bello Persico parta erat, eadem hoc bello amissa fuerat. *Sigon.* Sic *et recepta Macedonia* Sigonius, cum esset *captusque relicta Macedonia*. Voss. Gudianusque cetera ut Sigonius, retinet tamen *relicta*. Gud. minor, *victus captusque est et relicta Macedonia*. Suspicor fuisse, *et redacta in provinciam Macedonia*. Ita enim tum primum factum. *J. F. Gron. Captusque est, relicta Macedonia* Berg. Norvic. Hearnii, et edd. ante Frob. qui an. 1531. τὸ *est* omisit: *captusque est, et relicta Macedonia* Leid. Vossian. Lov. 2. et Boend. *captusque est, recepta Macedonia*, ut Sigonius emendabat, Exc. Pithœi apud Hearnium: *captus est, et recepta Macedonia* edidit Gruterus. Eutrop. IV. 13. 'Viginti millibus ex militibus ejus occisis, Macedoniam recepit, ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit.' Necesse itaque non est, ut cum Gronovio, invitis omnibus membranis, refingamus *et redacta in provinciam Macedonia*. Paullo ante *ab Q. Cæcilio* Leid. et Boend.

LIB. LI.

Karthago viginti tria millia quidem passuum in circuitu labore maximo obsessa] Quanto rectior est prisca lectio? *Carthago in circuitu mille XXIIII. passus patens, magno labore obsessa.* Sigon. 'Quanto rectior est,' inquit Sigonius, 'prisca lectio: *in circuitu mille XXIV. passus patens, magno labore.*' Sane et nostri in aliis ei consentiunt; sed quid est *mille viginti quatuor passus?* Nihil certe aliud, quam quatnor et viginti supra mille. Sic Carthago urbs maxima propemodum in vicum redigitur. Voluit autem, opinor, *in circuitu millia viginti quatuor passuum patens.* In hoc sensu nec *mille*, nec *passus* patitur Latina oratio. Nostri *tria* firmant. Voss. *in circuitu viginti tria passus patens.* Gud. *in circuitu tredecim milia passus habens.* Gud. minor *in circuitu mille et XX. tres passus patens.* J. F. Gron. *In circuitu XIII^{m}. passus*, omissa voce *patens*, Boend. *in circuitu XXIII. millia passuum*, exsulante eadem voce, ed.

Camp. *in circuitu XXII. millia passus patens* Lov. 2. *in circuitu XXIV^m. passus patens* Berg. *in circuitu millia XXIIII. passuum patens* Leid. quomodo edidi, nisi quod *viginti tria* servarim. Nec aliter Crevierius. Nescio unde Clericus hauserit *in circuitu ad tria et viginti millia passuum patens.* Voculam *quidem*, quam ignorant omnes codd. passim a primis editoribus interpositam esse, videbimus ad Epit. l. LV. Tum *magno labore* omnes scripti mei, et ed. Camp. Vide ad Epit. præc.

A Mancino legato] Pighius eum a. IDCV. prætorem classem sortitum scribit. Hoc verum puto; nam Appianus pag. 66. eum cum Pisone consule ἐπὶ τὴν ναυαρχίαν venisse dicit: classem autem sæpe inter sortes provinciarum prætoriarum fuisse, e multis locis Livii constat. Quid sit, quod Mancinus partem Carthaginis cepisse dicitur, ex Appiano et Plinio H. N. XXXV. 4. intelligi potest. *Duker. A Mancino consule* Leid. quomodo etiam vocatur Floro l. II. c. 15. § 11. quod Pighius in Annal. ad a. IDCVI. p. 455. inproprie factum dicit, aut etiam scriptoris librarii errori tribuit; vide etiam Stadium ad d. l. Flori. De Mancino partem Karthaginis expugnante vide Zonar. Ann. IX. 29.

Provincia Africa data est] Vet. lib. *data erat.* Sigonius. Similiter omnes mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Insuper *Africa provincia* Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Supra Epit. l. XXVIII. 'Africam provinciam petenti Sicilia data.' Epit. l. XXXVII. 'Si ei Græcia provincia decerneretur.' Mox *a Scipione obstructus erat* Berg. et Lov. 2. *erat obstructus a Scipione* Boend. et ed. Camp. *a Scipione erat obstructus* Exc. Pithœi, Norv. et reliquæ edd. usque ad Gronov. qui a. 1665. vulgatum recepit. Insuper *facta* legunt Leid. Voss. Berg. Norv. et edd. vett. pro quo recte Frob. 1531. *facto* emendavit.

Contracta exiguo tempore ampla classe] Vet. lib. *contracta clam exiguo tempore:* optime. Id enim Appianus, et Strabo, et reliqui factum esse tradiderunt. *Sigon.* Similiter Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Mox *navali prœlio infeliciter* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gronovium, qui a. 1665. voces in eum ordinem digessit, quo nunc eduntur, et exstant in Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Ducis eorum castra, ad Nesentem oppidum loco difficillimo sita] Quis unquam alias ante audivit, in Africa non longe a Carthagine esse oppidum nomine *Nesentem? Nepherim* quidem esse, et Strabo et Appianus produnt, ubi uterque de hoc bello loquitur; atque hoc etiam nomen est in vetustis Epitomarum libris. Ut omnino *Nepherim* sit legendum. *Sigon. Eorum ducis* Exc. Pithœi, Norv. et edd. Gronoviana 1665. priores, quæ prima *ducis eorum* exhibuit, adstipulantibus Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Præterea *Nesentem* demum præfert ed. Froben. 1535. *Nefentum* editiones principes, nisi quod *Vescentium* sit in editione Campani, ejusque adsecla cod. Boend. Pro eo *Nesentem* datum est in Mediol. 1480. utraque Tarvis. et proximis. *Nefenti* legit Voss. *Heserim* Berg. *Nefferim* Lov. 2. *Neferim* Leid. Non dubito igitur quin *Nepherim* cum Sigonio legendum sit. Vide Cellar. Geogr. Ant. IV. 4. p. 108. Tum *loco difficili* Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quod recepi. Observavi enim, passim primos editores Epitom. gradu superlativo extulisse, quæ in Mss. positivo concipiuntur. Ita *scorto nobilissimo*, pro *nobili*, dederunt Epit. l. XXXIX. *maximo certamine*, pro *magno*, Epit. l. L. ubi vide: *maximas opes*, pro *inmensas*, Epit. l. XLVI. *maximus exercitus*, pro *ingens*, Epit. l. XLVIII. *nobilissime*, pro *nobiliter*, Epit. l. LIV. Interdum et alia ratione verba scriptoris intendere conati sunt. Ita *inmensas copias*

fecerunt, pro *ingentes*, Epit. l. XCVIII. *multi populi*, pro *aliquot*, Epit. l. CVI. Huc refer comparativis adponi vocem *multo*. Vide Epit. l. XLIX. Adde plures earum vocum, de quibus dixi ad Epit. l. XLVIII. Interdum contra, sed rarius, etiam positivum præ superlativo maluerunt; vide ad Epit. lib. LXXX.

Urbem expugnavit septingentesimo anno] Vide Salmas. ad Solin. p. 228. *Duk.* Duo priora vocabula exsulant a Voss. primum autem a Lcid. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Eorum loco *expugnavit Carthaginem* præfert Berg. Mox *quam condita erat* Berg. Tum *minor pars* Boend. Tandem *quibus ablata crat* Leid. et Boend.

De marito minime impetrare potucrat] Vet. lib. *impetrare non potuerat.* Sigon. *Quæ paulo ante de marito* Boend. et ed. Camp. Tum *impetrare non poterat* Boend. *impetrare non potuerat* Leid. Voss. Berg. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Passim primos editores *minime* dedisse in his Epitomis, ubi Mss. legunt *non*, vidimus ad Epit. l. XLIX. *impetrare nequiverat* Lov. 2. Paullo ante *exscidio* Hearne, Clericus, et Crevierius, dissentientibus omnibus scriptis, constanter *excidio* præferentibus: vide ad v. 15. § 9.

Ut ad victorem transfugeret] Forte *transfugerent.* J. F. Gron. Primam voculam ignorant Leid. et Voss. quorum prior insuper legit *transfugere.* Sed alter cum Lov. 2. *transfugerent*, ut Gronov. conjecit; quod recepi. Mox *se flagrantis in medium urbis incendium* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gruterum, qui voces in ordinem, quem nunc obtinent, digessit, probantibus meis Mss. et ed. Camp. Tum voces *duobus cum liberis ex arce* desunt in Leid. sed *cum duobus liberis* legunt Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp.

Exemplo patris sui Æmilii Paulli, qui Macedoniam] Membranæ Barb. et Gud. *patris sui naturalis Æmilii Paulli.* Lib. XLIV. c. 44. 'Cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat, Africanus et ipse postea, deleta Carthagine, appellatus, naturalis consulis Paulli, adoptione Africani nepos.' Quintilianus avus Declam. CCCLXXII. 'qui pater erat. Non eras, inquit, naturalis.' *J. F. Gronov. Patris ejus* Norv. et edd. ante Basil. 1554. quæ *patris sui* emendavit, probantibus hanc lectionem Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. quorum primus addit vocem *naturalis.* Verum in Lov. 2. ad vocem *patris* inter versus adscribitur, *sc. naturalis.* Præterea *Æmiliani* male Voss. Bocnd. Norv. et edd. ante Mogunt. Tà *Paulli qui* omittit Leid.

Ludos fecit, transfugas atque fugitivos bestiis objecit] Vet. lib. *transfugasque.* Sigon. Hoc de exterarum gentium transfugis scribit Valer. Max. II. 7. 13. De pœnis transfugarum multa habet P. Faber Semestr. I. 18. *Duk.* Gruterus edidit *transfugas ac fugitivos*, quod superest in Voss. *transfugas atque fugitivos* Leid. et Exc. Pithœi: *transfugasque atque fugitivos* Berg. *transfugasque et fugitivos* Boend. *transfugasque ac fugitivos* Lov. 2. Mox *Bellique Achaici* Voss.

Legati populi Romani ab Achaicis pulsati sint; Corinthum missi ut] Lege *ab Achæis.* J. F. Gron. Omnem hujus historiæ efficaciam hinc sublatam esse, res ipsa docet, nec minus Ms. in quo legitur *sint orintinus ut.* Scripsit auctor, *pulsati sint Corinthi; missi, ut eas, &c.* Est enim in eo emphasis, ibi id factnus patratum, quæ urbs inde exitium merita. *Jac. Gron. Legati Romani*, omissa media voce, Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. et edd. Moguntina priores. Ita Epit. l. LII. *Quia ibi legati Romani violati erant.* Et ita unus Gudii cod. præfert Epit. l. LIV. 'Quum Macedonii legati conquestum venissent,' pro *Macedonum.* Tum *Achaicis* servant Leid. Berg. Lov. 2. et Boend. Solent autem 'Achai-

eus' et 'Achæus' a librariis commutari; vide Epit. l. LII. et Gronov. ad Livii XXXIX. 37. § 14. Deinde *pulsati sint orintinus si ad eas civitates* Voss. *pulsati sint, Corinthii missi ut eas civitates* Boenderm. *pulsati sunt Corinthii missi, ut eas civitates* Leid. *pulsati sunt Corinthei missi ut eas civitates* Berg. unde Jac. Gronovii opinio multum firmatur; quam etiam recepi. Infra Epit. l. LII. 'Corinthum ex senatusconsulto diruit, quia ibi legati Romani violati erant.' Ceterum *pulsati sunt. Corinthum missi erant, ut eas civitates* præferunt edd. ante ultimam Gruteri, nisi quod ed. Camp. illud *erant* non agnoscat.

Ab Achaico concilio secernerent] *Consilio* Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. edd. Camp. et Sigonii. Male. Vide Gronov. ad XLIV. 2. § 5. Tum *secernerentur* Norv. et edd. ante Ven. 1498. quæ *secernerent* recte emendavit. Et ita præferunt Berg. et Lovel. 2. cum ed. Camp. *secederent* Voss. Leid. et Boend. quomodo fere variant scribæ apud Liv. VI. 10. § 2.

LIB. LII.

Qui in auxilium Bœotios et Chalcidenses habebant] Vet. lib. *Bœotos*. Sic Græci Βοιωτοὺς et Βοιωτίους. *Sigon.* Gud. uterque *auxilio bootes*. Lege *qui in auxilio Bœotos*. J. F. Gronov. *In auxilio* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde *Boetes* Boend. *Boetos* Leid. et Berg. *Loros* Voss. Sed, *Bœotos* vel *Bœotios* veram lectionem esse, patet ex seqq. 'Thebæ quoque et Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ.' Veteres autem 'Bœotus' et 'Bœotiŭs' dixisse, vidimus ad XXXIII. 1. § 1. Tum *Chalchidicenses* Voss. et Lov. 2. *Calcidicenses* Exc. Pithœi.

Ad Thermopylas conflixit] Voss. et Gud. uterque *Thermopylas bello conflixit*. J. F. Gron. *Bello conflixit* etiam Leid. Lovel. 2. Boend. Norv. omnesque edd. usque ad Gruterum, cujus ultima τὸ *bello* omisit, quod etiam deest in Berg. *bello conflixit*, id est prælio. Ita auctor Epit. loquitur lib. LXXXII. 'Sulla copias regis, &c. prælio vicit, &c. Renovato deinde bello, iterum exercitum regis fudit.' Vide ad III. 61. § 2.

Dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit] Aliter Pausanias VII. 15. *Duk. Occicolaus, &c. consciit* Voss. Tum *mortem sibi veneno* Lov. 2. Berg. et Boenderm. *sibi veneno mortem* ed. Camp.

In cujus locum Dracus] Vet. lib. *Diacus*. Legendum *Diæus*. Sic enim Pausan. in Achaic. Δίαιος ὁ Κριτολάου διάδοχος. *Sigon. Dracus* Voss. et Norvic. *Driacus* Berg. *Ediacus* Boend. et ed. Camp. *Diacus* Leid. *Diæus*, ut recte Sigonius emendavit, Lov. 2. Eum autem mortuo Critolao successisse, referunt etiam Polyb. Exc. Peiresc. p. 1476. et Zonar. Ann. IX. 31. Ambos illos belli Achaici auctores fuisse, testatur Polyb. in Exc. Legat. num. CXLIV. Librarios sæpissime 'Diæi' nomen corrupisse, ejusque loco varia vocabulorum monstra dedisse, observat Pigh. in Ann. ad a. IↃCVII. pag. 457. Mox *ad Hismenonon* Voss. *ad Hysmon* Boend. *ad Histinum* ed. Camp. *ad Hystinon* Berg. *ad Histmon* Leid. Tum *a Lucio Manlio* Norv. et edd. Mediol. an. 1480. Tarvis. utraque, et proximæ usque ad Ascens. *a L. Muminio* Leid. *a L. Numio* Berg. *a L. Mumio* Boend. et edd. princ. quod Ascensius a. 1513. revocavit. Insuper vocem *consule* ignorat Boend.

Qui, omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex senatusconsulto diruit] Voss. et Gud. minor *Corinthon*. Et mox uterque, tam Gud. quam Voss. *quæ prædives Corinthos habuit*. J. F. Gron. *Qui Achaiam in deditionem acceptam Corinthum diruit* Boend. et ed. Camp. *qui omnia omni Achaia in deditionem accepta Corinthon diruit* Vossian. *Corinthon*, et mox *Corinthos*,

Lov. 2. Sæpius similes terminationes, more Græcorum formatas, auctor Epitom. sectatus est. Ita 'Isthmon' modo habuimus. 'Gnidon' infra h. Epit. obcurrit. 'Cypron' est libb. LIX. et CXII. 'Ilion' l. LXXXIII. 'Cnosson' lib. XCIX. 'Bosporon' lib. CI.

Quia ibi legati Romanorum violati erant] Vet. lib. *Romani*. Sigon. Similiter Voss. Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. præc. in fine.

Thebæ quoque et Chalcis, &c. dirutæ] Si hoc verum est, mirum videri potest Strabonem et Pausaniam nullam tantæ calamitatis harum urbium mentionem fecisse. *Duker.* *Thebæque et Chalcis* Voss. solito errore scribarum. Vide ad v. 27. § 1. Tum *qui auxilio*, quasi ad earum incolas referendum, Berg. qui etiam legit *corruptæ*.

Ipse L. Mummius abstinentissimum virum egit] Vet. lib. *Ipse Mummius*. Sigon. Gudiani *abstinentissimum se virum egit*. J. F. Gron. Prænomen servant Voss. Leid. Lov. 2. Boend. et Norv. In solo omittitur Berg. Dein *se abstinentissimum virum egit* Leid. Boend. Norv. et edd. ante Gruterum, cui τὸ *se* delenti adsentiuntur Voss. Berg. et Lovel. 2. cum Exc. Pithœi: vide ad Epit. lib. XLVI. Mox *ex iis operibus* Voss. et Exc. Pithœi, sæpius obvio librariorum lapsu. Vide ad lib. VIII. c. 16. § 4. Tum *armamentisque* Voss. qui etiam error frequenter a scribis commissus est; vide ad XL. 36. § 5.

P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus] *P. Corn. Scipio Afr. Æmilianus*. Sigon. Possis suspicari, hæc ex margine irrepsisse, cum dedisset auctor, 'C. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphavit: Scipio Æmilianus de Carthagine et Hasdrubale.' *J. F. Gron.* Lectionem, quæ ante Sigonium exstitit, servant scripti nostri, et edd. omnes. Ea tamen merito viris doctis suspecta est. Vide ad Epit. l. XLVIII. Lectionem Sigonii recte Crevierius recepit, præsertim si verum sit, ita fuisse in Exc. Pithœi. Gronovius an. 1665. edidit *P. Cornelius Scipio Æmilianus Africanus*. Mox *de Karthagine et de Hasdrubale*, secundo loco adscita præpositione, Leid. Vide ad Epit. l. XLVI.

Viriatus in Hispania primum ex pastore venator, e venatore lutro] *Viriaphitus* Exc. Pithœi. *Viriacus* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. *Viriathus* edd. Sigonii ann. 1572. et 1592. quæ vera scribendi ratio est. Vide ad Silii x. 220. Tum *primum in Hispania* Exc. Pithœi, Norvic. et edd. ante Gruterum, qui ordinem mutavit, probantibus omnibus scriptis meis, et ed. Camp. Deinde *et ex venatore* Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. *ex venatore*, sine copula, primo dedit Gruter. sed *e venatore* in ed. postuma; quod habet Berg. et recentiores servarunt: at *venator, ex venatore latro* Leid. Voss. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Mox *totam Lusitaniam* Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Apparet vocem *universus* in deliciis fuisse primis editoribus, qui eam passim τῷ *totus* substituerunt. Vide ad Epit. libb. XLIV. LXV. LXXVI. LXXXV. LXXXVIII. CIV. et CXXVII. Interdum etiam τῷ *ceteri*. Vide ad Epit. l. CIX.

M. Vitilium prætorem] Hic lib. XXXII. Diodori Sic. apud Photium in Bibl. est Οὐιτέλιος, in edd. Diodori Οὐιτέλλιος· rectius in Appiani Iberic. p. 289. Γάϊος Οὐετίλιος, et in Orosio v. 4. 'C. Vetilius.' 'Vetilius' nomen Romanum est apud Cicer. pro Cæcin. c. 9. et Valer. Max. VII. 7. 7. 'Vitilius' ignotum. Nec 'Vitellii,' de quibus vide Sueton. in Vit. c. 1. ea ætate Romæ videntur cogniti fuisse. *Vetilium* quoque e var. lectionibus exemplaris Pithœi adnotat Hearnius. *Duker.* *M. Velium* Berg. *M. Vellium* Leid. *M. Vetulium* Vossian. *M. Vetilium* Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et

edd. usque ad Sigon. cujus ed. *M. Vitilium* præfert. Id tamen, quum lectionis mutatæ in Scholiis rationem non reddiderit, operarum errori tribuendum videtur. Certe Crevierium priscam lectionem *Vetilium* recte revocasse puto. Et ita eum vocat Pighius in Annal. ad a. IDCIV. pag. 446. *Vitellius* vocatur apud Freculphum in Chron. tom. I. lib. VI. cap. 3. Alium 'M. Vetilium,' a. IDCCIX. prætorem, memorat Pighius in Annal. ad eum annum p. 465. qui *M. Vehilius* vocatur Ciceroni Philipp. III. 10. Mox *fuso exercitu ejus* Berg. et Lov. 2.

Post quem C. Plautius prætor] Prima vocula deest in Norv. Tum *C. Plancius* legunt Leid. et Boend. *C. Plantius* Voss. et Berg. Sed recte vulgatum servat Lov. 2. Γάϊος Πλαύτιος vocatur Appian. in B. Hisp. pag. 290. *C. Plautius* apud Oros. v. 4. et Freculph. in Chron. tom. I. lib. VI. c. 3. Mox *res gessit* Berg.

Tantumque terrorem is hostis intulit] Gudiani *tantumque terroris is hostis.* J. F. Gron. *Tantumque terroris* etiam Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad XXXIV. 27. § 1. Tum *is in hostem impulit* Berg. Et ita Voss. Boend. et ed. Camp. nisi quod vocula*m is* omittant: *impulit* etiam Lov. 2. et Exc. Pithœi. Mox *consulari opus esset duce et exercitu* Voss. sed prius *et* interceptum est a præced. vocis *esset* syllaba finali. Vide ad XXXV. 41. § 7. *Consulari exercitu et duce opus esset* Boend. et ed. Camp.

Ablegatus Gnidon fuerat] *In Chnidon* Exc. Pithœi: *in Gnidon* Norv. et edd. antiqq. Gruterus demum præpositionem expulit, quam nec codd. mei agnoscunt, licet et ipsi varie corrupti sint. Nam *ablegatus quidem fuerat* Voss. *ablegatus Sardon fuerat* Boend. et ed. Camp. *ablegatus Chydon fuerat* Berg. *ablegatus Chyndon fuerat* Leid. Sed *Gnidon* probum est, quod solus servat Lovel. 2. Justin. l. XXXV. c. 2. 'Initio belli Demetrius duos filios apud Gnidium hospitem suum cum magno auri pondere commendaverat, ut belli periculis eximerentur, et, si ita fors tulisset, paternæ ultioni servarentur. Ex his major Demetrius erat.' Joseph. etiam Antiq. XIII. 8. auctor est, Demetrium ex Creta, cujus urbs erat Gnidos, in Alexandrum movisse. Vide etiam Auctor. Maccabæor. I. 10. 67. Mox *secordia* Berg. Boend. Norv. et priscarum edd. quædam: *inertia socordiaque ejus* Lovel. 2. Insuper *acceperat in matrimonium* Exc. Pithœi, Norv. et edd. usque ad Gronov. qui a. 1665. ordinem vocum invertit. Cum eo faciunt Berg. Lovel. 2. et Boenderm. Eorum prior tamen præfert *accepit.*

In caput graviter vulneratus, inter curandum, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit] Voss. et Gud. *conantur, exspiravit. In locum ejus.* J. F. Gron. Omnia hæc verba desunt in Leid. Lov. 2. et Boend. *graviter in caput vulneratus* legit Berg. Eadem locutio obcurrit in Mss. Justini I. 9. 'In femur graviter vulneratus occubuit:' ubi vulgo *in femore* editur, Gronov. autem præpositionem delet. Sed vide Scheffer. Deinde *dum ossa medicus terebrare conaretur* Berg. Mox *atque* non adparet in Voss. et Berg. Præterea *in locum cujus frater minor* Voss. *in locum ejus frater ejus minor* Berg.

A Diodoro quodam, uno ex subjectis] Vet. lib. *a Diodoto.* Sigon. Neque hæc commoda Diodoti descriptio est, neque belle dicitur *Demetrius ob crudelitatem bello superatus.* Voss. *quam exercebat per tormenta in suos.* Forte, *Dem. ob crud., quam exercebat per tormenta, invisus subjectis, a D. quodam, qui Al. filio bimulo adm. regnum asserebat, bello sup.* J. F. Gron. *A Diodore* Boend. *a Diotro* Berg. a m. pr. *a Diodotro* a m. sec. *a Diodoto* Exc. Pithœi: *ab Diodoto* Leid. et Lov. 2. Hic Diodotus in antiqq. edd. Prologorum Pompeii Trogi l. XXXVI. vo-

catur 'Diotorus Trypho,' ubi recte Bongars. et alii emendarunt *Diodotus*. Idem nomen Fabric. ex Mss. restituit Orosio v. 4. ubi vulgo edebatur *Theodotus*. Ejus emendationem firmat Freculph. in Chron. tom. I. lib. VI. c. 4. qui, Orosium sequi solitus, eum itidem 'Diodotum' vocat. Vide etiam App. in Syriac. p. 132. et Joseph. Antiq. XIII. 9. Tum *uno e subjectis* Boend. *ex subjectis uno* Lov. 2. Vox *uno* deest in Berg. δοῦλος τῶν βασιλέων Διόδοτος Appiano, Ἀλεξάνδρου τὶς στρατηγὸς, Ἀπαμεὺς τὸ γένος, Διόδοτος, ὁ καὶ Τρύφων ἐπικληθεὶς Joseph. loc. laud. vocatur. Illa *uno ex subjectis* Clericus omisit. In præcedentibus *quam in suos per tormenta exercebat* Berg. et Lov. 2.

Alexandri filio, bimulo admodum] Scribe ex vet. lib. *puero admodum*. Delrius. Vide ad Epit. lib. LV. *Duk*. Vulgatum servant Leid. Berg. et Lov. 2. *simul admodum* legit Voss. *simulato admodum* Boend. Si tamen *puero admodum* Delrius, ut testatur, in vet. lib. invenit, eam lectionem præferrem ob illa quæ dicentur ad Epit. l. LV. Quem hic auctor 'Alexandri filium' vocat, eum Oros. v. 4. et Freculph. in Chron. tom. I. l. VI. cap. 4. adpellant 'Alexandrum Diodoti filium.' Eorum verba sunt: 'Quo' (Demetrio) 'capto, Diodotus quidam cum Alexandro filio regnum ejus et regium nomen usurpavit: qui postea ipsum Alexandrum filium, quem participem periculi in pervadendo regno habuerat, ne in obtinendo consortem haberet, occidit.' Eum 'Alexandrum' vocari, qui ab omnibus aliis et ab auctore Epit. l. LV. 'Antiochus' vocatur, testatur Appian. in Syr. pag. 132. Quod autem ad Oros. et Freculph. attinet, eorum loca corrupta, ac legendum esse censeo, vel *cum Alexandri filio*, et mox *ipsum Alexandri filium;* vel, si locus Appiani sanus est, *cum Alexandro Alexandri filio*, et *ipsum Alexandrum Alexandri filium:* nisi quis ipsos scriptores hic peccasse contendere malit. Nescio, quid impulerit virum clariss. nuperum Orosii editorem, ut ad l. illum Orosii scriberet Antiochum Alexandri non potuisse esse 'privignum Demetrii,' ut scribit Justin. XXXVI. 1. quia decennem per medicos occidit Diodotus Tryphon. Nihil enim verius est. Nam pater ejus Alexander Bala uxorem duxit Cleopatram filiam Ptolemæi Philometoris, regis Ægypti, quæ postea nupsit Demetrio. Vide Joseph. Antiq. IX. 7. 8. et Auctor. Maccabæor. I. 10. et 11. Sed forte per privignum intellexit generum.

Seleuciam confugit] *Seleucam fugit* Boend. *Seleucam* etiam Leid. Voss. et Berg. *fugit* vero est in Exc. Pithœi, Norv. et edd. plerisque ante ultimam Gruteri, quæ *confugit* substituit, ut servant Leid. Vossian. et Berg. Vulgatum *Seleuciam confugit* est in Lov. 2. et ed. Camp. Mox *L. Minutius* Berg. et Boenderm. *L. Muminius* Leid. Præterea *de Achais* Boend.

LIB. LIII.

Ap. Claudius consul] *C. Claudius* Norvic. Hearnii; sed quædam priscarum edd. *G. Claudius*, quædam *P. Claudius;* at aliæ *Ap. Claudius;* quod Mediol. 1505. hinc Ascens. 1516. et postea reliquæ recentiores servarunt Et recte. Vide Pighium in Annal. ad a. IↃCX. p. 470.

A L. Tremellio quæstore cum exercitu cæsus est] *A T. Tremelio* Voss. *a L. Tremelio* Berg. et edd. vett. *a L. Tremilio* Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *a L. Tremellio* Frob. restituit an. 1535. Similiter variant codd. apud Eutrop. IV. 15. et apud Nostrum XXIX. 11. § 3. Ceterum hic primus suæ gentis Scrofæ cognomen nactus est, et quidem in quæstura: quod qua occasione acceperit, vide Varr. de Re Rust. II. 4.

Celtiberos cecidit: a Q. Fabio proconsule] Q. Metellus consul fuit a. IↃCX. proconsul a. IↃCXI. eodemque Q. Fabius Servilianus consul. Hinc viri doctissimi hic legendum censent *a Q. Fabio consule*. Hoc dubitationem aliquam habere potest: nam Q. Fabius Servilianus et in consulatu, et deinde pro consule rem adversus Lusitanos et Viriathum gessit. Vide Pighium ad a. IↃCXI. et seqq. *Duker*. Omnes sex hæ voces desunt in Voss. neglegentia scribæ ob repetitionem vocis ' proconsule ;' vide ad IX. 11. § 11.

Pars maxima Lusitaniæ] Voss. *partem magnam*. Gudiani ambo *pars magna*. J. F. Gronov. *Magna pars* Exc. Pithœi apud Hearn. *pars magna* Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. quod Clericus a Gronovio monitus recte in contextum recepit. Editores enim primos gradum positivum, quo auctor usus erat, in superlativum sæpissime vertisse, observavimus ad Epit. l. LI.

Expugnatis aliquot urbibus] Ita se in vet. lib. invenisse, Sigonius in prima ed. Scholiorum monuit, et in contextu edidit; eamque lectionem servavit, licet postea Scholion omiserit. Similiter præferunt Voss. Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Antea edebatur *expugnatis multis urbibus*, quod superest in Norv. Hearnii. Vide ad Epit. lib. CVI.

C. Julius senator Græce res Romanas scribit] Hoc nusquam alibi legi puto. Vossius certe de Histor. Græc. IV. 14. nullum alium auctorem habuit: de A. Postumio, qui an. IↃCII. consul fuit, id plures apud eum tradiderunt de Hist. Græc. I. 20. quibus adde Polybium in Exc. Peiresc. pag. 189. *Duker*. *Scribit* se in vet. lib. invenisse, testatur Sigonius in prima Scholiorum ed. eamque lectionem recepit; neque postea mutavit, licet ipsum Scholion in repetitis curis omiserit. Neque aliter mihi obvium fuit in Leid. Voss. et Lovel. 2. Antea vulgatum fuit *scripsit;* quod ostentant Berg. Boend. et Norv.

LIB. LIV.

Q. Pompeius consul] Appian. in Hispan. pag. 293. Pompeium Q. Fabio Serviliano, ac deinde p. 297. Metello successisse scribit. Posterius verum est: nam habuit provinciam citeriorem Hispaniam, cui Metellus præfuerat, quum Fabius ulteriorem obtinuisset. Vide Pighium ad a. IↃCX. et seqq. *Duker*. Prænomen deest in Leid. Voss. et Boend. forte a librariis omissum, ut id, toto opere descripto, elegantius pingerent, quod postea facere neglexerunt. *M. Pompeius* in edit. Rom. principe legi, Hearnius auctor est. Sed, Pompeium consulem Quinti prænomen habuisse, fragmenta Fastor. Capitol. docent.

In Hispania Termestinos subegit] Legendum ex vet. lib. *Termesinos:* a ' Termes ' fit ' Termesinus.' *Delrius*. Adspiratio sine dubio a voce *Thermestinos* detrahenda est, ut in quibusdam libris apud Hearnium. Si eadem, quæ Appiano p. 298. ' Termantia ' est, ab aliis ' Termes ' vocatur, de quo quærit Cellarius Geogr. Ant. II. 1. a ' Termes ' est gentile ' Termestinus.' Sed ita auctori Epitomes non conveniet cum Appiano, qui Termantiam a Pompeio frustra tentatam scribit. *Duker*. Per adspirationem *Thermestinos* edidit J. F. Gronovius, quem secuti sunt Doujatius, Hearnius, et Clericus, licet Jac. Gronov. in minori ed. recte dedisset *Termestinos:* quod etiam Crevierius restituit. Omnes etiam scripti literam adspirantem omittunt; sed *Tremestinos* legunt Leid. Voss. et Berg. *Trimestinos* Lov. 2. *Termesinos*, ut Delrius volebat, Boend. *Tremesinos* ed. Camp. Sed *Termestinos* præfero, quos memorat etiam Tacit. Ann. IV. 45. ' Faci-

nus atrox in citeriore Hispania admissum a quodam agresti nationis Termestinæ:' ubi vide Lips. et quæ notavit Epist. Quæst. IV. 14. Adde Cellar. Geogr. Ant. II. 1. p. 76.

Pacem ab infirmitate fecit] Apud Gruterum primum invenio. Priores *ob infirmitatem*. Utrumque tamen nugatorium. Forte, *pacem a p. Ro. infirmatam fecit*. Vel *improbante po. Ro. fecit*. J. F. Gron. Prior conjectura mihi probabilior videtur, eo quod posterior nihil ex vulgata scriptura retinet. De re ipsa legi possunt quæ Pighius ad a. IↃCXIV. ex Appian. p. 299. Velleio II. 1. Cicerone de Offic. III. 30. et de Finib. II. 17. congessit. *Duk.* Editi ante Gruterum, concinentibus Exc. Pithœi, et Norv. exhibent *cum eisdem quidem et Numantinis pacem ob infirmitatem fecit*. Τὸ *quidem* a Grutero ejectum respuunt omnes scripti mei. Vide ad Epit. lib. LV. Dein *ob infirmitatem* Voss. Leid. Berg. et Lov. 2. *ab infirmitate* Boend. quod utrumque ineptum esse, Gronovio consentit Crevierius. Posteriorem Gronovii conjecturam in contextum recepit Clericus. Sed, priorem præferendam esse, Dukerus merito judicavit.

Censa sunt civium capita quadringenta viginti octo millia, trecenta quadraginta duo] Veteres libri habent *CCCXXVIII.* Recte. Neque enim par est, cum priore lustro censa sint 'CCCXXIII millia,' et insequenti 'CCCXXIII.' hoc anno *CCCCXXVIII.* esse censa. *Sigonius.* Verbum *sunt* omisit ultima Gruteri ed. et post eam recentiores omnes, excepto Crevierio. Id superest in Berg. et Lov. 2. sed exsulat a reliquis scriptis Leid. Voss. et Boend. Dein *CCXXVIII. millia* Leid. et Vossian. Sed Berg. Boend. Lovel. 2. et edd. princc. veteri libro Sigonii consentiunt. *CCCCXXVIII. millia* demum obcurrit in Mediol. anni 1505. Insuper *et CCCCXXXII.* Boenderm. *CCCCXXXII.* ed.Camp.*CCCCXLI.* Berg. *quadringenta quadraginta duo* Leid. Voss. et Lov. 2.

Quum Macedonum legati conquestum venissent de Junio Silano prætore] Vet. lib. *de D. Junio Silano.* Sigon. Gud. *Cum Macedonii legati questum de divio* (hoc corruptum pro *D. Junio*) *Silano prætore Romam venissent.* J. F. Gron. *Macedonii legati* eadem forma dictum esse potest, qua 'legati Romani' Epit. l. LI. ubi vide. Verum *acedonum legati* servant nostri Voss. Leid. Berg. Lov. 2. et Boend. Tum *questum* Leid. Berg. et Lov. 2. Insuper *venissent de Duronio Syllano prætore* Voss. *venissent de divino Scyllano prætore* Voss. *de Divino Syllano prætore venissent* Berg. et Boend. *de Junio Syllano prætore venissent* ed. Camp. *de D. Junio Sillano prætore venissent* Lov. 2. Nullus igitur meorum vocem *Romam* agnoscit.

Et senatus de querelis eorum vellet cognoscere] Val. Max. V. 8. 2. nihil aliud, quam Macedoniam ad senatum querelas per legatos detulisse, non senatum de iis voluisse cognoscere, dicit. Silanum a. IↃCXII. Macedoniæ prætorem fuisse, putat Pighius; anno sequenti Sigonius. Illud quæri potest, cur a Macedonibus ad senatum delatæ fuerint querelæ, quum jam a. IↃCIV. quæstio de repetundis perpetua facta fuisset, et quotannis prætorem suum habere cœpisset? Hoc tangit, sed non dilucide explicat Sigonius de Judic. II. 27. Credo responderi posse, legatos Macedonum senatum quidem ex more vetusto adiisse; sed verosimile esse, senatum cognitionem hujus caussæ non susceptarum, verum ad prætorem, qui quæstionem de repetundis sortitus erat, rejecturum fuisse, nisi pater Silani petiisset, impetrassetque, ut ea sibi mandaretur. *Duker.* Vide Pighium in Annal. ad a. IↃCXIII. p. 483.

T. Manlius Torquatus, Silani pater,

petiit, impetravitque] Historiam etiam refert Cic. de Finib. I. 7. ubi *T. Torquatus*, pro *L. Torquatus*, ut nunc vulgo editur, emendandum est. Ita enim in Fast. Capitolinorum Fragm. a. IↃLXXXVIII. id nomen scribitur, et tum hoc loco, tum etiam apud Val. Max. vocatur. Pighius etiam in Annal. ad d. a. locum Cic. ita laudat, quasi *T. Torquatus* editum invenisset. Ceterum ex loco Cic. constat T. Torquatum adoptandum filium dedisse D. Silano, et inde eum hoc loco 'D. Junium Silanum' vocari. Ob eamdem caussam Pighius ipsum passim 'D. Junium Silanum Manlianum' adpellavit. *Pater Sillani*, vel *Syllani*, transpositis vocibus, Berg. Lov. 2. et Boend. *pater Silani* etiam Gronov. a. 1665. edidit. Deinde *petiitque, et impetravit* Voss. Vide ad X. 30. § 2. et XXXV. 41. § 6. Mox *ut sibi hujusmodi cognitio* Exc. Pithœi, Norv. Hearnii, et edd. ante Gruterum, cujus postuma vocem *hujusmodi* recte expunxit. Non exstat enim in ullo meorum codd. Vide ad Epit. l. XLIX. non longe a fine.

Filium condemnavit, abdicavitque] Minus proprie 'abdicatum' dicit filium, qui, D. Silano in adoptionem emancipatus, nec nominis, nec sacrorum, nec familiæ patris naturalis heres erat, ut de filiis in adoptionem datis loquitur Livius XLV. 40. Cicero de Finib. I. 7. dicit Manlium vetuisse, filium in conspectum suum venire. Valerius Max. eum domo sua indignum judicasse, et protinus e conspectu suo abire jussisse. *Duk. Abdicavitque* exsulat a Leid.

Sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit] Præfero *consulentibus;* quod in quibusdam esse, adnotat Hearnius. 'Consultare JCtos,' pro consilium ab iis petere, vix credo usquam alibi legi. 'Consulere' proprium et ubique obvium de ea re verbum est. Cic. de Legib. I. 3. 'Non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem.' Valer. Max. V. 8. 3. de Manlio: 'Consulere se volentibus vacuas aures accommodavit.' *Duker.* Nostri nihil mutant, nisi quod *consultandi* præferat Lov. 2. *consulentibus* vero Excerpta Pithœi apud Hearnium; quod etiam admiserunt posteriores Sigonii edd. Id autem verbum in hac re proprium esse, patet ex formula, qua utebantur, qui ad JCtos consilii expetendi gratia adibant, *licet consulere?* de qua vide Brisson. de Form. III. 331. Solent autem hæc verba in Mss. confundi. Vide ad XXI. 16. § 2. Nihilominus, ut 'consultare JCtum' secundum vulgatam lectionem hoc loco, ita 'consultare aves' Plinius in Paneg. 76. 'Una erat in limine mora, consultare aves, revererique numinum monitus:' et Plinius major Hist. Nat. XXXII. 2. 'Diripere eos carnes objectas lætum est consultantibus, caudis abigere dirum:' ubi quidem Chifletii cod. *consulentibus*, at suos *consultantibus* præferre, Harduinus testatur. Præterea *ex statulo* Vossian. Boend. et ed. Camp.

Et ab exercitu ejus multum inploratus ac nobilissime tumulatus] Vet. lib. *comploratus.* Quod verbum est in mortuo proprium: inquit enim Livius de Tarquinio mortuo I. 41. 'Ex comploratione in regia orta.' Et XXV. 26. 'Ut non modo lacrimis justoque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem, aut sepelirent.' *Sigon.* Ratio et loquendi consuetudo, denique membranæ *suo* præferunt. *Delrius.* Immo *suo*, ut est in Voss. et Gudianis: quorum alter etiam *ac nobiliter sepultus.* J. F. Gronov. Prima vocula deest in Voss. Tum *ab exercitu ejus* servant Exc. Pithœi, et Norv. sed *exercitu suo* firmant omnes nostri. Hinc *deploratus* Berg. Boenderm. et ed. Camp. *comploratus* Leid. Voss. Lov. 2. et Exc. Pithœi, quod recte Sigonius probavit. Livius

v. 39. ‘ Complorati omnes pariter vivi, mortuique.’ XXII. 55. ‘ Nondum palam facto, vivi mortuique per omnes pene domos promiscue complorarentur.’ Dein *nobiliter* gradu positivo Voss. Leid. Berg. Boend. Lov. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LI. Insuper *sepultus* omnes iidem libri, uno excepto Boend. Utrumque illud probavi. Paullo ante *consilio Servilii Cæpionis interfectus*, pro *interemtus*, omnes scripti nostri, cum ed. Camp. hinc neque illud spernere ausus sum.

Per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit] Vet. lib. *et per quatuordecim.* Sigonius. Copula *et*, a Sigonio addita, deest in Vossian. et Boend. verum posterior simul omisit ultima Epitomes verba *frequentius superior;* quæ in omnibus reliquis supersunt. Tum *per quartum decimum annum* legunt Norv. et edd. principes; pro quo Mediol. a. 1505. hinc Ascens. a. 1513. et reliqui editores omnes subposuerunt id, quod nunc vulgo exstat, et in omnibus Mss. inveni; nisi quod *per annos quatuordecim* sit in Boend. et ed. Camp. Ad hæc *quibuscumque Romanis* Voss. *quibus Romanis* omnes edd. Moguntina antiquiores, una ed. Camp. excepta, quæ *quibus cum Romanis* vulgavit. Paullo ante *duxque maximus* Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. usque ad Gruterum, qui *magnus* emendavit. Nec aliter codd. mei, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LI.

LIB. LV.

P. Cornelio Nasica] Fuit consul a. IↃCXV. filius P. Nasicæ, cui cognomen erat ‘ Corculum,’ de quo est Epit. l. XLVIII. et l. XLIX. nepos P. Nasicæ ejus, qui vir optimus a senatu judicatus est. Vide Sigonium ad Fastos, et Rupertum ad Pompon. l. 2. § 37. D. de Orig. Jur. *Duk.*

Cui cognomen Serapion fuit] *Serapio*, ut ‘ Cato,’ ‘ Cicero,’ ‘ Dio.’ Nam Priscianus ait, quæ nomina apud Græcos in *ων* terminentur, ea a Latinis finiri in *o*. Adde tanto certius fieri, quoties casum gignendi edunt in *onis*, non in *ontis*, ut ‘ Serapio, Serapionis.’ *Sigon.* Plinius quoque H. N. XXI. 3. de hoc Nasica, ‘ Serapio cognominabatur.’ Sed satis defendi potest *Serapion.* Cic. ad Att. X. 17. ‘ Deinde Serapion cum epistola tua.’ Vide ad Livii XLV. 6. *Duk. Cui* deest in Voss. et Norv. *P. Cornelio, cui cognomen Serapioni fuit, Nasica* Exc. Pithœi. *Serapioni* etiam ed. Heinsii Elzeviriana, et post eam omnes recentiores. Verum observo *Serapion* proprie fuisse nomen servile. Valer. Max. IX. 14. 3. ‘ In servilem Serapionis adpellationem vulgi sermone inpactus.’ Hinc efficio fuisse etiam nomen peregrinum. Jam vero, si auctor Epitomarum morem Livii in his locutionibus adoptavit, potius cognomen casu recto, quam tertio, extulit, secundum ea quæ notat Gronov. ad Liv. I. 1. § 4. Certe, in nominibus Latinis nomen dativo extulisse auctorem Epitomarum, vidimus ad Epit. II. Accedit nullum meorum codd. *Serapioni* probare. Nam *Serapio* est in Boend. *Seraphion* in Leid. et Boend. *Serapion* in Berg. et Lov. 1. Eorum primum placuit Sigonio: et ad eamdem formam emendat *Trypho*, pro *Tryphon*, hac Epit. et *Cleo*, pro *Cleon*, Epit. lib. LVI. Vide plura ad XXXIV. 61. § 10. Si quis tamen *Serapion* malit, cum eo contendere nolim.

Ab inridente Curiatio tribuno plebis inpositum] *Curatio* ex Græcis, ut ante. *Sigon.* De contentione Nasicæ cum hoc tribuno plebis est in Cic. de Legib. III. 9. et in Valer. Max. III. 7. 3. ubi adnotatum est, in illo esse ‘ Curiatius,’ in hoc varie scribi ‘ Curiatius,’ ‘ Curatius.’ Variant etiam ubique in hoc nomine libri Liviani. *Duk.*

Curatio hic in uno tantum inveni Boenderm. *Curiatio* legunt Leid. et Berg. *Curiacio* Lov. 2. *Curiano* Voss. Vide ad v. 11. § 4. Præterea *ab invidente* Boend. et ed. Camp. qui error ex similitudine literarum *r* et *v* natus est. Vide ad Livii XLV. 39. § 15. Huic commutantur 'invitatus' et 'inritatus;' vide ad Livii I. 15. § 1. 'verum' et 'rerum;' vide Gronov. Diatr. Stat. c. 20. p. 107. Bentl. ad Horat. Epist. I. 3. 32. et Burm. ad Phædr. I. 23. 2. 'virens' et 'vivens;' vide Bentl. ad Hor. Epod. XVII. 33. 'vigere' ac 'vigor,' et 'rigere' ac 'rigor;' vide Nic. Heins. ad Nason. Am. III. 7. 67. et quæ notavi ad Silii VI. 271. 'vector' et 'rector;' vide ad Silii XVII. 138.

Nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset] Lipsius de Milit. Rom. v. 19. huc refert, quæ Suidas voce Ἐπ' ἐξαγωγῇ habet, quæ e Polybio sumta putat. *Duker.* Quinque priora vocabula desunt in Voss. ex neglegentia librarii ob repetitionem verbi *est*. Vide ad IX. 11. § 11. *Matrenus* legit Boend. *Macionius* Berg. *Matienius* postrema Gruteri ed. Vide ad XL. 26. § 8. et XLI. 28. § 5. Tum *ex Hispania* Vossian. Lov. 2. et Exc. Pithœi.

Et sestertio nummo veniit] *Et scortio nummo veniit* Voss. *et ex sestertio numo venit* Boend. *numo venit* etiam Berg. et Lov. 2. *sestertio nummo addicere* dixit Valer. Maxim. v. 2. 10. 'Perseverantique postulatione extuderunt, ut exsequiarum adparatus sestertio nummo ipsis præbentibus addiceretur.' 'Nummo addicere' Horat. Sat. II. 5. 109.

Quia non impetrarunt] Vet. lib. *impetrarent*. Sigonius. *Impetrarunt* servant Leid. et Norv. *impetrarent* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. pro quo Gruteri postrema ed. *impetrarant* substituit. Ita vero datum fuisse videtur, quod *quia* cum subjunctivo construi displiceret. Sed vide ad Livii II. 8. § 5. et ad Epit. Liv. l. LX.

Consules in carcerem mitti jusserunt] Vet. lib. *duci*. Sigon. Nimium hoc [*consules duci jusserunt*] et nunquam factum. Putes firmari lib. LIX. ubi refertur de C. Atinio Labeone, Marcellum de saxo dejici jussisse. Habes et apud Plinium VII. 44. Aliud hoc tamen. Veteres edd. *consules in carcerem mitti jusserunt*. Sigonius observat in scripto esse *duci ἀντὶ τοῦ mitti:* quod optimus Gruterus (nam ex ejus ed. manavit hæc lectio) videtur accepisse, quasi pro toto illo *in carcerem mitti*, fuerit solum illic *duci*. Accessit elegantia verbi, quæ potest aliquem pellicere. Vix enim puto, in Pall. Mss. sic invenisse, unde alicubi se has Epitomas auxisse, emendasse, supplevisse profitetur. Et utcumque habuerit aliquis codex, improbum est. Scribe cum Voss. Gudianisque *consules in carcerem duci jusserunt*. Ut sæpissime Livius. Lib. III. c. 55. Virginius ait Appio, 'in vincula te duci jubebo.' IV. 26. 'Siquidem cogi aliquid pro potestate ab tribuno consules, et in vincula etiam duci possent.' P. Sempronius ad Appium c. 34. 'Et nisi Æmiliæ legi parueris, in vincula duci jubebo.' Parem impotentiam tribunorum habes lib. XLVIII. Cicero de L. Agrar. II. 37. 'qui timeam, ne mihi in carcere habitandum sit, si tribunus plebis duci jussisset.' Plutarchus in Mario p. 407. *J. F. Gron. In carceres duci jusserunt* Berg. *in carcerem duci jusserunt* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. Hearnii, et ed. Camp. quod recte Sigonius probavit. Propria illa locutio est in hac re. Livius III. 58. 'Oppius quoque ductus in vincula est.' VI. 14. 'Si civem commilitonemque meum in servitutem ac vincula duci videam.' XXXVIII. 60. 'Nisi ut prehendi damnatum, et in vincula duci jubeat.'

Agros oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est] Vet. lib. *et oppidum.* Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Tum *quod vocatum est Valentia* Berg. Boend. et ed. Camp. *quod vocatur Valentia* Lov. 2. Paullo ante vox *consul* deest in Vossian. Berg. et Lov. 2. Hinc *militaverunt* legit Berg. et ed. Camp.

Pacem factam senatus irritam censuerat] Vet. lib. *irritam fieri censuerat.* Sigonius. *Irritam habere censuerat* Boend. *irritam haberi censuerat* Voss. *senatus irritam fieri censuerat* Leid. et Exc. Pithœi: *irritam fieri senatus censuerat* Berg. et Lovel. 2. Crevierius *fieri* abesse malebat, quia in primis edd. non conspicitur. Sed codd. duces sequi malo. Abesse posse non diffiteor. Paullo ante *M. Pompilius* Leid. et Boend. *M. Popilius* Berg. Lov. 2. et edd. pleræque; quomodo etiam vocatur App. Alex. in Hispan. 299. Sed recte recentiores *Popillius* emendarunt. Vide ad XXVI. 6. § 1. Insuper præpositio *a* exsulat a Voss.

Cum exercitu fusus fugatusque] Vet. lib. *fugatusque est.* Sigon. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi: quorum fide, et permotus exemplo Sigonii, recepi.

Pulli ex cavea evolaverunt] Vet. lib. *avolaverunt.* Sigonius. Similiter Exc. Pithœi; idque verum videri posset, quod dirum omen non tam in eo consistat, quia pulli ex cavea *evolaverunt*, quam quia *avolaverunt*, atque evaserunt; præsertim, quum eo ducat scriptura codd. Leid. et Berg. *advolaverunt*, et Voss. *volaverunt;* in quo litera initialis *a* intercepta fuit ab ultima vocis præced. Vide ad II. 44. § 6. Nihil tamen muto, partim quia vulgatum superest in Lovel. 2. et Boend. partim quia Jul. Obseq. hoc prodigium referens eodem verbo utitur c. 83. 'Quum Lanuvii auspicaretur, pulli e cavea in silvam Laurentinam evolarunt.' Similiter in pari omine Sueton. Galb. c. 18. 'Observatum est, Kalendis Januariis sacrificanti coronam de capite excidisse, auspicanti pullos evolasse.' Auctor igitur more Livii præpositionem, cum qua verbum componitur, in regimine repetiit. Vide ad Livii Præfat. § 11. Paullo ante *Cn.* vel *Gn. Hostilio* Leid. et Lovel. 2. Sed passim constanter 'C. Hostilius' dicitur. Vide Pighii Ann. ad a. IↃCXVI. p. 495.

Conscendenti deinde in navim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit audiri, Mane, mane, Mancine] Vet. lib. *deinde navim.* Sigonius. *Conscendendo deinde navim* Voss. *consedenti deinde navim* Boend. *conscendenti deinde navem* Berg. *conscendenti deinde navim* Exc. Pithœi, et ed. Camp. *conscendenti deinde naves* Leid. *conscendens deinde in navem, &c. audivit* Lov. 2. Ex his patet plerosque codd. in expellenda præpositione *in* consentire: ea tamen facile elidi potuit a syllaba ultima vocis præced. per compendium, ut solet, *deiñ* scriptæ. Vide ad lib. XXXVII. 31. § 4. Utraque autem locutio Livio aliisque in usu fuit. 'Conscendere in navem' dixit Liv. XXIX. 25. 'Ut in naves ordine ac sine tumultu conscenderent.' Ovid. Her. VI. 65. 'Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo.' 'Conscendere navem' Liv. XXII. 19. 'Conscendere naves propere, atque arma capere jubet.' XLIV. 35. 'Velut classem conscensuros ad maritimam oram interioris Macedoniæ vastandam.' Auctor Epit. lib. LXXXIII. 'Invitum cogebat naves conscendere.' Aliorum exempla vide apud Hadrian. Card. de Serm. Lat. p. 100. Quisque igitur eligat utrum malit. Deinde *ut Hispaniam proficisceretur* sine præpositione Boend. Vide ad XXXIII. 41. § 6. Soli tamen huic codici tantum tribuere non audeo, ut ejus fide receptum damnem. Tum *accessit vox*, pro *accidit audiri*, Leid. Perperam voces 'accidere' et 'accedere' in

Mss. confundi, vidimus ad XXI. 10. § 12. Forte igitur librarius dare voluit *accidit vox:* quod eodem modo dictum erit, quo 'accidit sonus,' 'clamor,' 'fama,' et similia, de quibus vidimus ad Liv. l. XL. c. 32. § 2. Hic præcessit *conscendenti.* Ita 'imber lentior accidens auribus' XXIV. 46. 'civitati fama accidit' lib. XXVII. cap. 50. Vox *audiri* deest in Voss. et Berg. Præterea alterum *mane* non agnoscunt Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et quædam ex antiquioribus edd. Sed aliæ pro posteriori *mane* legunt *Mancine.* Val. Max. I. 6. 6. 'Talis vox sine ullo auctore ad aures ejus pervenit: Mancine, mane.' Jul. Obseq. de Prodig. l. LXXXIII. 'Vox improviso audita, Mane, Mancine.'

Mancino auspicia tristia fuisse probatum est] Vet. lib. *quæ auspicia tristia fuisse, eventu probatum est.* Sigon. Illud *Mancino* ex præcedenti *Mancine* natum, et recte a Sigonio expunctum esse, vel edd. docere possunt. Vetustissimæ præferunt *mane, mane Mancine: auspicia:* vel *mane, Mancine. Auspicia.* Veneta 1498. *mane, Mancine, Mancine: Auspicia.* Ascens. 1513. *mane, Mancine. G. Mancino auspicia.* Moguntina *mane, mane, Mancine. Mancino auspicia;* quod insecutæ servarunt usque ad Sigonium, *mane, Mancine: quæ auspicia* emendantem. Et ita exhibent Leid. Vossian. Berg. et Lovel. 2. a quibus non aliter dissentit Boend. quam quod nesciat *τὸ quæ.* Ultima demum Gruteri dedit *mane, mane, Mancine: quæ auspicia;* quod omnes recentiores servarunt, sed in nullo mihi scripto vel edito priori obcurrit. Sigonii itaque lectionem, tot codicum consensu probatam, reduxi. Vocem etiam *eventu,* ab eodem Sigonio insertam, servant omnes nostri. Dein *promptum est* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi.

Cum spes nulla servandi exercitus esset] *Salvandi* Boend. quod verbum, antiquioribus scriptoribus incognitum, sed præsertim patribus ecclesiæ Christianæ familiare, alteri illi sæpius ab indoctis scribis ac monachis substitutum est. Vide Faërn. ad Cic. in Pison. c. 31. Alia exempla vocum semibarbararum Latinoribus subjectarum vide ad Livii VII. 21. § 2. Paullo ante *Victus enim a Numantinis est, et castris exutus. Quum spes, &c.* Berg. Lov. 2. et ed. Camp.

Triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus quatuor victa erant] Exercitum Romanorum quadraginta millium militum fuisse, indicat Flor. II. 18. § 2. ubi vide quos laudavit Duker. Tum *ab Numantinorum* Leid. Voces *a Numantinorum millibus quatuor* desunt in Boend. sola vox *millibus* in Voss. quam Livium sæpe in similibus intellectam voluisse, vidimus ad XXXI. 34. § 7. Similiter auctor harum Epitomarum lib. LXVII. 'Militum millia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta.' Lib. LXVIII. 'Cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta.' Et paullo post ibid. 'Cæsa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta.' Unius tamen cod. testimonio credere non audeo. *A quatuor millibus Numantinorum* Berg. et ed. Camp. *$\overline{XXX}$. Romanorum a $\overline{IIII}$. Numantinorum victa erant* Lov. 2.

Triginta urbium expugnationibus, usque ad occasum et oceanum perdomuit] Voces *triginta* atque *occasum et,* quæ deerant in vulgatis exemplaribus, se ex V. C. Jac. Susii et Aldino adjunxisse, testatur Pighius in Annal. ad a. IↃCXVIII. p. 502. Gruterus autem ab eo monitus in postrema ed. easdem in contextum recepit. At desunt in Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. Hearnii. Vocem autem *triginta* ignorant quidem etiam Leid. et Voss. sed duas reliquas non modo exhibent, verum etiam, si excerptis meis credendum, auctius legunt *ad occasum et ad oceanum.* Insu-

per *expugnationibus urbium* alio ordine exstat in Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quum fluvium Oblivionem transire nollent milites] Plinius H. N. IV. 22. et Florus II. 17. nominant 'fluvium Oblivionis.' Sallustius etiam, teste Servio ad Virgil. Æn. I. 267. scripsit 'cui nomen Oblivionis fuerat;' de hoc, opinor, agens. *Delrius. Fluvium Oblunonem* Leid. *fluvium Oblimonem* Voss. *fluvium Oblivionem* Lov. 2. *flumen Oblivionem* Boend. *flumen Oblivionis* Berg. Voces 'flumen' et 'fluvius' sæpius commutari, vidimus ad Liv. XXXVIII. 15. § 17. *Oblivionis* emendant etiam Casaub. ad Strab. lib. III. pag. 153. Bochart. in Chanaane I. 34. 605. et Alex. Tollius ad App. Alex. Hispan. 295. *τὸν τῆς Λήθης ποταμὸν* vocat Plutarch. in Quæst. Rom. pag. 272. Vide Cluver. Geogr. Ant. l. II. c. 1. pag. 66. *transire vellet* Boend. et ed. Camp. omissa sequenti voce *milites*, quam etiam nesciunt Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. usque ad ultimam Gruteri, quæ demum eam adscivit. Eadem vox superest in Voss. et Leid. si excerptis credendum. Præterea *raptum* omnes manu et typis descripti ante eamdem Gruteri *ἔκδοσιν*, quæ *ereptum* substituit.

Et sic, ut transgrederentur, persuasit] Vet. lib. *transgrederentur milites, persuasit*. Sigon. Similiter Berg. qui, ut vidimus, in verbis præcedd. vocem eamdem *milites* omiserat: eam hoc loco in nullo alio cod. inveni. Præterea vocula *ut* deest in Leid. et in paucis veterum edd. Tum *suasit* idem Leid. Nihil muto. Eadem varietas scripturæ obvia fuit Epit. lib. L. ubi pro *suasit, cum equitatu suo ad Romanos transiret*, ut quædam vett. edd. præferunt, ex emendatione Sigonii nunc editur *persuasit, ut cum*.

Alexandri filius, rex Syriæ] Videtur omissum nomen pueri *Antiochus, Alexandri filius*. J. F. Gronov. Hanc Gronovii conjecturam temere Clericus in contextum admisit. Sed non tantum omnes codd. vocem *Antiochus* ignorant, verum auctor et omisit Epit. lib. LII. 'A Diodoto quodam, uno ex subjectis, qui Alexandri filio, bimulo admodum, regnum adserebat, bello superatus.'

Decem annos admodum habens] In Epit. l. LII. Tryphon Alexandri Balæ filio bimulo regnum asseruisse dicitur. In alterutro numero vitium esse videtur. Demetrius Nicator, Demetrii Soteris filius, Seleuci nepos, post necem Alexandri Balæ regno Syriæ potitus est a. Græcorum CLXVII. Maccab. I. 11. 19. et a Parthis an. CLXXII. captus, ibid. XIV. 1. Hoc intervallo, quod quinque annorum est, Antiochus puer, Balæ filius, a Tryphone in regnum productus, ac per fraudem occisus est, et Tryphon, eo interfecto, regnum invasit Maccab. I. 13. 31. In quod, quod jam alii observarunt, leviter ab auctore libri illius dissentit Josephus Antiq. XIII. 7. [al. 12.] nam ille necem Antiochi pueri ante calamitatem Demetrii in Parthis narrat, hic eum non multo post Demetrium a Parthis captum a Tryphone occisum refert. Sed in hoc nihil momenti est ad concilianda inter se loca Epitomarum Livii. Ex iis quæ dixi, patet, ni fallor, aut Antiochum puerum, quo tempore Tryphon ei regnum asserebat, bimulo majorem, aut, si non major fuit, decem annis minorem, quum a Tryphone de medio sublatus est, fuisse: nam inter illius et patris ejus necem tantum quinque anni interjecti fuerunt. Josephus eum quarto anno regni peremtum, et a Tryphone rumorem sparsum dicit, *ὡς χειριζόμενος ἀπυθάνῃ*, id est, *inter curandum* mortuum, ut ibi recte in ed. Hudsoni ex Epit. Livii versum est, quod ante eum inepte versum fuerat *inter exercendum se*. Duker. Difficultas a Dukero mota tolletur, si cum Delrii

cod. *puero admodum*, pro *bimulo*, Epit. l. LII. scribere liceat.

A Diodoro, qui Tryphon cognominabatur] Vet. lib. *Diodoto*, item *Trypho*, non *Tryphon*. Sigonius. *A Diodoro* Norv. *a Diodote* Vossian. et Boend. *a Diodoto* Leid. Berg. Boend. et Exc. Pithœi : *ab Diodoto* ed. Gronov. 1665. Vide ad Epit. lib. LII. Tum *Tryphon* omnes nostri calamo et typis exarati. Sed *Trypho* vocatur apud Justin. lib. XXXVI. cap. 1. et in Prolog. Pompeii Trogi lib. XXXVI. Vide hac Epit. in princ.

Conruptis quidem medicis, qui ipsum calculi] *Quidem* abest a vet. lib. *Sigon.* Abest etiam ab omnibus scriptis meis, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Innumeris locis primi editores hanc vocem interposuerunt, ubi in Mss. non conspicitur. Vide Epit. libb. LI. LIV. LVII. LIX. LXIV. LXV. LXVII. LXIX. et sæpius. Tum *qui illum* Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi : *qui eum* Leid. Boend. Norv. et edd. ante postumam Gruteri, *qui ipsum* substituentem. Mox *dum secant illum* Norv. et eædem edd. Verum recte ultima Gruteri pronomen omisit, quod exsulat etiam ab omnibus scriptis meis. Id enim ex præcedenti hic commode revocari potest.

LIB. LVI.

D. Junius Brutus in Hispania ulteriore feliciter adversus Gallæcos pugnavit] *Decius Juvenius* Norv. *L. Junius* ed. Rom. princeps, teste Hearnio. *Decius Junius* Voss. Lov. 2. et multæ veterum edd. quarum aliæ recte *D. Junius* præferunt, ut Frobenius restituit a. 1531. et reliqui Mss. servant. Tum *in ulteriorem Hispaniam* Voss. *in ulteriore Hispania* Exc. Pithœi, Norvic. et edd. ante Gronov. qui a. 1665. vulgavit *in Hispania ulteriore*, consentientibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde *Gallos* Leid. *Seleucos* Boend. et ed. Camp. *Galetios* Berg. *Gallecios* Voss. Lov. 2. Exc. Pithœi, Norv. et edd. veteres ; pro quo Gronov. eodem tempore dedit *Gallæcos*. De orthographia hujus vocis vide Vlit. ad Gratii Cyneg. vs. 514. et Nemes. Cyneg. vs. 253. ubi hoc loco *Callaicos*, vel *Callæcos* legendum censet. Adde viros doctos ad Justin. XLIV. 3. Dausq. in Orthogr. part. II. hac voce, et Cellar. Geogr. Ant. II. 1. 65. *Gallæcos* vocat Oros. V. 5. quos *Callecos* Freculph. part. I. lib. VI. c. 4.

Clademque similem Numantinæ passus est] Ita recte Froben. 1531. consentientibus scriptis nostris, et ed. Camp. Reliqui vetustiores typis descripti *similem Numantiæ*, quod præfert etiam Norv. De hac clade Oros. V. 5. ' Nec minus turpis hæc sub Lepido clades, quam sub Mancino fuit.' Ceterum *cladem* sine copula Lov. 2.

Ad exsolvendum Numantini fœderis religione populum, Mancinus] *Ad exsolvendum Num. fœderis legionem pop. Mancinus* Voss. *Ad exsolvendum fœderis Numantini religionem Mancinus* Boend. et ed. Camp. *Ad dissolvendum* Berg. Nihil mutandum. Vide ad VII. 3. § 9. ubi locutio ' solvere ' et ' exsolvere religione ' inlustratur. *Fœderis Numantini* Gronov. edidit a. 1665. quod probant Berg. et Lov. 2.

Non est receptus] Ita Sigonius edidit. Nec aliter habent scripti mei, et ed. Camp. Priores dederant *minime est receptus*, consentiente Norvic. Sed vide ad Epit. l. XLIX. et bis infra h. Epit.

Censa civium capita trecenta viginti tria millia] Vossian. *Censa sunt civium capita c. t. triginta tria millia.* At Gudianus, *Censa sunt civium capita CCCXVII. millia DCCCCXXXIII.* Alter, *trecenta decem et septem millia nonaginta viginti tria.* J. F. Gron. *Censa sunt civium capita CCCXXXIII. M.* Boend. et ed. Camp. *Censa sunt civium capita CCCXXIIII. M.* edd. Rom. anni 1472. et Parm. *Censa*

sunt civium capita CCCXVII. millia DCCCCXXXIII. Lovel. 2. et Exc. Pithœi. *Censa sunt civium capita CCCXVII. M. CCCCXXIII.* Berg. *Censa sunt civium capita trecenta decem et septem millia nongenta viginti tria* Leid. *Censa sunt civium capita* etiam reliquæ edd. usque ad Gruterum, cujus ultima *sunt* expunxit, quod in locum pristinum restitui. Quod autem ad numeros excurrentes supra millenarios adtinet, licet illi omittantur, τὸ *capita* tamen servari potest. Epit. lib. I. 'Lustrum condidit, quo civium capita censa octoginta millia esse dicuntur.' Epit l. XLVIII. 'Censa sunt civium capita trecenta viginti quatuor millia.' Epit. lib. CXV. 'Censa sunt civium capita centum quinquaginta millia.' His non obstantibus, codicum auctoritas persuadet numerum excurrentem ob numeri præcedentis similitudinem excidisse, et vel *millia, nongenta viginti tria,* vel *millia, nongenta triginta tria* legendum esse.

Vardæos in Illyrico subegit] *Vareos* Leid. *Vareolos* Berg. *Vacceos* Voss. *Vardeos* Exc. Pithœi, Norvic. et edd. antiqq. Sed postrema Gruteri ed. *Vardæos* substituit. Οὐαρδέοι sine diphthongo vocantur Ptolem. II. 17. Οὐαρδαῖοι, et *Vardæi* aliis. Vide Gronov. ad XXVII. 30. § 13.

M. Cæsonius prætor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnavit] Vet. lib. *M. Cosconius.* Sigonius. *M. Cesonius* Boend. et edd. vett. *M. Censonius* Norv. Leid. et Voss. *M. Constonius* Berg. *M. Cossonius* Lov. 2. et Exc. Pithœi. Verum gens 'Cæsonia,' unde erat Caligulæ uxor apud Sueton. in Calig. cap. 25. et consul apud Tacit. Ann. XIV. 29. nondum hoc tempore floruisse, vel ad honores pervenisse, videtur. Adsentior igitur Sigonio, *M. Cosconius* ex vet. lib. probanti. 'M. Cosconius' tribunus militum memoratur XXX. 18. 'Cosconius' Samnites acie vicit in Epit. l. LXXV. Tum *in Traciam cum Sardiscis prospere pugnavit* Boend. et ed. Camp. *in Thracia Scordiscos prospere fugavit* Voss.

Quum vitio ducum bellum Numantinum non sine publico pudore duraret] V. et Gudiani hoc ordine: *Cum bellum Num. vitio ducum non sine publico pudore duraret.* Pro verbo ultimo forte fuit *duceretur.* J. F. Gron. *Quum bellum Num. vitio ducum* Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Voces *vitio ducum* non agnoscunt Exc. Pithœi. Tum *pudore publico duraret* Lovel. 2. *pudore duraret,* una voce omissa, Berg. *publico pudore delaret* Voss.

Quem quum ille capere ob legem, quæ vetabat, quemquam intra decem annos iterum consulem fieri licere, minime vellet, sicuti priori] Hic multa fœda sunt, quæ tamen ope antiquorum librorum purgantur, in quibus est ita: *quem cum capere illi ob legem, quæ vetabat, quemq. iterum consulem fieri, non liceret, sicuti priore, &c.* Nostri enim patres, ignari omnis Romanæ antiquitatis, quia nullam aliam legem noverant, nisi quæ est de X. annis, eam ubique inculcarunt. Sicut etiam ante dixi de priore hujus consulatu. Quæ lex ne in hoc quidem consulatu locum habere potuit. Nam inter priorem et posteriorem Æmiliani consulatum anni interjecti sunt XII. Quæ res eruditos multos viros, ut de Glareano ante admonui, valde hoc tempore perturbavit. Est igitur hæc lex lata paulo ante hæc tempora, Catone vivente, cujus suasor ipse fuit Cato, Ne quis iterum consul fieret: Priscianus enim lib. III. cap. 601. profert exemplum ex oratione Catonis, quæ inscribebatur 'Ne quis iterum consul fiat.' Idemque Fest. in voce 'Pavimenta.' Sunt enim multæ leges de consulatu capiendo latæ. Una, ne quis intra decem annos consul reficiatur; quæ, ut supra diximus, tenuit Fabium. Altera, ne ædilitas et prætura prætereatur; qua solutus est T. Flamininus. Tertia, quæ annos ætatis

constituebat; qua solutus est Æmilianus in priore consulatu. Quarta, ne quis iterum consul fiat; qua impediebatur Æmilianus, ne secundum caperet consulatum. Quinta, ne quis absens consul fieret; qua post Marius solutus est. Quartam tamen legem post tacito consensu civitatis abrogatam esse arbitror. Ex his legibus prima et secunda a Sulla dictatore relatæ sunt, auctore Appiano. *Sigon.* De hoc loco etiam egit Sigonius Emendat. II. in cap. 46. Emendationum Robortelli. Vulgatam scripturam non posse retineri, certum est ex numero annorum inter primum et secundum consulatum Scipionis. Etsi autem non scio, disertis testimoniis veterum confirmari legem fuisse ne quis iterum consul fieret, quod hic libri scripti significant, tamen id plane probabile faciunt ea quæ Sigonius et Pighius ad a. IↃCIII. et a. IↃCXIX. scribunt. Sed in eo non possum adsentiri Sigonio, quod hic alteram legem de consulatu capiendo, ne ædilitas ac prætura præteriretur, eaque T. Quintium Flamininum solutum fuisse, dicit. Nam primo nullo testimonio antiquitatis probari potest, ante a. IↃLIV. quo consulatum petiit Quintius, legem fuisse, ne, qui ædilis et prætor non fuisset, consul fieri posset. Deinde narratio Livii XXXII. 7. de Quintii petitione consulatus huic sententiæ plane adversatur. Etenim tribuni plebis, qui Quintium ex quæstura consulatum petere non patiebantur, non legibus eum prohiberi dicebant quo minus id faceret; sed gradus honorum faciendos, nec ferendum esse, ut nobiles homines, qui in ædilitate et prætura documenta sui non dedissent, medios magistratus transcendentes summa imis continuarent. Qua in re credi debent ad utilitatem publicam respexisse, et in ea sententia fuisse, quam Comicus in Equitib. vs. 539. expressit: Ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν, Κᾆτ' ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι, καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι, Κᾆτα κυβερνᾶν. Naui sæpe minime e re civitatis est, adolescentes rerum imperitos ad gubernacula reipublicæ admoveri. Si, qui ædilitatem et præturam non gesserant, legibus petitione consulatus exclusi fuissent, nulla ratio excogitari potest, cur earum auctoritate Quintium ab eo petendo submovere non voluissent. Sed nullas tum hujusmodi leges fuisse, ex decreto senatus, quod recte animadvertit Gruchius de Comit. Rom. I. 3. p. 575. apertum est: in eo enim Quintius dicitur honorem petere, 'quem sibi per leges capere liceret.' Unde consequitur legibus solutum non fuisse, qui contra leges consulatum non petebat. Nec quidquam me movet diversa a Livio de hac re narratio Plutarchi, qui in vita Quintii auctor est, tribunos plebis dixisse, eum 'contra leges' conari invadere summum magistratum. Nam hujus auctoritas eo minus contra Livium valere debet, quod eo loco etiam alia parum accurate narrat. Neque enim quæsturæ Quintii mentionem facit, et inter magistratus quos Quintius transcendit, tribunatum plebis, quem nemo patricius gerere poterat, ponit: quo nomine merito a Xylandro notatus est. Ne dicam, ea, quæ de Narnia et Cossa coloniis a Quintio ante consulatum deductis tradit, non valde cum iis convenire quæ in Livio XXXII. 2. et XXXIII. 24. de illis leguntur. An lege Villia, quæ a. IↃLXXIII. lata est, constitutum fuerit, ne, qui ædilis et prætor non fuisset, consulatum petere posset, mihi compertum non est. Livius XL. 44. de illa nihil aliud nos docet, quam ea finitum fuisse, 'quot annos nati quemque magistratum peterent, caperentque.' Nec usquam alibi proditum legi, ea aliquid de non prætereunda ædilitate et prætura ante petitionem consulatus

cautum fuisse. E Cicerone quidem in Brut. c. 63. de Harusp. Resp. c. 20. et Ascon. ad Fragm. Orat. pro Scauro, qui Sulpicium tribunum plebis C. Cæsari ex ædilitate consulatum ' contra legem ' petenti restitisse referunt, id non satis aperte ostendi potest. Nam quum Cæsar a. IↃCLXIII. ædilis curulis fuisset, quod probabiliter ex Cic. de Orat. III. 24. colligit Pighius, non licebat ei ex lege Villia a. IↃCLXV. quo Sulpicius tribunus plebis fuit, consulatum petere. Si hoc anno præturam petens non impetrasset, non credo eum deinde consulatum anno illo, quem lex Villia ei petendo finiverat, petentem jure a petitione repelli potuisse. Nam hujus legis mens mihi non videtur fuisse, ut magistratus ita ordinatim peterentur, gererenturque, ut, qui ædilis non fuisset, numquam prætor, nec, qui præturam non gessisset, unquam consul fieri posset; sed ut a magistratibus arcerentur adolescentes sine usu rerum et consilio, quorum inconsulta temeritate respublica facile calamitatem aliquam accipere posset. Et hoc est, quod Philipp. v. 17. dicit Cicero, ' leges annales veritas fuisse temeritatem adolescentiæ.' Certe etiam post legem Villiam multos, qui repulsam ædilitatis tulerant, deinde prætores et consules factos fuisse, constat exemplis Marii apud Plutarchum, et aliorum, quos Cic. pro Planc. c. 21. nominat. Nec Furnius in Cic. Famil. x. 25. sibi, quod ædilis non fuerat, obstare credidit quo minus præturam petere posset. Quod porro dicit Sigonius, auctore Appiano, legem de non prætereunda ædilitate et prætura a Sulla relatam esse, id non ita clare ab Appiano traditum est, ut pro certo affirmari possit. Nam is Civil. I. p. 412. scribit, Sullam ἀπειπεῖν prætura ante quæsturam, et consulatum ante præturam geri. Sed in eo primum nulla est mentio ædilitatis: deinde ἀπειπεῖν non minus dici potest, qui primus prohibet quod ante vetitum non erat, quam qui legem veterem referens prohibet quod ea vetitum in desuetudinem venerat. *Duk.* Ad hunc locum obfendit Bendinell. in Annot. Locor. Histor. c. 19. Videns enim tredecim annos, ut numerat, inter priorem et alterum Scipionis consulatum effluxisse, vel Epitomen non recte confectam, vel decem annos ab anno ætatis Scipionis XLIII. qui consulatui gerendo legitimus erat, numerandos esse existimavit. Sed voces *intra decem annos*, quas Sigonius expunxit, ignorant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Horum quidam in reliquis a Sigonii vet. lib. differunt. *Quem quum ille capere ob legem, quæ vetabat, nollet, quamquam iterum consulem fieri non liceret, sicuti* legit Voss. nec aliter Boend. nisi quod ultima verba ita exhibeat: *quemquem iterum fieri consulem non liceret, sicuti.* Per omnia lectioni a Sigonio vindicatæ adsentiuntur Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi; neque aliter inde discedit Leid. nisi quod legat *quem quum ille*, pro *illi*. Videtur eamdem etiam probare Pighius in Annal. ad a. IↃCXIX. p. 506. nisi quod *fieri minime liceret*, pro *non liceret*, perperam malit. Vide supra hac Epit. Recepta Sigonii lectione, simul evanescit dissensus, quem Bendinell. d. l. c. 18. observat esse inter Cic. in Somn. Scip. c. 2. ubi avus Africanus major nepoti Africano minori prædicit fore ut deligeretur iterum consul, sed ' absens,' et hunc locum, ubi auctor, secundum priscam lectionem dicendo, Scipionem Africanum alterum consulatum a populo ultro delatum capere ' minime voluisse,' eum in comitiis præsentem fuisse indicat. Dissensum autem, quem Bendinell. ibidem se deprehendisse credidit inter eumdem locum Cic. et alium Valerii Max. VIII. 15. 4. ubi narrat Sci-

pionem Æmilianum, quum quæstoriis comitiis suffragator Q. Fabii Maximi fratris filii 'in campum descendisset,' consulem iterum dictum fuisse, sustulit Pighius d. l. docens, vocem 'absens' apud Cic. ex consueta tunc loquendi formula intelligendam esse, quasi dixisset 'non petens.' Similiter Ciceronem accipit Vinetus ad eum locum. Vide quæ notantur ad Livii IV. 42. § 1. et X. 22. § 9. Præterea *sicut*, pro *sicuti*, Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quum obprimi a prætoribus non potuisset] *Minime valuisset* Norv. et edd. ante Sigonium, vulgati *non potuisset* auctorem; quod a sequentibus spretum Gruterus demum adoptavit, quia probarat Pighius in Annal. ad a. IↃCXIX. p. 506. Neque aliter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vocem *minime* passim pro *non* in his Epitomis datam esse, vidimus ad Epit. l. XLIX.

C. Fulvio consuli mandatum est] *Gn. Fulvio* Norv. et edd. quædam ex vetustioribus. *Cn. Fulvio* Boend. At recte Tarvisinæ, easque secutæ cdd. *G.* vel *C. Fulvio* emendarunt. Quod servant reliqui scripti, *et C. Fulvio* Voss. et Lov. 2.

Cujus belli initium fuit Eunus servus, natione Syrus] Vet. liber *Hujus belli.* Sigon. Pariter omnes nostri, Exc. Pithœi, et ed. Camp. nisi quod vocem *belli* nesciat Voss. *Τὰ initium fuit* exsulant a Boend. *servus natione* a Berg. Tum *Syrius* legit Voss. *Sersyrus* Exc. Pithœi. In verbis seqq. *adimplevit* legit Lov. 2. Vide ad XXXVIII. 7. § 13.

Cleon quoque alter servus] *Cleo*, ut ante. *Sigon.* Similiter Exc. Pithœi. Vide ad principium Epit. præced. Verum nullus meorum codd. hanc lectionem tuetur. *Cleonque aliter* legit Boend. *Clon quoque* Voss. Mox *τὸ millia* non adparet in Exc. Pithœi.

Contra populum Romanum exercitumque ejus] Brevius uterque Pall. *adversus exercitum Romanum*: quod verius putarim. *Gruter.* Similiter Berg. et Lov. 2. *adversus Romanum exercitum* Voss. et Boend. *adversus po. Romani exercitum* ed. Camp. *contra Romanum exercitum* Leid. Sed omnia hæc verba exsulant ab Exc. Pithœi. Paullo ante *junctis copiis* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Bellum sæpe numero gesserunt] *Sæpe* ex vetere lib. *Sigon. Sæpe gesserunt* etiam Voss. Leid. Lov. 2. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

LIB. LVII.

Ad generosissimam militiæ disciplinam revocavit] Vet. lib. *severissimam.* Sigon. Similiter Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et cod. Susii apud Pighium in Annal. ad a. IↃCXIX. p. 506. Eodem ducunt vestigia Leid. qui præfert *ad sævissimam militiæ disciplinam.* Solent enim 'sævus' et 'severus' a librariis confundi. Vide ad Livii VII. 40. § 7. XXXVI. 11. § 5. Cortium ad Sall. Catil. c. 51. § 15. et viros doctos ad Valer. Max. II. 7. 11. Error inde natus est, quod, quum per compendium *sev'ior* pro *severior* scriptum fuisset, librarius additam notam omiserit. Hinc *ausus* dederunt pro *au'sus* seu *aversus* II. 8. § 8. *usus* pro *u'sus* sive *versus* VII. 28. § 6. *alta* pro *alt'a* sive *altera* XXI. 28. § 5. *intra* pro *in t'ra* sive *in terra* XXV. 4. § 7. *ut* pro *ut'* sive *uter* XXVI. 46. § 8. *suus* pro *s'uus* sive *servus* XLI. 8. § 12. et similia passim. *Ad generosissimam militiam disciplina revocavit* Boend. quod et ipsum, si *severissimam* substituas, tolerari posset: at majori codicum numero cedendum arbitror.

Omnia deliciarum instrumenta recidit] *Omnia enim delic.* Exc. Pithœi, et edd. omnes usque ad Gruterum, cujus ultima voce *enim* expunxit. Eamdem ignorant etiam omnes scripti

mei. Deinde *rescidit* legunt Berg. Boend. et ed. Camp. Sæpius verba 'recidere' 'et 'rescindere' in Mss. commutantur. Vide ad Epit. l. CXIV. viros doctos ad Flori I. 10. § 4. ad Suet. Tib. c. 34. et Burm. ad Rutil. Itin. I. 312. Similiter 'circumcidere' et 'circumscindere;' vide ad XXXII. 24. § 4. 'præcidere' et 'præscindere;' vide ad VIII. 24. § 14. Hic vulgatum præferendum puto. 'Amputare' dixit Flor. II. 18. § 10.

Duo millia scortorum a castris rejecit] Vet. lib. *ejecit*. Sigon. Vet. lib. *castris ejecit*. Delrius. De hoc dixi ad Flor. II. 18. § 10. Nec adhuc muto sententiam; etsi deinde vidi esse qui aliter sentiant. Fœmineum sexum in castra Romanorum non admissum fuisse, etiam hæc verba Cic. Catil. II. 10. ostendunt: 'Verum tamen, quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præsertim jam noctibus?' Adde Servium ad Virg. Æn. VIII. 688. et Lips. ad Tacit. Ann. III. 33. et Ann. XIV. 27. *Duk.* Per 'scorta' mulierosos cum Lipsio intelligit Dukerus; at meretrices Sichterm. de Pœn. Milit. c. 3. Ceterum *a castris ejecit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, omnesque edd. Froben. 1531. quæ *rejecit* substituit, antiquiores. Ultima deinde Gruteri lectionem Delrii *castris ejecit* adoptavit; quam servant recentiores. Sed præpositionem insuper retinet etiam Norv. Neque video cur obfendere debeat. Vide ad Livii XXII. 3. § 10.

Militem omni die in opere habuit] Vet. lib. *militem quotidie*. Sigonius. Non aliter etiam Voss. Leid. Lov. 2. Berg. Boend. et Exc. Pithœi.

Triginta dierum frumentum ad septenos vallos ferre cogebat] *Ac septenos vallos* ex vet. lib. Sigon. 'Vallum' in primo casu pro munimento castrorum observamus, quamvis et aliquando in eadem significatione et casu eodem 'vallus' legatur. Tibull. I. 11. 'Non arces, non vallus erat.' Cæsar de B. Civ. III. 63. 'Vallus contra hostem in altitudinem pedum decem.' Fiebant antiquitus valli seu munimenta castrorum nonnumquam ex terra et cespitibus, uti ex Liv. colligimus XXV. 36. 'Circumspectare atque agitare dux cœpit, si quo modo posset vallum circuminjicere: sed erat adeo nudus tumulus et asperi soli, ut nec virgulta vallo cædendo, nec terra cespiti faciendo,' et quæ sequuntur. Plinius XXXV. 14. 'Hinc et cespitum natura, castrorum vallis accommodata.' Et de eadem re plura Vegetius III. 8. Fiebant et nonnumquam valli lapidum congestis molibus. Sic Carthaginenses, saxis undique circa ex propinquis vallibus congestis, vallum auxerunt, tradente Livio XXVIII. 15. Philippus quoque Macedonum rex lapidum congerie, ut pro muro esset, præmunivit castra apud eundem Livium XXXI. 39. et pariter Antiochus XXXVI. 16. arboribus objectis et quandoque vallum constitutum legimus lib. VI. post principium c. 2. ubi de vallo Volscorum: et lib. XXV. et XXXI. 39. ubi de Philippo Macedonum rege. Et militum hastis hosti objectis veluti vallum quandoque factum legimus apud eundem authorem lib. XXXVI. Eodem pacto Cic. in Pison. c. 33. Alpium montes adversus Gallorum ascensum transgressumque 'vallum' dixit. Construebant pariter antiqui castrorum munimentum seu vallum ex palis solo infixis, invicem adhærentibus et connexis, qui et ipsi 'valli' appellati. Sic palum, cui vitis alligatur, 'vallus' dictus. Virg. Georg. I. I. vs. 264. 'Exacuunt alii vallos furcasque bicornes.' Et iterum Georg. II. 409. 'et vallos primus sub tecta referto:' et II. ejusdem vs. 25. 'Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos.' In hac significatione accipiendam

'valli' vocem hoc in loco, non dubito, dum ait Scipionem Africanum coëgisse singulos milites septenos ferre vallos, hoc est palos acutos, quibus conficiendis castrorum munimentis, cum opus esset, uterentur, et humo infigerent. Eodem modo et Cic. in Tuscul. II. 16. 'ferre vallum' dixit: et ad Att. XVI. 11. 'Vallum Lucillianum' satyricum carmen appellavit, quo ceu vallo, id est fuste, Lucillius homines male afficiebat, seu verberabat. *M. Donat. Ad septenos vallos* nostri scripti. Τὸ *ad* est idem quod 'super,' vel 'præter.' Nec opus est cum Sigonio facere *ac septenos.* J. F. Gron. *Ac septenos* Norv. et primæ edd. *ad septenos* substituit Frob. 1531. quod recte Gron. contra Sigonium vindicavit, et servant omnes nostri. De usu præpositionis *ad* pro 'præter' vide ad Livii XXVI. 5. § 9. 'Valli' sunt stipites ramosi, infigendi aggeri castrorum, qui 'vallum' vocantur. Vide Serv. ad Virg. Æn. X. 120. Voces tamen 'vallus' et 'vallum' interdum promiscue usurpari, constat ex illis quæ notantur ad Livii VIII. 38. § 7. Earum vocum differentiam auctor hic observavit.

Quum gladio recte vallare scieris] Vet. lib. *cum gladio te vallare.* Sigon. *Quum gladiatore vallare sciens* Voss. *quum gladio te vallare sciveris* Leid. *quum gladio te valere scieris* Lovel. 2. *quum gladio te vallare scieris* Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Paullo ante *ægre propter onus merenti* Voss.

Alii nimirum parum habiliter scutum ferenti, eum scutum amplius justo ferre jussit] Omnis dicti hujus venustas perit, si ita legamus. Mihi autem videtur esse legendum, *Alii nimis habiliter parvum scutum tenenti.* Sensus autem est perspicuus. Cum parvum quidam scutum cum summa agilitate ferret, amplissimum eum ferre scutum Scipio jussit, ne scuto agilius, quam gladio, uteretur. Scutum enim tegendi sui, gladius lædendi alterum causa paratus est; noceri autem hostibus Scipio cupiebat. *Sigon. Alii scutum parvum habiliter ferenti, scutum* Gruterus: nam olim, *Alii nimirum parum habiliter scutum ferenti, eum scutum.* Sigonius *Alii nimis habiliter parvum scutum tenenti.* Nihil agnosco sani, nisi scribas, *Alium, parvum scutum nimis habiliter ferentem, scutum amplius justo ferre jussit.* Mela III. 7. 'Ut elephantis etiam, et ibi maximis, sicut nos equis, facile et habiliter utantur.' Seneca de Ira l. II. c. 35. 'Arma nobis expedita prospicimus, gladium commodum et habilem.' Mela I. 5. 'Parma habilis.' *J. F. Gron.* Veterum edd. lectionem ad caput hujus notæ adscripsit Sigonius, nisi quod *nimirum* demum natum sit ex errore operarum in ed. Mogunt. quum priores *nimium* præferant. *Alii nimium parvum habiliter scutum deferenti, amplius eum scutum justo ferre jussit* ed. Camp. Scripti magis variant. *Alio scutum justum tenere*, pro omnibus his verbis, Voss. *Alium parum habiliter ferenti, amplius quam socium jux ferre* Boend. *Alii scutum parum habiliter ferenti scutum amplius eum justo ferre* Leid. *Alio* (*Alii* Lov. 2.) *scutum parum habiliter ferenti amplius eum scutum justo ferre* Berg. et Lov. 2. qui omnes ultimam vocem *jussit* omiserunt. Crevierius partim ex Pithœi Exc. partim ex Gruteri emendatione legebat, *Alii scutum parum habiliter ferenti scutum amplius justo ferre jussit;* neque se offendi testatur locutione *alii, &c. jussit*, quam Sanctius Minerv. II. 4. et ibidem Periz. summa vi tuentur, et, licet forte aurei ævi scriptoribus in usu fuisse negaretur, nemo tamen, eam apud posterioris ætatis auctores, inter quos etiam Epitomarum auctor est, obcurrere, negabit. Perizon. ad Æliani Var. Hist. XI. 9. scribendum conjicit, *Alio scutum parvum habiliter ferente, scutum amplius justo ferre jus-*

sit. Abr. Gronov. ibid. testatur, alios codd. præferre, *Alii scutum parum habiliter ferenti, amplius eum scutum justo ferre*, sine *τῷ jussit.* Hinc emendat *Alii scutum parum habile habiliter ferenti, ampliusque justo scutum ferre jusso*, scilicet dicebat, quod modo præcessit. Quid, si proxime ad Berg. et Lovel. 2. legamus *Alio scutum parvum habiliter ferente, amplius eum scutum jussit ferre?* Pro *parum* dedi *parvum* cum ed. Camp. et *jussit*, pro *justo.* Solent autem 'parum' et 'parvum' a scribis confundi. Vide ad v. 10. § 3. Neque jure displicere potest *alio ferente jussit eum ferre*, pro *alium ferentem jussit ferre.* Idem enim loquendi genus non tantum adhibitum fuisse a Livio, vidimus ad XLII. 36. § 7. sed etiam ab auctore Epitomarum, videbimus ad Epit. l. LXVIII.

Neque id se reprehendere, quoniam melius scuto, quam gladio, uteretur] Vet. lib. *quando*, id est *quandoquidem.* Sigon. A vet. lib. absunt hæc *neque id se reprehendere.* Delrius. Sensum esse perspicuum judicat Sigonius, ne scilicet scuto agilius, quam gladio, uteretur. Ego vero hunc sensum ex ita conceptis verbis elicere nullo modo possum. Sed nec video quemadmodum hæc verba superioribus respondeant. Apud Frontin. legimus Strateg. l. IV. c. 1. 'Scipio Africanus, cum ornatum scutum elegantius cujusdam vidisset, dixit non se mirari, quod tanta cura ornasset, in quo plus præsidii, quam in gladio, haberet.' Huic simile videtur hoc, *neque id se reprehendere.* Numquid igitur excidit narratiuncula de alio, scutum ornatius, quam gladium, habente? Quod si de eodem continuatur sermo, dictum aliquid fuisse verisimile est in hanc sententiam, *tum illud se redditurum præfatus, quando melius gladio, quam scuto, usurus esset.* J. F. Gron. Sigonii *quando* probant Voss. Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi, cujus loco ejus interpretatio *quoniam* inreperat; ut alibi sæpe factum fuisse vidimus ad IX. 8. § 5. Alia exempla exstant XXVI. 13. § 14. XXXII. 21. § 2. XXXIV. 7. § 5. c. 34. § 2. XXXVII. 25. § 6. XXXIX. 51. § 9. XL. 9. § 1. Adde Burm. ad Suet. Cæs. c. 49. Omnia hæc verba desunt in Boend. In eorum priori parte, in qua Gronov. se hærere fatetur, omnia salva et sana fore existimat Perizon. ad Ælian. Var. XI. 9. si legamus *neque id reprehendere:* ut cum præcedentibus hoc modo cohæreant, jussit eum amplius scutum ferre, et id non reprehendere, addita hac ratione, quando melius scuto utebatur, quam gladio.

Si Romanus esset, vitibus; si extraneus, virgis cecidit] Vet. lib. *fustibus*, [pro *virgis*] quod placet. Cic. enim in Philipp. III. 6. ait, 'Fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reliquerunt.' Ut fuste aliquis cæderetur, docet eleganter Polyb. VI. 35. *Sigon.* Hic locus ostendit in milites, qui cives Romani non erant, nec in legione militabant, in pari delicto gravius animadversum fuisse, quam in cives et legionarios. Idem intelligitur e Sallustio, qui in Jugurth. c. 69. Turpillium, cujus culpa præsidium Romanum, cui præfectus erat, Vaccæ interfectum, et urbs amissa fuerat, verberatum pœnam capite solvisse scribit, quia 'civis ex Latio erat.' Nam postremum hoc additum argumento est, leviorem pœnam subiturum fuisse, si civis Romanus fuisset. Sed quam pœnam? an leviorem, quam capitis? Ita putant Glareanus et Cortius ad Sallust. eo quod lex Porcia cives Romanos verberari necarive prohibuerat, sed damnatis exsilium permiserat. Rupertus quoque ad Sallustium scribit ambigi posse, an post legem Porciam jus imperatorum non aliqua imminutum, nec capite, sed exsilio, in cives animadversum fuerit. Mihi verior videtur sententia Sigonii de Ant. Jur. Civ. Rom. I. 15. legem Porciam in militia

locum non habuisse, a qua nec Lipsius de Milit. Rom. v. 18. valde alienus est. Nam quum dixisset in Sallustii narratione de Turpillio argumentum aliquod esse, legem Porciam etiam militiæ valuisse, statim addit Polybii tempore tamen aliter fuisse, et eum aliosque scriptores passim loqui de morte, et profert loca Polybii, Josephi, Plutarchi in vita Crassi, Appiani Civil. II. 457. et Cicer. Phil. III. 6. (quibus addi possunt et alia e Plutarcho in Anton. Appian. Civil. II. 467. Civ. III. 555. et in Parth. 160.) quorum in aliis multa delicta militum, quibus pœna capitalis statuta fuerit, sine discrimine ullo cives Romani, an extranei essent, enumerantur, in aliis exempla militum legionariorum ultimo supplicio ab imperatoribus adfectorum sunt. Incertus quidem est auctor et annus latæ legis Porciæ, qua in re multi, interque eos non leviter F. Hotomanus in Indice legum Romanarum, errarunt; sed plane probabilis est conjectura Sigonii, Pighii, et A. Augustini, a P. Porcio Læca, quem tribunum plebis in a. IDLVI. vel priore, memorat Livius XXXII. 7. latam fuisse. E quo, quum omnia, quæ modo de pœnis militum dixi, post id tempus scripta sint, apertum est hac lege nihil de jure imperatorum in milites cives Romanos capite animadvertendi deminutum fuisse. Neque id, quod recte observavit Sigonius, ratio disciplinæ militaris, qua res Romana maxime stabat, patiebatur. Nam ea, ademto imperatoribus hoc jure, haud dubie plane soluta atque eversa fuisset. Eo pertinent hæc Ciceronis Verr. v. 50. 'Non ego securi nego quemquam feriri debere: non ego metum ex re militari, non severitatem imperii, non pœnam flagitii tolli dico oportere:' et quæ plura ibi leguntur. In verbis Sallustii nullum satis certum argumentum est, milites Romanos, qui culpam legibus militiæ capite luendam admiserant, propter legem Porciam capitali animadversione non punitos; sed hoc summum ex iis colligi potest, eos leviore et minus atroci genere ultimi supplicii, nec ita, ut 'verberati' necarentur, adfectos fuisse. Plutarchus quidem in C. Gracho scribit Livium Drusum legem tulisse, quæ ne militiæ quidem Latinos virgis cædi permitteret. Sed legem illam non fuisse servatam clarum est ex supplicio Turpillii apud Sallustium. *Duk.* *Vincibus*, pro *vitibus*, Voss. *vinciri* Berg. Boend. et ed. Camp. Tum *cederet*, pro *cecidit*, Voss. *cecidi* Boend. quæ omnia ex scribarum aberratione orta puto. *Fustibus*, quod Sigonius ex vet. lib. probavit, præferunt Berg. et in margine Lov. 2. ejusdem lectionis vestigia servat Leid. exhibens *fustis* eodem scribæ errore, quo *principiis* pro *principibus* et similia plura ab ipsis data fuisse, vidimus ad XXI. 60. § 7. De castigatione militum, quæ vitibus et fustibus fiebat, vide Lips. de Mil. Rom. v. 18. ubi observat raro milites virgis cæsos reperiri, nisi ob culpam atrocem et pene capitalem, vel ubi sollemniter præcedunt mortem a securi consecutam. Ex eodem etiam loco patet castigationem, quæ fustibus fiebat, diversam fuisse a fustuario, pœna capitali, cujus Cic. et Polyb. locis a Sigonio laudatis meminerunt; adeoque eorum testimonia huc non pertinere. Adde Sichterm. de Pœn. Militar. Rom. capp. 2. et 12. et Cortium ad Plinii Epist. II. 11. § 8. Paullo ante *contra ordinem deprehendit* Berg. *extra ordinem deprendit* Lov. 2.

Jumenta omnia, ne exonerarent militem, vendidit] *Jumenta quidem omnia* Norv. et edd. vett. Sed vocem *quidem*, quam etiam ignorant Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et ed. Camp. expunxit recte Sigonius; cui ex sequentibus editoribus Gruterus de-

mum dicto audiens fuit. Primos editores passim vocem illam in his Epit. interposuisse, vidimus ad Epit. lib. LV. Aliud adhuc exemplum infra hac Epit. occurret. Vox *omnia* insuper deest in ed. Camp. Præterea *ne exonerare milites* primæ edd. cujus loco Sigonius emendavit *ne exonerarent mititem*, jumenta nempe vehendo inpedimenta et sarcinas, si quando castra moverentur. Et ita Leid. ac Lov. 2. *ut exonerarent militem* contra mentem scriptoris Berg. Boend. et ed. Camp.

Muttotiens contra hostium eruptiones feliciter pugnavit] Vet. lib. *Sæpe adversus irruptiones hostium.* Sigonius. *Multotiens* in solo exstat Norv. pro quo *Sæpe*, ut Sigonius emendavit, recte substituunt Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. De voce hac barbara vide Vossium de Vit. Serm. I. 25. et IV. 34. Cellar. Antib. pag. 74. et Cur. Posterior. pag. 312. Hinc *contra* servat iterum Norv. at ejus loco *adversus* legunt iidem codd. eademque ed. Interdum hæ voces in Mss. Livii commutantur. Vide ad III. 2. § 6. VIII. 32. § 7. et XXI. 5. § 10. At sæpissime in his Epitomis. Vide libb. VII. XXXIII. XLI. XLVI. LIX. LXI. LXV. LXX. LXXXIX. et multis aliis locis. Dein *hostium eruptiones* Norv. *irruptionem hostium* Berg. *eruptiones hostium* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quomodo Gruterus edidit. Sive *irruptiones*, nempe in castra sua, sive *eruptiones*, nempe ex urbe obsessa, legamus, res eodem redibit; hoc tamen ob plurium codd. auctoritatem cum Grutero malo. Vide ad Epit. l. LXXIII. Mox *liberis conjugibusque* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Amplissima munera sibi ab Antiocho rege Syriæ missa] Cic. pro Reg. Dejotar. c. 7. 'Quo in loco Deiotarum talem erga te cognovisti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit, cui magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad Numantiam misit ex Asia; quæ Africanus inspectante exercitu accepit:' ubi Ursinus existimat, vel mentionem *Attali* pro *Antiochi* ipsius Cic. ἁμάρτημα μνημονικὸν esse, vel legendum *rex Antiochus.* Quod posterius antea placuit etiam Bendinell. in Observ. Locor. Historic. c. 20. addens, ex Plut. in Gracch. probari posse, Attalum obiisse, quo tempore Scipio Numantiam obsidebat, et fortasse initio consulatus ejus, si non ante. Sed prius præferendum puto. Nam conjectura illa nullius cod. fide nititur: et insuper, si Cic. *rex Antiochus* scripsisset, non subjunxisset *misit ex Asia*, sed *ex Syria.* Syria enim Asiæ quidem regio est, *Asia* tamen ita simpliciter posita potius Asiam minorem notat, quæ proprie Attalo, non Antiocho, paruit. Ceterum vox *munera* deest in Boend. et ed. Camp. Deinde τὸ *sibi* ignorat Leid. quod etiam abesse potest. *Missa ab Antiocho rege Syriæ*, eadem voce exsulante, Berg. *missa sibi ab Antiocho rege*, neglecto τῷ *Syriæ*, Lov. 2. Denique τὸ *missa* neglignnt Boend. Norv. et edd. antiqq. quod primus addidit Frob. 1535. et reliqui codd. agnoscunt. Mox *tollere*, pro *celare*, Voss.

Pro tribunali accepturum se esse dixit] *Pro tribunali ea accepturum se esse* Boend. Norv. Exc. Pithœi, et vett. edd. *pro tribunali ea esse accepturum se* Lov. 2. Voculam *ea* primus expunxit Frob. 1535. Recte: præcessit enim 'amplissima munera.' Neque adparet in Leid. Voss. et Berg. quorum ultimus omittit vocem *esse.*

Eaque omnia referre quæstorem in publicas tabulas] Vossian. et Gudiani *omniaque ea quæstorem referre in publicas.* J. F. Gronov. *Eaque omnia* servant Boend. et Exc. Pithœi: *omniaque ea* Leid. Berg. et Lovel. 2. Tum *quæstori referri in publicas tabulas* Berg. Boend. et ed. Camp. *referre quæstori in publicas tabulas* Voss. Norv. et reli-

quæ edd. usque ad Frob. qui a. 1535. *quæstorem* emendavit; quod firmant Leid. et Lov. 2.

Ex iis se viris fortibus dona daturum] In hunc ordinem vocabula digessit Gronov. 1665. antea pronomen *se* in penultimum locum rejiciebatur: quod etiam factum in Leid. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. *severis fortibus dona se daturum* præferunt Vossian. et Berg. Præterea *ex his* Berg. et Lov. 2. *ex hisce* Boend. et ed. Camp. Tum *munera daturum* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gruterum, qui *dona* substituit, omnibus scriptis meis et ed. Camp. adsentientibus. Bis jam præcesserat vox *munus*.

Obpressos fame videret urgueri, hostes, qui pabulatum exierant] Dispunge ita: *oppressos fame videret urgeri hostes*, inde *Qui pabulatum*. Sigon. *Obsessos fame* Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. quæ voces sæpius a scribis librariis in membranis antiqq. commutantur. Vide exempla ad Livii v. 45. § 4. XXVI. 12. § 3. XXX. 7. § 4. et XXXVIII. 43. § 5. Tum *videret* exsulat a Leid. cujus loco *videretur* legit Voss. qui vicissim vocem *hostes* ignorat. *Paulatim*, pro *pabulatum*, præfert Berg. et in verbis proxime præcedentibus legit *Quumque undique*.

Vetuit interimi] *Vetuit occidi* Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Passim primos editores in his Epitomis vocem *interimere* substituisse, ubi codd. *occidere* legunt, observavi. Exempla vide ad Epit. libb. III. VII. XXIX. XXXIX. L. LIX. LXI. LXII. LXVIII. LXIX. LXXX. LXXXV. LXXXIX. XCII. CXXVIII. Eamdem vocem *interimere* loco τοῦ *interficere* Epit. l. LXXIII. et loco τοῦ *concidere* Epit. l. LXXXVIII. Et contra, ubi codd. servant *occidere*, dederunt *mori* Epit. l. LXXIX. vel *interficere* Epit. l. LXXXIII.

Absumturos frumentum, quod haberent] Voss. et ambo Gudiani, *velocius eos absumpturos, frumenti quod haberent*. J. F. Gronov. Similiter legunt Leid. Boend. et Exc. Pithœi. Paullo ante *quia diceret* Berg. et Lov. 2.

Si plures quidem fuissent] Dele *quidem*, ex vet. lib. *Sigonius*. Eamdem vocem ibidem non agnoscunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LV.

LIB. LVIII.

Quum legem agrariam ferret] In hunc ordinem vocabula digessit Gronov. a. 1665. nec aliter est in Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Olim edebatur *agrariam legem*, consentientibus Exc. Pithœi, et Norv.

Adversus voluntatem senatus et equestris ordinis] Immo adversus voluntatem omnium divitum etiam e plebe; in qua sine dubio multi erant, qui majorem modum agrorum possiderent: nisi quis hos omnes etiam equestris ordinis fuisse putet. *Duk.*

Ne quis ex agro publico plus, quam decem jugera, possideret] Plutarchus in Graccho pag. 827. et Appianus I. pag. 354. quingenta jugera produnt; qui numerus probabilior est. Error inde forte manavit, quod, qui descripsit hunc locum, is *D. decem*, non, ut faciendum erat, *quingenta*, interpretatus est. *Sigon. Plus quam centum jugera* est in V. C. Susiano: in vulgatis male *decem*. Flaccus Sicul. de Condition. Agror. libello p. 2. ed. Goes. *ducenta jugera* nomiuat, ut habent ejus exemplaria, nescio an satis fida. *Pighius* in Annal. ad a. IↃCXX. p. 5. Vix credo Livium scripsisse, quod de agro publico dicit Auctor Epitomes. Ti. Gracchus referebat veterem legem Liciniam. Ea autem nullam agri publici mentionem faciebat, sed vetabat *ne quis plus quingenta jugera agri possideret*, id est, in universum quingenta, sine discrimine publicus, an

privatus ager esset. Livius VI. 35. seqq. Varro de Re Rust. I. 2. Velleius II. 6. Plutarch. in Ti. Graccho, et Appian. Civil. I. p. 354. Itaque, quod quis ultra quingenta jugera possidebat, id omne inter plebem dividi volebat Gracchus, etiamsi nihil in eo agri publici esset. *Duk.* Vulgatum *X.* vel *decem jugera* servant Berg. Leid. et Norv. *C.* vel *centum jugera* Voss. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. ∞ *jugera* Exc. Pithœi. Viri docti distinguunt inter agrum privatum et publicum: agri privati tantum quingenta jugera possidere permissum volunt, agri autem publici quidam decem, quidam centum jugera. Vide Rei Agrar. Scriptor. pagg. 349. et 350. ed. Goes. et Pighium in Ann. ad a. IↃCXX. p. 5. Mox *caussam* non adparet in Boend. et ed. Camp. Tum *lata lege abrogaret* præfert Berg.

Seque, et fratrem Gracchum, et Ap. Claudium] Vet. lib. *et fratrem Caium.* Sigon. *Et fratrem Caium* Sigonius, quum haberetur *et fratrem Gracchum.* At Voss. et Gud. uterque *seque et Gracchum fratrem.* J. F. Gron. *Et Graccum*, vel *Gracchum fratrem* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde *et Ap. Claudium socium* iidem Mss. Male. Plutarch. in Gracch. p. 830. Αἱροῦνται δὲ τρεῖς ἄνδρες ἐπὶ τὴν διάκρισιν καὶ τὴν διανομὴν, αὐτὸς Τιβέριος, καὶ Κλαύδιος Ἅππιος ὁ πενθερὸς, καὶ Γάϊος ὁ Γράκχος ὁ ἀδελφός. Mox *ad dividundum agrum* edd. principes; pro quo postrema Gruteri dedit *dividendum*, ut præferunt, una cum ed. Camp. omnes scripti; quorum Boend. cum eadem ed. Camp. legunt *ad dividendum agros.*

Qua sibi latius agrum patefaceret] Lege vel *patefecit*, vel *quo sibi.* J. F. Gron. Liber scriptus, et duo editi apud Hearnium *qua si quis latius agrum patefaceret.* Sigonius de Ant. Jur. Ital. II. 2. habet *ut, si quis latius agrum patefaceret*, id est, ut si quis latius et ultra modum lege finitum agrum proferret. Hæc quidem videtur esse sententia; nec tamen probatos scriptores Latinos ita loqui scio. Etiam a simplicitate veterum abesse arbitror, quod in Quintil. Decl. XIII. 2. legitur, 'Postquam proximos revellendo terminos ager locupletis latius inundavit.' *Duk. Qua si quis latius* Norv. et edd. vett. pro qua lectione Gruteri ed. postuma emendavit *qua sibi latius*, concinentibus omnibus scriptis, et ed. Camp. neque caussam video cur ea scriptura Gronovio displicuerit. Certe minus commodum videtur, quod ipse suppositum voluit, *qua patefecit.* Lex enim tantum promulgata erat, non lata. Nondum ergo 'patefecit,' sed patefacturus erat, si acciperetur. Si quis tamen malit *quo patefaceret*, pertinaciter non adversabor. *Patefecerat* legit Berg.

Ut iidem omnino triumviri judicarent] *Omnino* non est in vet. lib. *Sigon.* Abest etiam ab omnibus scriptis meis, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Eam vocem sæpe primi editores in his Epitomis contra fidem codd. interposuerunt. Exempla vide Epit. lib. XLIX. bis circa princip. et semel circa fin. libb. LIX. LXXX. LXXXIII. XCI. CII. CIX. et alibi. Tum *inducerent* Voss. *viderent* Berg. Mox *quod ager quo privatus esset* Voss. *q publicus ager, quibus privatus esset* Boend. *qui publicus ager, qui privatus esset* ed. Camp.

Quum minus agri esset, quam quod dividi posset sine offensa etiam plebis] Prima vox deest in Boend. *quominus agri* legit Berg. Tum *quam in duo dividi posset sine offensa et plebis* Voss. *quod quidem dividi posset sine offensa et plebis* Berg.

Quoniam eos ad cupiditatem ampla modo sperandi incitaverat] Castiga, ut in Ms. *amplum modum*, hac sententia: quoniam eos ad cupiditatem sperandi amplas et locupletes facultates incitaverat. Non me fugit, quis ex vulgata lectione sensus resultet; verum

haudquaquam placet. *Delrius.* Non est Sigonii culpa, quam facit Robortellus: idem ante illum Moguntiaci, Ascensius, Aldus, Saveterius, Gryphius, Curio dederunt. Sed Andreas, Tarvis. uterque Venet. Becharius, *amplum modum.* Nec aliter Voss. et Gudiani. *J. F. Gron.* $\frac{q}{?}$ *eos a cupiditate* Boend. *quas eos ad cupiditatem* Voss. *quam eos ad cupiditatem* Lov. 2. *quam ad cupiditatem* Leid. *quod eam ad cupiditatem* ed. Camp. Ferre non potuerunt genus loquendi, sæpissime apud Livium obvium, *plebis, eos;* quod eadem forma dictum est, qua 'pars effusi.' Vide ad XXVII. 1. § 12. In verbis seqq. *amplum modum sperandi* legunt edd. omnes usque ad Ascens. a. 1513. quæ dedit *ad cupiditatem amplam modo sperandi.* Id, licet aperte vitiosum, editores patientius, quam par erat, tulerunt usque ad Basil. qui a. 1554. substituerunt *ad cupiditatem ampla modo sperandi.* Hanc lectionem mox Sigonius admisit. Postea Robortellus, eum ita primum emendasse existimans, lib. de Art. Critic. p. 20. ipsi exprobravit, quod locum, quem se emendare putavit, depravarit: vulgo enim legi *amplam modo,* sed legendum esse *amplum modum.* Ei respondens Sigonius Emendat. I. 2. p. 139. callide simulat Robortellum objecisse, quod *amplam modo* emendarit, quum tamen edidisset *ampla modo,* eaque lectio hoc sensu ferri posset, plebem *modo,* id est paullo ante, ad cupiditatem ampla sperandi incitatum esse. Quamvis igitur Sigonius lectionis ejus *ampla modo* auctor dici nequeat, id tamen commisit, quod eam defendere conatus sit. Verum id tribuendum est inimicitiis, quæ inter ipsum et Robortellum maximæ intercesserunt, et effecerunt ne ab animo impetrare potuerit, ut veriorem lectionem indicanti manum daret. Omnino enim legendum *amplum modum sperandi,* id est, amplam mensuram agri. In hanc enim lectionem conspirant omnes nostri, cum Exc. Pithœi, et Norv. Sicul. Flacc. de Condit. Agror. pag. 2. 'Intelligebat enim contra jus esse, majorem modum possidere, quam qui ab ipso possidente coli posset.' pag. 3. 'Non ex mensuris actis unusquisque miles modum accepit, sed quod aut excoluit, aut in spe colendi occupavit.' 'Modus agri' dixit Liv. VI. 35. 'Alteram' legem promulgavit 'de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri possideret.' XLII. 1. 'Cujus' (agri publici) 'ingentem modum possidere privatos constabat.' Cic. pro Flacc. cap. 32. 'Voluisti magnum agri modum censeri:' ubi vide Grævium. Horat. Sat. II. 6. 1. 'Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus:' ubi vide Lambin. Adde Passerat. ad Prop. I. 7. 9. et Cort. ad Plin. Ep. I. 24. Vocem *modus* pro cujusque rei mensura poni, docuerunt Briss. de Verb. Signif. et Rhodius Lexic. Scribon. voce 'Modus.'

Legem se promulgaturum ostendit ob id, ut iis] Vet. lib. *ostendit, ut iis.* Sigon. Priscam lectionem servant Boend. et Norv. *promulgaturum ob id, ut iis* Voss. Sed vet. lib. Sigonii adsentiuntur Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi.

Tot indignationibus commotus graviter senatus] Lege *indignitatibus,* ut Gryphius, Curio, Sigonius jam olim ediderunt, et habent scripti. *J. F. Gron.* Quum primæ edd. *indignationibus* dedissent, Frobenius 1535. substituit *indignitatibus;* quod eum secuti servarunt usque ad ultimam Gruteri, priorem lectionem iterum recipientem. Sed recte Gronov. id denuo expulit, et *indignitatibus* revocavit. Ita enim præferunt Vossian. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. Alibi sæpe hæ voces commutantur in Mss. Vide ad Livii II. 12. § 3. c. 16. § 5. IV. 35. § 11. VII. 7. § 2. VIII. 28. § 6. IX. 4. § 16. XXXVIII. 24. § 4. et aliis locis.

Ante omnes C. Antonius consul] Lege, vel repugnantibus omnibus libris, *P. Mucius consul.* De quo sic Cic. pro Domo c. 34. 'P. Scipionis factum statim P. Mucius consul, qui in regenda republica putabatur fuisse segnior, multis senatusconsultis non modo defendit, sed etiam ornavit.' Et pro Planc. c. 36. 'P. Mucius arma, quæ privatus P. Scipio sumserat, ea Ti. Graccho interempto jure sumpta esse defendit.' Et qui de Viris Illustribus scripsit cap. 64. 'Segniter cessante Mucio consule, Scipio Nasica sequi se jussit.' Item Valerius III. 2. 17. 'Cum Gracchus rempublicam perturbaret, in ædem Fidei Patres conscripti publice convocati a consule Mucio Scævola, quidnam in tali re faciendum esset, deliberabant.' *Sigon.* Hic εὐστοχία Sigonium defecit. Nam recte quidem locum conruptum esse vidit; sed veram lectionem ab eo deprehensam esse, in animum inducere nequeo. Nimis enim a vulgato *C. Antonius* recedit emendatio ejus *P. Mucius*, neque ulla in scriptis vel edd. vett. vestigia exstant, quæ eo nos ducunt. Et quam, quæso, rationem habuisse librarios suspicabimur, cur pro *P. Mucius* dederint *C. Antonius*, vel, ut aliæ edd. præferunt, *A. Antonius*, vel, ut habet Norv. *M. Antonius?* Quin et, intempestive hic *P. Mucius* scribendum conjici, ostendunt loca a Sigonio laudata; unde constat *P. Mucium* vivo Graccho in republica gerenda segnem fuisse, et demum, quum præcipua Scipionis Nasicæ opera interfectus esset, ex somno quasi excitatum jure in eum arma sumta defendisse. Quare etiam P. Mucius 'ante omnes' senatores tot indignitatibus graviter commotus fuisse dici nequit. *T. Amnius*, pro *C. Antonius*, legit Voss. *T. Annius* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: quam lectionem veram puto. Primo enim ex voce *Annius*, quod nomen minus obvium est, facile duabus literis interpositis ab indoctis librariis formari potuit *Antonius*, nomen notissimum et ubique obcurrens. Deinde alibi etiam in Mss. ita peccatum est. Vide ad Epit. l. CIV. et Burmann. ad Sueton. Cæs. c. 36. Denique *Annii* nomen hic optime convenit. Narrat enim Plutarch. in Gracch. p. 830. T. Aunium sponsione provocasse Gracchum, ni collegam legibus sacrosanctum violasset: Gracchum autem Annium ad plebem accusare instituisse. Ibi Annium, petita et impetrata a Graccho pauca interrogandi venia, ex eo quæsisse, an, si quem tribunorum plebis adpellaret, isque auxilio foret, huic etiam magistratum abrogaret? qua inopinata interrogatione perculsum Gracchum obmutuisse. Si cum his conferamus quæ auctor Epitomes narrat de illo, quem ante omnes tot indignitatibus graviter commotum dicit; eum nempe in senatu in Gracchum perorasse, raptum deinde ad populum delatumque plebi rursus in Gracchum pro rostris concionatum esse, nemo videtur negare posse, auctorem Epit. et Plutarch. de eodem locutos esse, et codd. veram scripturam *T. Annius* servasse. Accedit Festum in voce 'Satura' testimonium laudare ex oratione, 'quam T. Annius Luscus dixit adversus Ti. Gracchum.' Id unum incommodum accidit, quod T. Annius hic vocetur 'consul,' quum nullum Annium, Ti. Graccho rempublicam perturbante, consulatum obtinuisse constet. Certum igitur puto, in ea voce mendam hærere. Et quidem eam expungere, quam omnes codd. servant, nimis temerarium videtur. In mentem igitur veniebat, *Luscus* pro *consul* legendum esse: eum enim Annium, qui se Graccho obposuit, 'Lusci' cognomen habuisse, laudatus Festi locus docet: neque nimis a Mss. abit, qui pro *cos.* reponit *Luscus.* Tandem tamen consultius vi-

sum est, ut credamus, compendium *cos.* quod hoc loco multis in Mss. superest, errandi caussam fuisse, idque non, ut factum est, *consul*, sed *consularis* reddi debere, et intelligi T. Annium, qui viginti annis ante, a. IOC. consul fuit, et ad hæc tempora usque superesse potuit. *T. Annius consularis*, ut Epit. l. II. 'Sp. Cassius consularis.' Epit. l. LXI. 'Fulvius Flaccus consularis.' Epit. l. LXXXIX. 'C. Norbanus consularis.' Epit. l. CXV. 'M. Marcello consulari.' Pariter nonnumquam librarii errarunt. Vide ad Liv. XXVII. 22. § 2. et Epit. l. LXI. Contra *consularis* compendium illud redditur, ubi debebat *consul*. Vide ad II. 18. § 6. et ad Epit. l. CV. Pari errore redditur *consul*, ubi debebat *consulatus;* vide ad VI. 39. § 2. redditur *consul*, ubi debebat *consilium*, et vicissim; vide ad XXXVI. 35. § 8. Similiter ex *se.* vel *sen.* factum esse *senatoribus*, quum deberet *senatu*, existimat Torrent. ad Suet. Aug. c. 39. Quum igitur *T. Annius cons.* id est *consularis*, plerique codd. verum esse evincant, et historiæ conveniat, eam lectionem etiam recipere non dubitavi.

Qui quum in senatu in Gracchum perorasset] Vocula *quum* deest in Voss. et Berg. quorum posterior etiam *perorarat* præfert: et ita τὸ *quum* abesse posset. Verum quum reliqui codd. particulam illam servent, potius dicendum videtur, eam a præcedenti *qui* elisam esse. Vide ad Epit. l. III. et ad Liv. IV. 33. § 9. Mox verbum *est* exsulat a Lov. 2.

A primatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum] Vet. lib. *ab optimatibus.* Sigon. Priscam lectionem servant Boend. et Norv. sed Sigonii vet. lib. adsentiuntur Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi; quod verius videtur, et ex ejus glossa alterum natum esse. Vide ad IV. 9. § 5. Tum *ictus prius* Berg. Dein *fragmento subsellii* Leid. Paullo ante *iterum* deerat in Boend.

In eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen] *In ea seditione* Lov. 2. Deinde *insepultus et in flumine* Boend. et ed. Camp. *insepultus et in flumen* Norv. et edd. reliquæ principes, pro quo Frob. 1535. dedit *insepultus est in flumen.* Et ita habent Exc. Pithœi. Gruterus tandem emendat *insepultus in flumen.* Nec aliter Voss. Leid. Berg. et Lov. 2. nisi quod eorum primus legat *in flumine.* Mox *adversus fugitivos*, pro *adversum*, Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLVII.

LIB. LIX.

Numantini, fame maxime coacti, ipsi se per vices trucidaverunt] Vet. libri, *Num., fame coacti, ipsi se per vicem tradentes truc.* Sigonius. Similiter Exc. Pithœi, et omnes codd. mei, nisi quod Berg. et Boend. legant *pro invicem*, ed. Camp. *ipsi se pernices tradentes trucidaverunt.* Indicare voluisse videtur, Numantinos, quum se Scipioni traderent, sua se manu interfecisse. Vide Val. Max. III. 2. ext. 7. An igitur scripsit *ipsi se in vicem, tradentes, trucidaverunt?* Mox *quatuordecim annis post Karthaginem deletam* Leid. *tredecim annos post Karthaginem deletam* Voss. *XIIII. annos post Karthaginem deletam* ed. Camp. *post XIIII. annos Karthagine deleta* Berg. *XIIII. post annos Karthaginem deletam* Lov. 2.

P. Attilius consul in Sicilia cum fugitivis debellavit] Hic consul ab aliis *Atilius*, ab aliis *Rutilius*, ab aliis *Sulpicius* mendose nominatur. At Cic. in Epist. ad Attic. l. XIII. ep. 32. et in Verrem VI. [lib. IV. cap. 50.] *Rupilium* nominat. Atque ita vocandum esse, Capitolinus ejus consulatus ostendit. Quare, pro *P. Atilius*, *P. Rupilius* repono. *Sigon.* Corruptam

lectionem *P. Attilius* servant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Norvic. *Autilius* Exc. Pithœi. Sed omnino cum Sigonio ex Fast. Capitolin. *P. Rupilius* legendum est. Vide Pighii Anual. ad a. IↃCXXI. p. 8. Passim librarii hoc nomen corruperunt, ejusque loco modo *Attilius*, ut hic, modo *Rutilius* dedere, ut apud Cic. de Amic. c. 11. ubi vid. Lambin. et viros doctos ad Val. Max. II. 7. 3. Etiamnum mendosum editur apud Cic. de Amic. c. 20. 'Scipio P. Rutilium potuit consulem efficere, fratrem ejus Lucium non potuit.' Hunc locum advocans Pighius in Annal. ad an. IↃCVII. p. 458. et ad a. IↃCXXIII. p. 18. eum ita laudat, quasi in editis *P. Rupilius* invenisset, aut certe ita legendum censeret. Et recte. Verum, quia nemo illorum, qui postea Ciceronem ediderunt, eum audire dignatus est, et ipse Pighius caussas emendationis addere neglexit, rationes, quæ me permoverunt ut eam probarem, paucis proponam. Earum prima est, quod *P. Rupilius* memoretur inter amicos et æquales P. Africani minoris apud Cic. de Amic. cap. 19. 'Qualis' excellentia 'erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege. Numquam se ille Philo, numquam Rupilio, numquam Mummio anteposuit, numquam inferioris ordinis amicis:' et c. 27. 'Hæc etiam' benevolentia 'magis elucet inter æquales, ut inter me, et Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummium.' Verisimile inde fit, Scipionem 'Rupilium' illum amicum et æqualem gratia, qua florebat, ad consulatum evexisse. Secunda est, quod quidem inter amicos Scipionis et Lælii memoretur quidam *P. Rutilius;* sed qui, quum Scipio moreretur, admodum adhuc adolescens erat. Cic. de Amic. c. 27. 'Equidem etiam admodum adolescentis P. Rutilii, A. Virginii familiaritate delector:' modo recte ita Langius hunc locum constituerit; de quo tamen dubito. Inde colligo Scipionem huic *P. Rutilio* admodum adolescenti consulatum conciliare ob leges annales non potuisse. Tertia est, quod toto illo spatio temporis, quo Africanus vixit, nullus vel *Rutilius*, vel *Rupilius* consulatum gesserit, nisi a. IↃCXXI. Ejus anni consules in Fragm. Fast. Capitol. pene integri supersunt, et vocantur P. POP. : : : VS. C. F. P. : : : :. P. RVPILIVS. P. F. P. N. Ejus itaque anni consules fuerunt P. Popillius Lænas et P. Rupilius, quorum meminit Cic. in Verr. IV. 50. ad Att. XIII. 32. et de Amic. c. 11. Horum locorum duobus prioribus alter consul constanter vocatur *Rupilius*, tertio codd. variant; sed ibi *Rupilium* etiam legendum esse, non tantum priora loca, sed præsertim Fasti Capitol. in quibus errorem a sculptoribus commissum esse, non temere statuendum est, evincunt. Hinc efficio eum, quem per Scipionem creatum esse consulem Cic. indicat, consulatum obtinuisse a. IↃCXXI. et non *Rutilium*, sed *Rupilium* vocatum esse. Ne vero objiciatur, alibi non memorari P. Rupilii fratrem Lucium in petitione consulatus repulsam passum esse, huc pertinere arbitror loca Plinii Hist. Nat. VII. 36. 'P. Rupilius, morbo levi inpeditus, nunciata fratris repulsa in consulatus petitione, illico exspiravit:' et Ciceronis Tuscul. IV. 17. 'Ægre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus, scriptum apud Fannium est: sed tamen transisse modum videtur, quippe qui ob eam caussam a vita recesserit.' Utroque loco constanter editur *P. Rutilius* et *P. Rutilium;* sed, præeunte Manutio, *Rupilii* nomen restituendum censeo. Huic emendationi adversatur quidem J. Davis. ad ultimum locum Cic. et in prima ed. nott. vulgatam lectionem adversus fidem omnium Mstorum movere, temerarium putat, præsertim quum 'Rutilii' repulsam memoret Cic. de Orat. II. 69. et

in Brut. c. 29. Verum Davisius, ut illis locis de repulsa ejusdem hominis, cujus etiam Plinius et Cicero in Tuscul. meminerunt, verba fieri ostendat, ipse eo redactus est, ut pariter contra omnium Mstorum fidem prænomen mutandum esse judicet. Apud Cic. enim de Amic. c. 20. Publii frater repulsam passus 'Lucius' vocatur: apud Cic. autem in Tusc. et apud Plinium 'Publius' ob fratris repulsam obiisse dicitur. At contra Cic. de Orat. et in Bruto ipsum, qui repulsam consulatus tulit, 'Publium' adpellat. Omnia igitur loca illa non de ejusdem repulsa intelligenda puto: sed potius loca Cic. de Orat. et in Bruto de P. Rutilio; loca vero Cic. de Amic. in Tuscul. et Plinii de L. Rupilio, P. Rupilii fratre. Facilius enim, litera *P* in *T* mutata, 'Rupilius' in 'Rutilius,' quam prænomen *P* in *L* corrumpi potuit; præsertim quum nomen 'Rutilius,' quam 'Rupilius,' notius fuerit, et hinc minus temerarium sit, si nomina illa, quam prænomina, a librariis commutata fuisse statuamus. Re vera autem scriptores de diversorum hominum repulsa loqui, inde constat, quod P. Rutilius in petitione consulatus, teste Cic. competitorem habuerit M. Æmilium Scaurum, a quo etiam superatus est. Hic enim Scaurus consulatum gessit an. IↃCXXXVIII. unde eo tempore P. Rutilium consulatus repulsam tulisse sequitur: at Scipio Africanus minor, qui Lucium, P. Rupilii fratrem, consulem facere non potuit, obiit an. IↃCXXIV. unde, L. Rupilium ante eum annum repulsam passum esse, dicendum est. Et quidem repulsam ejus Pighius contulit in a. IↃCXXIII. qui idem docet P. Rutilium post plures repulsas consulem factum esse a. IↃCXLVIII. Forte igitur hic erit ille 'admodum adolescens P. Rutilius,' cujus familiaritate se delectari dicit Lælius apud Cic. de Amic. c. 27.

Regis Eumenis filius, Asiam occupavit] *Eumenis regis* Lovel. 2. Tum *Asiam recuperavit* Leid. Mox *libera deberetur* Boend. *libera esse deberent* Berg. et Exc. Pithœi: *libera esset* Voss.

Crassus consul, quum idem pontifex maximus esset] *Consul, et idem pontifex maximus*, omissa voce *esset*, Lov. 2. Voces *consul* et *esset* desunt in Berg. *esset* etiam in Voss. et ed. Camp.

Quod numquam antea factum erat] Vide ad XXVIII. 38. Adde Gutherium de Vet. Jur. Pontif. I. 13. et Bosium de Pontif. Max. Rom. Vet. c. 6. *Duk.*

Prælio victus et interemtus est] *Et occisus est* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII.

M. Perpenna consul] *Perperna*, ex Capit. tabulis, et Græcis, ut ante. *Sigon. Perpena* Berg. *Perperna* Leid. et Exc. Pithœi; quod recte Sigonius probavit. Vide ad XLIV. 27. § 11. Mox *dictum Aristonicum* Voss. Ita interdum variant librarii. Vide ad XXVII. 11. § 11.

Tunc primum uterque ex plebe censores facti, lustrum condiderunt] Vide Livium VIII. 12. et Pighium ad a. CCCCXIV. *Duk. Tum primum utrique ex plebe* Lov. 2. *tunc primum utrique ex plebe* Boend. et ed. Camp. *tum primum ex plebe utrique* Berg. Vox *utrique* deest in Susiano cod. apud Pighium in Annal. ad a. IↃCXXII. p. 13. Tum *facti censores* Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde *lustrum a censoribus est conditum* Exc. Pith. Norv. et editi ante Gruterum; qui id, quod nunc vulgo exstat, recepit, consentientibus Leid. Voss. Lov. 2. et ed. Camp. *lustrumque condiderunt* Boend. Voces *facti, lustrum condiderunt* desunt in Berg. Paullo ante copula *et* inter duorum censorum nomina non adparet in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad II. 17. § 1.

Censa sunt civium capita trecenta tredecim millia, octingenta viginti tria] Vet. lib. *CCCXVIII.* Puto tamen legendum *CCCLXVIII.* Nam sequenti lustro *CCCXC.* censa sunt. *Sigon.* Vocem *civium*, quæ omittitur in Norvic. et edd. vett. addidit Gruterus, adstipulantibus omnibus codd. meis, et editione Camp. Deinde *CCCXVIIII. millia* primæ edd. usque ad Moguntinam, ex qua *CCCXIII. millia* ad recentiores propagatum est. Conjecturam quidem Sigonii edd. ipsius receperunt; at alius nemo eam invitis Mss. probare sustinuit. Gruterus autem primo edidit *CCCXVII. millia;* sed in postrema ed. *trecenta tredecim millia* restituit. Verum neque hic numerus in ullo cod. reperitur. Nam primis edd. consensit Norvic. *CCCXVIII. millia* legunt Exc. Pith. *CCCXVII. millia* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quod se etiam in Msto Susiano codice invenisse, testatur Pighius in Ann. ad a. IↃCXXII. p. 13. *trecenta decem et septem millia* Leid. quem numerum restitui; eumdemque Gruterus in Mss. Pall. deprehendisse videtur, quia ita priores ejus edd. præferunt. In posteriore numerorum parte nihil mutat Leid. sed *et IↃCCCXXIII.* legit Boenderm. *IↃCCCCXIII.* Voss. *IↃCCCXXIIII* Lov. 2. *IↃCCCXXVIII.* ed. Camp. sed totus ille numerus deest in Berg.

Ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum caussa] Vet. lib. *ut omnes cog. ducere uxores lib. procreandorum causa.* Sigon. Lectionem, quæ in capite Scholii Sigoniani exstat, primum inveni in ed. Frob. 1535. priores enim, ordine mutato, præferunt *cogerentur omnino;* quibuscum facit Norv. At vocem *omnino* omnes codd. mei repudiant, et similiter ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVIII. Præterea *ut omnes cogerentur ducere uxores,* ut Sigonius ex vet. libro laudat, legunt etiam Leid. et Voss. *ut cogerentur omnes ducere uxores* Berg. Lov. 2. et Boend. *ut cogerentur omnes ducere uxorem* ed. Camp. Tandem *procreandorum* Exc. Pithœi: sed *creandorum* omnes mei. Nec aliter fuisse videtur in Pall. Gruteri; qui, Sigonii lectionem in contextum recipiens, tamen *creandorum* retinuit.

Quam Augustus Cæsar, quum de maritandis ordinibus ageret] De hac re est in Sueton. Aug. c. 89. Duorum Metellorum claram censuram referunt veteres, Macedonici et Numidici. Illam enarratores Fastorum in a. IↃCXXII. hanc in a. IↃCLI. conferunt. Metellum, de quo hic agitur, esse Metellum Macedonicum, nemo dubitare potest. Sed in eo nonnihil scrupuli est, quod Gellius I. 6. auctor est Metellum Numidicum in censura ad populum dixisse 'de ducendis uxoribus, quum eum ad matrimonia capessenda adhortaretur.' Verum is ita eximi potest, ut dicamus utrumque in censura de eodem argumento orationem ad populum habuisse. Nam neque Gellio, nisi quis errorem illius in cognomine Metelli arguere possit, fides abrogari, neque auctorem Epitomes hic errasse ullo argumento, quod aliquam veri speciem habeat, probabile fieri potest. Sed ut jam uterque verum scripserit, tamen neque Torrentio ad Suetonii Aug. c. 34. adsentior, Metelli Numidici orationem ab Augusto in senatu recitatam, neque Pighio fluctuanti, et ad a. IↃCXXII. eam Metelli Macedonici, ac deinde a. IↃCLI. Numidici, id est utriusque, orationem fuisse scribenti. Nullam omnino causam video, cur dubitari debeat, eam Metelli Macedonici orationem fuisse. Suetonius, qui nihil aliud, quam Augustum orationes Q. Metelli 'de prole augenda' in senatu recitasse, prodit, quia cognomen non addit, neutram sententiam adjuvat. Gellius autem, Metelli Numidici orationem de eo-

dem argumento memorans, eam ab Augusto in senatu recitatam non dicit. Superest igitur, ut auctori Epitomes, vel ipsi Livio potius, cujus verba quædam in hanc Epitomen translata esse evidens est, credamus. Nam hic ignorare, utrius orationem Augustus in senatu recitaverit, non potuit. Casaubon. ad Suet. Aug. c. 89. et Heineccius ad l. Jul. et Pap. Popp. 1. 2. § 11. recte quidem apud Sueton. intelligunt Metellum, qui a. IↃCXXII. censor fuit; sed parum apposite testem in eam rem videntur citare (Heinecc. ibid. cap. 3. § 2.) Gellium, qui de Metello Numidico, cujus censura in a. IↃCLI. incidit, loquitur. Idem fortassis animadvertendum est in Sigonii et Valesii adnotationibus ad hunc locum. *Duker.* Vocula *quum* deest in Voss. et Berg. Verum ita forsan etiam legendum erit *agens*. Sed potius nihil muto. Insuper *de maritandis omĩbus*, vel *oĩb9*, id est *omnibus*, Boend. Sed, legem hanc Augusti inscriptam fuisse 'de maritandis ordinibus,' ex Suet. Aug. c. 34. et aliunde constat.

Velut eo tempore scriptam] Vet. lib. *velut in hæc tempora scriptam*. Recte: habet enim rationem personæ Livii, qui fuit æqualis Augusti. Hujus orationis sententiæ aliquot exstant apud Gellium. *Sigonius.* Vet. lib. Sigonii adsentiuntur Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

In senatu recitavit] Mos fuit, ut principes Romani in senatu, aut ad populum, aut ad milites recitarent, id est, de scripto dicerent. Apud Dionem decies et amplius occurrit ἀνέγνω hoc sensu. Porro de oratione hac Metelli vide Gellium I. 6. Primus id instituit Augustus, teste Suetonio c. 84. *H. Vales.*

C. Atinius Labeo] In vulgatis libris Plinii H. N. VII. 44. est 'ab Catinio Labeone,' quod Pighius ad annum IↃCXXIII. recte emendavit *ab C. Atinio Labeone.* Nam Ciceroni quoque pro Domo c. 47. idem dicitur *C. Atinius*, et *Labeo* Atiniorum cognomen est. Idem mendum e Livio XXXIX. 17. sustulit Sigonius. Harduinus in Plinio edidit *C. Attinio*, quod in hactenus editis *Cattinio* fuisse scribit. Nec, quos hactenus editos dicat, scio; nam, quos vidi, habent *Catinio*; nec, Romæ gentem Attiniam fuisse, usquam proditum legi. *Duk.* *C.* vel *G. Attilius Labeo* Leid. Voss. Lov. 2. Exc. Pithœi, Norv. et edd. principes. *C. Attilius Regulus Labeo* Berg. Boend. et ed. Camp. *C. Catinius Labeo* Frob. 1531. et *C. Atinius Labeo* quadriennio postea emendavit. Et recte. Gens *Atinia* inter antiquissimas Romanorum gentes fuit, jam memorata apud Liv. II. 36. Ejus cognomen erat 'Labeo.' Vide ad XXXVI. 45. § 9.

A quo in senatu legendo præteritus erat] *A quo senatus perterritus erat* Boend. *a quo senatus præteritus erat legendo* Berg. *a quo senatum legendo præteritus erat* Leid. *a quo senatu legendo præteritus erat* Voss. et Lov. 2. Atinium a Metello censore e senatu ejectum scribit Plin. Hist. Nat. VII. 44.

De saxo dejici jussit] Spuria est vox *dejici*: ejus enim vicem habent Pall. *fieri*: item *saxa*. Et vero, si omnia examinemus, stultissima est ed. vulgata. Cur enim ob ignominiam sibi illatam adversario irrogaret pœnam novissimam? Ipsum tribu motum voluit, credo, ærariumque fieri; sed quomodo id expresserit, adhuc quæro. *Gruter.* *De laxa fieri jussit* Voss. *de saxa fieri jussit* Exc. Pithœi: *de saxo fieri jussit* Berg. *de saxo ferri jussit* Boend. *de saxo ejici jussit* Leid. et Lov. 2. Sed cum antiqq. edd. nihil mutandum. Supra Epit. Liv. lib. VI. 'Crimine adfectati regni damnatus, de saxo Tarpeio dejectus est.' lib. LXXVII. 'Ob scelus proditi domini de saxo dejectus est.' lib. LXXX.

' Marius Sex. Licinium senatorem de saxo dejici jussit.' Nescio quid Gruterus cogitaverit, quum vulgatam lectionem stultissimam pronunciaret. Eam egregie tuetur Plinius A. N. VII. 44. secundum quem Metellus a C. Atinio ' ad Tarpeium' (auctor recte *saxum* vocat) ' raptus' est, ' ut præcipitaretur.'

Auxilio quam maxime fuerunt. Quum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset] Vet. lib. *auxilio fuerunt*. Sigon. Plinius H. N. VII. 44. dicit ægre tribunum, qui intercederet, repertum. *Duk. Ceteri tribuni plebis rogationem tulissent* Voss. *ceteri trib. pl. rogationem tulerunt* Boend. reliquis omissis ob repetitas voces ' tribuni plebis' et ' tribunus plebis;' vide ad Liv. IX. 11. § 11. Voces *quam maxime*, a Sigonio expunctæ, desunt in Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Easdem, perperam a primis editoribus interpositas, sustulit etiam Sigonius infra Epit. l. CXI. Similiter vocem *maxime* supra in princ. hujus Epit. et Epit. l. LXIX.

Ut eumdem tribunum plebis, quoties vellet, creari liceret] Lege *ut eundem tribunum plebi, quoties vellet, creare liceret*. Alioqui dicendum erat *vellent*. J. F. Gron. *Creare*, quod etiam Clericus recepit, firmant omnes nostri. Præterea *quoties quidem vellet* Norv. et edd. pleræque ante Sigonium, qui *quidem* tacitus omisit. Ei demum Gruterus obtemperavit. Et recte. Nulli enim meorum, ut nec ed. Camp. vocem illam agnoscunt. Sæpius eamdem perperam a primis editoribus interpositam esse, vidimus ad Epit. l. LV. De hac lege Carbonis, eamque dissuadentium Scipionis et Lælii orationibus vide Cic. de Amic. cap. 25. Mox pronomen *ejus* exsulat a Leid.

Gracchus contra suasit rogationem: sed Scipio tenuit] Videtur excidisse prænomen *C. Gracchus contra*. J. F. Gronov. *Orationem suasit rogationis* Berg. *suasit orationem rogationis* Voss. et Boend. utrumque scribarum errore. Deinde *Scipio censuit* omnes nostri, Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. Ejus loco *tenuit*, quod quis dederit, Crevierio incertum erat, Frob. 1535. reposuit. Et recte. Supra Epit. lib. XXIII. ' Suadebat senatui Karthaginiensium, ut pacem a populo Romano peterent; nec tenuit, obstrepente Barcina factione.' lib. CXIII. ' Quum de diruenda urbe Utica, &c. deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuisset;' vide ad XXIII. 20. § 10.

Bella inter Antiochum Syriæ, et Phraatem Parthorum regem gesta] Intelligo Antiochum ' Sideten' cognomine: de quo Justin. XXXVIII. 10. *Duk. Antiochum regem Syriæ* Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gruterum, qui vocem *regem* induxit, concinentibus Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Et sane semel poni sufficit. In nomine regis Parthorum minus cognito offenderunt librarii. *Fragrantem*, pro *Phraatem*, legit Voss. *Pharatem* Leid. *Parthem* Berg. *Phrahartem* Norvic. *Phraaten* Lovel. 2. *Fraartem* Boend. qui insuper, ordine mutato, *regem Fraarthem Parthorum* exhibet.

Ptolemæus, Euergetes cognominatus, ob nimiam suam crudelitatem] *Suam* abest a vet. lib. *Sigon.* Est Ptolemæus *Euergetes secundus*, qui etiam *Physcon* dictus est. Vide Rupert. ad Besold. c. 11. *Duk.* Vocem *suam* ignorant non tantum omnes scripti nostri, et Exc. Pithœi; sed etiam edd. vetustissimæ. Postea Mognunt. *ob nimiam ejus crudelitatem*, Basil. a. 1554. *ob nimiam suam crudelitatem* ediderunt.

Clam in Cyprum profugit] Præpositionem ignorant membranæ. Voss. Gud. etiam *clam Cypron confugit*. Sic pro eo, quod est *quem ex illa habebat, in Cypro occidit*, repone ex iisdem, *quem ex illa habebat Cypri, occidit*. Et lib. CXII. ' Cornelia uxor et Sex. Pompeius Cypron refugerunt.' Sic amant interdum loqui. Cæsar de B. Civ. III. 106. ' Cæsar, pancos dies in

Asia moratus, quum audisset Pompeium Cypri visum.' Terent. Adelph. II. 2. 22. 'Et item hinc alia, quæ porto Cyprum.' Livius XLV. 12. 'Pars Cyprum navigant.' Ejusdem generis XXVIII. 5. 'Peparethum præsidium urbi mittit.' *J. F. Gron.* Unus meorum Berg. præpositionem servat; reliqui cum Exc. Pithœi, et ed. Camp. eam ignorant. Ita Epit. Liv. l. XIV. 'Pyrrhus Siciliam trajecit;' ut unus meorum Mstorum præfert. Epit. lib. XLVIII. 'Ut Africam transportaretur exercitus.' Sic iterum unus cod. Epit. lib. LV. 'Conscendenti deinde navim, ut Hispaniam proficisceretur.' Similiter hic quoque unus cod. Epit. lib. LXIX. 'In exsilium voluntarium Rhodum profectus.' Vide ad XXXIII. 41. § 6. et Gronov. ad Epit. l. XLVII. Adde Oudend. ad Cæs. B. G. III. 7. Insuper *Cypron* etiam Lovel. 2. Vide ad Epit. l. LII.

Quum sorori ejus Cleopatræ, quam (*ejus virgine filia, &c.*] Vet. lib. *filia ejus virgine.* Sigon. Longe aliter hæc vet. lib. quam vulgati, hunc in modum: *cum sor. ejus Cleopatræ, cujus filiam virginem per vim compr., et in matr. ductam, rep., regnum a populo datum esset; filiam, quam ex illa habebat, &c.* Valde ni fallor, commodius. *Delrius. Quum sororem ejus Cleopatram, quam filiam virginem per vim complexa atque in matr. ducta rep., regnum a populo datum esset, indefensus filiam quam ex illa habebat* Voss. Eadem lectio, quam Delrius in vet. lib. reperit, mihi quoque obvia fuit in Leid. neque multum abit, quæ exstat in Boend. et ed. Camp. nisi quod *infensus* servent. Sed male Delrius eam vulgata commodiorem pronunciat. Illa enim in veram historiam peccat. Nam Euergetes non filiam Cleopatram, ut auctor, admissa Delrii emendatione, diceret, sed matrem Cleopatram repudiavit. Justin. XXXVIII. 8. 'Ei, qui Cyrenis regnabat, Ptolemæo per legatos regnum et uxor Cleopatra regina, soror ipsius, defertur, &c. Ipsam quoque sororem, filia ejus virgine per vim stuprata et in matrimonium adscita, repudiavit.' Vide etiam Valer. Max. IX. 1. ext. 5. Oros. V. 10. et Freculph. part. II. lib. VI. cap. 6. Quin etiam, clam Cypron profugiens, Cleopatram prioris uxoris filiam secum adsumsit. Justin. ibid. 'Cum filio, quem ex sorore susceperat, et cum uxore, matris pellice, metu insidiarum tacitus in exsilium proficiscitur.' Deinde non filiam, ut iterum ex admissa Delrii lectione sequitur, sed filium ex priori uxore ac sorore Cleopatra susceptum, interfecit, ejusque lacera membra ad matrem perferri curavit. Justin. ibid. 'Quod faetum studio uxoris existimans, filium, quem ex ea susceperat, interficit; corpusque in membra divisum, et in cista compositum, matri obferri curat.' Adde a Berneccero ibidem laudata loca Diod. Sic. in Exc. Peiresc. pag. 374. et Valer. Max. IX. 2. ext. 5. insuper Oros. et Freculph. loca modo indicata. Merito igitur vulgatum præfero, quod firmat consensus Berg. et Lov. 2.

Quem ex illa habebat, Cypri occidit] *In Cypro occidit* Exc. Pithœi, Norv. et pleræque edd. *Cypro occidit*, omissa præpositione, Voss. et Berg. *Cypri occidit* Leid. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quod Gron. supra ad h. Epit. probavit, et in contextum recte recepit. Cic. de Legib. I. 1. 'Homericus Ulysses Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit.' Vide Gronov. ad Epit. lib. XLVII. Quod vero Gronov. etiam mutet interpunctionem, ac legi jubeat *quem ex illa habebat Cypri, occidit*, utrum ex aberratione operarum in ed. 1679. natum sit, an postea ita distinguendum censuerit, nescio. Id scio, eum antea in edd. prioribus servata distinctione *Cypri occidit* legisse, et semper, etiam a. 1679. in contextu servasse: immo eam servandam esse. Non enim filium, ex

uxore ac sorore Cleopatra susceptum, secum in insula Cypro habuit, sed Cyrenis, unde eum arcessivit. Justin. XXXVIII. 8. 'Arcessitum maximum deinde a Cyrenis filium, &c. interficit.' Et quidem *Cypri occidit*. Diod. Sic. in Exc. Peiresc. p. 374. Τὸν κοινὸν αὐτοῦ τε καὶ κείνης υἱὸν ἔσφαξεν ἐν τῇ Κύπρῳ. Mox *caputque, et manus, et pedes* Boend. et ed. Camp. *caputque ejus, pedes, et manus* Berg. *caputque ejus, manus, et pedes* Lov. 2.

A triumviris Fulvio Flacco, et C. Graccho, et C. Carbone] Scripti *ab triumviris, Fulvio Flacco, et C. Graccho, et C. Papirio Carbone*. J. F. Gron. Similiter Voss. Leid. Berg. et Lov. 2. nisi quod servent *a triumviris*. Verum *a triumviris Fulvio Flacco, et C. Pario Carbone* Boend. Ubi medii triumviri nomen excidit ob repetitas voces *et C.* Vide ad IX. 11. § 11. Notat autem Hearne, prius *et* non adparere in Exc. Pithœi, et Norv. Exsulat etiam a primis edd. et demum obcurrit in Paris. 1573. Quum tamen omnes scripti nostri voculam illam servent, eam non temere ejiciendam puto, quia auctor Epitomarum ita loqui solet. Vide ad Epit. l. XLVI.

De agro dividendo creatis] Tolle vocem *de:* non enim *triumviri de agro dividendo*, sed *agro* ut dicatur, Latina locutio postulat ut *triumviri coloniæ deducendæ*. Sigon. Præpositionem *de* ignorant etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Livius VI. 21. 'Quinqueviros agro Pomptino dividendo creaverunt.' l. VIII. c. 16. 'Triumviros coloniæ deducendæ agroque dividundo creaverunt:' et sæpe alibi. Deinde *dividundo* Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. pro quo ultima Gruteri substituit *dividendo;* quod superest in scriptis nostris, et edit. Camp. Mox pronomen *quibus* non agnoscunt iidem scripti, et ed. Camp.

Fortisque ac validus pridie domum se recepisset] Voss. *validus de die domum:* quod esset, 'mature,' 'non admodum sero.' *J. F. Gronov. Fortis* sine dubio hic dicitur, qui firma et integra valetudine corporis est, sine ullo indicio ac suspicione morbi. Plutarchus in C. Graccho Scipionem ἐκ οὐδενὸς αἰτίου προφανοῦς τελευτῆσαι dicit. Hunc usum vocis *fortis* non optimæ Latinitatis esse puto. Lexica vulgata eam etiam a Plinio Ep. VII. 23. ita ex Buchneri sententia usurpatam adnotant. Sed locum inspicienti patet, *fortem* ibi non tam dici eum qui firma valetudine corporis, quam qui laboris præter ætatem patiens est; etsi hoc quoque fere argumentum bonæ valetudinis est. Salviani Massiliensis auctoritas hic nullius ponderis esse potest. *Duk. Validus post die* Leid. *validus de die* Boend. et ed. Camp. quod eorum fide in contextum recepi, ut etiam fecit Crevier. qui observat *pridie* postulare aliam vocem sibi respondentem in iis quæ sequuntur, nempe *postridie*, sine qua altera hic stare non posset. *De die* autem exponit 'non admodum sero, quum adhuc dies esset.' Alii *de die* exponunt 'diluculo,' 'summo mane.' Vide Pricæum ad Appul. Apolog. p. 137. Roëllius, observans inde non augeri suspicionem dati veneni, quod Scipio vel non admodum sero, vel summo mane domum redierit, legere malebat, si codd. faverent, *eo die*, quo nempe seditionibus adversatus fuerat.

Tamquom ei venenum dedisset] Pronomen *ei* deest in Boenderm. et ed. Camp. *venenum ei* alio ordine Norv. et edd. vett. pro quo *ei venenum* substituit Gruterus, concinentibus Voss. Leid. Berg. et Lov. 2. Mox *quæstio facta* Voss. *quæstio orta* Leid. *quæstio lata*, hunc locum advocans, laudat Sigon. in Fast. ad a. IↃCXXIV. p. 212.

Quo defuncto, seditiones triumvirales acrius exarserunt] Vet. lib. *Eo defuncto*. Sigon. *De fundo eo* Voss. *Defuncto eo* Berg. et Lov. 2. *Eo defunc-*

to Leid. Vox *seditiones* deest in Voss. et Boend. ejus loco *quæstiones* legit Leid. sed *acrius seditiones triumvirales exarserunt* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. quomodo etiam Gronov. 1665. vulgari curavit.

Contra Iapidas primo rem male gessit] Cap. triumphi *Iapudas*, Græci Ἰάπυδας edunt. *Sigon. Adversus*, pro *contra*, Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Vide ad Epit. l. LVII. Dein *Iapigas* iidem codd. cum Norvic. et edd. plerisque antiquis. *Iapygas* præferre Exc. Pithœi, et ed. Rom. principem, auctor est Hearnius. *Iapudas* edidit Sigonius; *Iapydas* Gruterus. Vide ad XLIII. 5. § 8. et Pighium in Annal. ad a. IↃCXXIV. p. 26. Præterea *male rem gessit* Berg. Lovel. 2. Boenderm. Norv. et primæ edd. ante Froben. qui *rem male* an. 1535. dedit. Mox *D. Bruti*, omissa media voce, Leid. Hinc *ejus* deest in Lovel. 2. Tum *subegit* præferunt Boend. et ed. Camp.

LIB. LX.

Aurelius consul bellantes Sardos subegit] Vet. lib. *L. Aurelius consul.* Sigon. *Rebellantes Sardos* conjectura Pighii; cum in Mss. omnibus sit *bellantes*. Forte *Pellitos*, de quibus ad XXIII. 40. *J. F. Gron. L. Aurelius* Vossian. Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Hinc vox *consul* deest in Berg. sequens *bellantes* in Norvic. et edd. vetustis: *bellantes Sardos* edidit Sigon. quod præferunt Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. idem quum etiam in Jac. Susii scripto cod. invenisset Pighius in Annal. ad a. IↃCXXVII. p. 33. inde *rebellantes* scribendum conjecit, quod Gruterus in contextum admisit, et Hearnius in Exc. Pithœi esse monuit. Solent ‘ bellare ’ et ‘ rebellare ’ a librariis confundi. Vide ad XL. 38. § 5.

M. Fulvius Flaccus primus omnium] Fulvii prænomen primus adjecit Gruterus: si ex Msto, nihil intercedo. Id tamen non agnoscunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et Norv. Supra etiam, ubi inter triumviros memoratur, et duorum collegarum prænomina exprimuntur, ipsius tamen prænomen omittitur Epit. l. LIX. ‘ Seditiones a triumviris, Fulvio Flacco, et C. Graccho, et C. Papirio Carbone, agro dividendo creatis, excitatæ.’ Tum vocem *omnium* a Mss. abesse, ac delendam videri, monuit Jac. Gronov. ad Epit. l. XLVIII. Certe non adparet hic in Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide quæ ibi notantur.

Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Falanios Gallos] Lege *Salvios Gallos* ex vet. lib. Sunt autem Salvii iidem, atque Salyes. *Sigonius.* Gud. *missus auxilio Massilien.* J. F. Gron. *Bello domuit, et missus in auxilium* Leid. et Voss. *domuit bello, et missus in auxilium* Boend. et ed. Camp. *domuit bello, missus in auxilium Massiliensium* Lovel. 2. *subegit bello, missus in auxilium Massiliensium* Berg. *missum auxilium, missis auxilium, missis in auxilium* edd. principes, donec Ascens. 1516. *missus in auxilium* reponeret; quod erat etiam in ed. Camp. Dein *Salvinos Gallos* Leid. *Lavinos Gallos* Voss. *Alinios Gallos* Berg. *Saluvinos Gallos* Lovel. 2. *Salanicos Gallosque* Boend. *Salanicos Gallos* ed. Camp. *Salauvios Gallos* Exc. Pithœi: *Flanios Gallos* Norv. *Salyos* vel *Salvios*, pro *Falanios*, emendat Vinet. ad Flor. III. 2. § 3. Sed *Salyes* vel *Salluvios* legendum. Vide ad Liv. V. 34. § 7. et Epit. Liv. lib. LXI. *Sallyes* vocantur apud Jul. Obseq. de Prodig. c. 90. at *Salluvii* in Fragm. Fastor. Capitol. Triumphalium ad a. IↃCXXX.

:::::VS. M. F. Q. N. FLACCVS. PRO.
::::LIGVRIB. VOCONTIEIS. SALLVVIEIS. Q.

Vide Pighium in Annal. ad a. IↃCXXX.

pag. 57. et Hardnin. ad Plinii III. 4. Ceterum Cluver. Ital. Ant. I. 7. 50. dubitans utrum Salvii vel Salluvii recte 'Galli' dicantur, primo suspicatur legendum esse *Transalpinos Gallos bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Salvios Ligures.* Postea vero vulgatum servat, eosque saltem Celtici generis fuisse colligit; quum tamen sermone, moribusque et cultu Liguribus similes fuerint, eos primum a Græcis, deinde a Romanis ejusdem gentis populum habitos fuisse. Quomodo tamen Fulvius Transalpinos Ligures 'primus' bello domuit? quum supra sit Epit. lib. XLVII. 'Q. Opimius consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida Antipolim et Nicæam vastabant, subegit.' Verum culpam Perizon. in Animadv. Hist. c. 8. p. 346. in solam Livii incuriam vel oblivionem transfert, qui a se ipso dissidens diversa tradidit. Crevierius contra *Transalpinos Gallos* legendum censet.

Qui fines Massiliensium populabantur] *Qui populabantur fines Massiliensium* Exc. Pithœi, Norvic. et edd. principes usque ad Gronov. qui an. 1665. eo ordine edidit vocabula, qui nunc obtinet. Ei consentiunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Fregellas] Vide Plutarchum in Gracchis p. 836. Hujus Fregellani belli contra socios gesti meminit Cic. in Rullum II. ad finem c. 33. et Asconius in Pison. c. 39. *H. Vales.* Meminerunt et alii, et Cicero pluribus locis apud Pighium ad an. IↃCXXVIII. *Duk.*

In Africa a maxima multitudine locustarum] Vet. lib. *ab ingenti multitudine.* Sig. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. *locustarum ingentia agmina* Obseq. verbis Livianis ferme loqui solitus, memorat c. 90. *maximus* pro *ingens* primos editores substituisse, vidimus ad Epit. lib. XLVIII. in princip. Dein *locustarum multitudinem*, transpositis dictionibus, iidem libri; quod jam etiam Gronovius recepit. Præterea *in Gallia* perperam Leid. *Africam* enim et *Cyrenas* memorat Jul. Obseq. l. laud. Vide etiam Oros. v. 11. et Freculph. part. I. l. VI. c. 6. Mox *fuisse creditur* Leid. Solent hæ voces a scribis confundi. Vide ad Livii l. XXIII. c. 2. § 4. XXV. 11. § 20. c. 28. § 3. Adde Duker. ad Livii X. 5. § 14.

Trecenta nonaginta millia, septingenta triginta sex] CCCXXIIII. Lov. 2. a m. pr. CCCXCIIII. a m. sec. et ita Voss. quod etiam dare voluisse videtur librarius cod. a Pithœo consulti, qui per errorem *CCCXIIII. millia* dedit. Insuper *et septingenta* Berg. Boend. et edit. Camp. In præcedentibus *conditum*, sine sequenti *est*, Berg.

C. Gracchus, Tiberii frater] Prænomen *C.* primum vidi in ed. Frob. an. 1535. Vetustiores eo carent. Neque adparet in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Norvic. Mox *aliquas leges* Leid. Vossian. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. omnes ante Gruterum, qui *aliquot* substituit, consentientibus Berg. et Lov. 2. Vide ad XXXII. 10. § 12.

Ut semisse et triente frumentum plebi daretur] *Semisse et triente* dicit, quod alii *semissibus ac trientibus*, (tot enim modis veteres loquntos volunt) quod animadvertendum est diligenter, ne quem forte inducant, si semis æris ac trientibus frumentum datum in modios affirmant: aut qui pretium fuisse tradunt senos æris trientes, id est, binos asses, corrupta secuti Pædiani exemplaria in Pisonianam cap. 4. aut qui frumentum distributum putant plebi urbanæ modo semissibus, modo tressibus, duplici errore. Nam et ex uno duo faciunt pretia, et ex 'trientibus' 'tresses,' id est, ex tertia assis parte tres asses; quum revera frumentum ne asse quidem vænierit,

sed semisse ac triente, id est, dextante, seu mavis apertius, decem e duodecim assis partibus. Quid autem caussæ esse dicemus, cur veteres auctores ‘ semissis ac trientis ’ nomina usurpare, quam ‘ dextantis,’ maluerint, quum tamen idem hac voce significetur, quod illis duabus? An hæc verba sunt ipsius legis? Sed tamen quid Graccho venit in mentem illa malle? Dicerem hæc repetita a veterum consuetudine, qui quum ære gravi uterentur, et duodecim assis, vel, quod idem erat, libræ partes haberent; sex autem pondera, unciam, sextantem, quadrantem, trientem, semissem, ac libram; cum decem erant unciæ expendendæ, semissem ac trientem conjiciebant in lancem, ut citius negotium conficerent: hoc, inquam, dicerem, si, quæ assis partes certum pondus non habebant ac suum, eas reperirem eadem ratione a veteribus expressas. Quando autem non reperio, suspicor Gracchum respuisse partes assis minutiores, et lege frumenti pretium in modios non certam modo pecuniæ summam fuisse, verum etiam certum nummi genus, semisses nimirum ac trientes, cum dextantes non cuderentur. De hac autem re lege cautum, vel ad levandum quæstorem molestia, vel ne permutanda pecunia tereretur tempus, vel alia de caussa, quæ æque mihi est ignota, atque eæ, quas attuli, dubiæ et incertæ. *Contarenus* de Frument. Roman. Largit. cap. 2. Vide etiam Gronov. de Pecun. Vet. IV. 12. *Ut sesiscontriente* Voss. *ut semis et triente* Leid. Norv. et edd. vett. *ut in semisses et trientes* Berg. Boend. et ed. Camp. *ut sexis et triente* Lovel. 2. et Exc. Pithœi. Mox *alteram agrariam* Leid. omissa media voce *legem;* quæ hic non magis necessaria est, quam quum mox subdit, ‘ Tertiam, qua equestrem ordinem corrumperet.’ Deinde *quam frater ejus* Exc. Pithœi, Norvic. et edd. vett. *quam et frater*, adjecta media particula, edidit Gruterus, cum quo faciunt Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Tunc cum senatu consentientem] Gud. *tunc senatui consentientem.* J. F. Gron. Voculam *tunc*, quam ignorant priores editi, primus addidit Gruterus, eamque exhibent codd. nostri, Exc. Pithœi, vetus Latinii, et editio Camp. Deinde *tunc senatu consentiente* Leid. *tunc senatu consentientem* vetus Latinii: quæ lectiones ex Gud. a Gronovio propositam firmare videtur. Potest tamen et *cum* ob similitudinem vocis præced. excidisse.

Ut sexcenti ex equitibus] Voss. *ex equitum.* Gud. *ex equite in curiam sublegerentur.* Festive: nam ‘ eques ’ interdum equestris ordo: ut ‘ in equite spectare.’ *J. F. Gronov. Ex equitum* etiam Lov. 2.

Trecenti senatores erant, sexcenti equites] Clarior est hujus loci sententia in Mss. libris, hoc modo: *tertiam, qua eq. ordinem, tum cum senatu consentientem, corrumperet, ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur, et, quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur.* Hanc legem ‘ Judiciariam ’ vocat Plutarchus in Graccho p. 837. cujus verba his fere similia sunt: ὁ δὲ δικαστικὸς, ᾧ τὸ πλεῖστον ἀπέκοψε τῆς τῶν συγκλητικῶν δυνάμεως· μόνοι γὰρ ἔκριναν τὰς δίκας· καὶ διὰ τοῦτο φοβεροὶ τῷ δήμῳ καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ἦσαν· ὁ δὲ τριακοσίους τῶν ἱππέων προσκατέλεξεν αὐτοῖς οὖσι τριακοσίοις, καὶ τὰς κρίσεις κοινὰς τῶν ἑξακοσίων ἐποίησε. Hæc Plutarch. qui equites non sexcentos, sed trecentos, senatoribus trecentis ait esse adscriptos, atque inter utrosque communicata judicia esse, quæ antea senatorum tantum propria fuerant. Si tamen Appiani B. Civ. I. p. 363. et Pædiani in Divinat. c. 3. verba attendamus, Gracchus a senatoribus ad solos equites judicia transtulit, non inter utrumque ordinem communicavit. Et Var-

ro de Vitâ Populi Rom. lib. IV. 'In spem adducebat non plus soluturos, quam vellent, iniquus equestri ordini judicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem.' Hæc enim verba ad C. Gracchum pertinere videntur. Locus est apud Marcellum in voce 'Biceps.' *Sigon.* Locus in antiqq. edd. sic habetur: *tertiam, qua equestrem ordinem, cum senatu consentientem, corrumperet, (trecenti senatores erant, sexcenti equites) ut trecentis senatoribus admiscerentur, id est, ut equester ordo bis tantum in senatu haberet.* Mihi quidem Platonicis numeris obscurior lex ista tertia, et, quonam spectet, non intelligo. Plures doctissimi viri judiciariam Gracchi legem hisce verbis describi volunt, qua dissensiones inter senatum et equestrem ordinem concitavit: quibus contradicere non volo, sed judiciorum in his nulla fit mentio. Locus profecto truncus atque mendosus est, sicuti etiam testantur libri veteres Mss. et a C. Sigonio citati, et ille, quem olim mihi communicavit Mechliniæ Jacobus Susius, vir eruditione non minus, quam nobilitate conspicuus; in quo dilucidius atque diffusius eadem tertia lex in hunc modum descripta legitur: *tertiam, qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet, ut sexcenti equites in curiam subrogarentur, et quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites ut trecentis senatoribus admiscerentur, id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet.* Vides, lector, ut integer verborum versus in vulgatis exemplaribus desideretur, ab exscriptoribus librariis negligenter prætermissus. Non tamen adhuc satis hic Livii locus, licet plenior, quam in vulgatis, judiciariam C. Gracchi legem nobis explicat: videntur enim plura deesse, nec præteriisse Livianorum Epitomæ scriptorem legis præcipuum scopum, quomodo senatum deinque Gracchus hac judiciorum jure privarit. Atqui Plutarcho non minus, quam Ciceroni, et aliis auctoribus, adversatur locus ille; cum magis indicet, legem tertiam non de transferendis judiciis, sed de senatu augendo judiciorum caussa, Gracchum protulisse. Ducor igitur ad opinandum ex tanta narrationis hujus varietate, quam apud auctores invenimus, quod Gracchus bis terve judiciariam legem suam, opprimendi senatus cupidine percitus, diversimode promulgarit: primum, ut ad trecentos, qui tunc erant, senatores sexcenti equites, ut apud Livium exstat, in curiam subrogarentur, quo prætor urbanus quotannis judiciorum caussa ex centuriis singulis judicum decurias singulas seligere posset. Qua lege senatus ac optimatum summo studio rejecta, verisimile fit, mox aliam ipsum proposuisse, quam Plutarchus habet, uti trecenti equites simul cum trecentis senatoribus judicarent, ex his mixtim decuriæ judicum seligerentur. Cui cum non minus adversaretur senatus; tandem ipsum plebis et equitum Romanorum auxilio legem pertulisse de transferendis a senatu ad solos equites Romanos judiciis: et tunc denique gloriari ausum, se penitus senatorii ordinis nervos incidisse. Atqui simile quid in hac discordia et ordinum contentione, prinsquam lex perferri potuit, contigisse, non obscurum est ex tanta historiæ istius diversitate colligere. Sed, quia nihil aliud apud auctores certius hactenus reperio, litem istam ambignam sub judice relinquere cogor, donec temporis filia veritas e puteo suo prodeat. *Pighius* in Annal. ad a. IↃCXXXI. p. 60. Locum hunc impeditissimum esse, ostenderunt Manutius de Legib. Rom. cap. 15. Sigonius de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 2. et Pighius in Annal. Nam nusquam alibi scriptum est, lege C. Gracchi sexcentos equites in senatum adlectos fuisse. Rualdus,

cui profuerunt, quæ Manutius et Pighius de legibus judiciariis docuerant, oscitantiam auctoris Epitomes accusat Animadvers. c. 26. in Plutarchum. Nec immerito, si satis constaret, hæc ab eo scripta fuisse. Sed varietas scripturæ argumento esse potest, huc aliquid corruptelæ a scribis inlatum esse. *Duk.* Quemadmodum Sigonius et Pighius in Mss. suis invenerunt, exstat etiam in Leid. Voss. Exc. Pithœi, et vetere Latinii: neque aliter Lovel. 2. et Berg. nisi quod eorum prior ultima verba transponat *haberet in senatu,* posterior voces *in senatu* omittat. Contra lectio, quæ vulgo ante Sigonium recepta erat, superest in Norv. et etiam in Boend. nisi quod hic vocnlam *ut* omittat, et insuper legat *in senatu bis tantum virium,* in quo utroque ei consentit ed. Camp.

Effecit, ut plures coloniæ in Italia deducerentur, et una in solo] *Efficit, ut pl. col. in Italiam ducerentur, ut una in solo* Boend. *ut una* etiam Leid. Mox *coloniam duxit* Voss.

A Q. Metello consule adversus Baleares] *Adversus insulas Baleares* Lov. 2. Supra dixi ad XXI. 21. § 12. *Baliares* scribendum; et ita præferunt Fasti Capit. Triumph. Metelli triumphum de hoc populo memorantes ad a. IↃCXXXII. Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS. BALIARIC. PRO. COS. DE. BALIARIB. Refert tamen Pighius in Ann. ad d. a. p. 73. denarios quinariosque, hujus victoriæ et triumphi Metelli caussa cusos, hoc titulo addito, Q. METEL. BALEARIC. qualem, ut et alium cum inscriptione Q. METEL. Q. F. BALEARICVS edidit Goltz. in Fastis; unde efficiendum videtur veteres utroque modo, 'Balearicus' et 'Baliaricus,' scripsisse.

Quas Græci Gymnesias adpellant, quia æstatem nudi exigant] Duas priores voces omittit Voss. et insuper *Gyanesias* scribit. *Gymnosias* Boend. et ed. Camp. *Gymnasias* Berg. et ed. Ven. anni 1495. Strabo promiscue Γυμνασίας et Γυμνησίας vocavit. Dein *æstate* Voss. *qui æstatem nudi exigunt* Berg. a m. pr. *quia æstatem nudi exigunt* Berg. a m. sec. et Boend. *egitant* Leid. qui forte voluit *agitant.* Sed nihil muto. Displicuisse videtur τῷ *quia* subjunctivum jungi. Ita tamen plures codd. præferunt Epit. l. LV. 'Tribuni plebis, quia non impetrarent, ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem duci jusserunt.' Livium ipsum sæpissime ita locutum esse, multis exemplis docui ad II. 8. § 5. quibus plura addi possent, nisi illa sufficerent.

Vel a Baleo, Herculis comite, ibi relicto tunc, cum Hercules] *Aut* pro *vel* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norvic. et edd. usque ad Venetam 1498. quæ operarum errore *ut* dedit. Ascensius deinde a. 1513. ejus loco edidit *vel.* Dein *ab Alteo* Vossian. et Berg. *a Balteo* Boend. Norv. et vett. edd. *a Blato* Lov. 2. et Exc. Pithœi: *a Baleo* substituit eadem Ascensii ed. quod in Leid. superfuisse videtur; unde in excerptis nihil notatur. De nomine harum insularum vide Cellar. Geogr. Ant. II. 1. pag. 102. Vocula *tunc* deest in Berg. Lov. 2. et Boend.

Demetrium virum suum] 'Nicatorem' cognomine, Demetrii Soteris filium, Selenci, Antiochi M. filii, nepotem. Ei Cleopatra duos filios, Seleucum et Antiochum Grypum pepererat. Vide Justinum l. XXXI. c. 1. *Dukerus.* Vox *suum* non adparet in Boend.

Seleucum filium multum indignata] *Multum* abest a vet. lib. *Sigon.* Eamdem vocem consensu expellunt Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Alibi etiam hanc vocem inseruerunt primi editores, ubi a plerisque Mss. abest. Ita Epit. libb. LXI. LXIV. et alibi. Vide ad Epit. l. XLVIII. Mox *sumsisse videretur* Voss. et Boend. qui etiam omit-

tunt vocem sequentem *interemit*, quam sensus requirit.

LIB. LXI.

C. Sextius proconsul, victa Salviorum gente] Prænomen *Sextii* deest in Voss. Berg. et multis edd. vett. *P. Sestius* in aliis, *G. Sestius* in aliis, *C. Sestius* in Norv. vocatur. Sed *C. Sextius* recte Aldus edidit: ita enim reliqui scripti præferunt, et Fasti Capitol. Triumph. Solent autem 'Sextius' et 'Sestius' confundi; vide ad III. 32. § 5. et ad Epit. Liv. l. CXXIII. Deinde *Salvinorum* hic et infra Leid. *Sabinorum* hic, et *Salliviorum* infra Voss. *Saluviorum* hic et infra Lov. 2. *Salviorum* hic, et *Saliviorum* infra Berg. *Salamiorum* hic, et *Saliniorum* infra Boend. *Salinorum* hic, et *Salivorum* infra ed. Camp. quod posterius et hic et infra servant reliquæ edd. pro quo *Salviorum* utrobique substituit ed. Mediol. 1505. Sed legendum est *Salluviorum*, ut utroque loco præferunt Exc. Pithœi: quod firmant Fast. Capit. Triumph. ad a. IↃCXXXI. C. SEXTIVS. C. F. C. N. CALVĪN. PRO. COS. DE. LIGVRIB. VOCONTIEIS. SALLVVIEIS. Q. Hanc itaque lectionem recepi. Vide ad Epit. l. LX. l. LXXIII. et ad Livii v. 34. § 7.

Coloniam Aquas Sextias condidit] Gud. *gente, et colonia deducta Aquas Sextias condidit.* J. F. Gron. Omnes nostri vulgatum servant. Clericum igitur nimis calide codicis Gud. lectionem recepisse puto.

Ob aquarum copiam, et calidis] Lege, *ab aq. copia, et calidis et frigidis fontibus, atque a nomine suo ita appellatas.* J. F. Gron. *Ob quorum copiam et calidis frigidisque fontibus, atque a nomine suo* Lov. 2. *ob quarum copiam et a calidis frigidisque fontibus, atque a nomine suo* Leid. *ob aquarum copiam et calidis frigidisque fontibus atque nomine suo* Voss. *ob aquarum copiam et calidis frigidisque fontibus, atque a nomine suo* Berg. *ob quarum copiarum e calidis frigidisque fontibus atque nomine suo* Boend. *ad aquarum copiam calidis fridisque fontibus atque nomine suo* ed. Camp. Ex horum vestigiis videtur legendum *ob aquarum copiam e calidis frigidisque fontibus, atque a nomine suo.* Neque displicere debet *ob aquarum copiam, atque a nomine.* Id enim auctori Epitomarum adhærere potest ex stili Liviani imitatione. Vide ad VI. 28. § 3. Si quis tamen insuper *ab aquarum copia* malit, non adversabor.

Cn. Domitius proconsul contra Allobroges ad oppidum Vindalium] *C. Domitius proconsul* Berg. *Cn. Domitius consul* Boend. et ed. Camp. Tum *adversus Allobroges* Voss. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII. *adversus Allobrogas* Berg. et Lov. 2. *Allobrogos* Leid. qui idem voluisse videtur. Vide ad Epit. l. CIII. Deinde *Viridalium* Voss. litera *n* in *ri* dissoluta. Vide ad III. 30. § 3. *Vindalum* Leid. quod probari posset auctoritate Strabonis IV. 185. ubi oppidum hoc vocatur Οὔδαλον, pro quo Scalig. Auson. Lect. I. c. 30. et Casaub. ad d. l. Strab. Οὐίνδαλον legendum docent. Potius tamen nihil muto. 'Vindalium' enim memorat etiam Oros. V. 13. 'Cn. quoque Domitius proconsul Allobroges Gallos juxta oppidum Vindalium gravissimo bello vicit:' ubi *Allobrogas* Mstos Florent. malle, Hav. testatur: quam lectionem firmat eum describere solitus Freculph. Chron. part. I. l. VI. c. 8. Et ita hic ex codd. recepi.

Multum feliciter pugnavit] *Multum* abest a vet. lib. *Sigon.* Abest etiam ab omnibus nostris, et ed. Camp. Recte igitur Sigonio monenti obtemperavit Gruterus. Vide ad Epit. l. LX.

Teutomalium] *Crotoniculum* Berg. et Boend. *Cortomoculum* Voss. *Tentomolum* Leid. *Toutomotulum* Exc. Pithœi. *Teutomotulum* Lov. 2. *Teutonialum* ed. Camp. *Teutomalum* edd. Rom. 1472. et Parm. Mox *omni ope juvassent* Voss. Berg. et Boend. *omni opere juvissent*

edd. Rom. an. 1472. Camp. et Parm. vide ad XXXII. 21. § 31. Sed *omni ope* servandum; vide ad II. 31. § 5.

Æduorum agros, sociorum populi Romani, vastavissent] Vocem *sociorum* omittunt Voss. et Lov. 2. pro eo *amicorum* legunt Berg. Boend. et ed. Camp. ex quibus primus insuper *vastavissent amicorum populi Romani* obfert. Dein *vastassent* Lovel. 2. et Boend. quomodo etiam Gronov. 1665. edidit: *vastarent* Voss. Sed *vastavissent* tuentur reliqui Mss.

Aventinum armata quoque multitudine] Vet. lib. *Aventinum quoque armata multitudine*. Sigon. Similiter omnes mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Insuper *occupasset*, pro *occupavissent*, scripti mei.

Ex senatusconsulto vocato ad arma populo pulsus, interemtus est] Duæ primæ voces desunt in Boend. quas recte servant reliqui codd. Vocato enim in curiam senatu L. Opimium consulem jussum esse videre, ne quid respublica detrimenti pateretur, et tyrannos opprimere, sive σώζειν τὴν πόλιν, ὅπως δύναιτο, καὶ καταλύειν τοὺς τυράννους, testis est Plut. in Gracch. p. 841. *A senatu consulto* legit Berg. Deinde *pulsus interemptusque est* Norv. et edd. principes. Copulam *que* primus Frob. 1531. omisit: *pulsus et occisus*, sine verbo *est*, Exc. Pithœi: *pulsus et occisus est* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quod recepi. Vide ad Epit. l. LVII.

Fulvius Flaccus, socius ejusdem] Vet. lib. *Flaccus consularis, socius ejusdem furoris*. Sigon. Per omnia lectionem illam Sigonii probo. *Fulvius Flaccus cons.* legunt Berg. et Boend. *Fulvius Flaccus consul* Leid. Voss. et Lovel. 2. Vide ad Epit. l. LVIII. Deinde *ejus furoris* ed. Camp. *ejusdem furoris* omnes nostri. Per ' eumdem furorem ' autem intelligit eamdem seditionem. Infra Epit. l. LXIX. ' Cum Glaucia prætore et aliis ejusdem furoris sociis bello quodam interfectus est.' Vide ad II. 34. § 11. et Cortium ad Sallust. Fragm. Hist. I. 942.

Adversus Allobroges et Bituitum Arvernorum regem] Repone *Betultum*. Fragm. marmoreum triumphorum erutum Romæ CIↃIↃLXIII. habet,

Q. FABIVS. Q. AEMILIANI. F. Q. N. MAXIMVS. PRO. COS. DE. ALLOBRO
. ET. REGE. ARVERNORVM. BETVLTO. X. K.

Valerii etiam Max. meliores codices sic appellant, IX. 6. 3. Solus Raphaël Volaterranus flagitiose *Batuitum* vocat. *Delrius*. Hujus regis proprium nomen mire depravatum reperitur in omnium auctorum, qui ejus mentionem faciunt, codd. vel *Bituitus*, vel *Vituitus*, vel *Bitintus*. Solæ marmorum Capitolinorum reliquiæ genuinum istius regis nomen Celticum proferunt, *Betullich* appellati a patientia vel modestia, quod Romani in Latinum nomen 'Betultus' more suo transformarunt. *Pighius* in Annal. ad a. IↃCXXXII. p. 78. *Adversus Allobrogos* Leid. *adversus Allobrogas* Voss. Berg. et Lov. 2. quomodo iidem codd. supra hac Epit. exhibebant, ubi vide. Sæpius Cæsar hoc nomen quarto casu *Allobroges* effert, semel tamen etiam *Allobrogas* B. Gall. III. 6. ubi libri scripti et vetustæ edd. etiam variant. Deinde *et Bituriges cum Arvernorum rege*, et mox *ex Biturigorum exercitu* Boend. et ed. Camp. sed *Bituitum*, et mox *Bituiti*, omnes reliqui codd. nostri servant; nisi quod mox *ex Bitinti exercitu* legat Berg. Hujus regis nomen varie a scriptoribus profertur. *Bituitus* vocatur apud Val. Max. IX. 6. 3. Flor. III. 2. § 5. Eutrop. IV. 22. Oros. V. 14. et Freculph. in Chron. part. I. lib. VI. cap. 6. *Vituitus* apud Hieron. in Chron. Euseb. p. 148. ubi in antiquioribus edd. legitur *Vetuitus*, quomodo etiam vocatur apud Monach. Altissiodor. in Chronolog. p. 27. Βίττος Strab. IV. 191. Βίτυις apud Athenæum IV. p. 152. Βίτοιτον τινὰ ἡγεμόνα Κελτῶν, qui in castris Mithridatis

militavit, memorat Appian. in Mithrid. p. 148. quin et Βιτοῖτον βασιλέα τῶν Ἀλλοβρίγων idem Appianus in Exc. Legat. num. XI. ubi Ursin. ex Fast. emendat Βετοῦλτον. Viris doctis, ex vetere Fastorum fragmento nomen hujus regis 'Betultus' scribendum censentibus, adversatur Scalig. ad Hieron. Chron. Euseb. pag. 148. seque non dubitare profitetur, quin erratum sit aut lapicidæ, aut ejus, qui ex lapide fragmentum descripsit, et eum *Betuitum* per *i*, non per *l*, vocandum censet. At verisimilius mihi videtur, errorem ab indoctis scribis, qui libros veteres descripserunt, quam a lapicida, commissum esse. Etiam Pontanus in Append. ad Itinerar. Gall. Narbon. p. 45. Fastorum fragmentum in nomine hujus regis fefellisse, idque *Buduacus* scribendum credit, quia in arcu triumphali Fabii Maximi Arausionensi conspicitur statua, ut creditur, hujus regis, manibus a tergo devinctis; cujus pectori hoc nomen inscriptum est, idque genti Arvernorum sollemne esse ex aliis inscriptionibus patet. Insuper Begerus in Thes. Brandenb. tom. III. p. 6. duos edidit nummos, quorum prior hanc præfert inscriptionem BITOΥKOC BACI, alter hanc BITOΥIOC BAΣIΛEOC, ex quibus nobis Bitucum et Bitovium Arvernorum reges obtrudere conatur, et hos nummos ab iis signatos credit; inde etiam omnia scriptorum loca *Bituitum* præferentia emendanda suspicatur: cui tamen adsentiri nequeo. Quamvis enim Romanos et Græcos aliarum gentium duces ac principes, qui eminenti auctoritate iis præerant, reges, ac βασιλέας adpellasse verum sit, et ex hoc more passim Bituitus Arvernorum rex et βασιλεὺς vocetur, non puto tamen ipsum in publico ullo monumento se gentis suæ regem vel βασιλέα inscribere ausum fuisse. Certe apud Cæsar. B. Gall. l. VII. c. 4. memoratur 'Vercingetorix Celtilli filius Arvernus, summæ potentiæ adolescens, cujus pater principatum Galliæ obtinuerat, et ob eam caussam, quod regnum adpetebat, ab civitate erat interfectus.' Nummos igitur ad alterius cujuslibet populi regem vel reges referendos puto; quos insuper male *Bitucum* et *Bitovium* dici existimo. Posterior secundi nummi vox casu patrio βασιλέος prolata docet, etiam priorem BITOΥIOC eodem casu accipiendam, et hinc casu recto Βίτουις seu *Bituis*, non *Bitovius*, formandum esse. Ex eodem etiam colligo, in primo nummo literas initiales posterioris vocis βασι reddendas esse integre βασιλέος; et hinc priorem ejus vocem Βίτουκος, casu secundo itidem positam, casu recto enunciandam esse Βίτουξ sive *Bitux*, non *Bitucus*. Forte etiam posterior nummus ex priori emendandus, et in eo BITOΥKOC pro BITOΥIOC scribendum est, quod lineolæ, quæ additæ ex I efficiunt K, injuria temporis evanuerint, vel minus perspicue adparuerint. Quid præterea, si hos nummos ad incognitum quemdam Thraciæ regem referendos dicamus? Certe non multum a similitudine nominis abludit 'Bitis, Cotyis regis Thracum filius,' memoratus apud Livium XLV. 42. ubi tamen *Bithys* scribendum conjeci. Ad hæc in utroque nummo signata Herculis clava similiter conspicitur in Rhescuporidis Thraciæ regis nummo apud eumdem Beger. ibid. p. 5. et apud Spanhem. de Præst. et Us. Numism. Diss. VIII. p. 501. Nemini tamen hanc conjecturam obtrudo, sed aliis cogitandi occasionem præbere volui. Ceterum viris doctis *Betultum* hic legentibus adsentior; invitis tamen codd. lectionem illam in contextum recipere ausus non sum. *Bituitus* miles Gallus obcurrit infra Epit. l. CII. verum ex conjectura Gruteri: vide eo loco.

Cæsa millia hominum centum viginti]

Occisa millia centum viginti Voss. et Lov. 2. *occisa millia hominum centum viginti* Berg. Vide ad XXVII. 42. § 7. *Cæsa sunt millia hominum centum viginti* ed. Camp. *cæsa millia hominum CCXX.* Boenderm. Vulgatæ lectioni consentit Appian. in Celtic. p. 755. Sed Oros. v. 14. et Freculph. part. I. lib. VI. c. 8. tradunt in eorum exercitu centum octoginta millia militum fuisse, ex quibus centum quinquaginta millia vel cæsa, vel submersa fuissent. Plinius narrat H. Nat. VII. 50. Q. Fabium Maximum centum triginta millia perduellium cecidisse. Denique, auctore Strabone lib. IV. p. 185. εἴκοσι μυριάδας Κελτῶν κατέκοψεν. De hoc historicorum dissensu ita pronunciat Pighius in Annal. ad annum IↃↃXXXII. p. 68. Appianum et Auctorem Epitom. verum interfectorum numerum edidisse, in locis Plinii et Orosii, ubi cæsos exprimunt, vitium inhærere: Strabonem autem de toto Betulti exercitu loqui.

Et quum ipse ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albæ custodiendus datus est] Voss. et Gud. *centum viginti. Ipse quum ad sat. senatui Romam profectus esset, Albam cust. datus est.* Non *Albæ.* Ut IX. 20. 'Præfecti Capuam.' XLV. 42. 'Persea regem Albam in custodiam duceret.' *J. F. Gron.* Longe aliter hoc narrant Valer. Max. IX. 6. 3. et Eutrop. IV. 10. Sed eos non curat Scaliger ad Euseb. Chron. num. CIↃIↃCCCXC. Manutius quoque ad Cic. ad Famil. VIII. 8. ambigi posse dicit, an vera sint quæ de hac re scripsit Valerius. Florus III. 2. § 5. Bituitum etiam in triumphum ductum auctor est. Crederem, si testes haberet. Fragmentum Fastor. Triumph. apud Gruter. CCXCVIII. 3. in quo Q. Fabium de Betulto rege Arvernorum triumphasse scriptum est, nihil eum juvat. Nam in iisdem Fastis etiam M'. Curius de Samnitibus et rege Pyrrho, et M'. Valerius de Pœnis et rege Siculorum Hierone triumphasse dicuntur. Nec tamen hi reges in eorum triumphis ducti sunt. *Duker. Quum ipse,* sine *τῷ et,* Leid. et Vossian. *Ipse quum* Lovel. 2. *Et ipse quum* Berg. *Ipse rex quum* Boend. et ed. Camp. Tum *Romam* deest in Voss. Deinde *Albæ custodiendus datus est* Leid. *Albanis custodiendus datus est* Berg. Boend. et ed. Camp. *Albam custodiendus datus est* Vossian. Lov. 2. et Exc. Pithœi; quod Cleric. et Crevier. receperunt: vide Gronov. ad Livii IX. 20. § 5.

Decretum quoque est, ut Congentiatus, filius ejus, comprehensus Romam mitteretur] Grutero teste, exhibet Pal. 1. *Congonnetiacus.* Pal. 2. *Congomietiacus.* Gud. *Cognoneaticus.* Quodcumque verum sit, illud duntaxat apparet, in vulgatis edd. perperam terminari hoc nomen, et potius desinere debere in *tiacus;* quam terminationem Gallicam tunc fuisse, probat nomen 'Divitiacus,' 'Vedeliacus.' Etsi ad scripturam hanc valde prope accedat *Concolitanus* apud Polybium. *Jac. Gronov.* Omnia hæc vocabula desunt in Leid. et Voss. cui librariorum neglegentiæ caussam dedit post verbum *remitteretur* paucis interjectis repetitum *mitteretur.* Vide ad IX. 11. § 11. Ceterum *Congienatus* Berg. *Congenetiatus* Lov. 2. *Congenatus* Boend. et ed. Camp. *Congonnetiacus* Exc. Pith. *Congentiacus* legisse videtur Pigh. in Ann. ad a. IↃCXXXII. p. 68. et ita Clericus edidit non modo in hac Epit. sed etiam in Supplemento Freinsh. h. lib. c. 48. Mox *in deditionem recepti* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quod probari potest, modo *recipere* intelligamus capere, accipere; quo sensu sæpius Livium eo verbo usum esse, vidimus ad XXXIX. 23. § 11.

A Q. Decio tribuno plebis] In prænomine nihil mutant scripti. Pighius tamen in Annal. ad an. IↃCXXXIII. p. 76. legendum putat *a P. Decio;* eum-

dem enim Decium videri, quem P. Decium prætorem vocat Aurelius Vict. de Vir. Inlustr. c. 72. eumdem, de quo Cic. hoc judicium fert in Bruto c. 28. 'Flacci autem æmulus P. Decius fuit; non infans ille quidem, sed ut vita, sic oratione etiam, turbulentus.' Ejusdem etiam P. Decii mentionem fieri apud Cic. de Orat. II. 31.

In carcerem conjecisset, liberatus est] Vet. lib. *absolutus est*. Sigon. Similiter omnes nostri, ed. Camp. et Exc. Pithœi. Vulgatum solus servat Norvic.

LIB. LXII.

Cn. Martius consul Sarnios] Vet. liber *Q. Marcius consul Stonos*. De Stonis autem Alpinis populis et Strabo et Plinius prodiderunt. De hac autem victoria Orosius v. 14. *Sigon.* Q. Marcium consulem fuisse cum M. Porcio, Valerius, Plinius, Velleius, Obsequens, Eutropius, Orosius, et Cassiodorus testantur. In fragm. tamen marmoreo triumphorum exstat sculptum:

Q. MARCIVS. Q. F. Q. N. REX. PRO. COS. AN. DCX:.:.
DE. LIGVRIBVS. STOENEIS. III. NON. DEC.

Delrius. Librarii scriptores rarum ac insuetum nomen varie per imperitiam in exemplaribus depravarunt, quod in quibusdam *Sarnios*, in aliis *Salinos*, vel *Samios* legitur. In correctioribus autem Mss. Sigonius *Stonos* reperiri adfirmavit, quod veri magis simile nomen, atque Capitolino marmori, ut antiquissimo, ita et correctissimo, vicinius et convenientius; in quo Stœni vocantur prisca voce Celtica, fortasse sic dicti a saxis, et inter Ligures censentur. Nec discrepare videtur in urbium catalogo Stephanus grammaticus, ubi, Στουῖνος πόλις Λιγύρων, οἱ πολῖται Στουίνοι. Ejusdem igitur nominis oppidum incoluere. Si iidem populi Stœni, sane nomen hoc in Stephano corrigi ad antiqui marmoris fidem poterit: ut etiam in Plinii III. 20. qui et *Stonos* caput Euganeorum in Graiis Alpibus adfert. 'Caput,' inquit, 'eorum Stonos.' Sed vide num mancus sit locus. Sic etiam in Strabone Stœnorum mentio fit IV. 204. qui eos collocat in Alpium radicibus, non procul a Tridentinis, septentrionem versus, et recenset inter alios minutos populos pauperes, ac latrociniis deditos, qui prioribus temporibus Italiam tenuerant. Itaque numerari posse videntur inter Euganeos, ex Herculis comitatu in Alpibus Graiis relictos, ut apud Plinium legimus: vel quos Antenor Trojanus, cum Henetis in Italiam veniens, ex Padi campestribus intra Alpes repulit, quemadmodum Livius scribit, libri primi exordio. *Pighius*, Annal. ad a. IↃCXXXVI. p. 92. *Lucius Marcius* vocatur in Voss. Boend. et ed. Camp. *C. Martius* in Norv. modo *G. Martius*, modo *P. Martius*, modo *M. Martius* in edd. vett. *Gn. Martius* demum inveni in ed. Ascens. 1516. Sed recte *Q. Marcius* Sigonius emendat. Diversitas lectionum, quæ in initio plerarumque Epitomarum obcurrit, inde nata est, quod librarii literas earum initiales omiserint, ut eas postea ornatius depingerent: quod deinde vel facere neglexerunt, vel, non consultis libris, ex ingenio perperam supplerunt. Exempla vide Epit. libb. XLIII. XLIV. LXV. LXVII. LXVIII. LXIX. et alibi. Idem etiam observatur in initio exemplorum Frontini. Vide Ondend. ad I. 1. § 3. 5. 13. et alibi. Deinde *Sarmes* Voss. *Sarmos* Lov. 2. in margine, et Boend. *Stynos* Exc. Pithœi. *Stinos* Leid. Berg. et Lov. 2. in contextu. Cluverius Ital. Ant. I. 15. p. 105. et c. 19. pp. 169. et 170. Sigonium refellit, quem, quum in vet. lib. *Stonos*, in aliquot aliis *Stinos* reperisset, *Tricastinos* emendasse ad-

firmat. Ubi tamen id Sigonius fecerit, ignoro; certe non in Scholiis ad h. loc. neque etiam in Comment. ad Fastos ad a. IↃCXXXVI. nisi forte in locupletiore, quam, qua utor, edit. Hanov. Ipse vero Cluver. emendandum censet *Carnos*. Sigonium veram hujus loci lectionem non vidisse, mirandum non est; quum, quo tempore Livium et Fastos ederet, nondum inventum foret Fragmentum Fastorum Triumphalium; quod demum a. CIↃIↃLXIII. eruntum ediderunt Lipsius in Inscr. p. LXIV. Pighius in Annal. ad a. IↃCXXX. Gruterus in Inscr. CCXCVIII. 5. aliique. At, Cluverium hic aberrasse, prodigii simile est, quum diu ante fragmentum illud repertum ac publicatum sit, et viri docti ejus auxilio hic *Stœnos* legendum monuerint. Ex eodem illo fragmento patet Marcium de Stœnis triumphasse a. IↃCXXXVI. de Karnis autem in consulatu triumphasse M. Æmilium Scaurum: eum autem a. IↃCXXXVIII. consulem fuisse, Fasti docent.

Micipsa, Numidarum rex] *Numidiæ rex* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et ed. Camp. Sæpe *Numidiæ* servant codd. ubi editores obferunt *Numidarum*. Vide ad Epitom. libb. XXIV. XXX. LXXXIX. quo posteriore loco Gronov. *Numidiæ* recepit. Contra Epit. l. XXX. ubi *rex Numidarum* bis obcurrit, priori loco Msti *Massiliorum*, pro *Massilorum*, legunt; posteriori nihil mutant. Vide ad Epit. l. XLVI.

Quem in filium adoptaverat] Vet. lib. *quem adoptaverat*. Sigon. Consentiunt omnes nostri cum ed. Camp.

Metellus Dalmatas obsedit] Vet. lib. *subegit:* probo. Nam de his etiam triumphavit, et Dalmatici nomen retulit. *Sigon. Delmacios* Voss. Per vocalem secundam *Delmatæ* hoc nomen scribitur in Fragm. Fast. Capitol. L. CAECILIVS. L. F. Q. N. METELLVS. DELMATIC. PRO. COS. DE. DELMATEIS. Pighius etiam in Annal. ad a. IↃCXXXV. p. 88. denarios in memoriam triumphi, quem Metellus de Dalmatis duxit, superesse monet, quibus ab altera parte novum hoc cognomen DELMATICVS inscriptum legitur. Similiter edidit Goltzius in Fast. ad a. IↃCXXXVI. Alia vide apud Cellar. Geogr. Ant. II. 8. p. 389. Adde Dausq. in Orthogr. part. II. voce 'Dalmatia.' Tum *subegit* omnes nostri, et Exc. Pithœi.

Hiempsalem fratrem bello petiit] Pighius in Annal. ad a. IↃCXXXVII. adnotat, de bello Hiempsali ab Jugurtha illato nihil legi in Sallustio. Vide in Jugurth. c. 12. *Duker. Petiit bello* Boend. *petit bello* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *bello petit* Leid. et Voss. Vide ad XXXVII. 45. § 2.

Quem victum interemit] Gud. *qui victus cecidit.* Min. *qui victus occidit.* J. F. Gron. *Qui victus occidit* Leid. et Exc. Pithœi: *quem victum occidit* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Vide ad Epit. l. LVII.

Qui a senatu restitutus est] Voss. et Gud. ambo *expulit: is a senatu restitutus est.* J. F. Gronov. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Verum tamen *est* non adparet in Lov. 2.

L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Ænobarbus, censores] *Ahenobarbus,* ut ante. *Sigonius. L. Domitius Metellus* perperam Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Jac. Perizon. ad marginem Livii monuit Corrad. ad Cic. in Brut. c. 21. p. 154. male legere Q. *Cæcilius.* Certe L. CAECIL. CN. DOM. CENS. memorantur in fragmento legis agrariæ, quod edidit Pighius in Annal. ad a. IↃCXVI. p. 137. *L. Metellus et Cn. Domitius censores* apud Cic. in Verr. I. 55. et Val. Max. II. 9. 9. Præterea *Enobardus* Leid. Voss. et Lov. 2. *Enobarbus* Berg. et Boend. *Ahenobarbus* Exc. Pithœi. Vide ad XXXIV. 42. § 2. Insuper *fratres*, pro *censores*, Leid.

Senatu amoverunt] Vet. lib. *moverunt*. Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Mox *motus Syriæ regnumque continet* Lov. 2. Berg. Exc. Pithœi, et edd. principes: *motus Syriæ regumque continet* Leid. Vossian. Boend. et edd. primis proximæ. Copulam primi sustulerunt Moguntini. Similiter peccant Mss. infra Epit. l. LXX. in fine.

LIB. LXIII.

Cato Porcius consul in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit] Vet. lib. *C. Porcius*. Recte utrumque. Dictus est enim 'C. Porcius Cato.' *Sigon. Malius Porcius* Boenderm. *C. Porcius* Voss. Lov. 2. et Exc. Pithœi; quod Clericus et Crevierius receperunt. Id etiam voluisse videtur scriba Berg. in quo prænominis Caii nota, litera *C.* ab initio Epitomes deest ob causam ad initium Epit. præcedentis datam. *Cato Porcius* Leid. quod servavi. Verisimilius enim est, librarios pro *Cato* substituisse prænomen *Caius*, quam contra. Cognomen autem nomini gentilitio auctor Epitomarum inverso ordine præposuit etiam supra Epit. l. IV. ubi ex Mss. nostris edidi *Cossus Cornelius, tribunus militum, opima spolia secunda retulit*. Livium frequenter eo modo locutum esse, vidimus ad XXX. 1. § 9. Hinc *in Thracia* omittunt Boend. et ed. Camp. Tum *Sardiscos* legunt Norv. et edd. principes, præter ed. Camp. quæ *Scordiscos* dedit. Id deinde revocarunt Moguntini, et reliquæ omnes edd. probantibus Leid. Voss. et Lov. 2. *Scordicos* habet Berg.

Censa sunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia trecenta triginta scx] Vox *civium* deest in Boend. qui deinde, una vocula auctior, legit *et trecenta triginta sex*. Additam vocnlam recipit etiam ed. Camp. Circa ipsum numerum eorum, qui censi sunt, vulgato fere consentiunt scripti et editi, nisi quod Berg. pro *trecenta triginta scx* præferat *CCCIII*. Perperam ergo Marian. Scotus de hoc censu notat ad A. M. C. ↀ ↀ ↀ ↀ LXXXI. 'Censa sunt civium capita quadringenta quatuor millia et quadringenta triginta sex.'

Æmilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales, incesti damnatæ sunt] Historiam e Plutarcho et aliis, pluribus exponunt Pighius ad a. IↃCXL. et Vales. ad Exc. Peiresc. ex Dione p. 626. Fenestella apud Macrob. Saturn. I. 10. scripsit Æmiliam XV. Kal. Januar. damnatam, Liciniam postero die causam dicere jussam fuisse. *Duker*. Vide etiam Hav. Comment. ad Morelli Thes. tom. I. pag. 440. De prodigiis quæ præcesserunt, vide Pighium in Annal. ad a. IↃCXXXIX. p. 104. *Latinia*, pro *Licinia*, perperam Berg. Tum *et Marcia* Exc. Pithœi, et multæ edd. vett. Copulam omisit deinde Gruterus, quæ etiam in nullo Msto meo adparet. Præterea *Vestales virgines* Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp.

Et commissum, et deprehensum, et judicatum sit] Vet. lib. *vindicatum sit*. Sigon. Vocula *et* primo loco deest in Voss. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. antiqq. Eam primus addidit Gruterus, consentientibus Leid. Berg. et Lov. 2. Tum *commissum est* male Leid. Dein *et deprehensum* Lovel. 2. Insuper *judicatum sit* Vossian. Berg. Boend. et Norv. *indicatum sit* Leid. quod fere idem foret ac præcedens *deprehensum*. Sed recte Sigonius *vindicatum sit*; quod præferunt Lov. 2. et Exc. Pithœi. Sæpissime in Mss. commutantur verba 'indicare' et 'indicare;' vide ad IV. 15. § 3. VI. 13. § 8. c. 14. § 13. c. 15. § 13. VIII. 19. § 10. IX. 9. § 8. c. 34. § 9. XXVIII. 19. § 6. c. 46. § 5. XXXIV. 42. § 6. eodem modo 'index' et 'index;' vide ad V. 26. § 6. 'iudicium' et 'indici-

um ;' vide ad VII. 39. § 5. etiam 'nīdicare,' sive 'vindicare,' et 'indicare ;' vide ad III. 71. § 8. VI. 18. § 8. IX. 36. § 12. XXXIX. 47. § 2. et Epit. lib. IV. Commutantur etiam 'iudicare' et 'nīdicare ;' vide ad XXXIX. 47. § 2. et Græv. ad Cic. pro Reg. Dejot. cap. 7. Mox *et ab iis Papirius*, addita copula, Voss. *et ab his Papirius* Berg. Vocem autem *consul* ignorat Voss.

Gentem a Gallis oriundam] Voss. ignorat præpositionem ; quæ etiam abesse posset, si plures codd. in hanc lectionem consentirent. 'Oriri' enim apud Livium eo modo construi, vidimus ad II. 6. § 2. Similiter Colum. II. 3. 'Si modo liberis parentibus est oriundus.' Verum pro vulgato stant reliqui codd. quod et ipsum probum esse patet ex illis quæ notantur ad XXXV. 47. § 5.

Magnumque honorem tulit] Hæc verba nec habentur in Pal. ut testatur Gruterus, et abesse quoque ab Voss. et Gud. affirmat manus paterna. *Jac. Gron.* Eadem verba, quæ olim ultima hujus Epitomes erant, exsulant a scriptis meis, Exc. Pithœi, et ed. Campani. Recte igitur a Clerico ex contextu ejecta censeo.

LIB. LXIV.

In oppido Cirta obsessus] *Ierba* Voss. *Nerba* Lov. 2. *Lerba* Berg. Boend. et ed. Camp. *Cyrtha* reliquæ edd. vett. pro quo recte Moguntini emendarunt *Cirta ;* Græcis enim Κίρτη dicitur. Et ita etiam Leid. et Exc. Pithœi. Perperam igitur edd. Gronoviorum et Hearnii, addita adspiratione, dederunt *Cirtha.* Vide quæ notavi ad Livii XXIX. 32. § 14. et viros doctos ad XXX. 12. § 3. Mox *et hac de caussa Jug. bellum* Voss. *ob hoc bellum Jug.* Lov. 2. *et ob hoc bellum Jug.* Berg. *et ob hoc Jug. bellum* Leid. *et ob hoc ipsi Jug. bellum* Boend. *et ob hæc ipsi Jug. bellum* ed. Camp.

Idque etiam Calpurnius Bestia consul gerere jussus] Vet. lib. *idque Calpurnius.* Sigon. Voculam *etiam* ignorant pariter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Tum *Vest. . . .*, pro *Bestia*, Voss. Id nomen ubique *Bestea* scripsit Pighius ; in quo se correctissimos Fastos Capitolinos secutum esse, testatur in Annal. ad an. IↃCXXVI. p. 31. Tum *gerere jussus est* male Vossian. Boend. et ed. Camp. pejus *gerere visus est* Berg. Vide ad IX. 24. § 4. Mox *senatus et populi* Boend. et ed. Camp.

Ad indicandum consiliorum auctorem] Vet. lib. *ad indicandos auctores cons. suorum.* Sigon. Scriptura, quam Sigonius damnat, data est a Frob. an. 1531. Priores ediderant *ad indicandum cons. suorum auctores.* Sigonii vet. lib. consentiunt Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Paullo ante perperam vox *Jugurtha* deest in Voss. quæ tamen requiritur, ne verba hæc ad Calpurnium referantur. In sequentibus *quia multos* Leid. Vide ad XXXVIII. 36. § 4. Tum *cum pecunia* Voss. addita præpositione : at contra vox *pecunia* deest in Leid. *quod multos in senatu pecunia corrupisse* legunt Boend. Berg. et ed. Camp.

Nomine Massivam, qui regnum ejus populo Romano invisi adpetebat, interfectum. Romæ quum periclitaretur] Ita legendum est, ut omnia una periodo contineantur usque ad verbum illud *clam profugit :* præterea legendum, *Romæ interfectum, cum periclitaretur*, ex vet. lib. et ex Salustio. *Sigonius.* Membranæ Barb. et Gudiani *affectabat.* Petebat enim a populo Romano. *J. F. Gronov. Massinam* Boend. *Missinam* Vossian. *Masinissam* Leid. Berg. Lov. 2. Norv. et priscæ edd. Sed librarii nomen minus notum in notius mutarunt. Recte enim Frob. 1531. *Massivam* edidit ex Sall. Jug. cap. 35. unde patet Massivam fuisse nepotem Masinissæ ex filio Gulussa ;

cujus itidem Jugurtha nepos erat ex filio Manastabale, verum ex concubina susceptus, teste Sall. Jug. c. 5. ut Jugurtha et Massiva essent patrueles. Vide Masinissæ stemma apud Sigon. ad Liv. XXIX. 31. § 1. quod auctius; præter auctores ibidem laudatos, exhibuit Sponius in Miscellan. Erud. Antiq. p. 147. Dein *regnum ejus po. Ro. injussu appetebat* Berg. et Boend. *regnum ejus injussu populi Romani appetebat* ed. Camp. *aspectabat*, pro *appetebat*, Voss. *affectabat* Leid. Lov. 2. et Excerpt. Pithœi; quod recepi. Ita Liv. I. 46. 'Neque ea res Tarquinio spem adfectandi regni minuit.' Varro apud Diomed. I. p. 377. 'Adfectatus est regnum.' Præterea vox *Romæ* exsulat a Boend. et ed. Camp. *Romæ interfectum* legunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2.

Caussam capitis dicere jussus] Ultima vox non adparet in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quasi uno ambitu jungendum foret *periclitaretur caussam capitis dicere*. Sed male. Vocem *caussam* ignorat Norv.

Et discedens urbe] Vet. lib. *cedens*. Sigon. *Discedens* primum vidi in ed. Ascens. a. 1513. nam vetustiores, ut Sigonius maluit, legunt. Neque aliter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi, quorum ultimus tamen male præfert *urbi*. Mox *urbem venalem, cito perituram* Voss. omissa copula, quam certatim servant Sallust. in Jug. c. 35. Flor. III. 1. § 18. Oros. v. 15. et Freculph. Chron. p. I. l. VI. c. 9. qui omnes eadem Jugurthæ verba, aut paullum mutata referunt. Mox *Aurelius Postumius* omnes codd. mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXXIV.

Infeliciter prœlio adversus Jugurtham conflixit, pacemque etiam multum ignominiosam adjecit, quam quidem minime esse servandam sen. cens.] Germanam sic demum restitue lectionem: *A. Postumius legatus, inf. prœlio adv. Jug. gesto, pacem quoque adjecit ign., quam non esse servandam senatus censuit.* Extitit enim, nescio quis, malus auctor Latinæ orationis formandæ, qui in his Epit. describendis de suo inculcavit particulas 'minime,' 'quidem,' 'multum,' 'omnino,' quæ non sunt in vet. lib. nisi raro, et aptæ positæ. *Sigon.* Particulæ *multum* et *quidem*, quas ejiciendas censuit Sigonius, non comparent etiam in membranis meis, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Eas passim primi editores in Epitomis Livianis interposuerunt. De earum priori vide ad Epit. lib. LX. de altera ad Epit. lib. LV. Insuper *adv. Jug. gesto conflixit, pacem quoque adjecit* Boend. et ed. Camp. *adv. Jug. gesto, pacem quoque adjecit* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *adv. Jug. conflixit: pacem quoque adjecit*, omissa voce *ignominiosam*, Voss. *gerere prœlium* apud optimi ævi scriptores nondum notavi. Obcurrit tamen ea locutio apud Frontin. II. 6. § 1. 'Eo prœlio, quod Camilli ductu gestum est:' apud Auctor. de Vir. Illustr. c. 10. 'In prœlio, quod adversus eos gerebat.' Aurel. Vict. de Cæsar. c. 26. 'Haud incommode prœlio gesto contra Germanos.' Exsuperantium de Bell. Civil. c. 6. 'Contra collegam Catulum civile prœlium gessit:' ubi tamen potius 'gerere prœlium' dixit pro gerere bellum, contra quam Cortio visum est. Si quis nihilominus locutionem hanc in auctore Epitom. non ferendam censeat, utpote qui optimum exemplar Livium, quem imitaretur, habuit; legere ex vestigiis Voss. posset, *infeliciter prœlio adversus Jugurtham conflixit: pacem quoque adjecit ignominiosam.* Ego tamen nihil muto. Ceterum historiam hanc ita narrat Oros. v. 15. 'A. Postumium, Postumii consulis fratrem, quem is quadraginta millium armatorum exercitui præfecerat, apud Calamam urbem thesauris regiis conditis inhiantem bello oppressit: cuique

victo ignominiosissimum fœdus exegit, universam pene Africam a Romanis deficientem regno suo junxit.' A quo dissentiens Freculph. qui eum semper describere solitus est, plurimis verbis omissis, Chron. part. I. lib. VI. c. 9. tantum dedit *exercitui præfecerat, interemit, ac pene totam Africam, &c.* Verum male eum deseruit. A. Postumium enim a Jugurtha non interemtum esse, constat ex Sall. Jug. c. 41. et seqq. ubi eamdem historiam refert.

LIB. LXV.

Et universam Numidiam vastavit] Vet. lib. *totamqve Numidiam.* Sigon. *Totamque* etiam omnes scripti mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LII. Præterea *Numantiam* perperam Vossian. Paullo ante *L. Cæcilius* in principio Epitomes præfert ed. Rom. princeps apud Hearnium. Erroris caussam vidimus ad principium Epit. l. LXII. Vox *Metellus* deest in Voss. *consul* in Boend. et ed. Camp.

M. Junius Silanus consul adversum Cimbros] Consulis prænomen exsulat a Voss. vox *consul* ab ed. Camp. Tum *adversus* legunt Berg. et Boend. Vide ad Epit. l. XLVII.

Agros, in quibus considerent] Voss. et Gudiani *consisterent.* Juven. Sat. III. 296. 'Ede, ubi consistas? in qua te quæro proseucha?' *J. F. Gronov.* 'Consistere' apud Juven. videntur dici, qui multum in aliquo loco morantur, in quo ab omnibus, quibus iis conventis opus est, facile inveniri possint: ut apud Plautum Curcul. IV. 1. perjuri in comitio, mendaces et gloriosi apud Cloacinæ sacrum, et alii aliis locis. Horum alterum sæpe pro altero scribi, ostendit Burmann. ad Ovid. Metam. IV. 407. Et 'consistere' etiam interdum dicuntur, qui post longos errores tandem certam et stabilem sedem nanciscuntur, in qua sibi domicilium et lares constituant. Livius X. 10. 'Militaturos se, si utique Etrusci velint, sed nulla alia mercede, quam ut in partem agri accipiantur, tandemque aliqua certa sede consistant.' Sed, quia hi non minus usitate dicuntur 'considere,' hic fortassis nihil mutandum est. Virgil. Æn. IV. 39. 'Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?' Æn. X. 779. 'qui, missus ab Argis, Hæserat Euandro, atque Itala consederat urbe.' Curtius VII. 3. § 23. 'Condendæ in radicibus montis urbi sedes electa est. Septem millibus seniorum Macedonum, &c. permissum in novam urbem (an *in nova urbe?*) considere.' *Duk. Considerent* demum invenio in ed. Ascensii 1513. Omnes priores, omnesque membranæ meæ cum Exc. Pithœi, et Norv. uno ore *consisterent.* Tot testium fide firmatam lectionem iterum in contextum recepi. Virgil. Æneid. I. 629. 'Jactatam hac demum voluit consistere terra:' ubi vide Nic. Heins. Ovid. Met. XI. 407. 'Nec tamen hac profugum consistere Pelea terra Fata sinunt:' ubi Burm. docet melius *consistere*, quam *considere*, illis convenire, qui post vagos errores certis sedibus maneut et quiescunt. Passim verba hæc a librariis fuerunt commutata in Mss. Vide ad Livii VI. 27. § 7. c. 29. § 1. IX. 37. § 7. XXVII. 45. § 5. Pier. ad Virg. Æn. I. 572. et Burm. ad Suetou. Aug. c. 44.

Contra Thracas feliciter quidem pugnavit] Vet. lib. *prospere pugnavit.* Sigon. *Adversus*, pro *contra*, omnes scripti nostri, Exc. Pithœi, et editio Camp. Vide ad Epit. l. LVII. Tum *Thraces* Voss. Sed vide ad Livii XXXI. 39. § 11. Dein *prospere*, pro *feliciter*, codd. mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Qui omnes etiam τὸ *quidem* ejiciunt. Vide ad Epit. l. LV.

L. Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum] Pagus Tigurinus, a quo Cassium interfectum Cæsar quoque B. Gall. I. 12. scribit, erat, eodem auctore, unus e quatuor pagis

Helvetiorum. Helvetios autem Gallis adnumerari certum est. Sed Tacit. German. c. 37. inter duces Romanos, qui a Germanis fusi vel capti sunt, etiam Cassium nominat. Hoc Freinsh. ad Flori III. 3. § 4. visum fuit pugnare cum Cæsare. Davies. ad Cæsar. l. d. nodum ita solvit, ut dicat, Gallos sub Germanorum nomine contineri. Mihi non minus probabile videtur, quod in mentem venit Pighio, qui ad a. IↃCXLVI. verisimile putat, Tigurinos se Cimbris consociasse, et eorum auxilio victoriam istam obtinuisse. Nam Tacit. omnem illam colluviem Cimbrorum, Teutonum, aliorumque barbarorum, qui tum imperium Romanorum invaserant, uno nomine *Germanorum* comprehendisse potuit. *Duk.* *L. Crassus* perperam Leid. et Berg. Prænomen omiserunt Freinsh. Doujat. Clericus, et Crevierius; quod omnes codd. et edd. priores constanter servant. Insuper *a Tigrinis Gallis* Leid. *a Trigrariis Gallis* Voss. Deinde mox *qua civitate* Voss. reliquis invitis. Ceterum *civitas* hic est populus, respublica Helvetiorum. Infra Epit. lib. CVII. 'Reversus in Galliam Eburones et alias civitates, quæ conspiraverant, vicit.' Livius XXXIV. 16. 'Ad hunc vanum et sine auctore ullo rumorem Bergistanorum civitatis septem castella defecerunt.' Apud alios etiam, præsertim autem Cæsarem et Justinum, eodem sensu sæpius obcurrit. Vide Cortium ad Sallust. Catil. cap. 40. Adde Scalig. ad Euseb. Chron. p. 147. Præterea *in finibus Niriobrogum* Leid. *in finibus Vitiokabrogum* Vossian. *in finibus initio Carobrogum* Berg.

Qui ex ea clade superaverunt] Ita demum exhibet ultima Gruteri ed. eamque lectionem omnes recentiores servarunt. Priores dederunt *superaverant*, quod Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et Norv. tuentur. Solus Boenderm. Grutero consentit. Præterea *qui ex clade* Voss. et Berg. *qui ex cæde* Lov. 2. Librarios passim has voces commutasse, vidimus ad Livii IV. 10. § 5.

Dimidia rerum omnium parte] *Dimidia eorum omnium parte* Boend. Male. Orosius V. 15. 'Q. Publius alter legatus, ne residua exercitus portio, quæ in castra confugerat, deleretur, obsides et dimidiam partem rerum omnium Tigurinis turpissimo fœdere dedit:' ubi pro *Q. Publius* Hav. *C. Popillius* legendum conjicit; quomodo, hunc locum adducens, laudat etiam Pighius in Annal. ad a. IↃCXLVI. p. 134. Et ita eum adpellat Freinsh. in Supplem. hujus lib. c. 57.

LIB. LXVI.

Pulsus a C. Mario ex Numidia] Voculam *ex* non exstare in Pall. notavit Gruterus. Sed nec ipse in Voss. inveni. Ac deleatur sane, quum et apud Livium hujus auctorem habeas XXIX. 18. de Pyrrho, 'pulsus Italia.' Ac frequenter ita. *Jac. Gron.* Præpositionem *ex* similiter omittunt Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi; quam etiam, consentiente Jac. Gronovio, ex contextu sustuli. Ita enim infra Epit. l. XC. 'A Q. Catulo collega Italia pulsus est.' Epit. lib. XCV. 'Pulsumque Bithynia regem coëgit in Pontum profugere.' Vide ad Epit. lib. XLVI. Vox *pulsus* male aberat a Voss. Mox *cum auxilio Bocchi, &c. adjutus est: et cæsis* Voss. Leid. Berg. et Lov. 2. *cum auxilio Bocchi, &c. adjutus esset: cæsis* Boend. et ed. Camp. Præterea *Mudiutorium*, pro *Maurorum*, Voss.

Nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere] *Volente Boccho, bellum inf. susc. diutius sustinere noluit* Voss. sed contra fidem historiæ: *volente Boccho* etiam Boend. et ed. Camp. contra vero *sustinere noluit* Berg. et Lov. 2.

Vinctus ab eo et Mario traditus est] *Victus ab eo* sollemni scribarum aber-

ratione Leid. Voss. et Berg. Vide ad Livii XXX. 12. § 7. Præterea *traditus Mario est* Vossian. Boend. Exc. Pithœi, Norvic. et edd. ante Gruterum, qui ordinem mutavit, adsentientibus Leid. Berg. et Lovel. 2. Mox *quæstoris et Marii* Boend. *quæstoris C. Marii* Leid. Vossian. Berg. et Lovel. 2.

LIB. LXVII.

Aurelius Scaurus, legatus consulis] Vet. lib. *M. Aurelius*. Sigon. Scaurum consulem ab iis trucidatum scribit Velleius II. 12. Sed factum est post consulatum illius. Vide quæ ibi adnotarunt viri docti, et Sigonium ac Pighium ad a. IↃCXLV. et IↃCXLVIII. *Dukerus*. Prænomen et cognomen Aurelii deest in Boend. prænomen etiam in ed. Camp. et quibusdam aliis. *P. Aurelius* legit ed. Rom. princeps apud Hearnium; idque voluisse videtur librarius Voss. codicis, qui corruptius *Paulelius Scaurus* dedit. Sed recte *M. Aurelius* emendat Sigonius, consentientibus Leid. Berg. et Lov. 2. Cur facillime in initio harum Epitomarum litera initialis vel omissa, vel mutata sit, vidimus ad Epit. lib. LXII. *Scaurus* negligit Leid. Mox *in consilium ab iis advocatus* Vossian. Berg. et Exc. Pithœi ; quod multo melius esse, quam vulgatum *evocatus*, judicat Crevier.

Romanos vinci minime posse] Vet. lib. *non posse*. Sigon. Similiter Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. XLIX.

A Bolo rege, feroce juvene] Placet Freinshemii *a Bojorige*. J. F. Gronov. Locus Freinshemii, ubi ita emendandum monuit, exstat in notis ad Florum III. 3. § 18. quo loco, secutus judicium Gruteri, idem nomen regi hic et apud Florum ex Plut. in Mario p. 419. Eutrop. V. 3. et Oros. V. 16. restituit ; aliumque ejus nominis Boiorum regem a Livio XXXIV. 46. memorari observavit. Hic tamen in vulgatum conspirant omnes codd. nostri cum Exc. Pithœi, et Norvic. apud Hearn. Insuper *feroci juvene* iidem omnes codd. et edd. antiqq. quod Crevierius etiam recepit: *feroce* demum in ed. Frob. 1531. obcurrit.

C. Manlius et Q. Cæpio proconsules victi prælio, castrisque binis exuti sunt] Restitue ita : *Cn. Mallius consul et Q. Cæpio proconsul victi prælio, castris quoque binis exuti sunt*. In Manlio variant scriptorum libri. Alii enim *C.* alii *Cn. Manlium*, alii *M. Manilium* vocant, quemadmodum in plerisque Mss. est, et in impressis Eutropii, Taciti, et Sallustii. Itaque *Cn. Mallius* reponendum, testibus lapidibus antiquis. In vetere Epitomarum exemplari est *Manilius consul et Q. Cæpio proconsul*. Egregie: nam Q. Cæpio et consul ante Mallium, et prorogato imperio cum consule Mallio proconsul cum Cimbris rem gessit, ut ait Orosius. *Sigonius*. In consulis nomine magna variatio est apud auctores. Eutropius enim V. 1. *M. Manilium* vocat, prænomine discrepans a Cassiodoro, cui congruit Orosius V. 16. Livius hoc loco, Tacitus de Morib. Germ. c. 37. et Sallust. in Jugurth. c. 114. falso prænomine *M. Manlium* appellant. At rectius Cicero in Orationibus pro Muren. c. 17. et pro Cn. Planc. c. 5. *Cn. Manlium* nominat. Sic item correctissime reperimus expressum ejusdem consulis nomen apud Valer. Max. II. 3. ubi refert armorum tractandorum meditationem a P. Rutilio consule, *Cn. Mallii* collega, militibus esse traditam. Ita namque Mss. et correctiores codd. nomen hoc exprimunt, non secus ac in tabulis nostris antiquis Siculis Græce, nec non in vetustissima lege illa ædificatoria legitur, quam habet marmorea tabula, in agro Puteolano reperta ante aliquot annos. Gruter. p. CCVII.

AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC.
N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVO. VIR
P. RVTILIO. CN. MALLIO. COS
OPERVM. LEX. II.

Pighius in Annal. ad a. IↃↃCXLVIII. p. 145. Gudiani, *CN. Manlius consul et Q. Servilius Cæpio.* J. F. Gron. *C. Manilius cons. et Q. Servius Cepio pro cons.* Boend. *C. Martius consul et Q. Servilius proconsul* Berg. *Cn. Marius consul et Q. Servilius Cæpio proconsul* Leid. Similiter Voss. et Lov. 2. nisi quod *Cn. Manlius* præferant. At contra, *Cn. Marius* in Exc. Pithœi esse, in ceteris Sigonio consentire, testatur Hearnius. Sigonius in priori Scholiorum ed. *M'. Manilius* emendabat. Prioris hic memorati prænomen *Cn.* fuisse, viris doctis adsentior, quia id ei in laudata inscriptione adtribuitur, idque a librariis passim vel in *C.* vel in *M.* corrumpi solet. Vide ad Livii VII. 3. § 3. et c. 12. § 1. Idem prænomen ei vindicant Spanhem. de Præst. et Usu Numism. Diss. X. p. 34. et Cortius ad Sall. Jug. c. 114. 'Manlius' et 'Manilius' diversarum gentium nomina quin fuerint, nullus dubitat: at 'Manlius' et 'Mallius' ejusdem gentis fuisse, et 'Manlius' liquescente pronunciatione etiam 'Mallius' dici puto: vel, ut alii statuunt, 'Manlius' Latinum, 'Mallius' Græcum est. Recte autem vocem *consul* additam, et *proconsules* in *proconsul* mutatum esse, codd. nostri docent. Vide Fabric. ad Oros. v. 16. in princ. qui voces *Romani consules* apud Eutrop. v. 1. auctoritate Msti sui delet, et apud Vell. II. 12. § 2. *cos.* pro *coss.* scribendum conjicit. Manlium 'consulem,' Cæpionem 'proconsulem' vocat etiam Freculph. in Chron. part. 1. lib. VI. c. 10. Vox *Servilius,* quam Sigonius delet, omnes scripti nostri agnoscunt; ipse eam etiam in contextu servavit. Præterea *castris quoque binis,* quod Gruterus ex mente Sigonii recepit, et recentiores omnes retinuerunt, mihi quoque obcurrit in Berg. et Lov. 2. at *castrisque* in Leid. Voss. et Berg. Vide ad Livii v. 27. § 1.

Militum millia octoginta occisa, calonum ac lixarum quadraginta] Tria priora vocabula in hunc ordinem digesta primum video in Gronovii ed. 1665. nec aliter Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Reliquæ priores edd. *octoginta millia militum* præferunt, concinentibus Leid. Voss. Exc. Pithœi, et Norv. quod Clericus et Crevierius revocarunt. Tum *cæsa* Voss. et ed. Camp. *cæsi* Boend. Quod, si plures codd. firmarent, auctori ex imitatione Liviana adhæsisse censerem. Vide ad XXXVII. 39. § 12. 'Cæsus' autem et 'occisus' commutantur; vide ad XXVII. 42. § 7. Præterea *calonum et lixarum* Leid. Voss. Berg. et Boend. Insuper *quadraginta millia* iidem codd. cum Exc. Pithœi, Norv. et vett. edd. Sed ultimam vocem primus omisit Gruterus. Et recte. Vide ad Epit. l. LV. In numero etiam differt ed. Camp. *LX. millia* exhibens. Vulgatum numerum tuetur Oros. v. 16. 'Octoginta millia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta millia calonum atque lixarum interfecta, Antias scribit.' Vide etiam Freculph. Chron. part. II. lib. VI. c. 10.

Secundum populi Romani jussionem] Hæc ineptissima sunt, et aut omnino delenda, aut mutanda. Membranæ Barber. et Gudianæ duæ *secundum a po. Ro. ausionem.* Quid si legas? *Militum millia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta, secundum Arausionem. Cæpionis, cujus temeritate.* Certe in partibus illis res gesta est. Sic quod Epit. l. CIX. *dein pro Cæsare actiones,* Voss. *de p. R. alare actiones:* Gud. *de po. Ro. Cæsarisque actiones.* Quæ alia mutavimus, eorundem codicum fide nituntur. Vulgatam nihilominus interpretatur Sebastianus Corradus ad Ciceronis Brutum p. 247. *J. F. Gron. Secundum*

a populo Romano ausionem Leid. Lov. 2. et Voss. *secundum u po. Ro. jussionem* ed. Camp. *secundum a po. Ro. auxionem* Berg. et Boend. Sed Gronovii εὐστοχίαν mire firmant Exc. Pithœi; quæ, teste Hearnio, præferunt *secundum aprausionem.*

Cæpionis, &c. damnati bona publicata sunt, primoque post regem Tarquinium imperium ei abrogatum] Primum illud dico, imperium regi Tarquinio non esse abrogatum, sed exsilio multatum, ne in urbe esset. Deinde vero addo alios ante Cæpionem imperio spoliatos fuisse, ut Tarquinium Collatinum, et L. Minucium Augurinum, et M. Claudium Gliciam, quorum illi coacti sunt abdicare se consulatu, hic dictatura. Quare non est dubium quin legendum sit, ut est in vetere libro, *damnati bona publ. sunt primi post regem Tarq., imperiumque ei abrogatum.* Sigon. Sic et nostri codd. ut voluit Sigonius. Quid igitur opus convincere argumentis vulgatam? 'Primum illud dico,' ait Sigonius, 'imperium regi Tarquinio non esse abrogatum.' At contrarium dicit alter Florus I. 7. 'Imperiumque tum regibus abrogatum.' *J. F. Gron.* Non eo fine stetit Cæpionis calamitas, si fides habenda est Valer. Max. qui VI. 9. 13. in vincula publica conjectum, et corpus ejus in scalas Gemonias tractum dicit. Sed in eo et a se ipse IV. 7. 3. et ab aliis dissentit. Vide Pighium ad a. IↃCLVIII. *Duk. Primique post regem Tarq. imperiumque* Voss. Berg. et Boend. *primi post regem Tarq., imperiumque* Leid. Lov. 2. et Exc. Pithœi: quod probat etiam Perizon. in Animadv. Hist. c. 8. 346. Id, quod in argumentis Sigonii, quibus hanc lectionem firmare conatur, carpit Gronovius, etiam ex Livii I. 59. falsi convincit Duker. ad Flor. I. 7. § 11. Ceterum non eodem tempore, quo imperium Cæpioni abrogatum est, etiam bona ejus publicata fuisse, sed demum decennio postea, quum a Norbano tribuno plebis majestatis accusatus fuisset, existimat Pighius in Anual. ad a. IↃCXLVIII. p. 149. et a. IↃCLVIII. p. 198.

Cum duobus filiis, et in carcere necatus] Vet. lib. *necatus est.* Sigon. *Cum duobus filiis est, et in carcere necatus* Boend. et ed. Camp. *cum duobus filiis, in carcere necutus est* Lov. 2. *cum duobus filiis, et in carcere necatus est* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi.

Continuatus per complures annos magistratus est] Vet. lib. *consulutus est.* Est enim factus II. 3. consul, cum abesset. Hæc est autem quinta lex, 'Ne quis absens capere consulatum possit,' qua solutus est Marius. Itaque Cæsar post omisit triumphum ex Hispania ulteriore, ut præsens peteret consulatum. *Sigon.* Sigonius ex suo *consulatus.* Sed quia statim repetitur eadem vox, spreverunt: habet τὸ *magistratus* Vossian. Deinde idem et Gud. *consulatu secundo et tertio absens creatus.* J. F. Gronov. *Per quamplures annos* Leid. Voss. Norv. et edd. principes, pro quo Moguntini emendarunt *complures,* consentientibus Berg. Lov. 2. et Boend. Recte. Vide ad IV. 31. § 2. Tum *consulatus est* Berg. *triumphatus est* Exc. Pithœi: *est consulatus* Leid. ita tamen, ut vocem sequentem *consulatu* ignoret, quæ cum præcedenti *est* non adparet etiam in Boend. et ed. Camp. Neque etiam illam desidero. Quid enim est *consulatu secundo absens consul creatus est,* aut quis ita loquitur? Forte inde ea nata est, quod librarius, vocem *magistratus* in margine per vocem *consulatus* expositam videns, et variam lectionem esse credens, utrumque in contextum receperit; pro quo postea alius, ut sensus constaret, dedit *consulatu.* Legendum itaque puto, *continuatus per complures annos est magistratus. Secundo et tertio absens consul creatus.* Ceterum *consul creatus est,* addita ultima voce, Leid. Mox autem *quartum consulatum accepit,* pro

dissimulanter captans consecutus est, Boend. et ed. Camp.

Pontifex maximus populi suffragio creatus est] Non erat cur Livius tamquam novum aliquid narraret, pontificem maximum populi suffragiis creatum fuisse, quod semper ante id tempus factum fuerat. Sed fortassis exposuerat præcipuam aliquam causam gratiæ et studii populi erga Domitium. Ea autem esse potuit, quod a. IↃCL. vel priore anno, quum tribunus plebis esset, legem tulerat, qua jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transferebatur, quod Cic. in Rull. II. 7. Vell. II. 12. et Sueton. Ner. c. 3. memorant. Valerius Max. VI. 5. 5. a populo propter virtutes consulem, censorem, et pontificem maximum factum scribit. *Duk.*

Quæ circa Rhodanum et Pyrenæum sunt] Vet. lib. *inter Rhodanum et Pyrenæum*. Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi: proxime accedit ed. Camp. *intra Rhodanum* præferens.

Bellicosis quidem se Theutonis conjunxerunt] Vet. lib. *bellicosis se Teutonis*. Sigon. Faveo *Teutonis:* sed cur hi præ aliis ' bellicosi ' prædicentur, causæ parum. Forte *reversique in Galliam Ambronibus se et Teutonis conjunxerunt*. Mss. *imbellicosi*, vel *in bellicosis*. J. F. Gron. Voculam *quidem* a Sigonio sublatam ignorant etiam omnes mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LV. Deinde *etiam bellicosis se Teutonis conjunxerunt*. Leid. *iubellicosi tunc coĩs conjunxerunt* Voss. *imbelcosis Theutonis coruperunt* Boend. *imbellicosis Teutonis corruperunt* editio Camp. *inbellicosi se Teutonis conjunxerunt* Lov. 2. *in bellicosis se Theutonis conjunxerunt* Berg. Hæc ita refert Obsequens de Prodig. c. 103.' Cimbri Alpes transgressi per Hispaniam vastatam junxerunt se Teutonis :' ad quem locum Schefferus Gronovii conjecturam *Ambronibus se et Teutonis* eo argumento rejicit, quod neque ibi ulla Ambronum mentio obcurrat. Ea contra non displicet Crevierio, quoniam Epit. seq. Ambrones et Teutoni simul castra Marii oppugnasse memorantur. Verum emendatio illa longius a vulgato abit. Schefferus ipse codicum vestigia secutus hic legendum censet *belli causa se Teutonis conjunxerunt:* at Oudendorp. *in belli casus se Teutonis conjunxerunt*. Ceterum *Teutonis* sine adspiratione melius scribi, docet Dukerus ad Flori III. 3. § 7.

LIB. LXVIII.

Antonius prætor in Sicilia] Emenda ad fidem vet. lib. *M. Antonius prætor in Ciliciam*. Eadem menda est apud Obseq. c. 104. ubi scriptum est ' Piratas a Romanis in Sicilia deletos esse,' cum sit legendum *Cilicia*. Nam, ut scribit Plutarchus in Pompeio p. 630. Cilicia arx fuit hoc tempore piratarum, ob eamque caussam post in Cilicia bellum gessit P. Servilius, qui Isauricus inde appellatus est. Adde quod M. Antonius apud Ciceronem de Orat. I. 18. pro consule se in Ciliciam venisse ait. Antonium porro cum piratis rem gessisse, tradit Plutarchus in Pompeio. *Sigon. In Ciliciam* legendum esse, docet Mstum Jac. Susii exemplar, sicut et recte correxit locum Sigonius. M. Antonium vero non prætorem, ut habet Livianum, nescio an satis correcte, vulgatum compendium, sed proconsulem, provinciam hanc obtinuisse, testatur ipse apud Cic. de Orat. I. 18. *Pighius* in Annal. ad a. IↃCL. p. 157. Quæ de hoc bello Antonii cum piratis a veteribus tradita sunt, leguntur in Pighio ad a. IↃCL. in quem prætnram illius recte ab eo conferri puto, quia Obsequens quoque c. 104. bellum illud ante cladem Teutonum in Gallia, id est ante a. IↃCLI. memorat. Sed non credo Pighio hic jure suspectam fuisse vocem *prætor*, eo

quod ipse Antonius in Cic. de Orat. I. 18. se *pro consule* in Asiam venisse dicit. Ex eo enim nihil aliud probari potest, quam eum, quum prætor esset, cum imperio consulari in Ciliciam missum fuisse: unde non consequitur, prætores, qui pro consulibus in provincias mittebantur, deinde desiisse, aut non potuisse 'prætores' vocari. Nam etiam, qui ex consulatu provincias sortiti fuerant, interdum prætores dicuntur: ut Q. Mucius, quem post consulatum Asiam habuisse constat, apud Ascon. in Divin. Cic. in Q. Cæcil. c. 17. Vide ad Livii XXXIX. 29. et Perizon. Diss. I. de Prætor. § 12. 13. *Duk. M. Antonius* Leid. Voss. Lovel. 2. Berg. Exc. Pithœi, et edd. principes. Prænominis in aliis omissi caussam vide ad Epit. l. LXII. Tum *in Sicilium* Vossian. et Boenderm. *in Ciciliam* Berg. et ed. Camp. *in Ciliciam* Leid. Lovel. 2. et Exc. Pithœi; quod verius. Alibi voces 'Cilicia' et 'Sicilia' commutari solent. Vide ad Epit. libb. XCIII. XCVIII. XCIX. CXXIX. et alibi. Mox *maritimos prædones, id est piratas* Lov. 2. et Exc. Pithœi, glossa marginali interpretis in contextum recepta.

Obpugnata a Teutonis et Ambronibus castra] *Expugnata* Boenderm. et ed. Camp. sollemni scribarum aberratione. Vide ad XXI. 57. § 6. Tum *Theutonibus* idem Boend. Verum melius non tantum in hac voce adspirationem omitti, sed etiam eam *Teutonos*, quam *Teutones*, efferri, docuit Duker. ad Flori III. 3. § 7. Præpositionem *a* omittit Norv. Mox *eosdem hostes* Exc. Pithœi.

Cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta] Malo *octoginta*. Cur malim, ratio est, quia hoc Eutropius et Orosius tradunt. In vet. lib. legitur *CXC*. ubi prius *C*. depravatum fuit ex *X*. Delrius. *Capti CC*. Voss. *capta CXC*^{m}. Berg. *capta C. et nonaginta millia* ed. Camp. *cæsa traduntur hostium ducenta, capta centum nonaginta millia* Boend. De numero interfectorum et captorum vide Fabric. ad Oros. v. 16. Adde Freculph. Chron. part. I. lib. VI. cap. 10. 'Ducenta millia armatorum interfecta sunt, octoginta millia capta: vix tria millia effugisse referuntur.'

Absens quintum consul creatus est] *Quinto consul* Leid. *quinquies consul* Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Eutrop. v. 1. 'Propter quod meritum absens quinto consul est factus.'

Donec Cimbros vinceret] Vet. lib. *donec et Cimbros vinceret*. Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. In reliquis particulam *et* interceperunt ultimæ literæ vocis præced. *donec*. Mox *Cimbri cum repulso* Leid. Berg. et Lov. 2. *Cimbri enim repulso* Voss. Boend. et ed. Camp.

Qui fauces Alpium obsederat, et ad flumen Athesim castellum editum insederat, reliqueratque, cum (vel, ut in Aldinis, *ubi*) *virtute sua explicata* (vel, ut in aliis, *explicita*) *fugientem proconsulem exercitumque prosecuti, in Italiam trajecissent*] Quid in his, quæso, sani? Jacobi Susii vetus Ms. exemplar, quod aliquotiens adduxi, discrepat nonnihil. Nam pro *castello edito* prodit *castellum Eduum*, ut sit proprium loci nomen: et *procos.* breviter, non plene, scribit, ut in vulgatis: item omissa voce *cum* pro *ubi* ponit *nisi*: denique pro *exercitumque prosecuti* habet *exercitum prosecutus esset*. Hæc itaque variatio cum lucis quid adferre videatur, conjecturas nobis injicit, tam ex variatis verbis, quam ex ipsa historia, locum ita fere corrigi posse, mutatis, ut aiunt practici, mutandis: nihil tamen certi de hisce statuo: *Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo procons. qui fauces Alpium obsederat, et ad fl. Athesim cast. Eduum insederat, reliqueratque; nisi tum virt. sua explicite fug. procos. exercitum cons. stitisset, in Italiam trajecissent*. Sensus quidem historiæ talis esse videtur: Q. Catulum procon-

sulem in ipsis Alpium faucibus trans Athesim flumen castellum Eduum prius insessum reliquisse, ne a multitudine hostium Cimbrorum per diversas vallium vias ingruentium circumventus commeatu excluderetur. Cum vero Cimbri, superatis Alpibus et Athesi, utrasque fluminis ripas præsidiis a Catulo firmatas, ponte rupto, caperent; nisi fugientem præ metu exercitum proconsul virtute sua retinuisset, Cimbri victores sine obstaculo in interiorem Italiam trajecissent. Qua ratione, sublatis signis, exercitui in fugam verso ducem se fecerit Catulus, et continuerit, Plutarchus in Mario p. 418. narrat latius, quem vide, et facilius locum intelliges. *Pighius* in Annal. ad a. IↃCLII. p. 167. Barber. et Gud. membranæ: *obsidebat, fl. Athesim transgressi cast. editum, quod inserat, ut reliquerat, effecerunt: quem tumen virt. sua explicita fug. proconsulem exercitumque cons. est. In It. cum deinde trajecissent, junctis ejusdem Catuli, &c.* Quæ videntur meliora vulgatis, modo scribas *relinqueret*, et illa *quem tumen* sic corrigas et suppleas: *qui tamen in castello fuerunt, virt. sua expliciti fug. proconsulem exercitumque consecuti sunt.* Digna memoria virtus, de qua sic Plutarchus p. 419. Οἱ δὲ βάρβαροι τὸ μὲν πέραν τοῦ Ἀτισῶνος φρούριον ἐπελθόντες ἔλαβον· καὶ τοὺς αὐτόθι Ῥωμαίους, ἀνδρῶν κρατίστους γενομένους, καὶ προκινδυνεύσαντας ἀξίως τῆς πατρίδος, θαυμάσαντες ὑποσπόνδους ἀφῆκαν. *J. F. Gron.* In his admodum variant codd. nostri: *quod fauces Alpium obsidebat, fl. Athesim, cast. editum insederat reliquerantque virt. sua explicata fug. proconsulem exercitumque prosecuti in Italium trajecissent* Leid. *qui fauces Alpium obsidebat fl. Athesim castellum editum insederat rēliquerat q̄ tum virtute sua explicita fug. proconsulem consecuta est, in It. trajecissent* Voss. *quod fauces Alpium obsidebat fl. Athesim castellum editum insederat reliqueratque tumen virt. sua explicita fug. proconsulem exercitumque consecutu est, in It. trajecissent* Berg. *qui fauces Alpium obsidebat fl. Atisim castellum editum insederat reliqueratque, nisi virt. sua explicata fug. proconsulem exercitumque consecutus esset, in It. trajecissent* Lov. 2. *qui fuucos Alpium obsederat flumine Athesim castellum editum insederat reliqueratque ut virt. sua explicata fug. pro cons. exercitum consecutus esset, in It. trajecisset* Boend. Adparet Gronovii codd. reliquis integriores esse. Ejus tamen conjecturam in contextum recipere, quod non monito lectore Clericus fecit, non ausus sum. Hearnius testatur *Atissim* pro *Athesim*, tum *tamen virtute sua explicita*, et *consecuta est* præferre Exc. Pithœi.

Ubi virtute sua explicita] Vet. lib. *cum virtute sua explicata:* quanquam sensu admonente *expliciti* lego; quod est, obsidione quasi Catuli liberati. *Sigon.* Recte Crevierius observavit Cimbros tum victores se periculo non explicuisse, sed ultro periculum ac terrorem Romanis intulisse, et hinc Sigonii interpretationem admitti non posse. Emendationem ejus recipit Gronov. sed, vocibus quibusdam, quas excidisse putat, insertis, refert ad præsidiarios castelli a Cimbris expugnati. De locutione 'virtute sua expliciti' vide ad Epit. l. XLIX.

Junctis ejusdem Catuli et C. Marii exercitibus, prælio victi sunt ab eis] *Incertis ejusdem Catulli et C. Marii* Berg. *incertisque ejusdem Catuli C. Marii* Boend. *junctisque ejusdem Catuli et C. Marii* ed. Camp. *victis ejusdem Catuli et C. Marii* Leid. sed alibi sæpe *iŭctus* sive *junctus* et *uictus* in Mss. confunduntur. Vide ad II. 40. § 13. III. 67. § 9. VI. 7. § 1. c. 16. § 3. XXIX. 23. § 9. XXXII. 3. § 4. N. Heins. ad Nason. Her. XXI. 223. Trist. V. 2. 68. et Claud. Cons. Honor. III. 182. Deinde *ab eis* deest in Leid. Berg. et Lov. 2. Voces illæ omitti possunt. Ita *victi sunt junctis exercitibus* erit

pro a junctis exercitibus. Possunt tamen et servari, ut *junctis exercitibus* sint ablativi, ut vocantur, absoluti. Ita Epit. l. IV. ‘ Mam. Æmilius dictator, censuræ honore, &c. anni et sex mensium spatio finito, ob eam rem a censoribus notatus est:’ ubi etiam brevius, omissis vocibus *ob eam rem*, dicere potuerat *ob censuræ honorem finitum*. Eo modo Leid. exhibebat supra Epit. l. XLVI. ‘ L. Æmilio Paullo, qui Persen vicit, mortuo, tanta ejus abstinentia fuit.’ Pariter scribendum putavi Epit. l. LVII. ‘ Alio scutum parum habiliter ferente, amplius eum justo scutum ferre jussit:’ et Epit. l. LXXXIX. ‘ In se mucrone verso, ad transtrum navis obnisus corporis pondere ei incubuit.’ Ipsum etiam Livium ita locutum esse, vidimus ad XLII. 36. § 7.

In quo cæsa traduntur hominum centum quadraginta millia, capta sexaginta] Vet. lib. *hostium*. Idem autem numerus traditur fere ab Orosio, et Plutarcho, et Floro, quamquam Flori locus III. 3. § 10. mendose legitur sic: *In patentissimo, quem Caudium vocant, campo procurrere: millia deinde ad quadraginta ceciderunt. Hinc campus tertio per omnem diem conciditur barbaris*. In veteribus autem libris recte sic: *In patentissimo, quem Caudium vocant, campo concurrere: millia inde centum quadraginta ceciderant, hinc tertio minus: per totum diem conciditur barbarus*. Sigon. *Hostium* etiam Voss. Lov. 2. Berg. et Exc. Pithœi: sed vocem illam ignorant Leid. et Boend. Tum *capta LX*^{m}. Boend. et Berg. *capta sexaginta millia* Leid. et ed. Camp. Sed vocem *millia* a librariis additam iisdem relinquo. Vide ad Epit. l. LV. De interfectis et captis hoc prœlio vide Plut. in Mario p. 421. Eutropium, V. 1. Oros. V. 17. et Freculph. in Chron. part. II. lib. VI. c. 10.

Totius civitatis consensu receptus] Vet. lib. *exceptus*. Sigonius. Similiter Leid. Berg. et Lov. 2. *exceptus est* Voss. *receptus est* Boenderm. et ed. Camp.

Primores civitatis, qui aliquantulum ut novo homini, &c. inviderant] Vet. lib. *aliquamdiu*. Sigon. *Qui et aliquamdiu* Leid. Berg. et Lov. 2. *et aliquamdiu* Voss. *qui aliquamdiu* Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Etiam alibi librarios has voces in Mss. commutasse, patet ex illis quæ notantur ad Epit. l. L. Tum *uno novo homini*, pro *ut novo*, ed. Camp. quæ cum Boend. insuper legit *inviderent*.

P. Malleolus] Vet. lib. *Publicius Malleolus*. Recte: ita enim et Orosius V. 17. et certe Malleolum ‘ Publiciæ ’ gentis cognomen fuisse, Capitolini consules ostendunt. *Sigon. Publius Maleolus* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *Maleolus*, voce præcedenti omissa, Leid. *Publicius Maleolus* Voss. et Boend. *Poblicius Malleolus* Exc. Pithœi. Ita olim hoc nomen scribebatur. Exstant varii nummi, in quibus partim nomen gentile *Poblicius*, partim cognomen *Malleolus* scribitur. In fastis etiam Capitol. ad a. IↃXXI. consul memoratur M. POBLICIVS. L. F. L. N. MALLEOLVS. Postea prius nomen scriptum est *Publicius*. Ita Πουβλίκιος memoratur Plutarcho in Marc. p. 314. *Publicius Maleolus* apud Festum voce ‘ Publicius clivus:’ et Freculph. in Chron. part. I. capp. 6. 10. Vide ad XXII. 53. § 2. Mox *matre occisa* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII.

Primus omnium insutus culeo] Pœnam cullei tamen dudum ante hoc tempus parricidii legibus constitutam fuisse, putant jurisconsulti. De ea re agit Otto ad § 6. Instit. de Publ. Judic. et in Præfat. tom. IV. Thes. Juris Civ. *Duk.* Vocem *omnium* ignorant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. eamque expungendam esse, monuit Jac. Gronov. ad Epit. l. XLVIII. Tum *culeo insutus* Boend. et

ed. Camp. *in culeo insutus* Berg. et Lov. 2.

Ancilia cum strepitu mota esse] Sua sponte scilicet; quod addit Jul. Obseq. c. 104. Nam alioqui etiam ‘ moveri ’ dicebantur ancilia, quum a Saliis e sacrario Martis prolata cum solenni cantu ac tripudiis per urbem gestabantur, ut e Livio XXXVII. 13. et Sueton. Oth. c. 8. notum est. Hearnius hic scribit in Obseq. male legi *crepitu*, pro *strepitu*. Sed recte vulgatam scripturam ibi tuetur Oudendorp. ‘ Crepitus armorum ’ sæpe legitur in Livio. XXV. 6. ‘ Clamorem pugnantium crepitumque armorum exaudimus.’ Sic lib. XXXVIII. capp. 17. et 46. Idem I. 25. ‘ increpare arma ;’ VI. 24. XXVIII. 8. ‘ concrepare arma ’ dicit, et XXIV. 44. de prodigio ei, quod hic relatum fuerat, simili, ‘ In Jovis Vicilini templo arma concrepuisse.’ Nec ideo tamen hic quoque *crepitu* legendum esse putem. Nam, quum proferantur loca scriptorum veterum, (quibus adde Sallust. in Jug. c. 60. Curt. III. 5. § 11. et Valer. Max. V. 2. 8.) qui etiam ‘ strepitum armorum,’ et ‘ arma strepere ’ dixerunt, tutius est receptam lectionem non sollicitari : etsi non omnino improbabile est Livium, quia hoc forsitan nusquam, illo sæpe usus est, hic quoque scripsisse *crepitu*. Non nego alibi pro *strepitantia arma* recte substitui *crepitantia*, quia ibi emendatio auctoritate Mstorum nititur. Ea si deesset, nihil tentandum crederem : et ob hanc caussam non dubito amplecti sententiam Præsidis Boulhierii in Carm. Petronii de Bello Civ. vs. 134. retineri posse vulgatum *Armorum strepitu cœlum furit*, pro quo viri eruditissimi malnerunt *Armorum crepitu*. ‘ Crepare ’ et ‘ strepere,’ ‘ crepitus ’ et ‘ strepitus ’ non raro de earumdem rerum sono usurpantur. Cic. Verr. V. 13. ‘ Lucum illum litoris percrepare totum mulierum vocibus, cantuque symphoniæ.’ Livius VI. 25. ‘ Ludos literarum strepere discentium vocibus.’ Idem XXVI. 5. ‘ Cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet.’ Statius Theb. VI. 686. ‘ procul auxiliantia gentes Æra crepant.’ Liv. XXXIX. 8. ‘ Præ ululatibus tympanorumque et cymbalorum strepitu.’ Tacit. Ann. I. 28. ‘ Æris sono, tubarum cornuumque concentu strepere.’ Quod Statius et alii ‘ tonitrua armorum ’ dixerunt, non confirmat conjecturam in Petronio : nam tonitrua etiam dicuntur ‘ strepere.’ Silius Ital. XV. 144. ‘ et vaga late Per subitum moto strepuere tonitrua cœlo.’ *Duk. Cum crepitu* legendum, conjicit etiam Oudend. ad Obseq. de Prodig. c. 104. qui, hoc prodigium referens, pariter dixerat *Ancilia cum crepitu sua sponte mota :* ubi contra Scheff. ex hoc loco Livii *cum strepitu* emendandum censebat. Vide ad XXXVIII. 17. § 4. *Mota tunc*, pro *mota esse*, Voss.

Antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur] *Consumaretur* Berg. Lov. 2. et plerique editi antiqui : *consumetur* Voss. et ed. Camp. Alibi sæpe hæc verba confunduntur in scriptis. Vide Burm. ad Nason. Fast. III. 166. ad Suet. Cæs. c. 30. et Heins. ad Ovid. Trist. V. 5. 24. Tum *refferunt* Boend. *refertur* Leid. Berg. et Lov. 2. ‘ Refertur ancilia mota esse ’ similis locutio foret ei quam inlustravimus ad Liv. I. 31. § 8.

Bella præterea inter Syriæ reges continet] Vet. lib. *inter Syriæ reges gesta continet*. Sigon. *Bella præterea inter reges Syriæ continet* Voss. *Bella inter Syriæ reges gesta præterea continet* Berg. *Bella præterea inter Syriæ reges gesta continet* Leid. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Horum auctoritati cedo. Ceteroquin *bella inter Syriæ reges* dictum foret, ut apud Lucan. I. 1. ‘ Bella per Emathios campos.’

LIB. LXIX.

Cn. Apuleius] *L. Appuleius* et veteres libri, et omnes scriptores. *Sigon.* Vide Noris. Cenot. Pis. Dissert. III. 9. *Duk.* De orthographia vocis 'Appuleius' vide ad Epit. l. v. Ei prænomen *Cn.* tribuunt Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norvic. pro quo recte *L.* emendavit Sigonius. De caussa erroris vide ad Epit. lib. LXII.

Et per milites occiso] In expuncto manipulo centuriati isti milites. Forte *per clientes.* J. F. Gron. Plutarchus in Mario tamen Appuleium concionibus suis turbam militarem immistam habuisse scribit. Itaque auctor Epit. fortassis *milites* dixit turbam eorum, qui sub Mario militaverant, sed tum missi erant. Nam Appuleium, ut gratiam Marianorum militum pararet, legem de centenis jugeribus agri veteranis dividendis tulisse, tradit Auctor de Vir. Illustr. cap. 73. *Duker.*

A. Numio competitore] Hunc Νόνιον Plutarchus, Ἄδλον Νόνιον Appianus vocant, ille in Mario pag. 422. hic B. Civ. I. p. 367. At Valer. IX. 7. Orosius V. 17. *Nummium,* præsertim in Mss. libris: nam vulgati habent *Mummium.* Itaque nihil ausus sum mutare. *Sigon.* Mire variatur occisi tribuni nomen, librariorum errore haud dubio. Hic et apud Val. Max. vocatur *A. Numius, Nummius,* vel *Mummius;* in Orosio *A. Nonius,* vel *Annonius* in Mss.; in Floro III. 16. quidem est *Annius.* Sed, quia virum illustrem fuisse refert Appianus, et Noniam tunc temporis gentem nobilem fuisse noscimus, malo sequi eumdem Appianum et Plutarchum, qui *A. Nonium* appellant. *Pighius,* in Annal. ad an. IDCLIII. p. 174. *A. Mummio* Leid. *L. a Numo* Vossian. *Aulio Minutio* Boend. *A. Minutio* ed. Camp. *A. Nunio* Lov. 2. *A. Numio* Berg. *A. Nummio* Exc. Pithœi. Vide viros doctos ad Flori III. 16. § 1. Mox *non minus violentum tribunatum* Voss. *non minus violentem tribunatum* Berg. Tum *quem petierat* Boend. Tandem *tulisset per vim* Boend. et ed. Camp.

Metello Numidico, eo quod in eam minime jurasset] Vet. lib. *quod in eam non juraverat.* Sigon. Sigonius e vet. lib. *quod in eam non juraverat.* Gud. elegantius, *Numidico, qui in eam non juraverat.* J. F. Gron. *Numidico, eo quod* Berg. et Boend. *Numidico, quod* Exc. Pithœi: *Numidico, eo qui* Voss. *Numidico, qui* Leid. et Lov. 2. Tum *in eum conjuraverat* Berg. et Leid. *in eam non juraverat* Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLIX.

Ne caussa majorum certaminum] Voss. et Gudiani, *ne causa cert. esset, in exsilium vol. Rhodum profectus est.* J. F. Gronov. *Majorum* demum invenio in ultima Gruteri ed. priores enim ut et Norvic. legunt *malorum certaminum.* Sed *ne caussa certaminum,* Gronovianis consentientes, Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Insuper *in exsilium voluntarium* Berg. Lovel. 2. et Boenderm. Et ita ed. Camp. nisi quod præpositionem *in* omittat.

Legendo et audiendis magnis viris vacabat] Gudiani *advocabat.* Barb. et Voss. *advocabatur.* Lege *avocabatur.* Verbum proprium de illis, qui aut a sensu rerum adversarum aut gravantibus alioqui negotiis animum avertunt, eique levando dant operam. Catalecton de Laudibus Hortuli: 'Oblectat hortus, avocat, pascit, tenet, Animoque mœsto demit angores graves.' Sic membrana Petaviana. Perperam Scaliger et Pithœus *advocat.* Plinius in Panegyr. cap. 82. 'Simul cogito, quum sint ista ludus et avocamentum hujus, quæ quantæque sint illæ seriæ et intentæ, a quibus se in tale otium recipit, voluptates.' *J. F. Gron.* Hunc usum vocum 'avocare' et 'avocamentum' etiam Heraldus Advers. I. 3. et Pricæus ad

Apul. Metam. IV. pag. 82. observarunt, et jam olim ante eos animadvertit, ac librariorum errorem, qui pro iis sæpe *advocare* et *advocamentum* scripserunt, notavit Budæus ad l. 8. § 3. D. de Pignerat. Act. et ad l. 3. § 1. D. de Testib. Eadem varietas est in Livii I. 6. in Epistola Ser. Sulpicii ad Cicer. Famil. IV. 5. et aliquot locis Strateg. Frontini, quæ interpretes illius ad I. 4. § 14. adnotant. *Duk.* Permittente Crevierio, utatur Gronoviano *avocabatur*, qui voluerit: sibi tamen simplicius videri testatur *vacabat*, quod vulgati tenent. Utar, quam dedit, venia, et Gronovii lectioni adhærebo, quia id, quod Crevier. præfert, et simplicius adpellat, in nullo exstat cod. neque in edd. etiam ante Froben. a. 1535. Pleræque priores præferunt *legendo et audiendo magnos viros advocabat*, consentiente Leid. *audiendo et legendo magnos viros advocabatur* ed. Camp. cum codd. Berg. et Boend. *legendo et audiendo magnos viros advocatur* Voss. *audiendo et legendo magnos viros avocabatur* Lovel. 2. *legendo et audiendis magnos viros avocabatur* Exc. Pithœi apud Hearnium. De verbo 'avocare' vide etiam viros doctos ad Plinii Epist. VIII. 5. Ita loquitur Petron. c. 72. 'At ille avocatus cibo furorem suppresserat.'

Profecto C. Marius] *Profecto eo C. Marius* Boend. et ed. Camp. Verum ita legendum foret *Profecto ei.* Jungendum enim *Profecto ei aqua et igni interdixit.* Reliqui scripti et editi interpositam voculam ignorant.

Qui sextum quidem consulatum per tribus sparsa pecunia emerat] *Quidem* vacat vet. lib. *Sigon.* Eamdem vocem nesciunt etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LV. Dein *consulatum per tribus sparsa emerat* Lov. 2. *consulatum partibus sparsa erat emerat* Vossian. *consulatum per tribus sparta seditione emerat* Leid. *consulatum per tribus sparsa seditione emerat* Berg. Boend. et ed. Camp. quæ omnia aliud agentium scribarum aberrationes habendæ sunt. Plutarch. in Mario p. 422. Ἀργύριον εἰς τὰς φυλὰς καταπαλὼν πολὺ καὶ πριάμενος.

Aqua et igni interdixit] Non refert quibus aqua et igni Marius interdixerit. Vet. lib. Philippi continet *partibus aqua et igni interdixit: partibus* vero, videlicet Appuleii Saturnini. *Delrius.* Certe refert auctor, quibus Marius aqua et igni interdixerit, nempe *profecto*, id est, Metello Numidico Rhodum in voluntarium exsilium profecto, ut præcessit. Videtur autem Delrius vocem *profecto* pro adverbio habuisse. Præterea lectionem cod. sui *partibus aqua et igni interdixit* pessime exponit de partibus Appuleii Saturnini, quibus Marius aqua et igni interdixisset. Nam Marius demum adversari incepit Saturnino, quum ejus scelere Memmius interfectus esset, quod apud auctorem sequitur, ut et de oppresso tum per Marium Saturnino. Si scriptura codicis Delrii proba foret, per 'partes' intelligendi essent Metello Numidico faventes. Sed verius est vulgatum. Aliis enim, quam Metello huic, eo tempore aqua et igni interdictum fuisse, non constat. Contra Appuleius, quum in legem agrariam a se latam Metellus jurare nollet, aliam legem promulgavit, ut consules Metello aqua et igni interdicerent. At Metellus, quum ad eum optimatium concursus fieret, ne caussa certaminum esset, sponte in exsilium abiit; cui profecto Marius sextum consul aqua et igni interdixit. Vide Appian. B. Civ. I. 369. Plut. in Mario p. 423. et alios. Ceterum *aqua et igne* Berg. Sed vide ad Livii IV. 9. § 8.

Idem Appuleius Saturninus] *Item Appuleius* Vossian. Boend. et ed. Camp. quæ voces ob minus distinctam verba præeuntium pronunciationem facillime confundi potuere. Exempla vide

ad II. 45. § 14. X. 9. § 2. XXIV. 44. § 3. XXIX. 38. § 8. l. XXXVI. c. 4. § 10. l. XXXVIII. c. 38. § 12. Tum ad Epit. libb. V. IX. LXXXIV. LXXXVI. et alibi.

C. Memmium candidatum, consulatus petitorem] Vet. lib. *candidatum consulatus*. Sic lib. CIII. 'Eoque consulatus candidato conspiratio facta est.' Et lib. CVII. 'T. Annio Milone candidato consulatus.' *Sigon. Candidatum consulatus, quem* Sigonius, et Vossian. Gudianique. At prisca scriptura haud dubie meliore ex libro eruta *candidatum consulatus petitorem*. Quod doctius est, quam ut ab errante librario aut correctore subjectum credi posset, nec mutari debuit, etsi alibi brevius loquatur. Sueton. Octav. c. 10. 'In locum tribuni plebis forte demortui candidatum petitorem se ostendit:' ubi paria peccaverunt, qui ad eum auctorem scripserunt. Vide Observationes nostras II. 24. 'Candidatus petitor,' et 'candidatus,' et 'petitor:' idem ut 'sestertius nummus,' et 'sestertius,' et 'nummus:' ut ἡ σύγκλητος βουλὴ, et ἡ σύγκλητος, et βουλή. *J. F. Gron.* Burmannus in Suetonio alterutrum a glossatore profectum esse credit, et Gronovio ac Grævio aliter sentientibus respondet. Ger. Vossius ad Vell. Pat. II. 3. in illo loco *candidatum* pro glossemate habet. Mihi et ibi et hic magis suspectum est *petitorem*, quam *candidatum;* quia illud a quibusdam, tam Suetonii, quam Epitomarum Livianarum, libris abest, hoc a nullis: quod indicio est, non voci *petitorem*, quæ explicatione non egebat, certe non apposita alia obscuriore, sed *candidatum*, quæ rudioribus minus cognita videri poterat, in quibusdam exemplaribus adscriptum fuisse *petitorem*. Ita de loco Suetonii senserunt Torrentius, Gruterus, et Berneggerus. Nec aliter Salmasio visum fuisse, ex eo colligo, quod in Exercit. Plin. p. 16. eum citans omisit *petitorem*. Duk. Omnia quinque hæc vocabula desunt in Voss. at vocem *petitorem* omittunt Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Eam igitur, invitis omnibus scriptis, si unum Norvic. perpetuum priorum editionum adseclam, excipimus admissam, recte iterum expunctam credo. Consentit mihi etiam Crevierius.

Quem maxime adversarium actionibus suis timebat, interemit] Hanc lectionem primum invenio in ed. Frob. an. 1535. Priores præferunt *candidatum consulatus petitorem maximum: quem adversarium ejus* (illud *ejus* Moguntini et proximi omiserunt) *actionibus suis timebat*. Nec aliter Norv. Verum τὸ *maxime* exsulat a Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LIX. Præterea *quoniam adversarium* Berg. et Exc. Pithœi. Hinc *ejus actionibus suis timebat* Berg. *ejus actionibus timebat* Boend. *quoniam adversarius ejus actionibus suis timebatur* Berg. Tandem *occidit*, pro *interemit*, Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII.

Concitato senatu] *Concitato quam plurimum senatu* Norv. et editi usque ad Gruterum, qui voces *quam plurimum* expunxit. Eædem desunt etiam in Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Sunt autem ex numero earum quas librarii passim his Epit. Liv. inculcarunt. Vide ad Epit. l. XLVIII. similiter *plurimum*. Vide ad Epit. l. LXXXIV.

In ejus caussam et C. Marius, &c.] Scribe *concitato senatu (in cujus caussam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, transierat, quum eum tueri minime posset) oppressus armis*. Quod partim et vidit Freinshemius. Verborum transponendorum auctores Voss. et Gudiani. *J. F. Gron.* Ante Gronovium edebatur *concitato senatu in ejus caussam et C. Marius, homo mutabilis et varii consilii ingeniique: qui*

semper secundum fortunam transierat, quum eum tueri minime posset, oppressus armis. Freinsh. ad Flori III. 16. § 5. in eo a Gronovio differt, quod ordinem verborum *mutabilis et varii consilii ingeniique* servet; eum probare videtur Oros. v. 17. 'Marius consul adcommodato ad tempus ingenio, consensui bonorum sese immiscuit.' Verum transpositioni Gronovii et ceteræ ejus emendationi favent omnes scripti, et ed. Camp. nisi quod *in ejus caussam* servent Boend. et ed. Camp. tum *consiliumque semper secundum fortunam sumens* legat Lovel. 2. vocem *semper* omittat Leid. et denique dictiones *quum eum tueri minime posset* ignorent Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Similiter tamen Florus III. 16. § 5. 'Ipso quoque jam Mario consule, quia tueri non poterat, adverso.'

Et aliis ejusdem furoris sociis, bello quodum interfectus est] Loquitur de Saturnino, quem, ut omnes tradunt, Rabirius interfecit. Itaque *a Rabirio quodam* legendum est. Sic enim et is, qui de Viris Illustribus scripsit, c. 73. 'Caput ejus Rabirius quidam senator per convivia in Indibrium circumtulit.' *Sigon.* Conjectura Sigonii *a Rabirio quodum.* Libri *bello quodam.* Freinsh. ad Flor. III. 16. § 7. *telo quodam:* Cicero pro Rabir. Perduell. Reo c. 11. 'Scævæ, servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data est:' unde posses *a Scæva quodam*, aut *a servo quodam.* J. F. Gronov. Vox *sociis* non adparet in Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Ita tamen supra Epit. l. LXI. 'Occisus est, et cum eo Fulvius Flaccus consularis, socius ejusdem furoris.' Tum *bello quodam* omnes iidem codd. Conjecturam Sigonii, quam Crevier. audacius in contextum recepit, inde iterum ejeci, substituta prisca lectione, quamvis mendæ suspecta, quia eam omnes libri tuentur; et verum non est, quod Sigonius prætexebat, omnes tradere Saturninum a Rabirio interfectum esse. Vide scriptores quos laudavit Pighius in Ann. ad a. IↃCLIII. p. 176. Mox *totius favore civitatis* edd. vett. pro quo *civitatis favore* dedit Gronov. a. 1665. Ei autem eonsentiunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

M. Aquilius consul in Sicilia bellum servile excitatum confecit] *M'. Aquillius proconsul* scribendum. Hunc enim vocat Plutarchus in Mario pag. 413. Μάνιον Ἀκύλλιον. Item in Mithridatico Appian. p. 176. &c. Filium hunc esse arbitror M'. Aquillii M'. F. M'. N. qui de Asia triumphavit, ut est in Capitolinis triumphis, quem Appianus lib. I. Μάνιον quoque nominat. *Sigon.* Adde cl. Spanhemium de Præst. Numism. pag. 515. *Jac. Gron.* De orthographia nominis 'Aquillius' vide ad Livii II. 4. § 1. et c. 40. § 14. Illis Aquilliis prænomen 'Manius' consuetum, et quasi hæreditarium fuisse, observat Spanhem. de Usu et Præst. Num. diss. X. p. 26. Addendum Lauredan. ad Cic. Agrar. II. 30. monet Dukerus. Dein *proconsul* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. *pro cons.* Boenderm. qui idem cum ed. Camp. ignorat vocem *servile*, et legit *concitatum confecit. Concitatum* etiam Norv. et edd. vett. pro quo *excitatum* dedit postrema Gruteri ed., consentientibus Leid. Voss. et Berg. ejus loco *incitatum* habet Lov. 2.

LIB. LXX.

Quum M. Aquilius] *M'. Aquillius*, ut dixi. *Sigonius.* Vide ad Epit. lib. LXIX. Mox *judices rogare* Gron. a. 1665. edidit, consentientibus Berg. Lov. 2. et Boend. Priores dederant *rogare judices*, ut præferunt Exc. Pithœi, et Norv. *voluit*, pro *noluit*, errore scribæ legit Vossian. Vide ad XXXIX. 15. § 11.

Tunicam a pectore ejus discidit] *A*

pectore ipsius Leid. et Berg. Tum *scidit* Vossian. Boenderm. et ed. Camp. Quinctil. Inst. II. 15. 'M'. Aquillium defendens Antonius, quum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore adverso suscepisset, ostendit, non orationis habuit fiduciam.' Sed præferendum *discidit*, reliquorum auctoritate firmatum. Cic. de Orat. II. 47. 'Quum ista feci, quæ tu, Crasse, laudas, non arte, de qua quid loquar, nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem:' in Verr. v. 1. 'Ipse arripuit M'. Aquillium, constituitque in conspectu omnium, tunicamque ejus a pectore abscidit.' Vide N. Heins. ad Ovid. Fast. IV. 448.

Quibus conspectis] Ignorant hæc Vossianus et Gudiani: et videntur abesse posse non modo commode, sed etiam eleganter. *J. F. Gronov.* Eadem desunt etiam in Leid. Berg. Lovel. 2. et Boend. Tum *indubitate* legunt Leid. et Lov. 2.

Cicero ejus rei solus auctor] De Orat. lib. II. capp. 28. et 47. et in Verr. v. 1. e quo sine dubio descripsit Quintil. Instit. Orat. II. 15. A Q. Fufio accusatum fuisse, prodidit Cic. in Brut. c. 62. et de Off. II. 14. *Dulc.*

Didius proconsul adversum Celtiberos] Vet. lib. *T. Didius.* Sigon. Additum a Sigonio prænomen servant etiam Leid. Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. *Ti.* autem, pro *T.* legit Berg. Dein *de* . . . pro *Didius*, habet Vossian. *Didimus* Berg. Boend. et ed. Camp. Tum *adversus Celtiberos* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Vide ad Epit. l. XLVII.

Cui cognomentum Apionis fuit] *Cui cognomen Apioni fuit* vet. lib. *Sigon. Cognomen*, pro *cognomentum*, unus Lov. 2. Dein *Alypionis* Exc. Pithœi: *Alipionis* Leid. et Lovel. 2. *Alpionis* Voss. Berg. et Boend. quæ omnia firmant vulgatum *Apionis*. Si quid tamen mutandum, *Apio* vel *Apion* præferrem. Vide ad Epit. Liv. lib. LV. Mox *mortuus* non adparet in Voss.

Et ejus regni civitates senatus liberas esse jussit] Justin. XXXIX. 5. partem eam Libyæ, quam Ptolemæus rex Cyrenarum tenuerat, post mortem illius provinciam factam fuisse scribit. Hoc non statim eo mortuo, sed aliquamdiu post id tempus, factum putat Sigonius de Ant. Jur. Provinc. I. 16. Adde Pighium ad a. IↃCLVII. et a. IↃCLXXVIII. *Dulc. Et eas regni civitates* Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Vocem *senatus* male omittit Leid. Mox *ab L. Cornelio*, et *ab rege Arsace* Gronov. 1665. edidit: priores utroque loco præferunt *a*, quod Clericus et Crevierius revocarunt, et in omnibus scriptis meis superest. Idem de Exc. Pithœi, et Norv. testatur Hearnius.

Venerunt ad Sullam, ut amicitiam populi Romani peterent] Ita demum Gronovii ed. an. 1665. consentiunt ei Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Priores alio ordine *ad Sullam venerunt* legunt, quod superest in Exc. Pith. et Norv. sed verbum *venerunt* exsulat a Berg. Præterea *amicitiam a populo Romano* Norv. et edd. ante Gruteri ultimam, quæ *amicitiam populi Romani* substituit, concinentibus omnibus scriptis meis.

Quoniam legatus C. Marii proconsulis a publicanorum injuriis Asiam defenderat] Lege *Q. Mucii proconsulis*. Neque enim C. Marius obtinuit Asiam, sed Q. Mucius Scævola, ut Pædianus in Divinat. c. 17. 'Q. Mucii Scævolæ quæstor Rutilius condemnatus, quod cum prætore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in provincia sua.' *Sigonius.* Asconius in Cicer. Divin. c. 17. 'quæstorem' Q. Mucii facit, Pomponius l. 2. § 40. D. de Orig. Jur. 'proconsulem Asiæ.' Multa de hac varietate sententiarum scripta sunt. Cujacius Obs. II. 27. eam retulisse contentus, nihil pronunciat. Rupertus ad Pompon. pro

auctore Epitomes stat; sed simul Asconium et Pomponium conjecturis quibusdam minime probabilibus tueri conatur. Perizonius in Animadv. Histor. c. 2. p. 59. illum aliqua ratione defendi posse putat, hunc nulla. Nec Gnil. Grotius de Vitis Juriscons. I. 7. Pomponii auctoritati in hac re multum tribuendum esse censet. Legatum consulis et proconsulis fuisse, qui ipse antea consul fuerat, non sine exemplo est. Vide Livium IX. 41. XXXII. 28. XXXV. 5. lib. XXXVI. capp. 1. et 17. Vulgatam scripturam *C. Marii proconsulis* corruptam esse, multis argumentis evincit Vossius de Histor. Græc. I. 22. *Duk. Qui legatus* editi ante Gruterum, consentientibus Exc. Pithœi, et Norv. at *quoniam legatus*, ut Gruterus substituit, omnes scripti mei, et ed. Camp. Tum *C.* vel *G. Mucii* Leid. Berg. et Lov. 2. *Q. Mucii* Voss. et Exc. Pithœi. Et ita ante Sigonium emendabat Corradus ad Cicer. Brutum pag. 213. Præterea *defenderet* Voss. Mox *penes quem vicia erant* Norv. et edd. ante Ascens. 1513. sola excepta ed. Camp. *penes quem judicium erant* Voss. Tandem *in exsilium est missus* Boend. et ed. Camp.

C. Geminius prætor contra Thraces infeliciter pugnavit] Vet. lib. *C. Sentius.* Quod probatur ex Orosio, qui scribit v. 18. 'Iisdem temporibus rex Sothimus, cum magnis Thracum auxiliis Græciam ingressus, cunctos Macedoniæ fines depopulatus est; tandemque, a C. Sentio prætore superatus, redire in suum regnum coactus est.' Apparet etiam ex Orosio, *feliciter* hoc loco, non *infeliciter*, esse legendum. *Sigon.* Barb. et Gud. minor *C. Septius prætor adversus Thracas:* major *C. Sericius.* Voss. *C. Census.* Recte Sigonius *C. Sentius.* J. F. Gron. Hunc primum omnium e præfectura Atinate magistratum curulem nactum esse, scribit Cic. pro Planc. cap. 8. Macedoniam provinciam habuisse, ex eodem Verr. III. 93. in Pison. c. 34 et e Plutarch. in vita Sullæ ostendunt Sigonius ad annum IↃCLXIV. et Pighius ad a. IↃCLXIII. Noris. Cenotaph. Pis. Diss. III. c. 9. eum an IↃCLXXII. Macedoniæ præfuisse scribit, et Pighius ab an. IↃCLXIV. usque ad a. IↃCLXXII. prætorem Macedoniæ habet. Hoc an certis argumentis demonstrari possit, non scio. Illud constat ex Plutarcho, eum, quo tempore Sulla in Græciam venit, id est anno IↃCLXV. Macedoniam obtinuisse. *Duk. Servius* Boend. et ed. Camp. *C. Septius* Leid. *C. Sentius* Berg. et Lov. 2. Sed, lectionem hanc haud satis cum historia quadrare, existimat Crevier et hinc priscam lectionem *C. Geminius* revocavit. Freinsh. etiam in supplemento hujus libri distinguit inter C. Sentium, sive, ut vocat, *C. Sextium*, feliciter contra Mæsos Dardanosque proprætorem Macedoniæ rem publicam gerentem, cap. 17. et 'C Geminium' prætorem, adversus Thracas infeliciter pugnantem, cap. 56. Tum *procos.* pro *prætor*, Voss. Dein *contra Thraces* postrema demum Gruteri ed. Priores legunt *contra Thracas.* Vide ad Livii XXXI. 39. § 11. *Adversus Thracas* Leid. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII. Ad hæc *infeliciter* omnes nostri. Voces autem *adversus Thracas, &c. inpotentiam equestrem* desunt in Vossian. Ceterum Scholion hoc Sigonii, in secunda et posterioribus edd. omissum, Gronov. ex prima ed. revocavit.

Omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur] Vossian. *transferrent.* Gudiani *transferret.* J. F. Gron. *Omnibus inniti cœpit* male Voss. Tum *transferret* Leid. Berg. et Lovel. 2. Perinde est, quum *senatus* præcesserit, utrum *transferrent* legas, an *transferret.* Vocem enim *senatus* sæpe apud Livium more collectivorum verbum plurale adsciscere, vidimus ad IV. 58. § 4. Hic tamen, si quid mutandum, mallem *transferret*, quia se-

quitur ‘ sustinente caussam ejus.’ Paullo ante *exercendis* deest in Leid.

Perniciosa spe largitionum] Voss. et Gud. *largitione*. Videtur tollendum τὸ *spe*. J. F. Gron. *Largitione* Berg. *largitionem* Lov. 2. *largitionis* Boend. Exc. Pith. Norv. et edd. ante ultimam Gruteri, quæ admisit *largitionum*, consentiente Leid. Et recte. Non enim *perniciosa largitione*, ut Gronov. conjicit, sed spe futuræ largitionis, spe promissarum largitionum plebem concitavit. Mox *Syriæ regumque* Leid. Voss. Berg. Boend. omnesque edd. ante Mogunt. nisi quod ed. Camp. præferat *et regum*. Pari modo variatum est in fine Epit. l. LXII.

LIB. LXXI.

M. Livius Drusus, tribunus plebis, ut majoribus viribus] *P. Livius Drusus* ed. Rom. principem præferre, testis est Hearnius. Prænomen Livii omittunt Boend. et ed. Camp. Utriusque erroris caussam vide ad Epit. l. LXII. Dein *qui majoribus* Leid. Voss. et Exc. Pithœi: *qui ut majoribus* Lov. 2. et Boend. Ceterum uni Livio Druso caussam hujus motus et auctor Epitom. et omnes alii scriptores tribuunt: solus socium ei jungit Obseq. c. 114. ‘ Libius Troso P. Tarquinius leges ferentes, quum bellum Italicum consurgeret, prodigia multa adparuerunt urbi.’ Sed locus est mendosus, quem viri docti ita refingendum docuerunt *Livio Druso pl. tribuno leges ferente*. Ordine inverso *plebis tribuno* inlustravi ad IV. 59. § 11. ‘ Tribunus ’ et ‘ Tarquinius ’ commutantur IV. 55. § 6. Mox *caussam senatus* Berg.

Socios et Italicos populos spe civitatis Romanæ] *Et Italos populos* Leid. Tum *spe* exsulat a Voss. *in spem civitatis Romanæ* præfert ed. Camp. quod fortasse haud spernendum putat Crev.

Per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit] Duæ primæ voces desunt in Leid. Sed vide ad Epit. l. LXXIX. Dein *legem quoque judicialem tulit* Norv. omnesque edd. usque ad Gruterum, qui, quod nunc vulgo circumfertur, reposuit. Ei concinunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Sed *isque adjuvantibus per vim legibus agrariis frumentariisque has quoque tulit*, reliquis omissis, Boend. qui idem cum ed. Camp. mox præfert, *Quum deinde promissa sociis civitatibus præstari non possent*.

Irati Itali defectionem agitare cœperunt] Hunc ordinem verborum apud Gruterum invenio; neque dissentiunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Olim edebatur *cœperunt agitare*, quod servant Exc. Pithoei. Præterea *cogitare* Leid. quod interpretis, ita τὸ *agitare* exponentis, esse puto. Vide ad XXV. 36. § 5. Insuper *Irati Italici* Leid. Voss. Berg. Boend. omnesque edd. una Clerici excepta, quæ *Itali* præfert.

Eorum coitus, conjurationes, orationesque in conciliis] *Conjurationesque, et orationes* Gudianus uterque. *J. F. Gron.* Quæro qui hac significatione usi fuerint voce ‘ coitus.’ ‘ Coitiones ’ sæpe dici, adnotarunt Sigonius ad Liv. l. III. capp. 35. 65. et VII. 22. et Gronov. ad IV. 13. Item *cœtus* Gronov. ibid. et Torrent. ad Suet. Cæs. c. 16. *Duk. Eorum cognitis cogitationibus exortationes in consilium principum referuntur* Voss. et Boend. *eorum coitus, conjurationes et orationes in consiliis* Leid. *eorum coitus, conjurationesque, et orationes in consiliis* Lov. 2. *eorum conventus, conjurationesque et orationes in consiliis* Berg. De usu particularum *que* atque *et* in connectendis tribus vocabulis vide ad II. 31. § 1. *Coitiones*, pro *coitus*, etiam conjicit Crevierius.

Etiam senatui invisus factus] In Voss. deest τὸ *invisus*. At Gudiani *Drusus invisus etiam senatui factus*. Sed hujus

generis mendæ in his Epitomis frequentes. Meminerit lector, quoties aliuni ordinem verborum, atque in vulgatis, hic reperiet, nos scriptis dicto audientes fuisse. *J. F. Gron.* Gudianis consentiunt Leid. Berg. et Lov. 2. at prioribus edd. Exc. Pithœi, et Norvic. *Drusus et senatui factus,* omissa voce *invisus*, legit Boend.

LIB. LXXII.

Samnites, Lucani] Ita Gruterus edidit, adstipulantibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. nisi quod eorum primus, addita copula, præferat *Samnites et Lucani.* Eodem ordine hæc vocabula prostant apud Oros. v. 18. et Freculph. in Chron. part. I. lib. VI. c. 12. Olim, trajectis vocibus, legebatur *Lucani, Samnites,* ut in solo est Norv. Et is ordo placuit App. Alex. B. Civ. I. p. 374.

Initio belli a Picentibus moto] Vet. lib. *orto.* Sigon. Eam lectionem post ipsum Sigonium primus adscivit Gronovius, invitis omnibus codd. nostris, et aliorum. Constanter enim *moto* servant Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. quod verius videtur. Verbum ‘ movere ’ incipiendi significatione usurpari, vidimus ad v. 24. § 7. Ita VIII. 16. ‘ Aut ipsi moverant bellum, aut moventibus auxilium tulerant.’ XXIV. 40. ‘ Cum Philippo rege motum bellum est.’ Eutrop. v. 3. ‘ In Italia gravissimum bellum Picentes, Marsi, Pelignique moverunt.’ Vide N. Heins. ad Ovid. Fast. III. p. 175. Ita ‘ movere certamina ’ inlustravi ad Silii XIV. vs. 141. ‘ movere jocum,’ ‘ risum,’ ‘ iras,’ et similia Cortius ad Sall. Catil. c. 25.

Q. Servilius proconsul] Mss. Pall. Voss. Gud. atque adeo omnes, vel *Servius*, vel *Servatus* habent. Et verum illud fuisse nomen, satis liquide probant verba Velleii II. 15. ‘ Cum id malum ab Asculanis ortum esset, quippe Servium prætorem Fonteiumque legatum occiderant.’ Nec necesse nunc est definire, utrum is prætor, an proconsul, fuerit. *Jac. Gron.* Vide quæ ad Flor. III. 18. § 9. adnotata sunt. *Proconsul*, an *prætor* fuerit, in dissensu scriptorum veterum non facile est definire. Nec definiverunt interpretes Velleii II. 15. et Vales. ad Excerpt. Peiresc. pag. 398. *Duk. Q. Fineus* Leid. *Q. Servius* Voss. et Lov. 2. *Q. Severus* Berg. *Q. Servilius* Boend. cujus cod. auctoritate aliisque rationibus Duker. ad l. l. Flori vulgatum hic contra Jac. Gronov. vindicavit. Adde eumdem Σερουΐλιον ἀνθύπατον vocari apud App. Alex. Bell. Civ. I. p. 573. Solent autem sæpissime voces ‘ Servius ’ et ‘ Servilius ’ a librariis confundi. Vide ad II. 19. § 1. c. 41. § 12. III. 7. § 6. c. 10. § 5. v. 32. § 1. VI. 2. § 6. c. 4. § 7. c. 5. § 6. c. 6. § 3. c. 19. § 2. c. 21. § 1. c. 22. § 1. c. 33. § 8. X. 1. § 10. XXV. 41. § 11. et Burm. ad Suet. Aug. c. 2.

In oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in oppido erant] Τὸ *Asculo* deest in Voss. Lovel. 2. et Exc. Pithœi. Verum plerique in hac re ‘ Asculum,’ vel ‘ Asculanos ’ memorarunt. Vide Appian. B. Civ. I. p. 573. Vell. Pat. II. 15. Flor. III. 18. Oros. v. 18. Freculph. in Chron. part. II. lib. VI. c. 12. et alii. Vox *civibus* deest in Berg. Tum *qui in eo oppido erant* legunt Voss. Leid. et Lov. 2.

Servius Galba a Lucanis comprehensus] Ita Frob. edidit a. 1535. neque aliter legunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. At contrario, ac modo habuimus, errore *Servilius* præferunt Boenderm. Norv. et edd. principes. Idem error superest in vulgatis edd. App. Alex. in B. Hispan. 311. Καὶ αὐτὸν διεδέξατο μὲν Σερουΐλιος Γάλβας· ubi Σερούϊος Γάλβας legendum. Tum

Galba vi comprehensus Boend. *Galba vi comprehensus a Lucanis* ed. Camp. *comprensus* Lov. 2. Vide ad II. 29. § 4.

Unius feminæ opera, ad quam divertebatur, captivitate exemtus est] *Unius hominis opera* Berg. a m. pr. Tum *ad quam divertebat* Boend. *ad quam deversabatur* Berg. *ad quam devertebatur* ed. ultima Gruteri, quod sequentes servarunt, et Jac. Gronovius repudiavit, prisca lectione *divertebatur* revocata. Sed *devertebatur* vel *deversabatur* verius est. Vide ad I. 51. § 8. Deinde *in captivitate receptus est* Leid. et Lov. 2. Sed nihil muto. *Captivitate exemtus*, ut 'eximere servitute,' 'obsidione,' 'compedibus;' vide ad XXXIII. 23. § 2.

Esernia et Alba coloniæ] *Æsernia* Græci. *Sigon. Servia et Alba* Boend. *Eserniæ et Albæ* Voss. *et Serinæ et Albæ* Berg. *et Servia et Alba* ed. Camp. Recte *Æsernia* per diphthongum in principio scribendum monuit Sigonius; quem vide ad Livii X. 31. § 2. XXVII. 10. § 8. XLIV. 40. § 6. ad Epit. l. XVI. Cluver. Ital. Ant. IV. 7. pag. 1195. et Tennul. ad Front. I. 5. § 17.

Auxilia demum Latini nominis] Vet. lib. *auxilia deinde*. Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Vide ad Liv. XL. 22. § 1. Mox *externarum gentium*, omissa copula *que*, Vossian. Boend. et ed. Camp. *exterarum gentium* Berg. et Lov. 2. Similiter variant librarii XXXV. 14. § 9.

Expugnationesque urbium referuntur] Ita Gronov. a. 1665. edidit, quum antea legeretur *urbiumque expugnationes;* quod Doujatius, Clericus, et Crevierius revocarunt. Sed cum Gronovio faciunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

LIB. LXXIII.

L. Cæsar consul] Vet. lib. *L. Julius Cæsar consul*. Sigon. Non assentior Appiano, qui B. Civ. I. pp. 374. 375. *Sextum* vocat. *Delrius. C. Cæsar* Norv. et ed. Rom. princeps apud Hearnium. *Julius Cæsar*, omisso prænomine, Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. *L. Julius Cæsar* Exc. Pithœi. Prænominis vel omissi, vel perperam scripti caussam dedi ad Epit. l. LXII. Vocem *consul* omittit Voss. Ceterum Sex. Julius Cæsar et L. Marcius Philippus consules fuerunt ann. IDCLXII. quos in monte Albano interficiendi consilium inierant socii apud Flor. III. 18. § 8. at L. Julius Cæsar et P. Rutilius a. IDCLXIII. quo bellum sociale geri cœptum est; ut fasti consulares docent. Recte igitur Delrius Appian. erroris arguit, qui in initio belli socialis Romanorum duces vocat Sex. Julium Cæsarem et P. Rutilium Lupum consules, duorum annorum consules perperam jungens. Delrio consentit Fabric. ad Oros. v. 18.

Nola colonia in potestutem Samnitium venit cum L. Postumio prætore] Nolam hoc tempore coloniam fuisse, nemo, ni fallor, prodidit. 'Coloniam Augustam' vocat Frontin. in lib. d. Coloniis. Vide ad Epit. l. LXXX. *Duk. Samnitum* Voss. Leid. Berg. Lovel. 2. et Boend. Vide ad Livii XXIII. 11. § 11. Deinde *venerunt* Voss. quasi foret *Nola cum L. Postumio venerunt;* de quo loquendi genere vide ad XXI. 60. § 7. Verum hic nihil mutandum videtur. Insuper *cum M. Postumio* idem Voss. Ceterum vocabula in ordinem, quem nunc obtinent, digessit Grutērus, a quo non dissentiunt Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Priores legebant *cum L. Postumio prætore venit;* quibuscum faciunt Exc. Pithœi, et Norv.

Qui interemtus est] Vet. lib. *qui ab iis interemptus est*. Sigon. *Qui ab iis* Leid. Voss. et Exc. Pithœi: *qui ab his* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde *interfectus est* Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Suspecta admodum vox est *interemtus*, quæ primis editoribus harum Epitomarum aut nonnullis librariis in deliciis fuit, et alibi supposita pro *occisus*, ut vidimus ad Epit. l. LVII. pro *interfectus* hoc loco, et Epit. libb. XXV. LIV. LXXXIII. XCVI. CVI. CXI. CXIV. CXX. CXXXIII. etiam apud Liv. III. 30. § 8. Mox *Et complures hostes* Leid.

Consul parum prospere contra Marsos pugnasset] *Parum prospere adversus Marsos* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LVII. *Consul male adversus hostes Marsos pugnasset* Leid. Locutione 'parum prospere' sæpe auctor harum Epitomarum usus est. Supra Epit. lib. XLVII. 'Adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit.' Et, 'Res in Hispania a compluribus parum prospere gestas continet.' Lib. XLVIII. 'Hispaniense bellum parum prospere aliquoties gestum:' aliisque locis. Hic tamen ideo ea lectio minus placet, quia P. Rutilius majorem cladem passus est, quam ut ei conveniret illud *parum prospere*. App. Alex. B. Civ. I. 376. de Vettio Catone, quocum Rutilius congressus est: Πολλοὺς μὲν ἔκτεινεν ἐπὶ τοῦ ξηροῦ, πολλοὺς δ' ἐς τὸν πόντον κατῶσεν. Oros. v. 18. 'Rutilius consul sese in insidias Marsorum et universum agmen exercitus sui incautus injecit, ubi et ipse consul occisus, et multi nobiles interfecti, et octo millia Romanorum militum occisa sunt.' Flor. III. 18. 'Fusæ Rutilii copiæ, fusæ Cæpionis. Nam ipse Julius Cæsar, exercitu amisso, quum in urbem cruentus referretur, miserabili funere mediam etiam urbem perviam fecit:' ubi viri docti observant, Florum illa de Julio Cæsare referre, quæ alii de Rutilio narrant, et hinc vel Florum errasse, vel pro *Julius Cæsar* legendum esse *Rutilius consul*. Hac igitur de caussa non displicet cod. Leid. lectio, quam in contextum recepi. Mox *et in eo prœlio cecidisset* Berg. Lov. 2. et Boend.

Meliore quidem eventu cum hostibus conflixit] *Quidem* redundat ex vet. lib. *Sigon.* Non adparet etiam ea vox in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LV. Tum *cum hostibus acie conflixit* Exc. Pithœi. Ita Liv. VII. 11. 'Ubi enim eum secum acie conflixisse.' VIII. 30. 'Acie cum Samnitibus conflixit.' XXIII. 11. 'Cum sex imperatoribus eum acie conflixisse.' Similiter 'acie decernere' II. 14. 'acie dimicare' IV. 58. 'acie depugnare' IX. 39. 'acie pugnare' XLIV. 39.

Ser. Sulpicius Pelignos fudit] Vet. lib. *Pelignos prœlio fudit.* Sigon. *Sex. Sulpitius* Voss. Boend. Norv. et edd. vett. *Sextus Sulpitius* Lov. 2. et ed. Camp. *Sextius cons.* Berg. *Ser. Sulpitius* emendarunt Moguntini. *Ser. Sulpicius* Leid. Dein *Pelignos prœlio fudit* Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Ita mox hac Ep. 'C. Marius prœlio Marsos fudit.' Ep. seq. 'Cn. Pompeius Picentes prœlio fudit.' Epit. l. LXXV. 'Samnites multis prœliis fudit.' Epit. l. LXXXIII. 'Fusis prœlio aliquot copiis Mithridatis.' Epit. l. XCII. 'Sertorium et Perpernam cum duobus exercitibus prœlio fudit.' Epit. l. CVI. 'Ab ipso Cæsare hostes prœlio fusi sunt.'

Prospere in hostes erupisset] Prima vox deest in Leid. quam necessariam reddunt sequentia 'eum successum.' Alioquin enim non haberet τὸ *eum*, quo referretur. *In hostes prospere* Berg. Deinde *irrupisset*, vel *inrupisset*, Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et primæ edd. pro quo Frob. 1531. reposuit *erupisset*, adsentiente Boenderm. quod elegantius est. 'Erumpere in hostes' nempe ex urbe, ex castris, ut 'emittere in equites,' et similia; de quibus vide ad XXVIII. 14. § 11. Similem codd. dissensum

habuimus ad Epit. l. LVII.

L. Cæsar consul contra Samnites pugnavit] *L. Julius consul* Leid. *L. Julius Cæsar consul* Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. quorum fide receepi. Tum *adversus Samnites feliciter* Berg. *feliciter adversus Samnites* Leid. Voss. Lov. 2. et ed. Camp. quod nec ipsum spernere ausus sum. Vide ad Epit. l. LVII. Mox *saga Romæ posita* Boend. et ed. Camp. Vocem *Romæ* omittit Berg.

Et, ut varia fortuna belli esset] Vocula *ut* exsulat a Voss. quam intercepit præcedens particula *et*. Vide ad XXIX. 13. § 1. et XXXVIII. 10. § 2. *Et dum varia* legit ed. Camp. Tum *in potestate Samnitum venit* Boend. et ed. Camp. *Samnitum* etiam Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, Norv. et edd. principes. Vide ad Liv. XXIII. 11. § 11.

Sed C. Marius prælio Marsos fudit] Prima vocula deest in Boend. Contra, addita particula, *Sed et C. Marius* legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, Norv. et typis descripti usque ad Gruterum, cujus postrema ed. *τὸ et* sustulit.

Marsos fudit. Hirnio Asinio prætore] Vet. lib. *Hirno Asinio.* Sigonius. Vet. lib. *Hirio.* Appiano Ἔριος· melioribus Eutropii codicibus *Hierus.* Delrius. *Hirno* Sigonius, quum legeretur *Hirnio.* Scribe ex Velleio II. 16. et Appiano B. Civ. I. p. 375. *Herio.* Sic 'Herius Petrius' Nolanus apud Nostrum XXIII. 43. *J. F. Gronov.* Hæc in Victorii Var. Lect. XXXIII. 2. et Gifanii Ind. Lucr. p. 465. et ed. Plant. melius leguntur, distinctione minima post *fudit*, sed deinde maxima post *occiso* posita. Sed non video quam rationem habeat, quod Gifanius *Hirco Asinio* scribendum suspicatur. *Duk.* Quemadmodum malebat Dukerus, distinguitur in edd. Sigonii, et nonnullis aliis. *Hirno Asinio* legunt Leid. Voss. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *Hernio Asinio*, proxime lectionem Gronovii, Berg. et Boend.

C. Cæcilius in Gallia Transalpina Salvios rebellantes vicit] *C. Cælius* Voss. Lov. 2. in contextu, et Exc. Pithœi. Vide ad Epit. l. CXI. Tum *in Galliam Transalpinam* Leid. Voss. Berg. et Boend. Hinc *Salivos* ed. Rom. a. 1472. *Salinos* Voss. et ed. Camp. *Sabinos* Boend. Sed legendum *Salyes*, vel *Salluvios*; quod posterius recepi. Vide ad Epit. libb. LX. et LXI. Tandem *rebellantes fudit* Berg. Vide ad Epit. seq.

LIB. LXXIV.

Prætextæ aliaque magistratuum ornamenta insignia sumta sunt] Vet. lib. *aliaque magistratuum insignia sumta sunt.* Sigon. Fortasse *resumta*; quæ ante posita fuisse apparet, ut a populo, quum saga sumsisset Epit. l. LXXII. habitum urbanum et civilem. Ovid. Am. II. 1. 21. 'mea tela resumsi:' et Metam. IX. 524. 'Inque vicem sumtas ponit, positasque resumit.' Tacit. Ann. IV. 64. 'Instituta cultumque patrium resumite.' Hoc Oros. V. 18. dicit: 'Senatus laticlavia et alia dignitatis insignia recepit.' Sed rem ipsam non accurate narrat. Vide Noris. Cenot. Pis. Diss. III. c. 1. *Duk. Prætextatæ* Berg. *prætextatæ vestes* Leid. *prætexta* Boend. Tum *et alia magistratum insignia ornamenta sumta* idem Boend. *et alia magistratuum insignia ornamenta sumta* ed. Camp. *aliaque magistratuum insignia sumpta* Voss. *alia magistratuum insignia sumta* Lov. 2. *et alia magistratuum insignia sumta* Leid. Berg. et Exc. Pithœi, quod Gronov. recepit 1665. Nihilominus Freinsh. *aliaque magistratuum insignia et ornamenta sumta*, quod demum in Paris. 1573. obvium fuit, reduxit, ejusque exemplo Doujatius, Clericus, et Crevierius. Similiter Freinsh. id etiam in supplemento c. 3. expressit. Paullo

ante *et obsedit* deest in Berg. at sola copula *et* in Lov. 2.

Libertini tum primum militare cœperunt] De hoc videndus est Lipsius de Milit. Rom. I. 2. *Duk. Tunc primum* Berg. et Lov. 2. Vide ad Livii II. 12. § 15. *Pugnare cœperunt* Boend. et ed. Camp.

Aurelius Plotius legatus] Vet. lib. *A. Plotius.* Sigon. *Aurelius* servant Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. Passim autem ita errarunt librarii. Vide ad Liv. II. 19. § 3. c. 26. § 2. IV. 23. § 6. V. 15. § 5. ad Epit. libb. XIX. LXIV. LXXVI. et CXIX.

L. Porcius prætor Marsos, quum uterque populus defecisset] *Etruscos*, pro *Marsos*, habet Oros. v. 18. 'Porcius Cato prætor Etruscos, Plotius legatus Umbros vicerunt:' et Flor. III. 18. § 13. 'Cato discutit Etruscos.' Marsi non tum demum, sed jam ante, defecerant, et primi omnium Italicorum bellum moverant. Deinde, quum Etrusci et Umbri quoque consilia defectionis agitarent, civitate data deleniti, et in fide retenti sunt. Ita Appian. Civ. I. p. 379. qui tamen, bellum cum iis gestum esse, non memorat. *Duker. L. Porcium Cimbros* Vossian. *L. Porcius prætor Cymbros* Boend. Vox *Marsos* deest in Lov. 2. Ejus loco *Etruscos* legendum esse, præter Crevierium monuit etiam Contaren. Var. Lect. I. p. 6. ut Hearnius observat. Mox *prælio fuderunt* Voss. At supra præcessit 'Picentes prœlio fudit.' Similiter variatur Epit. præc. in fine.

In Cappadociæ regna reducti sunt] *Regnum* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. et edd. ante Frobenium, qui a. 1535. *regna* vulgavit. Dein *restituti sunt* Leid. *deducti sunt* Doujat. et Cleric. invitis omnibus libris, ediderunt. Mox *consul* deest in ed. Camp.

A. Sempronius Asellus prætor] Scribe *Asellio.* Sic enim Appian. I. p. 382. Valer. l. IX. c. 7. Fuit autem Asellio Semproniorum cognomen, quod historicus ille, æqualis Scipionis Æmiliani, tulit; qui apud Cic. de Legib. I. 2. 'Asilo' mendose dicitur, ubi Latinos historicos numerat. *Sigonius.* Latius historiam hujus facinoris exsequitur Appian. Civ. I. p. 382. Adde Valer. Max. IX. 7. § 4. Ad hunc Sempronium Valesius etiam refert, quæ in Diod. Exc. Peiresc. pagg. 394. 396. leguntur. *Duker. Asellus* demum vidi in ed. Frob. 1531. priores legunt *Asellius*, quod superest in Norv. At rectius *Asellio* Vossian. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Paullo ante *ære alieno pressa* Berg. et Lov. 2. *ære alieno mersa* ed. Camp. quod non displiceret, si codicum fide niteretur. Vide ad VI. 14. § 7. c. 17. § 2. et Burm. ad Petron. c. 119. vs. 58.

Quoniam secundum debitores jus dicebat] Vide Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 2. *Duker. Quoniam servum debitorem ejus dicebant* mendose Voss. *secundum debites ejus* non melius Lovel. 2.

Qui fœnerabantur] *Qui fœnerabatur* Voss. *qui fœnerabant* Leid. Favet ea lectio distinctioni illorum, qui putant 'fœnerare' de his dici qui pecuniam fœnore dant, 'fœnerari' de his qui fœnore accipiunt: quum verius sit, antiquos indistincte et 'fœnerari' et 'fœnerare' usurpasse de iis qui fœnore dabant. Ita 'fœnerari' adhibet Cic. de Amic. c. 9. 'Neque enim beneficium fœneramur:' et Cato de Re Rust. princ. 'Est, interdum præstare mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet, et item fœnerari, si tam honestum siet.' Vide ad VII. 42. § 1. Pariter et 'mutuare' et 'mutuari' de illis dici, qui mutuum accipiunt, ubi similiter prius ad dantem, alterum ad accipientem mutuum vulgo refertur, vidimus ad XXX. 12. § 9.

Incursiones Thracum in Macedoniam

populationesque continet] *Incursiones Thracum, et Macedoniæ populationes* Boend. et ed. Camp. Oros. v. 18. 'Rex Sotimus, cum magnis Thracum auxiliis Græciam ingressus, cunctos Macedoniæ fines depopulatus est.' Eadem fere verba repetuntur Epit. l. LXXVI. in fine.

LIB. LXXV.

A. Postumius legatus in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus, cum classi præesset] In his verbis est insigne mendum. Inculcata enim multa verba sunt ex Epitome sequentis libri, eaque a Gabinio ad Postumium translata: quæ autem ad Postumium pertinent, ea Sulpicio sine causa tributa sunt. Sic igitur lege ex veterum librorum fide: *A. Post. Albinus legatus, cum classi præesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est.* Reliqua autem dele. Hæc ipsa A. Postumio evenisse, tradit etiam Orosius v. 18. 'Postumius Albinus vir consularis, tunc L. Sullæ legatus, intolerabili superbia omnium in se militum odia cum suscitasset, lapidibus occisus est:' et Valerius v. 8. 'A. Albinus, nobilitate, honorum omnium consummatione civis eximius, propter falsas et inanes suspiciones in castris ab exercitu lapidibus obrutus est.' *Sigon.* Hunc στρατηγικὸν, *prætorium*, vocat Plutarch. in Sulla: *consularem* Oros. v. 18. *Dukerus. Aurelius Postumius* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. præced. Sequentia ita exhibet Leid. *legatus in obsidione castrorum hostium cecidit. Sulpicius cum classi.* Voss. *legatus in obsidione castrorum hostium cecidit. Sulpicius legatus cum classi:* neque aliter Boenderm. et ed. Camp. nisi quod Boend. *recidit* legat, pro *cecidit*. At septem vocabula, quæ codd. vett. fide ejecit Sigonius, desunt etiam in Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Id verum est, A. Postumium Albinum fuisse, qui a militibus suis interfectus periit: id enim præter Val. Max. et Oros. a Sigonio laudatos narrat etiam Plut. in Sull. 455. Τῶν στρατιωτῶν αὐτοῦ στρατηγικὸν ἄνδρα, πρεσβευτὴν, Ἀλβῖνον ὄνομα, ξύλοις καὶ λίθοις διαχρησαμένων παρῆλθε. Eum vero classi præfuisse, alibi non invenio. Quin etiam omnes, qui cædem ejus referunt, militum, a quibus cæsus est, nullus vero sociorum navalium meminit. Præterea 'in castris' lapidibus obrutum fuisse Valer. Max. narrat: quid autem negotii illi, qui classi præest, cum castris? Denique, Romanos in bello sociali classibus usos esse, nullus tradit. Hæ rationes eo ducere videntur, ut locum ita constituamus: *A. Post. legatus in obsidione castrorum hostilium, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est.* Verum verba illa invitis codd. delere non audeo; præsertim quum illa quæ Sigonius expunxit, perperam ex sequentis lib. Epitome repetita esse verisimile sit. Ultima vox *est* ante *interfectus* deest in Norv. et edd. antiqq. Eam Sigonius addidit, et servant Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Sulla legatus Samnites prælio vicit] *Samnitem* Boend. quod ferri posset, si plurium codd. testimonio firmaretur. Vide ad III. 2. § 11. et XXVIII. 44. § 5. Eum, qui hic *legatus* vocatur, 'consulem' vocavit Oros. v. 18. At Sullam, antequam consul crearetur, plures victorias de Samnitibus reportasse refert Appian. Civ. I. 381.

Dum castra eorum expugnat, cecidit] Vel legendum *obpugnat;* vide ad XXI. 57. § 6. vel *expugnat* eodem fere modo capiendum, quo illud interpretatur Gronov. ad Epit. l. XLIX. Tum *occidit* Leid. Vide ad XXXVI. 36. § 6. Paullo ante *jussisque*, pro *fusisque*, Exc. Pithœi. In verbis seqq. *Et ea res victoria ejus prælii dedit* Boend.

Cosconius et Lucceius Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium] *Costonius* ed. Camp. *Constonius* Boend. *Coscenus* Vossian. *Cesenius* Leid. *Censonius* Berg. Sed recte vulgatum servat Lov. 2. Γάϊος Κοσκώνιος vocatur apud App. Alex. Civ. l. I. p. 381. Vide ad Epit. lib. LVI. Tum *Lucanus* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi: *Luceius* Norv. et edd. ante Gronov. qui recte *Lucceius* reposuit. Recentiores tamen alterum *c* iterum expunxerunt. Vide Victor. ad Cic. ad Famil. v. 12. Deinde *Marium Ognentium* Vossian. *Marium Equatium* Berg. *Marium Ægnatium* Norvic. et priscæ edd. *Marium Ignatium* Boend. et ed. Camp. Μάριος Ἰγνάτιος vocatur App. Civ. I. 375. At Perizon. apud Duker. ad Flor. III. 18. § 6. pro eo qui apud eumdem App. p. 381. Τρεβάτιος vocatur, Ἐγνάτιος scribendum conjicit. Mox *quamplurimaque eorum oppida in deditionem accepit* Voss. Vox *eorum* deest in Berg. et Lov. 2.

L. Sulla Hirpinos domuit] *Arpinos* Boend. scribarum lapsu; quos supra similiter errasse, vidimus ad XXII. 13. § 1. Mox *pluribus præliis* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quisquam ante consulatum] Vet. lib. *quisquam alius ante*. Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

LIB. LXXVI.

A. Gabinius legatus, rebus adversum Lucanos prospere gestis] Aliter Florus III. 18. § 13. 'Gabinius Marsos' discutit,' Carbo Lucanos.' Orosius v. 18. in eo cum Epitome consentit, quod eum in expugnatione hostilium castrorum interfectum esse scribit: sed nomen hostium non addit, et 'C. Gabinium' vocat. *Duk.* In prænomine variant typis descripti. *P. Gabinius* præfert edit. Rom. princeps, teste Hearnio. *A. Gabinius* Rom. 1472. aliæ *E. Gabinius:* aliæ *C. Gabinius:* aliæ prænomen omittunt. Caussam erroris vide ad Epit. l. LXII. Postea recte restitutum est *A. Gabinius*, cujus vestigia sunt in plerisque Mss. Nam *Aurelius Gabinus* legunt Boend. et ed. Camp. *Aurelius Gabinius* Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Librarios autem sæpissime *Aurelius* pro *Aulus* dedisse, vidimus ad Epit. l. LXXIV. Est autem illud prænomen genti Gabiniæ usitatissimum: quam *Caii* prænomen usurpasse, alibi non inveni, nisi in loco laud. Orosii; ubi id ab uno Msto abesse Fabric. testatur. Tum *adversus Lucanos* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLVII.

Et pluribus oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit] *Multis oppidis*, omissa etiam copula, Exc. Pithœi, Norv. et edd. pleræque: *et plurimis oppidis* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. *et pluribus oppidis* Gruterus substituit; quod tamen in nullo libro, vel scripto, vel edito antiquiore, obvium fuit. Dein *castrorum hostium* Voss. Lov. 2. et Boend. Ita aliquoties peccarunt librarii. Vide ad XXIX. 35. § 5. XLI. 26. § 4. ad Epit. præc. ad Epit. l. CX. et alibi.

Sulpicius legatus Marrucinos cecidit, universamque eam regionem recepit] Omnia hæc verba desunt in Leid. *Marutinos* legit Berg. *Marotinos* Boenderm. *Marruncinos* Lov. 2. Oros. v. 18. 'Marrucini Vestinique, Sulpicio legato Pompeii persequente, vastati sunt.' Vide etiam Freculph. Chron. part. II. lib. VI. c. 12. Tum *cecidit* omittunt Boend. et ed. Camp. ut tota oratio pendeat ex verbo *recepit*. Dein *totamque eam regionem* Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LII. Mox *recepit*, pro *accepit*, Boend. Quum autem Pompeius Vestinos jam supra Epit. præc. in deditionem accepisse dicatur, illud *recepit* cum emphasi capi posset, pro 'iterum accepit;' verum id verbum mo-

do præcessit. Tota periodus *Cn. Pompeius proconsul Vestinos et Pelignos in dedilionem accepit* deest in Berg.

A L. Murena et Cæcilio Pinna legatis] Quis iste *Pinna?* Numquid *Cæcilio Pio?* Velleius II. 15. ' Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello Cn. Pompeius, Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius, de quo prædiximus, L. Sulla anno ante prætura functus, Q. Metellus Numidici filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat.' Loquitur autem de bello Marsico. *J. F. Gronov.* Conjectura confirmari potest ex Appiano et Plutarcho. Nam ille Civ. I. 381. Cæcilium Metellum Iapygas prœlio vicisse, ac deinde p. 391. eumdem post profectionem Sullæ in Græciam reliquias belli socialis persecutum fuisse scribit. Eum autem Metellum Pium fuisse, e Plutarchi vita Marii apparet. *Duk.* Ipsi etiam Appiano B. C. I. 398. memoratur Μέτελλος Καικίλιος ὁ Εὐσεβὴς, ἐκ πολλοῦ ἠρημένος ἐς τὰ λοιπὰ τοῦ συμμαχικοῦ πολέμου. *Cæcilio Pio* jam ed. Sigonii secunda et tertia præferunt. Vide etiam Supplem. Freinsh. hoc lib. c. 2. In vulgatum tamen conspirant scripti, nisi quod vox *Pinna* desit in Boend. et ed. Camp. qui ambo etiam ignorant præpositionem *a.*

Fracti pacem petierunt] Vossian. et Gudiani *petere pacem cœperunt.* J. F. Gron. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *petierunt pacem* Boend. et ed. Camp.

Cæsis a Mam. Æmilio legatis Italicis] Veteres libb. *cæsis et a Mamerco Æmilio legato Italicis.* Sigonius. Illud *et* a Sigonio additum agnoscunt Leid. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *a Mamerco et Æmilio legatis* ed. Camp. *legatis* operarum errore ed. Bas. 1539. quod omnes usque ad Sigonium male servarunt.

Silo Popedius dux Marsorum] Diodoro vocatur Πομπαίδιος, Appiano Πομπάδιος, sed mendose. Plutarchus in Mario et in Apophth. hujus viri nomen vitiose continet. *Delrius. Silo Propelio* Boend. *Silo Poppelius* Voss. *Silo Pompedius* Leid. quomodo etiam, vel *Pompædius* scribendum censet Ger. Vossius ad Vell. Pat. II. 16. Varie hoc nomen in scriptis et editis exaratur. Vide viros doctos ad Vell. l. laud. ad Flori II. 18. Val. Max. III. 1. 2. ad Obseq. de Prodig. c. 116. et quos laudarunt. Mox *ejus rei* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. *Hujus belli* reponendum conjicit Cluver. Ital. Ant. II. 11. p. 732. Præterea præpositio *in* non adparet in Exc. Pithœi. Eadem etiam exsulat a nonnullis edd.

Præterea incursiones Thracum in Macedoniam continet] Vet. lib. *incursiones in Mac. populationesque continet.* Sigon. *Incursionem* Voss. Tum *in Macedonia* idem Vossian. cum Berg. Lovel. 2. et Boend. Vocem autem *populationesque* a Sigonio additam servant quatuor memorati codd. et Leid. atque ed. Camp. Ea recepta, habemus eadem verba quæ obcurrerunt Epit. l. LXXIV.

LIB. LXXVII.

Ut exsules revocarentur] De hac re est in Auctore ad Herenn. II. 28. Exsules hi erant, qui lege Varia, ut quæreretur, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent, damnati fuerant, e quibus Bestiam, Cottam, et Mummium memorat Appian. Civil. I. 373. Vide Pighium ad a. IↃCLXII. *Duk.*

Et novi cives libertinique distribuerentur in tribus] Vide Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 4. et Spanhem. in Orbe Rom. Exerc. I. 10. *Duk.* Copulam *et* omittit Boend. Voces autem *in tribus* non adparent in Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. librariorum inertia: ἐς τὰς φύλας ἁπάσας διαιρήσειν dixit App. B. Civ. I. 383. Mox *et ut consul Marius* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. et edd. Camp. Rom. 1472. ac Parm. *et ut cons.*

Marius Boend. Forte scriptum fuerat *et ut C. Marius*. Certe mox hac Epit. pro *inter quos C. Marius*, alii *consul Marius*, alii *cons. Marius* dederunt, alii prænomen omiserunt. Insuper *adversum Mithridatem* Leid. Sed vide ad Epit. l. XLVII.

Occisoque Pompeii consulis filio] Sensus docet legendum esse *occiso Q. Pompeio consulis filio*. Paulo ante enim patris consulis meminit. *Sigon. Occisoque Q. Pompeii consulis*, vel *cons. filio* Leid. Voss. Berg. et Boend. *occisoque Pompeio consulis filio* Norv. *occiso Q. Pompeio consulis filio* Exc. Pithœi, et Lov. 2. Lectio hæc non displicet; nescio tamen, cur Sigonius dicat, sensum docere ita legendum esse. Certe 'Q. Pompeii consulis filium' vocat Vell. II. 18. Πομπηΐου τὸν υἱὸν Appian. Civ. I. 384. Ceterum, alibi sæpe prænomen Q. et copulam *que*, vel *q*; a librariis confundi, vidimus ad XXII. 31. § 7.

Ex quo duodecim a senatu hostes] *Ex qua* legendum est: ad vocem enim *factionem* pertinet. *Sigon.* Similiter Voss. Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. At contra paullo ante *eumque expulit*, pro *eamque*, perperam Voss. Berg. Boend. et ed. Camp.

Inter quos C. Marius pater et filius] Solebant hoc dicere *inter quos C. Marii pater et filius*. J. F. Gron. Vide tamen ad Epit. l. LXXX. Ceterum *inter quos consul Marius* Berg. *inter quos cons. Marius* Lov. 2. Boend. et edd. Rom. 1472. ac Parm. *inter quos Marius* Voss. et ed. Camp. Vide supra h. Epit.

Ut præmium promissi indicii haberet] Vet. lib. *præmium promissum*. Sigon. Sigonius e vet. *promissum*. Lege *ut præmium promissum indici*. J. F. Gron. *Ut promissi præmium haberet indicii* Boend. *ut promissi præmium indicii haberet* ed. Camp. *ut præmium promissi indicium haberet* Voss. *ut præmium promissi indicii haberet* Exc. Pithœi, et Norv. *ut præmium promissum indicii haberet* Berg. et Lov. 2. *ut præmium indicii haberet* Leid. Præmium promissum fuisse, aliunde non constat. Vide Vell. II. 19. Appian. B. Civ. I. 386. Plut. in Sulla pag. 457. Oros. V. 19. aliosque, quos laudat Freinsh. in Supplemento hujus lib. cap. 28. Potest igitur vox *promissum* fide cod. Leid. omitti: quæ si servanda est, *indici*, pro *indicii*, cum Gronovio præferam.

Manumissus est, et ob scelus proditi domini] Dele τὸ *est*, ut sit *manumissus, et ob scelus proditi domini de saxo dejectus est*. Sic Gudiani ambo. *J. F. Gron.* Similiter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Tum *domini proditi* Boend. et edd. ante Gruterum, qui vocabulorum ordinem mutavit, consentientibus Leid. Vossian. Berg. et Lov. 2. Mox *in Asiam trajecit* perperam Leid. Marium enim filium in Africam fugisse, narrant etiam App. Alex. Civ. I. 388. et Plutarch. in Mar. 426. Id etiam indicat Oros. cum 'Uticæ' in custodia observatum fuisse narrans, V. 19.

Missus ad occidendum eum servus, natione Gallus] Ita Gronov. 1665. edidit, adsentientibus Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Reliqui typis descripti ante Gronovium cum codd. Leid. Voss. Exc. Pith. et Norv. habent *ad occidendum eum missus servus*. Hunc servum similiter Γαλάτην ἄνδρα vocat App. Al. Civ. I. 387. *Gallum* Aur. Vict. de Vir. Illustr. c. 67. alii *Cimbrum*, adeoque Germanum. Vide Vell. Paterc. II. 19. et Val. Max. II. 10. § 10. et quæ viri docti ibi notarunt. Dissensum historicorum in hac re adnotavit Plutarch. Mario p. 428.

Inpositus publicæ navi delatus est in Africam] *Publice in navi* Norv. et edd. vetustissimæ. Ejus loco *publice in navim* dederunt Mogunt ini aliique, usque ad Gruterum, *publicæ navi* ei substituentem; quæ deinde lectio per recentiores propagata est. Sed *pub-*

lice navi est in Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *publice in navim* in Exc. Pithœi, quod reduxi. Constat enim ex Plut. in Mario p. 428. non navi publica, sed navi, quam Belæus quidam præbuit, Marium aufugisse in Africam. In eam autem navem impositus est *publice*, id est, publica Minturnensium auctoritate. Vide ad Livii IV. 13. § 8. De locutione ‘ inponere in navim’ vide ad Liv. XXVI. 51. § 2.

Exinde colonias deduxit] Sullam post victoriam belli civilis multas colonias militares veteranorum, quorum opera usus fuerat, deduxisse, testantur scriptores veteres. Sigonio de Antiq. Jur. Ital. III. 4. auctoritas hujus Epitomes suffecit ut scriberet, eum etiam in primo consulatu, Mario et aliis, qui ejusdem factionis erant, urbe pulsis, colonias deduxisse. Mihi amplius quærendum videtur: primum quia nullius veteris scriptoris testimonium de ea re a Sigonio prolatum est; deinde, quia non probabile est Sullam, in Græciam ad bellum Mithridaticum properantem, cogitationem de re, quæ brevi spatio temporis transigi non poterat, suscipere voluisse; postremo quia vix credi potest, quum bellum sociale, quod Sulla consule jam tertium annum gerebatur, tantam multitudinem juventutis Romanæ absumsisset, ut, deficientibus ingenuis, libertinos in militiam legi necesse esset, (quod Epit. l. LXXIV. scriptum est,) tamen superfuisse, qui ab Urbe in colonias mitti potuerint. *Duk. Exin* Leid. Vide ad XXVII. 5. § 6. De ea voce vide ad XLI. 27. § 3.

Ad capiendum a Cn. Pompeio proconsule exercitum] Vet. lib. *ad accipiendum*. Sigon. Similiter Voss. Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Prima syllaba vocis *accipiendum* intercepta fuisse videtur a vocula præced. *ad*. Præterea *proconsule* deest in Voss. Boend. et ed. Camp. Mox *rex Ponti*, transpositis vocabulis, Boend. et ed. Camp. Sed vulgatum ordinem etiam supra hac Epit. observat.

Et pulso Aquillio legato] Sic quoque Epitome sequenti. Ciceroni pro L. Manil. c. 5. est ‘ legatus populi Romani consularis:’ ubi Hotomanus, et hic Hearnius adnotant, eum ab Appiano ‘Attilium’ appellari. Nescio quas edd. Appiani secuti fuerint: nam in aliis est Ἀκύλιος. Plinius H. Nat. l. XXXIII. c. 3. et Appian. in Mithrid. p. 184. eum auro liquefacto in os infuso a Mithridate necatum tradunt. Velleius II. 18. auctor est, eum Mithridati, post edictum illius per Asiam de occidendis Italicis, a Mitylenæis vinctum traditum fuisse. In Diodori Sic. Excerpt. Peiresc. p. 401. scriptum est, eodem tempore Aquillium adolescentem, qui cum aliis Mitylenas confugerat, a Mitylenæis vinctum, ut Mithridati dederetur, sibi mortem conscivisse. Quod in hac narratione tempus, locus, et auctores hujus facinoris eadem sunt, quæ apud Velleium, suspicionem aliquam erroris Diodori injiccre potest. Sed tamen fieri potuit, ut eodem tempore duo Aquillii Mitylenas venerint: etsi non satis apparet, quomodo, qui vinctus erat, sibi manus inferre potuerit. *Duk. Expulso Aquilio* Lovel. 2. De hoc errore vide ad XXXVIII. 49. § 4. de orthographia vocis ‘ Aquillius’ ad II. 4. § 1. Paullo ante *occupata*, pro *occupatis*, Berg. sed eam vocem integram ignorat Lovel. 2. qui etiam in seq. omittit præpositionem *cum*. Eam abesse posse, docent quæ notantur ad Livii I. 14. § 7. et alibi. Invitis tamen reliquis codd. non videtur expungenda esse. Vell. Pat. l. II. c. 39. ‘ Gallias intratas cum exercitu sæpe et adfectavimus, et amisimus.’

LIB. LXXVIII.

Q. Oppium proconsulem] Norisius Cenotaph. Pis. Diss. II. c. 11. p. 211. Oppium *prætorem*, non *proconsulem*,

fuisse sibi persuadet, eo quod Athenæo IV. 14. et in Appiani Mithrid. p. 184. στρατηγὸς vocatur. Non credo quidquam obstare, quo minus, qui Græcis στρατηγὸς, Latinis *proconsul* dicatur, quum prætor cum imperio consulari esse potuerit, quod putat Pighius ad a. IↃCLXIV. Nec Auctor Epitomes ex eo, quod Græci Oppium στρατηγὸν vocant, erroris argui potest. Nam hi etiam eos, quibus post consulatum imperium prorogabatur, generali nomine στρατηγῶν appellant. Sic Q. Metellus Numidicus proconsul in Exc. Peiresc. Diodori Sic. pag. 386. est στρατηγὸς, et Q. Mucius proconsul ibidem pag. 392. Et Appian. eodem lib. p. 174. eum, qui pecunia corruptus Mithridati Phrygiam attribuerat, Romanorum τινὰ στρατηγῶν fuisse dicit. Eum autem fuisse M'. Aquillium, qui, quum an. IↃCXXIV. consul Asiam sortitus fuisset, deinde reliquias belli Asiatici ab Aristonico concitati confecit, ex oratione Sullæ ad Mithridatem p. 208. intelligitur. In qua tamen animadvertendus est error Appiani, quod Sullam Mithridati exprobrasse scribit, eum Phrygiam ab Aquillio emisse, quam patri suo præmium dati adversus Aristonicum auxilii a Romanis concessam ipse Mithridates apud Justin. lib. XXXVIII. 5. § 3. dicit; quod verius esse, etiam ætas illius ostendit. *Duk. Q. Appium* Voss. Boend. et ed. Camp. librariorum errore, etiam alibi ab iis commisso. Vide ad XXXI. 2. § 6. Ipse hic Oppius male Ἄππιος vocatur apud App. Alex. in Mithrid. pag. 181. ubi tamen interpres in versione Latina recte *Oppius*. Mox *una die* Boend. dissentientibus aliis. Vide ad Liv. XXVIII. 28. § 9.

Quæ sola in fide permanserat] *In fide manserat* Boend. *in fidem P. R. manserat* Exc. Pithœi. Forte igitur legendum *in fide populi Romani manserat*. Infra Epit. l. LXXXI. 'Magnesia, quæ sola in Asia civitas in fide manserat.' Liv. XXI. 55. 'Ea sola in fide manserat Gallica gens:' ubi alia vide. XXXVIII. 10. 'Quum in fide Romanæ societatis mansissem.' Ita 'manere in fœdere' IV. 8. 'manere in auctoritate' IX. 14. 'manere in amicitia' XXIII. 20. et XXXVI. 12. 'manere in pace' XXX. 32. 'manere in conditione' Cic. ad Att. VII. 15. 'manere in eo, quod convenerat' Mela I. 7. Reliqui codd. nihil mutant, quibus dicto audiens fui. Livius lib. XXXII. c. 2. 'De ceteris, si in fide permanerent, spes facta.' XLII. 26. 'Omnes sollicitatos legationibus Persei, sed egregie in fide permanere.' Flor. IV. 2. § 17. 'Nisi in fide permaneret, non se remittere exercitum:' ubi vide Dukerum.

Archelaus præfectus regis] *Præfectus regni* Voss. Berg. Boend. Lov. 2. et ed. Camp. Voces illæ et alibi a librariis confunduntur. Vide Cort. ad Sall. Jug. c. 15. § 5.

Trepidationem urbium, insularumque] Gud. *trepidationes*. J. F. Gron. Similiter Boend. et ed. Camp. Tum *urbium insularum* siue copula Berg.

LIB. LXXIX.

Cornelius Cinna] Vet. lib. *L. Cornelius Cinna*. Sigon. Addit vetus lib. *consul*. Delrius. Prænomen primus omisit Frob. 1535. Priores dederant *Gajus*, vel *Cajus Cornelius Cinna*. Sed *C. Cornelius Cinna* Norv. *Silla* (*Cinna* in margine) *consulum*, prænomine et nomine neglecto, Boend. *Cornelius Cinna consul* Voss. *L. Cornelius Cinna consul* Lovel. 2. *L. Cornelius Cinna* Leid. Berg. et Exc. Pithœi.

Quum perniciosas leges per vim ferret] Vet. lib. *per vim atque arma ferret*. Sigon. Voces *atque arma* non exstant in Ms. Voss. et de iis adeo dubito, ut non esse auctoris pronunciem. Nam et Epit. l. LXXXVI. 'Consul ante annos viginti per vim creatus.' Epit. l. CXVII. 'Antonius consul quum impotenter dominaretur, le-

gemque de permutatione provinciarum per vim tulisset.' *Jac. Gronov.* Non multum interest ad sententiam, verba *atque arma* tollantur, an retineantur. Sed, quum pro utraque scriptura stent libri veteres, nolim affirmare, ea auctoris non esse, qui æque 'vim atque arma' conjungere potuit, ac Cic. pro Sextio c. 17. 'Quos homines si, &c. vi armisque superassem.' c. 36. 'Quum omnia vi et armis egeris.' Et pro Domo c. 24. et c. 26. Vis multis modis fieri potest, sed præcipue fit armis, quæ vis maxima est. Hinc in Pandectis 'vi et vi armata,' et in Cic. Famil. VII. 13. et XV. 16. pro Cæcina c. 8. et in Fragm. Orat. pro M. Tullio, 'vi, hominibus armatis.' *Duk.* Voces *atque arma* desunt etiam in Boend. et Norv. contra eas agnoscunt Leid. Berg. Lovel. 2. et Exc. Pithœi. Utrumque, ut vel simpliciter *per vim* dicat, vel *per vim atque arma* jungat, auctori harum Epitomarum in usu fuit. Et quidem prius, præterquam locis a Gronov. laudatis, obcurrit insuper Epit. lib. LXIX. 'Tribunus plebis per vim creatus.' Eadem Epit. 'Quum legem agrariam per vim tulisset.' Epit. l. LXXI. 'Per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit.' Posterius Epit. l. CVII. 'Armis ac vi contendebant.' Similiter apud Livium VIII. 13. 'Pedum armis virisque et omni vi expugnandum.' Hinc vocabula illa servantibus, quam omittentibus, adsentiri malo. Eadem tamen Crevierio displicuerunt. Mox *pulsus ab urbe* Leid. Sed nihil muto. Vide ad Epit. lib. XLVI. Voces *pulsus urbe* exsulant a Voss.

Cum Sextio tribuno plebis] Melior lectio est Mss. librorum *cum VI. tribunis plebis*, id est, *cum sex tribunis plebis*. Hoc probatur, quia scribit Appian. Civ. I. 389. majorem tribunorum partem Octavio adversatos esse : ἔτι δὲ Ὀκταβίῳ κατὰ τὴν οἰκίαν τὸ μέλλον περιορωμένῳ ἐξαγγέλλεται τοὺς πλέονας δημάρχους κωλύειν τὰ γιγνόμενα. *Sigon. Cum Sex. Publio, tri. pl.* Boend. et ed. Camp. *cum Sexto Publio tri. plebis* Berg. *cum Sex. tri. pl.* Norvic. *cum sex tribunis plebis* Leid. Vossian. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Verum locus Appiani, quem Sigonius laudavit, huic lectioni, cui firmandæ eum adduxit, aperte adversatur. Nam verba τοὺς πλέονας δημάρχους κωλύειν τὰ γιγνόμενα accipieuda sunt de tribunis plebis, sive majore eorum parte, adversantibus Cinnæ ejusque legi, ut novi cives per omnes tribus distribuerentur : unde etiam Appian. subjungit, θόρυβον δὲ τῶν νεοπολιτῶν εἶναι, καὶ ἀπογύμνωσιν ἤδη τῶν ξιφιδίων περὶ ὁδὸν ἐς τοὺς ἀντιλέγοντας δημάρχους, ἀναπηδώντων ἐπὶ τὰ ἔμβολα. Forte igitur hic latet nomen tribuni plebis, qui cum Cinna Urbe pulsus est, et 'Sexti' prænomen habuit. Emendatio Sigonii ob similes rationes displicuit etiam Crevierio.

Imperioque ei abrogato] Vet. lib. *imperioque abrogato*. Sic Epit. lib. CXI. 'Abrogato magistratu pulsus urbe.' *Sigon.* Sola Exc. Pithœi favent Sigonio. Reliqui codd. Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et Norv. pronomen *ei* servant. Supra Epit. l. LXVII. 'Damnati bona publicata sunt, imperiumque ei abrogatum.' Mox *bellum urbi contulit* nullo sensu Voss.

Arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus] In hunc ordinem vocabula primus composuit Gruterus : concinunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Antea edebatur *cum aliis exsulibus ex Africa*, ut superest in Boend. Exc. Pithœi, et Norvic. Paullo post voces *alter ex Pompeii exercitu* desunt in Norv. culpa librarii ob repetitionem τοῦ *alter*. Vide ad Livii IX. 11. § 11.

Ignorantes concurrerunt] Gud. *corruerunt*. J. F. Gron. *Concurrunt* Voss. *corruerunt*, quod Gronovius in Gud. invenit, errantis est librarii. Non

enim ambo, sed alter eorum, et quidem qui in Cinnæ exercitu stipendia faciebat, corruit; alter victor interfecti cadaver spoliavit. Præter auctorem hoc loco, vide Valer. Max. v. 4. 4. Tacit. Hist. III. 51. ubi vide Lipsium, Oros. v. 19. et Augustin. de Civit. Dei II. 25. qui tamen, quo bello id acciderit, reticuit. Similem casum tempore belli civilis inter Cæsarem Octavianum et Antonium memorant unus alterve poëta incertus, quorum poëmatia ediderunt J. Scaliger in Catal. Virg. pag. 185. et Pithœus in Catal. Vet. Poët. p. 159. Alium tempore belli inter Vitellium et Vespasianum refert Tacit. loco laud. Poëtica, ut videtur, licentia finxit Silius, patrem a filio ignorante interfectum esse bello Punico secundo, lib. IX. 86. ubi plura vide.

Quum victor mortuum spoliaret] Vet. lib. *spoliaret occisum.* Sigon. Pariter Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Primis editoribus admodum displicuisse debuit vox 'occisus,' cui hic substituerunt 'mortuus,' at sæpius alibi 'interemtus,' ut vidimus ad Epit. l. LVII.

Rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit] *Obstructo* Berg. *instructo* Voss. *constructo* Leid. Sed frustra. Liv. XXV. 17. 'Tradunt, in vestibulo Punicorum castrorum rogum exstructum esse.' Ovid. Her. XV. 116. 'Portet ad exstructos corpus inane rogos.' Vide ad Silii IV. 746. Præterea τὸ *ipse* deest in Leid. Tum *se supra rogum* Berg. Lovel. 2. et ed. Camp. *se super rogum* Boend. Voces 'super' et 'supra' sæpe a librariis confunduntur; vide ad l. XXIII. c. 36. § 6. Mox *eodem igne* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et edd. Camp. Rom. 1472. ac Parm.

Quum opprimi inter initia potuisset] Scribe *potuissent*. Refertur enim ad quod sequitur, 'confirmati Cinna et Marius.' Et sic Gudianus minor. *J. F. Gron. In initia* Boend. forte pro *in initio*. Sed nihil muto. Justin. VII. 5. 'Inter prima initia regni bellum ab Illyriis redemit.' XI. 2. 'Inter initia multas gentes rebellantes compescuit.' Liv. I. 55. 'Inter principia condendi hujus operis.' Ita 'inter primum tumultum' Liv. XXXII. 38. Plura vide ad Livii VI. 24. § 10. et Toren. ad Val. Max. III. 2. 3. Insuper *potuissent* Leid. Mox *Cnæi fraude*, omissa media voce, male Voss. Tum *quod utramque partem* Berg. Vide ad XXXVII. 35. § 3. Denique *vires Cinnæ dabat* Leid.

Optimatium rebus auxilium tulit, et consulis segnitie confirmati] *Optimatum* Leid. Voss. Berg. et Boend. Et ita codices præferunt infra Epit. lib. LXXXIV. Utrumque in usu fuisse, Vossius docet Gramm. IV. 14. At in Livio quidem pejoris notæ codd. *optimatum*, reliquos *optimatium* legere, vidimus ad III. 35. § 9. IV. 9. § 5. X. 18. § 8. et XXIV. 32. § 3. Tum *segnitia* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad XXXI. 6. § 5.

Quatuor exercitibus, quorum duo] Voss. et Gudiani *ex quibus*. Sic Epit. lib. XCII. erat 'plurimus amicorum,' &c. priusquam Sigonius restituerat *ex amicis*, cui nostri subscribunt. Idem Epit. l. LXXXVIII. *qui soli ex Italicis populis*. Et Epit. libb. CXXX. et CXXXVII. sic peccatum. *J. F. Gron.* Similiter Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Ita supra Epit. lib. LXXVII. 'Ex qua duodecim a senatu hostes judicati sunt.' Epit. l. LXXXIX. 'Unus ex proscriptis.' Epit. lib. XCII. 'Singula ex utraque parte cornua.' Epit. l. XCIII. 'Plurimos ex amicis proscripsit.' Sallust. Jug. c. 13. 'Singulos ex senatu.' Similiter Mss. præferunt Epit. l. CXXIX. 'Ita ut ex duabus Cæsaris classibus altera, cui Agrippa præerat, vinceret,' pro *ut duarum classium Cæsaris*.

Ostiam coloniam Marius expugnavit, et crudeliter diripuit] *Hostiam* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et quædam ex

vett. edd. Sed vide ad l. I. c. 33. § 9. Tum vox *Marius* exsulat a Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Præterea *diruit* Voss. sollemni scribarum lapsu. Vide ad Livii VI. 4. § 9. VIII. 20. § 7. et XXXI. 45. § 16. Ne vero, si *Marius* omittatur, deesset quo verba *oppugnavit* et *diripuit* referantur, Leid. legebat *pugnaverunt et crudeliter diripuerunt*. Sed voluit forte *expugnaverunt*. Id tamen probari nequit. Ita enim quatuor ducibus simul Ostiæ expugnatio et direptio tribueretur, quod alii uni Mario adscribunt. Appian. Civ. I. 391. Μάριος δὲ καὶ Ὄστια εἶλε καὶ διήρπασε. Adde Plut. in Mario p. 430. et Oros. V. 19. Nihil itaque mutandum.

LIB. LXXX.

Italicis populis a senatu civitas data est] Hæc non suo loco referri, quod jam ante a. IↃCLXVI. et ante primum consulatum Cinnæ factum fuerat, observarunt Sigonius de Ant. Jur. Ital. III. 1. et Spanhem. Orb. Rom. Exerc. I. 10. *Duk.*

Qui soli arma recipiebant] Vet. lib. *retinebant*. Sigon. *Recipiebant* pertinaciter servant omnes nostri et aliorum Mss. Simili errore librarios verba 'receptare' et 'retentare' confudisse, docet Nic. Heinsius ad Claudiani in Rufin. I. 307.

Plantius cum exercitu cæsus est] Vet. lib. *Plautius*. Sigon. *Plantius* Norv. *Plancius* Leid. et Boenderm. *Platius* Voss. *Plautius* Berg. et Lov. 2. *Plautius legatus* Exc. Pithœi. Enm indicari, qui A. Plotius vocatur Epit. lib. LXXIV. existimat Pighius in Annal. ad a. IↃCL. p. 159.

Janiculum occupaverunt] Vet. lib. *oppugnaverunt*. 'Occupasse' tamen ait Appianus. Itaque nihil muto. *Sigon. Oppugnaverunt* Berg. et Lov. 2. Sed *occupaverunt* servant Leid. Voss. et Boend.

Antium quidem, et Ariciam, et Lanuvium colonias devastavit. Quum nulla omnino spes esset] Tolle *quidem* et *omnino*, veteribus lib. auctoribus. *Sigonius*. Has a Mario vastatas fuisse, Appianus quoque Civ. I. 392. tradit, sed 'coloniarum' nomen iis non addit. Ex his 'Antium' dudum colonia fuerat, Liv. III. 1. 'Aricini' et 'Lanuvini' etiam in civitatem accepti, VIII. 14. Itaque *Antium* coloniam dicere potuit; *Ariciam* et *Lanuvium* cur colonias vocet, mihi non liquet. Eadem oppida quidem modo coloniarum, modo municipiorum nomine veniunt; sed hoc non in aliis locum habere potuit, quam quæ etiam coloniæ erant: in quo numero an *Aricia*, *Lanuvium*, et, quod Epit. lib. LXXIII. legitur, *Nola* fuerint, non immerito dubitat Sigonius de Ant. Jur. Ital. II. 5. Nam quod quis putet, eas inter illas esse potuisse, quas Sulla in primo consulatu ante expeditionem in Græciam adversus duces Mithridatis deduxisse dicitur in Epit. lib. LXXVII. et ideo fortassis a Mario, hoste Sullæ, vastatas esse, non admodum firmum est, ut ex iis quæ ibi dicta sunt, intelligi potest. Frontinus quidem in libro de Coloniis *Ariciam* lege Sullana munitam esse scribit: sed nihil vetat, hoc de colonia a Sulla post victas partes Marianas eo deducta accipi, ut alia, quæ de Sullæ coloniis in libro illo leguntur. *Lanuvium* certe hoc tempore colonia nondum erat: nam eam Frontinus a Divo Julio deductam fuisse auctor est. Suspicor Auctorem Epit. has vocasse colonias, non quod jam tempore belli socialis, sed ea ætate, qua ipse hæc scribebat, coloniæ essent. *Duk.* Voces *quidem* et *omnino*, a Sigonio expunctas, ignorant omnes scripti, quibus usus sum ut et ed. Camp. De priori vide ad Epit. l. LV. de posteriori ad Epit. lib. LVIII. Dein *Lavinium* Leid. Vossian. Boend. Berg. Norv. et edd. vett. usque ad Gruteri ultimam, quæ *Lanu-*

vium præfert, verisimiliter ex conjectura Cluverii Ital. Ant. III. 3. p. 898. et cap. 4. p. 939. qui ita emendandum existimavit, tum quod Λανούβιον vocetur Appian. Alex. Civ. I. 392. tum quod Lavinium jam hoc tempore nulla celebritate fuisse constet; contra quam Lanuvium, quo paullo ante coloniam a Sulla haud dubie deductam putat. Cluverii emendationem postea sibi vindicavit Keuchen. ad Front. de Colon. pag. 409. Sed sæpissime quidem *Lavinium* et *Lanuvium* a librariis confundi, vidimus ad III. 29. § 6. Utrum tamen Lanuvium a Sulla colonia deducta fuerit, ut Cluverius arbitratur, non sine caussa viri docti dubitant. Certe, eo coloniam deductam esse a Divo Julio, auctor est Frontin. de Colon. pag. 139. Ex quo loco etiam superius apud eumdem Frontin. p. 106. *Lanuvium*, pro *Lavinium*, legendum esse, viri docti observarunt. Insuper *expugnabit* Exc. Pithœi: *expugnavit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Propter segnitiem et perfidiam] *Segnitiam* Voss. Berg. et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LXXIX. *p segnitiam* Boend. Vide ad Epit. lib. LXXXIV. *Propter perfidiam et segnitiam* Lov. 2.

Qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant] Voss. et Gudiani *aut in diversas partes transibant*. J. F. Gronov. Similiter Leid. Berg. et Lov. 2. *inter diversas partes* Boend. et ed. Camp. Deinde *transiebant* Exc. Pithœi: *trahebant* Berg. Tum *qui corrupti sunt aut pugnare* Boenderm. *qui .... sunt aut pugnare*, unius vocis lacuna relicta, Voss.

Qui, velut captam, eam cædibus et rapinis vastarunt] *Et velut* Boend. et ed. Camp. Tum *raptam* Norv. et edd. vett. pro quo recte Mediol. a. 1505. *captam* reposuerunt. De errore hoc librariorum vide ad Livii VI. 23. § 5. Hinc pronomen *eam* ignorat Boend. cujus loco *cum* legit Voss. Insuper *cædibus ac rapinis* Voss. Boend. et ed. Camp. *cædibus atque rapinis* Berg. Tandem *vastaverunt* Vossian. Berg. Leid. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

M. Antonio eloquentissimo viro, et C. Cæsare] Vet. liber *L. et C. Cæsare*. Recte: fratres enim hi fuerunt, ambo in reditu Marii interfecti. Auctor Appianus et reliqui. *Sigonius.* Lege *L. et C. Cæsaribus, quorum capita.* J. F. Gron. *Et C. L.* vel *Lucio, Cæsare* Leid. Voss. Berg. Boend. Exc. Pith. et edd. Camp. Rom. 1472. ac Parm. Forte scribendum *M. Antonio, &c. et C. et L. Cæsare*. Particulam enim connectentem ita repetere solitum fuisse Auctorem Epitom. vidimus ad Epit. lib. XLVI. C. Cæsarem autem ante L. Cæsarem memorat etiam Appian. Civ. I. 394. Gronovio *Cæsaribus*, pro *Cæsare*, legenti non adversarer, si Livium præ manibus haberem: eum enim ita sæpissime locutum esse, vidimus ad VI. 22. § 1. Morem autem hunc Livianum non semper observavit Auctor Epitom. Certe aliter locutus est Epit. lib. LXXVII. 'Duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius, pater et filius, judicati sunt:' ubi etiam Gronovius, invitis omnibus libris, conjicit *Caii Marii, pater et filius.* Epit. lib. C. 'Bellum deinde inter Tigranem, filium patremque, gestum continet.'

Quorum capita in rostris posita] Vet. lib. *in rostris posita sunt.* Sigon. *Eorum capita* Voss. Tum *in rostra* ultima Gruteri ed. pro quo Gronovius *in rostris* revocavit, consentientibus omnibus nostris. Id igitur præferendum, licet et altero modo scriptores antiquos locutos esse negari nequeat. Ovid. Fast. III. 220. 'In terram posito procubuere genu.' Sallust. Jug. c. 17. 'In divisione orbis terræ plerique in partem tertiam Africam posuere.' Vide ad I. 18. § 8. et XLI. 28. § 7. Deinde *posita sunt* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Mox *ab equitibus Fimbriæ occisus*, pro *interemtus*, Leid. Vossian.

Berg. Boend. et ed. Camp. *occisus est* Lov. 2. Vide ad Epit. l. LVII. Insuper *et arula comitia* corruptissime Voss. *et citra nulla comitia* Berg.

Renunciaverunt, eodem die, quo magistratum inierant: Marius Sex. Licinium] Sic interpunge, et lege: *Eodemque die, quo magistratum inierant, Marius, &c.* Sigonius. *Eodemque die* Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et edd. vett. usque ad Froben. qui copulam omisit. Eamdem ignorat et Leid. Interpunctionem primus vitiavit Curio.

Sex. Licinium senatorem de saxo dejici] In Plutarchi vita Marii p. 432. pleræque edd. habent Σέξτον τινὰ Λουκῖνον. Sed Aldus ibi sive e libris scriptis, sive ex Epitoma Livii ediderat Λικίνιον, de quo miror viros doctos, qui ad Vell. II. 24. dubitant, Epitoma e Plutarcho, an hic ex illa emendandus sit, nihil monuisse. Muretus, idoneus harum rerum arbiter, in Plutarcho, quod ad edit. Londinensem Vitarum illarum adnotatum est, probarat Λικίνιος. Nec sine ratione: nam hoc notum nomen Romanum est; Λουκῖνος fortassis nusquam in historia Romana de homine Romano lectum. Velleium, qui *Sex. Lucilium* a P. Lænate, tribuno plebis, de saxo Tarpeio dejectum dicit, eamdem rem narrare, quod quidam putant, non credo: in eo enim omnia alia, præter genus supplicii, diversa sunt. Sed in Exc. Peiresc. e Dione p. 644. ubi scriptum est C. Marium filium Cal. Januar. tribunum quemdam plebis de saxo Tarpeio dejecisse, non dubito, quin eadem res referatur. Unde Pighius hauserit, quod ad a. IↃCLXVII. scribit, Licinium a Mario de saxo præcipitatum, quod adfuturas ipsi atque urbi novas calamitates prædixisset, invenire non potui. Sed propemodum credo, eum non satis attenta mente verba Plutarchi de hac re legisse. *Duker. De saxo ejici*, vel *eici*, Leid. Voss. Berg. et ed. Camp. Sed vide ad Epit. lib. LIX.

Editisque multis sceleribus, Idibus Januariis decessit] *Plurimis sceleribus* Leid. et Lovel. 2. *pluribus sceleribus* Vossian. Berg. Boend. et ed. Camp. Similiter variant librarii infra Epit. libb. LXXXIII. LXXXIX. XCVIII. et alibi. Vide ad Epit. l. LI. Tum *Idibus Januarii* Leid. Lov. 2. et Boenderm. Vide ad Livii IV. 37. § 3. Mox *vir enim si* Leid. Tum *examinaretur ex virtutibus vitia* Voss. Deinde *dictu, virne bello melior, aut pace* idem Voss.

Adeo, quam rempublicam armis servavit] *Adeo, qui remp. armis fovit* Leid. Sed nihil muto. Non tantum enim Marius rempublicam armis et fortitudine fovit, sed etiam tempore belli Cimbrici servavit, ut optimates fatentur supra Epit. lib. LXVIII. 'Primores civitatis, qui aliquamdiu ut novo homini ad tantos honores evecto inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur.'

Postremo armis evertit] Vet. liber *armis hostiliter evertit.* Sigon. Similiter Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Vox *hostiliter* abesse quidem posset, quum vix aliter, quam hostiliter, urbs vel respublica everti queat. Sed ita et Liv. loquitur IX. 38. 'Castella vicique aut deleta hostiliter, aut integra in potestatem venerunt.' XXXVII. 17. 'Agrum circa Romam hostiliter depopulati sunt.'

LIB. LXXXI.

Præfectus Mithridatis occuparat, circumsedit, et cum maximo labore] *Occupaverat* Voss. Berg. Lovel. 2. et ed. Camp. *occupavit* Boend. Tum *circumsedente* nullo sensu Voss. Berg. et Exc. Pithœi. Dein *cum magno labore* Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. *magno cum labore* Leid. Sæpissime in his Epitomis primos editores superlativum adscivisse, ubi scripti positivum probant, vidimus ad Epit. l. LI. Mox *urbi libertatem, et quæ ha-*

buerat, reddidit Leid. Voss. et Berg. neque aliter Lov. 2. nisi quod *habuerant* præferat: *habuerat* etiam in Exc. Pithœi fuisse, Hearne testatur.

Magnesia] Magnesios, aliosque, qui pro Romanis adversus Mithridatem steterant, a Sulla libertate donatos, et sociis populi Romani adscriptos fuisse, est in Appiani Mithrid. pag. 211. Hanc ' Magnesiam ad Sipylum ' esse, ostendit Spanhemius in Orb. Rom. Exercit. II. 9. *Duk.* Vide etiam Cellar. Geogr. Ant. III. 3. 81.

Præterea a Thracibus in Macedonia gesta continet] Vetus lib. *Præterea transitus Thracum in Macedoniam continet.* Sigonius. Similiter Berg. Verum hæc lectio ideo minus placet, quia Thraces non nunc demum in Macedoniam transierunt, sed jam diu antea Romanis in ea bellum intulerunt. Certe ' incursiones Thracum in Macedoniam ' auctor retulit Epit. l. LXXIV. et l. LXXVI. atque infra iterum memorabit Epit. l. LXXXII. Et hinc neque probo alteram lectionem *Præterea excursiones Thracum in Macedoniam continet*, quam præferunt Exc. Pithœi. *Præterea Thracum et Macedonum res gestas continet* legunt Boend. et ed. Camp. quod et ipsum displicet. Non enim Thraces cum Macedonibus, sed cum Romanis in Macedonia bellum gesserunt. *Præterea res Thracum in Macedonia continet* Lov. 2. *Præterea Thracum in Macedonia continet gesta* Leid. et Voss. quam lectionem recepi.

LIB. LXXXII.

Cæsis hostium centum millibus, et castris quoque expugnatis] Primo hoc prœlio centum et decem millia ex regis exercitu cecidisse, auctores sunt App. in Mithr. p. 199. et Oros. VI. 2. Tum copula *et* deest in editis ante Gruterum; qui eam primus addidit, consentientibus omnibus scriptis nostris. *Et quoque* hic junguntur, ut apud Liv. XLII. 17. ' Hospitio quoque et duces Romanos omnes, et legatos exterarum quoque gentium, præcipue regios, accipiebat:' et alibi. Similiter *et etiam;* de quo vide Dukerum ad Flori III. 18. § 6. Insuper *Lutius Sylla* in initio hujus Epitomes Boend.

Exercitum regis fudit ac delevit] *Exercitum ejus* Norv. et typis descripti ante Gruter. qui *regis* restituit. Idem servant nostri Leid. Vossian. Berg. Boend. et Lovel. 2. Hinc *et delevit* Leid. Mox *tradit* Voss. neglegentia librarii; de qua vide ad XXXIV. 29. § 13.

Flaccus consul, collega Cinnæ, &c. ab C. Fimbria legato ipsius] *Flaccus collega consulis Cinnæ* Vossian. Tum *a C. Fimbria* omnes scripti mei, Exc. Pithœi, Norvic. et editi usque ad Gronov. qui a. 1665. *ab C. Fimbria* dedit. Quare priorem lectionem non male revocarunt Freinsh. Doujat. Cleric. et Crevier. Voces *legato ipsius* desunt in ed. Camp. Fimbria hic ὑπάτῳ Οὐαλερίῳ Φλάκκῳ ταμίας vocatur Strab. XIII. 594.

Et crudeliter direpta provincia, incursionesque] Utramque copulam *et* atque *que* omittit Boend. posteriorem tantum Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Tum *direptæ provinciæ* Boend. *direpta pecunia* ultima Gruteri, quod perperam Freinsh. Doujat. Cleric. et Crevier. servarunt.

LIB. LXXXIII.

C. Fimbria, in Asia fusis aliquot copiis Mithridatis] Vet. lib. *fusis prælio aliquot copiis.* Sigonius. *Præfectis,* pro *copiis,* est in membranis. *Delrius.* Membranæ Barb. Vossian. Gudianæ *aliquot præfectis Mithridatis.* Ut Epit. l. LXXVIII. ' Archelaus præfectus regis.' Et lib. LXXXI. ' Archelaus præfectus Mithridatis.' Et l. XCIV. ' Præfectos Mithridatis.' Adde quæ scripsimus ad XXVIII. 30. J. F. Gron. *Fu-*

sis prælio aliquot etiam Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXXIII. Dein *aliquot Mithridatis copiis* Boend. et ed. Camp. *aliquot præfectis Mithridatis* Leid. Berg. Lovel. 2. et Exc. Pithœi. 'Archelaum præfectum Mithridatis' memorat Frontin. Strat. I. 5. § 18. et c. 11. § 20. Insuper Fimbriæ prænomen *C.* deest in Leidens. Berg. et Lov. 2. *G. L. Fimbria* legit Voss. *Fulvius Fimbria* Boend. et ed. Camp. *Fl. Fimbria* Exc. Pithœi: *L. Fimbria* ed. Rom. 1472. Forte igitur legendum *Flavius Fimbria.* Certe *C. Flavius Fimbria* vocatur Vell. Pat. II. 24. et Aurel. Vict. de Vir. Illustr. c. 70. Mox *non abfuit multum* Exc. Pithœi, Boend. et edd. ante Gruterum, qui *non multum abfuit* emendavit, consentientibus omnibus scriptis nostris, et ed. Camp.

Urbem Ilion, quæ se potestati] *Illum urbem, quæ* Leid. *Urbem illam, quæ* Voss. *Urbem Illium, quæ* Boend. *Urbem Ilium, quæ* Berg. Lovel. 2. et ed. Camp. Et ea forma semper extulit Livius. Vide XXXV. 43. et XXXVII. 9. et c. 37. At auctor Epitomarum sæpe formam Græcam captavit. Vide ad Epit. l. LII. Mox *magnam partem Asiæ occupavit* Berg.

Multis prœliis Thracas cecidit] Parum interest: tamen Barb. Vossian. Gud. minor *Sulla compl. prœliis Thracas cecidit.* Major, *Sulla enim pluribus.* J. F. Gron. *Sulla cum pluribus prœliis* Boend. *Sulla compluribus prœliis* Leid. Berg. Lovel. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXXX.

Bellum contra Sullam pararent, effectum quidem est] Gud. *præparent.* Minor *præpararent:* Voss. *repararent.* Præterea dele *τὸ quidem*, quod passim abolevit Sigonius, hic tamen reliquit: sed nulla membrana agnoscit. Uti nec lib. LXXXVI. 'Ex cujus quidem numero.' *J. F. Gron. Præparare*nt Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Tum vocem *quidem* expungunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LV.

Naves conscendere, et adversus Sullam proficisci, interemtus est] *In naves conscendere* Berg. Vide ad XXIX. 25. § 5. *Naves ascendere* Lov. 2. Tum *conscendere, adversum*, omissa particula copulante, Boend. Alibi codd. plerumque præferunt *adversus.* Vide ad Epit. l. XLVII. Deinde *interfectus est* Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXXIII.

Ita ut his cederet provinciis] Vet. lib. *ita ut is cederet. Is* autem Mithridates intelligitur. *Sigon.* Ex Sigonii Scholio nihil aliud colligo, quam vet. lib. ejus præferre *is*, pro *his.* At insuper inde effecisse videtur Gronovius, eum etiam in vet. lib. vocem *provinciis* non invenisse, quoniam ejus in Scholio non meminit: unde et illam expunxit. Id tamen verisimile non videtur, quia Sigonius, ad vet. lib. præscriptum contextum refingens, tantum *is*, pro *his*, emendavit, vocem autem *provinciis* servavit: in qua retinenda etiam omnes codd. conspirant. Certe *ita ut is cederet provinciis* præferunt Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *ita ut idem cederet provinciis* Voss. Boend. et ed. Camp. Insuper tamen Crevierius, caussatus Bithyniam et Cappadociam non fuisse eo tempore provincias Romanas, sed regna, legendum censet *ita ut is cederet provincia Asia, Bithynia, Cappadocia;* quomodo verba hæc laudarat Sigon. Comment. ad Fast. ad a. IↃↃLXIX. Vulgatum tamen ferri potest, si dicamus intelligi provincias non Romanorum, sed ipsius Mithridatis. Certe vocem *provinciis* fide codicum restitui.

Impetravitque a servo, præbens cervicem, ut eum omnino interficeret] Vet. lib. *imp. de servo suo, præbens cervicem, ut se interficeret.* Sigon. Servi hujus neque Appian. in Mithridaticis, neque Plutarchus in Sylla, neque Velleius lib. II. neque Orosius lib. V. neque, quod sciam, alii ulli memine-

runt. *Delrius. A servo* Leid. Vossian. Boend. et Norv. *de servo* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Tum *suo* deest in Voss. et Boend. Hinc *ut se*, pro *ut eum*, habent Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. qui omnes etiam ignorant dictionem *omnino*. Vide ad Epit. l. LVIII. Tandem *occideret* omnes modo memorati libri, exceptis solis Exc. Pithœi, quæ servant *interficeret*. Vide ad Epit. l. LVII. Locus similis obcurrit Epit. l. LXXXVIII. 'Quem quum occidisset, ipse sancius impetravit a servo, ut se occideret.' Ex quo pleræque codicum lectiones propositæ confirmantur, quemadmodum vicissim locus, quem præ manibus habemus, veræ lectioni illius lucem accendit. Paullo ante *distractus ab exercitu* Boend. et ed. Camp. *desertus ab exercitu suo* Berg.

LIB. LXXXIV.

Qui ab senatu missi erant, futurum se in potestate senatus] *A senatu* omnes mei, aliorumque scripti, et editi ante Gronov. qui a. 1665. substituit *ab senatu*. Tum *futurum se in potestatem* Berg. Boend. Norv. et edd. principes. Vide ad II. 14. § 4.

Si cives, qui a Cinna pulsi ad se fugerant] Voss. et Gudiani, *qui pulsi a Cinna ad se confugerant*. J. F. Gron. *Qui pulsi a Cinna* etiam Leid. Berg. et Lov. 2. *pulsi a Cinna, qui* Boend. et ed. Camp. *confugerant* non tantum servant omnes scripti mei, Exc. Pithœi, et Norv. verum etiam edd. ante Gruterum, cujus ultima ἔκδοσις *fugerant* admisit.

Quæ conditio quum justa senatui videretur] *Justa videretur* ed. Camp. *justa cernebatur* Boend. Omnia hæc vocabula desunt in Voss. Mox *propter Carbonem* Boend. Norv. et edd. vett. pro quo Ascens. 1513. *per Carbonem* emendavit; quod superest in reliquis scriptis. Sæpius $\bar{p}\ \bar{p}$, sive *propter*, et $\bar{p}$, sive *per*, in Mss. confundi solent. Vide ad II. 23. § 12. IV. 11. § 6. c. 43. § 6. VII. 3. § 8. VIII. 17. § 11. c. 33. § 21. XXXIV. 39. § 3. c. 41. § 1. XXXV. 27. § 15. Epit. libb. XXI. XXIV. et LXXX. Adde Oudend. ad Front. I. 2. § 4.

Idem Carbo, quum ab omnibus oppidis Italiæ obsides exigere vellet] *Cum ab Italiæ oppidis omnibus coloniisque obsides* ex vet. lib. *Sigon. Ab Italiæ oppidis omnibusque coloniis* Berg. *ab omnibus Italiæ oppidis coloniisque* Lov. 2. *ab omnibus oppidis Italis coloniisque* Leid. *ab omnibus oppidis Italiæ coloniisque* Vossian. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Tum *Item Carbo* Leid. Voss. Berg. et Boend. quem errorem ob minus distinctam verbi præeuntis pronunciationem facillime a scribis committi potuisse, vidimus ad Epit. lib. LXIX. Mox *et fidem* Voss. Vide ad XXI. 28. § 8. Tum *fidem illorum* Vossian. Exc. Pithœi, Norv. et pleræque edd. ante Gronov. qui a. 1665. dedit *fidem eorum*, consentientibus Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Consensu senatus prohibitus] Vet. lib. *prohibitus est.* Sigon. Similiter omnes nostri, Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Novis civibus senatusconsulto suffragium datum est] Italis data civitas erat lege Julia, verum non in XXXV. tribus distributi. Ii ut distribuerentur, cum P. Sulpicius legem tulisset, eaque Sulla reverso abrogata esset; Cinna de iis cum Octavio contendit. Itaque data erat illis civitas illa quidem, sed sine suffragio; nunc vero SC. etiam suffragium adepti sunt. Appian. lib. I. *Sigon.* Adde quæ de hac re scripsit de Ant. Jur. Ital. III. 1. ubi probabiliter disputat, hoc ante necem Cinnæ, quæ Epit. l. LXXXIII. narrata est, factum fuisse. De libertinis in omnes tribus distributis habet de Ant. Jur. Civ. II. 14. *Duk.* Vide Contaren. Var. Lect. I. 10. *De senatusconsulto* legit Berg. τὸ *est* deest in Voss. et Boend.

Qui partes optimatium secutus erat] *Qui partem* Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. quod admise-

runt postea Freinsh. Doujat. Cleric. et Crevier. Et solet vox 'pars,' quæ pro factione plerumque numero multitudinis usurpatur, interdum etiam eodem sensu numero singulari adhiberi. Cic. ad Famil. x. 31. 'Quum vero non liceret mihi nullius partis esse.' Suet. Cæs. c. 29. 'Quum obstinatius omnia agi videret, et designatos etiam consules e parte diversa.' Hic tamen vulgatum malo. Tum *optimatum* Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LXXIX. Præterea *secutus fuerat* Voss. et Berg.

Quum in Africa bellum moliretur] *In Africam* Vossian. Verum non gessit bellum *in Africam*, id est, adversus populos in Africa habitantes, sed *in Africa*, id est, cum Romanis diversarum partium, qui Africam obtinebant. Vide ad Epit. lib. XXI. Eamdem ob caussam *in Sicilia* Epit. lib. XCVIII. potius probandum puto, quam *in Siciliam*, ut quidam codd. præferunt. Mox *a Q. Fabio* Vossian. *a C. Fabio* Leid. Berg. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, Norvic. et edd. antt. Vide ad Epit. l. LXXXVI. viros doctos ad Val. Max. IX. 10. 2. et Pighium in Annal. ad an. IↃCLXXI. p. 255. *ab C. Fabio* edidit Gronovius 1665. Insuper *senatusque consultum profectionem Carbonis et Marinarum partium factum est, ut omnis ubique exercitus dimitteretur* perperam Boend. Nec aliter ed. Camp. nisi quod præferat *perfectionem* et *Marianarum*.

Belli adparatum contra Syllam, quod plurimum excitabatur] Vet. lib. *belli apparatum, quod contra Sullam excitabatur*. Sigon. Ordinem verborum, qui ante Sigonium obtinuit, servant Boend. Norv. et ed. Camp. illam vero, quam postea Sigonius induxit, probant Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *belli apparatum, quod contra Sullam in Italiam quod excitabatur* Leid. Unde forte legendum *belli apparatum in Italia, quod contra Sullam excitabatur;* nisi potius credamus, verba *in Italiam* ex initio Epit. seq. perperam hic admissa esse. Deinde recte omnes codd. nostri, et ed. Camp. ignorant vocem *plurimum*. Vide ad Epit. l. LXIX.

LIB. LXXXV.

Sulla in Italiam cum exercitu trajecit] *Sulla Italiam* Voss. Livium ejusque exemplo auctorem Epitomarum interdum ita locutos esse, vidimus ad X. 37. § 1. XXXIII. 41. § 6. et ad Epit. l. LIX. Quum tamen reliqui codd. præpositionem tueantur, potius dicendum videtur, τὸ *in*, vel τ̃, a litera initiali vocis seq. interceptum esse. Alia ejus erroris exempla vide ad II. 47. § 6. III. 41. § 6. IV. 32. § 10. XXI. 24. § 4. XXII. 30. § 8. XXIII. 11. § 7. XXIV. 4. § 4. et sæpius alibi.

Et a consule Cn. Carbone et C. Norbano violatis] Emenda *a consule C. Norbano*. Erat enim hoc anno consul C. Norbanus cum L. Scipione. Itaque sequenti versu ait, 'cum L. Scipionis alterius consulis' exercitu; alioquin, si Carbo consul esset, 'tertii consulis' fuisset dicendum. *Sigon.* Sigonio, voces *Cn. Carbone et* ejicienti, consentire Exc. Pithœi, auctor est Hearnius. Sed *a consule Cn. Norbano* legunt Leid. Lov. 2. Berg. Voss. Boend. et ed. Camp. nisi quod duo priores præferant *ab consule*, ut Gronov. 1665. edidit. Verum consuli Norbano prænomen 'Caius' fuit, ut docet Pighius in Ann. ad a. IↃCLXX. p. 248. Vide etiam Sigon. ad Epit. l. LXXXIX. Alii eum 'Quintum' vocarunt; quos errasse, recte docet Duker. ad Flori III. 21. § 18. Insuper particulam *et*, ab initio horum verborum, auctoritate ed. Camp. ex contextu sustulit Crevierius: cujus emendationem firmat auctoritas Voss. et Berg. Eam tamen si quis servare malit, legendum erit *violati sunt*, pro

violatis. Vide ad XLV. 17. § 5. Verum prius malo.

Cum quo per omnia id egerat, ut pacem jungeret] Duæ primæ voces desunt in Voss. sed *qui per omnia*, pro *cum quo*, legit Leid. Ut ita Scipio, non Sulla, ex animo de pace egisse dicatur. Huc itaque facere posset, quod Sullam simulate de pace egisse referant Appian. B. Civ. I. 401. et Plutarch. in Sulla p. 469. At Freinsh. in Supplem. c. 8. plus fidei in rebus patriis tribuendum existimat scriptoribus Romanis, Auctori Epitomes, et Vell. II. 25. qui Sullam bona fide concordiam quæsivisse testantur. Ceteri etiam codd. vulgatum hic tuentur.

Per emissos ab Sulla milites] *Per omissos* Voss. *per amissos* Berg. *per ammissos* Boend. unde faciendum videtur *per immissos.* Præstat tamen, ut vulgatum, pro quo stant Leid. et Lov. 2. cum omnibus editis servemus. Deinde *ab Sulla* Gronov. 1665. substituit, quum priores haberent *a Sulla;* quod non tantum servant Exc. Pithœi, et Norvic. testante Hearnio, sed etiam omnes nostri. Mox *quum occidi posset,* pro *interimi,* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. quod admisi. Vide ad Epit. l. LVII.

Ceperat, conscripto voluntariorum exercitu] Voss. *ceperat scriptus cum scripto.* Gud. *ceperat scriptus conscripto.* Fortasse *ceperat, privatus, conscripto vol. exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venit. Ad quem se.* Auctor de B. Afric. c. 22. ' Privatus atque adolescentulus, paterni exercitus reliquiis collectis,' &c. *J. F. Gron. Conscripto quidem vol. exercitu* editi ante Gruterum, qui τὸ *quidem* recte omisit, consentientibus omnibus nostris, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LV. Præterea *ceperat, scriptus cum scripto voluntariorum* Berg. *ceperat scriptus vol.* Exc. Pithœi: *ceperat scripto vol.* Leid. *ceperat conscripto voluntario* Lov. 2. Vulgatum servant Boend. et ed. Camp. Vocem *privatus* hic excidisse, mihi persuadere nequeo. Paullo ante *Cn. Pompeius, Cn. Pompeii filius, ejus qui* Berg. et Boend. a quibus in eo tantum differt ed. Camp. quod vocem *ejus* nesciat. *Cn. Pompeius, ejus Cn. Pompeii filius, qui* Leid. et Voss.

Ita ut deserta urbe ad castra veniretur] *Ita ut ad deserta castra veniret* Boend. *ita ut deserta ad castra veniretur* ed. Camp. In præcedentibus *nobilitas transferebat* Voss.

Expeditiones per totam Italiam] *Per universam Italiam* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gronovium, qui *per totam Italiam* substituit, consentientibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Et hinc eam lectionem servavi, licet Freinsh. Doujat. Clericus, et Crevierius, alteram receperint. Vide ad Epit. l. LII.

LIB. LXXXVI.

Quum C. Marius, C. Marii filius] Scribe, deleta conjunctione, *C. Marius, C. Marii, &c. creatus est. C. Fabius in Africa.* J. F. Gron. C. Marii septies consulis ex Julia, amita C. Julii Cæsaris, filium fuisse, disertis verbis prodidit Plutarchus initio vitæ Cæsaris. Viros doctos, qui eum Marii hujus filium adoptivum fuisse credidernnt, refellit, et Marios, quorum circa hæc tempora mentio apud veteres est, accurate distinguit Perizonius Anim. Hist. c. 3. p. 98. et seqq. Mirum est, quod Glandorp. scribit, Mario juniori fratrem Telesinum fuisse. Suspicor, eum in hanc opinionem venisse e verbis Vell. II. 27. de Mario juniore: ' Sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesino, una obsesso et erumpente, occubuisse prodiderint.' Sed ibi ' minor frater Telesinus ' non potest esse Telesinus minor frater Marii

junioris, cui nemo fratrem hoc nomine fuisse prodidit; sed est, ni admodum fallor, minor frater Pontii Telesini, ducis Samnitium, qui paullo ante in prœlio adversus Sullam ad portam Collinam ceciderat, ut Velleius ibidem, et Appianus Civ. I. 407. tradunt: eum enim una cum Mario juniore Prœneste obsessum fuisse, etiam in Epit. l. LXXXVIII. et in Orosio v. 21. scriptum est. Si in Velleio, pro *Telesino*, liceret legi *Telesini*, vel, abjecta voce *fratre*, *cum minore Telesino*, quod usitatius esse puto, nihil loci errori cujusquam relictum esset. *Duk.*

Consul ante annos viginti per vim creatus] De ætate discrepant auctores. Hunc locum ad Octav. Suetonii c. 26. contra Dionem XLVI. 320. laudat maximus Casaubonus; quia ille scripserat, Octavium sine exemplo ante annum XX. inisse consulatum. Sed non dubito quin mendum sit in Epitome Liviana, et, pro *XX.* ad minimum reponi debeat *XXV.* ut ei sic conveniat cum auctore de Viris Illustribus c. 68. Velleius tamen II. 26. annos numerat XXVI. Appianus etiam B. Civ. I. 402. *Ger. Vossius* ad Vell. Pat. II. 26. § 1. *Ante viginti annos* Leid. et Berg. Licet in numerum annorum editum consentiant codd. omnes; in eo tamen quin error commissus sit, vix dubito. Plutarchus enim in Mario pagg. 425. 426. refert Marium filium, quo tempore cum patre in exsilium actus est, jam uxorem duxisse; fuga autem ejus accidit sexto ante anno, quam consulatum obtinuit. Hinc, si anno vigesimo ætatis consulatum gessit, uxorem anno ætatis quarto decimo duxisse debuit; quod verisimile non est. Illa etiam, quæ in exsilio egisse dicitur, tam inmaturæ ætati convenire nequeunt.

C. Fabius in Africa] Cognomine 'Hadrianus.' In Epit. lib. LXXXIV. 'C. Fabius prætor.' Erat ergo nunc pro prætore, ut recte Oros. v. 20. 'Cui imperium pro prætore erat.' Et ita accipiendum est, quod Cic. in Verr. v. 36. eum et Verrem prætores vocet: nam uterque pro prætore erat. Ascon. in Verr. I. 27. dubie, 'ut alii aiunt, legatus, ut alii putant, pro prætore, vel prætor.' Pro vero habeo, quod secundo loco ponit. *Duk. Q. Fabius* Vossian. Boend. et ed. Camp. Male. Vide ad Epit. l. LXXXIV. De C. Fabio Hadriano vide Haverkamp. in Comm. ad Thes. Morell. tom. I. p. 171. et ad Oros. v. 20. Tum *in Africam* perperam Boend. Norv. et edd. vett.

Propter crudelitatem et avaritiam in prætorio suo] Sic etiam Ascon. l. d. Quod his 'prætorium,' Ciceroni ibi 'domus' est. 'Uticæ domi suæ vivus exustus est.' Vide Perizon. Dissert. de Prætor. I. § 30. et Diss. II. § 5. *Duk. Et avaritiam suam* Voss. Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. quorum primus vicissim omittit vocem *suo*.

Sardiniam, Q. Antonio prætore pulso et occiso, occupavit] *Sardinias* male Leid. qui insuper voces *et occiso* omisit. Eædem etiam abfuisse videntur a cod. quo Pighius usus est. Quamvis enim in Annal. ad a. IↃCLXX. p. 248. quo præturam Antonius gessit, promiserit, se anno sequenti de ejus exitu acturum, attamen ad annum IↃCLXXI. p. 254. et ad a. IↃCLXXII. p. 264. eum tantum a L. Philippo Sullæ legato provincia pulsum fuisse, laudato etiam hoc loco, refert; cædis vero nullam mentionem facit. Mox *erepturus civitates* Berg. Lovel. 2. et Exc. Pithœi. Deinde *et suffragiis jus nuper dati* Leid. quasi vellet *et suffragii jus nuper dati*. Sed nihil mutandum.

Itemque, ex fiducia jam certæ victoriæ, litigatores, a quibus adhibebantur vadimonia, Romam deferre jussit] Lege ex veterum librorum auctoritate, Claudio Puteano adfirmante, *Idemque, ex fid. jam cert. vict., lit., a quibus adibatur, vadimonium Romam differre*

jussit. Sigon. Scholion hoc Sigonii ita conceptum demum adparuit in ed. Ven. quæ eo mortuo prodiit 1592. Primæ edd. legunt, *Itemque, ex fid. jam cert. vict., lit., a quibus adhibebantur vadimonia, Romam deferre jussit:* pro quo in prioribus Scholiorum edd. legebat, *Itemque, ex fiducia jam cert. vict., lit., a quibus adhibebantur, vadimonium Romam deferre jussit:* quomodo etiam Latinius legebat. *Itemque* servant Voss. Berg. Lovel. 2. et Boend. pro quo recte *Idemque* præfert Leid. Vide ad Epit. lib. LXIX. Hinc *jam ex fiducia* Boend. et editio Camp. Sed voculam *jam*, incertæ positionis in Mss. omittit Leid. Tum *adhibebantur, vadimonia Romam deferre* Leid. *adhibebatur, vadimonia Romam deferre* Berg. et Lov. 2. *adhibitentur, vadimonia Romam deferre* Boenderm. *adibatur, vadimonia Romam deferre* Voss. *vadimonium* Exc. Pithœi. Veriorem lectionem Puteanum Sigonio subgessisse existimo, nisi quod forte vocula *jam* insuper inducenda sit. Vide Brisson. de Verb. Signif. in voce 'Adire:' ubi locutionem 'adire judicem,' 'magistratum' exponit.

L. Damasippus prætor] Hunc solus Appian. Civ. I. p. 403. 'Brutum' vocat, in quo eum erroris arguunt viri docti. Pighius putavit, eumdem, qui omnibus aliis *Damasippus* est, ab Appiano *Brutum* dici, quia duo habuerit cognomina. Nam in a. IↃCLXXI. prætorem urbanum habet 'L. Junium Brutum Damasippum,' eique tribuit, quæ deinde in Appiano de Damasippo, et in Epit. l. LXXXIX. Livii de L. ut ibi ante Sigonium erat, Bruto leguntur. De hoc dictum est ad Florum III. 21. § 20. 'Junium Brutum' inter duces Marianos fuisse, certum est. Nam Diodorus Siculus in Exc. Peiresc. p. 410. scribit, quum Pompeius privatus adversus Marianos rem gerere cœpisset, a senatu adversus illum missum fuisse 'Junium.' Eum autem Plutarchus, in vita Pompeii de eadem re agens, Brutum vocat. Sed eum Damasippum fuisse, et omnia, quæ de hoc referuntur ad Junium Brutum pertinere, non facile demonstrari potest. *Duk.* *Damascus* Berg. *Damascius* Norv. et edd. principes: *Damasicius* Lov. 2. *Damasirius* ed. Camp. *Domastrius* Boend. *Damasipus* deinde reposuit Frob. *Damasippus* Basil. 1554. quod superest in Leid. et Vossian. *Damasippus prætor* memoratur etiam Orosio v. 20. ubi vide Fabric.

Omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem] Ex aliis patet hic rem supra modum exaggerari. *Duk.* Vide Vell. Paterc. II. 26. App. Al. Civ. I. 403. et Oros. v. 20.

Ex cujus quidem numero] Vocabulum *quidem* delendum esse, Gronovius monuit ad Epit. l. LXXXIII. Non adparet etiam in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Idem etiam ex contextu omisit Sigonius, licet id in Scholiis monere neglexerit: sed ante Gronovium nemo ei dicto audiens fuit: quin et nuper cum antiquioribus errare, quam Gronovium veriora monentem audire, malnerunt Freinsh. Doujatius, Clericus, et Crevierius.

Q. Mucius Scævola pontifex maximus] *Q. Mucius augur, Scævola pont. max.* Leid. cujus lectionis auctor aliquid audivisse videtur de duobus Muciis Scævolis; altero augure, altero pontifice maximo, eodem tempore viventibus. Verum, eos diverso tempore obiisse, et pontificem maximum auguri superfuisse, constat ex Cic. de Amicit. c. 1. 'Eram deductus ad Scævolam,' (augurem) 'sumta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem,' &c. 'Quo mortuo, me ad pontificem Scævolam contuli.'

In vestibulo ædis Vestæ occisus est] Paterculus ait II. 26. Scævolam in curia Hostilia trucidatum fuisse. *Del-*

rius. Vide ad Florum III. 21. § 21. Scævolam non procul a curia occisum scribit Appian. Civ. I. 404. in curia Hostilia Vell. II. 26. *Duk.* Dissensus hic auctorum maximam partem tolli poterit, si statuamus ædem Vestæ et curiam Hostiliam, in quam Damasippus senatum convocarat, vicinas fuisse. Ita enim Appianus scripserit, Scævolam non procul a curia occisum esse, quia occisus est in æde Vestæ curiæ vicina: Vellei. vero in curia Hostilia, quia id facere percussores constituerant, licet tamen inde aufugientem persecuti consilium in proxima æde Vestæ perfecerint. Curiam autem Hostiliam et ædem Vestæ non longe a se remotas fuisse, inde patet, quod in eadem regione, nempe Foro Romano, sitæ fuisse dicantur apud P. Victor. et Festum Rufum in Descr. Urb. Rom.

Bellum ab L. Muræna adversus Mithridatem in Asia renovatum] *Ab L. Muræna* Gronovius edidit 1665. quum prius fuisset *a L. Murena;* quod etiam in Exc. Pithœi, et Norv. superesse, Hearnius testatur: *a*, non *ab*, præferunt etiam omnes mei. Deinde, *Murena* sine diphthongo scribendum esse, constat ex Fast. Capit. ad an. IↃↃↃXXXI. et ex nummis familiæ Liciniæ. Qui diphthongum præferunt, nomen a pisce *Muræna* deducunt, qui Græcis Μύραινα dicitur. Vide Manut. ad Cic. Orat. pro Muren. in princ. et ad Fam. XIII. 22. Verum Græci cognomen hoc gentis Liciniæ scribunt Μουρήνας. Vide Plut. in Cat. Utic. p. 769. App. in Mithr. 213. 235. Dio Cass. LIV. p. 522. Hinc *adversum Mithridatem* Boend. Vide ad Epit. l. XLVII. Idem autem cod. cum ed. Camp. non agnoscit voces *in Asia.* Sed male. Prius bellum cum Mithridate ejusve ducibus partim Sulla in Europa, partim Fimbria in Asia gesserunt. At hoc secundum cum eo in Asia tantum renovatum est.

LIB. LXXXVII.

Ad Sacriportum, in oppido Præneste obsedit] *Ad Sacrumportum, in oppido* Boend. et ed. Camp. *ad Sacriportum oppidum* Voss. Vide Cellar. Geogr. Ant. II. 9. p. 516. Paullo post *urbem Romanam* primæ edd. Vide ad Epit. l. XLIX. sed *urbem Romam* primus dedit Ascens. 1513. nec aliter legunt omnes codices mei, et ed. Camp. quæ etiam *ex inimicorum manu* præfert.

Res ab legatis ejus eadem ubique fortuna partium gestas] *Ab legatis* vulgavit Gronovius 1665. quum priores dederint *a legatis:* quod firmant omnes nostri, Exc. Pithœi, et Norv. Deinde *ejus tandem ubique fortunam partium gesta* sine sensu Voss. *gestas* omittit Leid.

LIB. LXXXVIII.

Sulla Carbonem, exercitu ejus ad Clusium, ad Faventium, Fidentiamque cæso] Membranæ Barb. et Voss. et Gud. minor, *exercitu ejus fuso ad Clus., ad Fav. Fid. cæso.* J. F. Gron. *Sulla Carb. eum, exercitu ejus ad Clus.* Exc. Pithœi: *Sulla Carb. cum exercitu ad Clus.* Berg. *Sulla Carbonem, exercitu ejus fuso ad Clus.* Leid. *Sulla Carb. ejus exercitu fuso ad Clus.* Lov. 2. Recte Gronov. vocem *fuso* recepit. Nam ad Clusium exercitus Carbonis 'cæsus' dici nequit, quum, secundum alios, nox prælium illud diremerit, neutro inclinante victoria. App. Alex. Civ. I. 405. Αὐτῷ δὲ Σύλλᾳ καὶ Κάρβωνι περὶ Κλούσιον ἐξ ἡοῦς ἐπὶ ἑσπέραν γίνεται μάχη κρατερὰ, καὶ φανέντες ἀλλήλοις ἰσόμαχοι, μετὰ σκότους διεκρίθησαν. Alterius prælii ad Clusium, in quo ex Carboniano exercitu viginti millia militum cecidêrunt, meminit quidem App. Al. Civ. I. p. 407. Verum id demum accidit, postquam Carbo, rebus desperatis,

in Africam anfugisset: auctor igitur, si id memorare voluisset, ultimo loco ejus mentionem fecisset. Ceterum triplicem hanc victoriam Sulla non suo ductu, sed per legatos, reportavit. Vell. Pat. II. 28. 'Paullo ante, quam Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis prœliis partium ejus viri hostium exercitus fuderant: duo Servilii apud Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam.' Prœliorum ad Faventiam et Fidentiam meminit etiam App. Civ. I. 406. apud quem nunc vulgo περὶ τὴν Πλακεντίαν, pro περὶ τὴν Φαουεντίαν, perperam editur. Mox *Italiæ expulit* Exc. Pithœi. Sed ultima litera in fine prioris vocis ex initio posterioris male repetita est. Vide ad XL. 7. § 8.

Qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant] Ita Gron. edidit a. 1665. itaque ex auctoritate Voss. et Gudianorum legendum monuit ad Epit. l. LXXIX. quum antea vulgaretur *soli Italicorum populorum*. Emendationem ejus firmant Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. quam etiam servavi, licet Freinsh. Doujat. Cleric. et Crevier. alteram lectionem recipere maluerint. Præterea *deposuerant* Exc. Pithœi, Norv. et pleræque edd. ante Gruteri ultimam, quæ emendavit *posuerant*, concinentibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Et recte. Livius VI. 10. 'Nepesinis inde edictum, ut arma ponant:' ubi vide. v. 32. 'Positis armis, in deditionem venerunt.' IX. 41. 'Una vox ponere arma jubentium per totam fertur aciem.' XLIV. 15. 'Deorum nutu arma sumturos positurosque Romanos esse.' Ita 'ponere bellum' I. 53. 'Velut posito bello fundamentis templi jaciendis intentum se esse simularet.' Vide Cortium ad Sallustii Jugurth. c. 112. ubi, pro *bellum poni*, alii codd. *componi*, alii *deponi* præferunt; sed utrumque ex interpretis glossa natum censeri debet, ut hic similiter *deposuerant*.

Juxta urbem Romanam ante portam Collinam] *Juxta urbem Romam* Leid. Berg. Exc. Pithœi, Norvic. et edd. ante Gronov. qui *urbem Romanam* recepit 1665. consentientibus Voss. Lov. 2. et Boend. Vide ad Epit. l. XLIX. Alteram lectionem adoptarunt Freinsh. Doujatius, Clericus, et Crevierius. Præterea vocem *portam* omittunt Voss. Lov. 2. et Boend. *ante Collinam portam* legit Berg. *ad Collinam portam* Leid. Ita Vell. Pat. II. 27. 'Ad portam Collinam cum Sulla dimicavit.' Eutrop. v. 8. 'Pugnam gravissimam habuit ad portam Collinam.' Contra 'ante ipsam urbem portamque Collinam', dixit Oros. v. 20. 'apud Collinam portam' Flor. III. 21. § 23. 24. Mox *recuperata republica* Voss. *reparataque republica* Exc. Pithœi.

Crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit] *In nullo homine unquam fuit* Exc. Pithœi, Norv. et pleræque edd. ante Gruteri ultimam, quæ adscivit *in nullo hominum unquam fuit*. Et ita Leid. præferre innuunt ejus excerpta. Gronovius deinde *in nullo hominum fuit* 1665. recepit, quod firmant Voss. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *in nullo homine fuit* Berg. Lectionem Gruteri servarunt Freinsh. Doujatius, Clericus, et Crevierius. Sed vox *umquam* referenda videtur inter eas quæ passim in his Epit. interpolatæ sunt. De illis vide ad Epit l. XLVIII.

Octo millia deditorum in via publica trucidavit] Lege *in villa publica*, qui locus fuit in campo Martio. Sic enim Augustin. de Civit. III. 28. 'Sulla victor urbem intravit, qui in villa publica, non jam bello, sed ipsa pace, sæviens, septem millia peditum undecumque inermia non pugnando, sed jubendo, prostravit.' Et Valerius IX. 2. 'Quatuor legiones contrariæ partis, fidem suam secutas, in villa

publica, quæ in campo Martio erat, neqnicquam fallacis dextræ misericordiam implorantes, obtruncari jussit.' *Sigon.* Emendationem Sigonii firmant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Flor. III. 21. 'Quatuor millia deditorum inermium in villa publica interfici jussit:' ubi vide viros doctos. Ibidem etiam olim male *in via publica* editum fuisse, docent notæ Vineti, et quæ Fabricius monuit ad Oros. v. 21. In numero interfectorum nihil hic variant codd. At circa eumdem admodum dissentiunt scriptores. Quidam tria, quidam quatuor, quidam sex, quidam septem, quidam octo, quidam novem millia fuisse referunt: alii unam, alii duas, alii quatuor legiones. Vide Freinsh. ad Flori III. 21. § 24. Cocqueum ad August. de Civ. Dei III. 28. et viros doctos ad Aurel. Vict. de Vir. Inlustr. c. 75. Quum autem Gruter. in uno cod. Aurelii Vict. per notas numerales *VIIII. millia* datum invenisset; similiter etiam in Epitoma hac scriptum, et hinc errore scribarum, notas male reddentium, *octo*, pro *novem*, datum fuisse opinatur. Verum pariter fere App. Al. Civ. I. 407. *αἰχμάλωτα ὀκτακισχιλίων πλείω γενόμενα* refert. Insuper *deditiorum* Lov. 2. *dediticiorum* Exc. Pithœi; quod magis placet Crevierio. Sed *deditos* etiam vocat Flor. loc. laud.

Tabulam proscriptionis posuit] Male hæc verba desunt in Leid. Reliqui codd. nihil mutant. Mallem tamen *proposuit*. Ita enim loquitur Flor. III. 21. 'Proposita est ingens illa tabula, et ex ipso equestris ordinis flore ac senatu duo millia electi, qui mori juberentur.' Oros. v. 21. 'Proxima proscriptio octoginta nominum fuit: item alia cum quingentis nominibus proposita est.' August. de Civ. III. 28. 'Tabula illa cum magna gratulatione proposita est, quæ hominum, &c. occidendorum ac proscribendorum duo millia continebat.' Aurel. Vict. de Vir. Inl. c. 75. 'Proscriptionis tabulas primus proposuit:' ubi simili errore plures codd. *posuit* præferre, Arntzen. observavit. Similiter librarii peccarant apud Liv. IX. 32. § 3. Mox *et universam Italiam* Norv. et edd. ante ultimam Gruteri, qui *et totam* emendavit. Nec aliter omnes nostri et ed. Camp.

Inter quos omnes Prænestinos inermes interimi jussit] Vet. lib. *concidi jussit*. Appian. I. 408. *κατηκόντισεν ἅπαντας*. *Sigon.* Emenda *quas*, scilicet cædes: et ita V. L. *Delrius*. *Inter quas* etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani, quod recte Gruter. recepit. Deinde *inermes occidi* Lovel. 2. Boenderm. et ed. Camp. *inermes concidi* Leid. Vossian. Berg. et Exc. Pithœi. Iterum igitur primi editores per vim substituerant amatum sibi verbum 'interimere.' Vide ad Epit. l. LVII.

Marium, senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque, &c.] Intelligitur Marius Gratidianus, quem ducis ipsius fratrem vocat Flor. III. 21. Per hunc 'ducem' innui Marium juniorem, septies consulis filium, ejusque fratrem, sed patruelem, fuisse Gratidianum, a Marii junioris patruo adoptatum, multis probat Perizon. in Animadv. Hist. c. 3. De crudelitate in eum exercita vide viros doctos ad Flor. III. 21. § 26. et ad Augustin. de Civit. Dei III. 28. Mox *oculis defossis* Boend. et ed. Camp. *defossis oculis* Norv. et priscæ edd. reliquæ: *efossis oculis* Frob. *effossis oculis* Basil. 1539. concinente Leid. *oculis effossis* Voss. Berg. et Lov. 2.

A Lucretio Asella] Vet. lib. *Offella*. Plut. in Sulla p. 471. Ὀφέλλα, itemque Appianus I. 403. *Sigon.* *Ab Lucretio* Gronov. 1665. edidit. Sed omnes nostri, Exc. Pithœi, et Norv. *a Lucretio* servarunt. *Asella*, ut quædam ante Sigonium edd. Berg. *Asylla* Lov. 2. *Afella* Leid. Voss. Norv. et edd. principes. *Affella* Boend. *Of-*

fella Exc. Pithœi, et ed. Camp. Sed recte Sigonius *Ofella*. Vide viros doctos ad Vell. Pat. II. 27.

Mortem sibi conscivit in ipso cuniculo] Hæc verba arbitror inducenda, ut glossema ineptum. Repugnant certe cæteris, et orationem impediunt. *Sigon.* Barber. et Gudiani, *conscivit : id est, in ipso cuniculo.* Sic Epit. l. XCVIII. *Qui sequi nolebant, id est, legiones Valerianæ, &c.* J. F. Gron. Vir summus ad Gellium II. 22. videtur velle, *id est* hic ita dici, ut apud Apuleium de Mundo p. 63. ed. Elm. 'Iapygem' (ventum)' ex Iapyge sinu, id est, ex ipso Gargano, venientem :' et in Floro IV. 2. § 15. 'De successione Cæsaris senatus, id est, Pompeius, agitabat.' Non video quid in his simile sit, ut hic locus cum iis componi possit. Scriptores Latini fere dicunt *id est*, quum posterius re ipsa idem est, vel esse putant, quod prius. Vell. II. 23. § 6. 'Paternis, id est, Ponticis finibus contentum esse jussit.' Idem II. 48. § 4. 'Pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica.' Florus II. 8. § 6. 'Si se consiliis ejus rex tradidisset, id est, si Asiæ viribus usus fuisset miser Annibal.' Et III. 3. § 6. 'Tripertito agmine per Alpes, id est, claustra Italiæ, ferebantur.' Plane mihi persuadeo hic in verbis *id est*, in quibus nullum sensum invenire possum, aliquid vitii hærere; sed simul suspicor locum non integrum esse, et varias sententias de morte Marii relatas fuisse, ut a Vell. II. 27. Certe mortem sibi consciscere, cum alio concurrere, et a servo impetrare ut se occidat, non sunt eadem genera mortis. Mortem sibi consciscunt, qui opera aliorum in ea re non utuntur : itaque qui dicit, 'mortem sibi conscivit,' non recte mea quidem sententia dicat, *id est*, cum alio concurrit, vel impetravit a servo, ut se occideret. *Duk.* Vocula *sibi* deest in Voss. Leid. Berg. Lov. 2. et Boend. Tum *id est, in ipso cuniculo* Berg. *i. in ipso cuniculo* Voss. et Boend. *idem in ipso cuniculo* Leid. Voces *mortem sibi conscivit* delet Crevier. legens *septus ab exercitu in ipso cuniculo.* Paullo ante *tentaret evadere* Berg. et ed. Camp. Tum *septus exercitu* Leid. Voss. et Lov. 2. *septum exercitu* Berg. *sepius extra citu* Boend. a m. pr.

Se evadere minime posse] Scripti, *se evadere non posse.* Ut et Epit. sequenti, 'admissus non est.' *J. F. Gronov.* Similiter Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. XLIX.

Cum Pontio Telesino, fugæ comite, stricto utrimque gladio, concurrit] Vox *Pontio* deest in Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et Norv. additis autem notis delendam esse, tamquam perperam adscriptam, in Boenderm. indicabatur. *Portio* ejus loco legit ed. Campani. Eum simpliciter 'Telesinum' vocant Flor. III. 21. § 23. et Oros. V. 21. Fuisse autem minorem fratrem Pontii Telesini, qui prœlio cum Sulla ad portam urbis Collinam commisso interfectus erat, indicat Vell. II. 27. de quo loco vide Duker. ad Epit. lib. LXXXVI. Verba *Telesino fugæ comite stricto* perperam desunt in Boend. Tum *occurrit* Norv. et edd. principes; pro quo *concurrit* emendavit Frob. 1535. adsentientibus omnibus scriptis meis, et ed. Camp.

Saucius a servo impetravit, ut se occideret] *Ipse saucius a servo* vet. lib. *Sigonius.* Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi : *saucius ipse* Boend. et ed. Camp. Tum *impetravit a servo* edd. Gruteri, et recentiores; quibus adhærent Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Pithœi : altera lectio est in Exc. Pithœi, et Norvic. Dein *ne se occideret* perperam Boend. Supra Epit. l. LXXXIII. 'Impetravitque a servo præbens cervicem, ut se occideret :' ubi vide.

LIB. LXXXIX.

L. Brutus a Cn. Papirio Carbone missus] Vet. lib. *M. Brutus*. Sigon. Prænomen deest in Boend. et ed. Camp. *M. Brutus* legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Vide ad Epit. l. LXII. Crevierius adsentitur Pighio, qui in Ann. ad a. IↃCLXXI. p. 253. *L. Brutus* servat, et prætorem ejus anni indicari putat, quem 'L. Junium Brutum Damasippum' vocat. Sed vide Duker. ad Epit. l. LXXXVI. Tum præpositionem *a* ignorant Voss. Berg. et Exc. Pithœi; cognomen *Carbone* Boenderm. et ed. Camp.

Qui Corcyram adpulerat] Appian. I. p. 410. Κοσσύραν hanc insulam vocat. Κάρβωνα δὲ ἐκ Λιβύης ἐς Σικελίαν, καὶ ἀπ' αὐτῆς ἐς Κοσσύραν νῆσον ὑποφεύγοντα, πέμψας τινὰς ὁ Πομπήϊος, ἔλαβε. Et Oros. v. 21. 'Pompeius Carbonem, a Cossyra insula in Ægyptum fugere conantem, in Siciliam ad se retractum occidit.' Est autem Cossura insula Africæ. Auctor Strabo et Capitol. triumphi. *Sigon. Corcyram* constanter omnes nostri cum Exc. Pithœi, et Norv. *quem Corcyram appulerat* Voss. *quem Corcyram appulerant* Exc. Pithœi, ut intelligamus nautas Carbonem adpulisse Corcyram. Sed nihil muto. Vide Vorst. de Latin. Mer. Susp. c. 16. p. 118.

Et circumventus navibus] Copulam omittit Leid. Deinde *circumventus ibi navibus* ed. Camp. *circumventus a navibus* Leid. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. omnesque reliquæ edd. usque ad ultimam Gruteri, quæ præpositionem omisit, consentientibus Voss. et Berg. Eam revocavit Crevierius.

In se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, occubuit] Quatuor membranacei *incubuit*. Sic lege, et præterea *in se mucroni verso*. J. F. Gron. *Ad transitum navis* Voss. Tum *incubuit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norvic. et edd. vett. pro quo Moguntini demum substituerunt *occubuit*. At *mucrone* servant omnes codd. An igitur potius excidit vocula *ei*, ac legendum est *pondere, ei incubuit?* Illud autem *ei* facile elidi potuit partim ab ultima litera præced. partim a prima seq. vocis: vide ad XXXIX. 6. § 2. Præterea *in se verso mucrone ei incubuit*, pro *mucroni incubuit*, dictum erit eodem modo, quo 'junctis exercitibus, victi sunt ab eis' Epit. l. LXVIII. ubi alia vide.

Cum imperio ab senatu missus] Ita Gron. a. 1665. edidit, pro *a senatu;* quod non tantum servant omnes priores excusi, sed omnes etiam codd. mei, Exc. Pithœi, et Norv. Mox *qui fere muliebriter mortem tulit* Voss.

Sulla, dictator factus, quod nemo umquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit] In hanc lectionem omnes scripti et typis inpressi consentiunt; nisi quod Norv. et edd. principes præferant *quod nemo quidem umquam fecerat*. Sed recte voculam *quidem* Sigon. omisit. Vide ad Epit. lib. LV. et infra hoc lib. Ceterum, dictatoribus viginti quatuor fasces et secures prælatas fuisse, uno ore testantur gravissimi scriptores, Polyb. III. 87. Dionys. Hal. X. p. 650. Plutarch. in Fab. p. 176. App. Alex. Civ. I. p. 412. et Dio Cass. LIV. p. 521. Eorum testimonio adversatur hic locus, ex quo statuendum videtur, primum omnium Sullam dictatorem cum viginti quatuor fascibus processisse. Hinc permotus Lipsius Elect. I. 23. existimat verba *quod nemo quidem umquam fecerat*, tamquam a scioli cujusdam infausta et infesta manu addita, delenda esse. Ejus vestigiis insistens Dion. Vossius ad Cæs. B. Civ. I. 6. opinatur eadem verba ab inepto homine inserta esse. Id fieri potuisse non nego; at factum esse statuere non audeo, tum propter codicum verba hæc servantium consensum, tum quod similis fere periodus obcurrit Epit. l. LXVII. 'Marius tri-

umphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat.' Alii igitur verba hæc ita refingenda existimant: *Sulla, dictator perpetuus, quod nemo umquam fuerat, cum fascibus, &c.* Utrum tamen dictator perpetuus dictus fuerit, admodum dubito. Appian. quidem auctor est, Sullam dictatorem factum esse ἐς ὅσον θέλουσι, et ἐς ἀόριστον, sed addit, eum creatum esse ἐπὶ θέσει νόμων, ὧν αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ δοκιμάσειε, καὶ καταστάσει τῆς πολιτείας. Et hinc simpliciter 'dictatorem,' non 'dictatorem perpetuum,' creatum memorant Vell. Pat. II. 28. Plut. in Sull. 473. et Oros. v. 21. Verum demus tantisper, Sullam dictatorem perpetuum dictum esse; quæ tum emphasis erit in verbis proximis *cum fascibus viginti quatuor processit?* (quod etiam sententiæ eorum, qui verba *quod nemo umquam fecerat* delent, opponi potest.) An non idem etiam alii dictatores fecerunt, et hinc dictatorem perpetuum id facere, tanto minus mirum videri debuit? Freinsh. in Supplem. hujus lib. c. 9. verba Epitomes ita interpretatus est, vel, ut censet Spanh. de Præst. et Us. Numism. Diss. x. p. 172. interpolavit: 'Formidabilis inde et nova species prodeuntis in publicum fuit, quum, ut solitum dictatoribus, quatuor et viginti fasces præcederent: quod nemo præsentium umquam viderat.' Videtur igitur legendum censuisse, *quod nemo*, scilicet eo tempore viventium, *umquam viderat*, pro *fecerat*.

Rebusque novis reipublicæ statum constituit] In vet. lib. inducta particula *que*, aliud fit principium orationis. *Sigon. Rebus novis* Sigonius, quum haberetur *Rebusque*. Sed quid est 'statum reipublicæ confirmare rebus novis?' Immo novis rebus convellitur status reipublicæ, non confirmatur. Scribe *Legibus novis statum reipublicæ confirmavit*. J. F. Gron. *Rebus novis* Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. *Regibus novis* Leid. unde Gronovii, *Legibus novis* reponentis, conjectura plurimum firmatur. Sæpissime enim 'reges' et 'leges' in Mss. scribarum errore commutantur. Vide ad Livii IV. 15. § 3. IX. 9. § 6. c. 34. § 12. et Burm. ad Suet. Tib. c. 30. quin et passim literæ *R* et *L*. Vide ad XXVIII. 36. § 7. Accedit Sullam ἐπὶ θέσει νόμων, sive *legum ferendarum caussa* dictatorem dictum esse, ut modo ex App. vidimus. Dein *populi Ro. statum* Lovel. 2. Vide ad Livii XXXVIII. 58. § 6.

Tribunorum plebis potestatem minuit, et omne jus legum ferendarum ademit] *Tribunis plebis* Lov. 2. quod ferri potest. Tum *imminuit* Berg. Deinde *et omnino jus* Leid.

Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim] Observat M. Ant. Ferratius in Select. Quæstion. de Rom. Republ. lib. II. ep. 4. memorari sedecim pontifices, qui de domo Ciceronis judicarunt apud ipsum Cic. de Harusp. Resp. cap. 6. Septimum decimum fuisse C. Julium Cæsarem pontificem maximum, qui Roma aberat, ac bellum in Gallia gerebat: octavum decimum memorari L. Pinarium Nattam, qui M. Tullii domum dedicanti Clodio adfuerat: verisimile etiam videri, alios vel morbo inpeditos, vel reipublicæ caussa absentes fuisse. Hinc efficit, plures fuisse Romæ pontifices post Sullam, quam quindecim, et locum hunc Epitomes censorium emendatoris stilum desiderare. Verum primum observo, omnes codd. et manu et typis descriptos, in vulgatam lectionem consentire: et deinde Ciceronem non sedecim, sed tantum tredecim pontifices memorare, qui de domo sua judicarint, et male Ferratium inter eos numerasse tres pontifices minores, quum eorum collegium a collegio pontificum diversum fuerit, ut docuit Noris. ad Cenotaph. Pis.

Diss. I. 5. et latius Duker. ad Livii XXII. 57. § 3. restare igitur tantum quindecim pontifices, ex quot sacerdotibus eorum collegium constitisse hic traditur; alios autem abfuisse, disertis scriptorum testimoniis probandum, non incertis conjecturis ponendum esse. Hinc efficio nihil caussæ esse, cur locum hunc de menda suspectum habeamus.

Ex quibus plurima primo rapuit] Barber. et Gud. minor *ex quibus plurima præmia rapuit*. Quid si *præmia* interpretere 'prædas,' 'manubias?' Tacit. Annal. I. 16. 'Mutatus princeps licentiam turbarum, et ex bello civili spem præmiorum ostendebat.' Idem Hist. I. 51. 'Ferox præda gloriaque exercitus expeditionem et aciem, præmia quam stipendia malebat:' ubi viri docti *prælia*, alii sensu quidem deprehenso *prædam* maluere. Sed *præmia* sunt prædæ, quas ipsi suo arbitrio plenis manibus raperent, cum stipendia acciperent alieno, et maligne. Nec aliter Petronius c. 80. 'Egreditur superbus cum præmio Ascyltos.' Hinc 'præmiari' Sueton. in Tito c. 7. 'Suspecta et rapacitas, quod constabat in cognitionibus patris nundinari præmiarique solitum.' Et 'præmiatores nocturnos' explicat prædones Nonius apud Lævium Ἀγρυπνοῦσιν. *J. F. Gron.* 'Præmium' pro præda etiam habet Livius III. 61. 'Sibimet ipsis victuros, non ut decemvirorum victores præmium essent:' IX. 40. 'Ditem hostem quamvis pauperis victoris præmium esse:' et XXXVI. 17. 'Neque ea tantum in præmium vestrum cessura, quæ nunc in regiis castris sunt; sed illum quoque omnem apparatum, qui in dies ab Epheso exspectatur, prædæ futurum.' *Duk.* Vulgatum servant Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Ejus autem auctor exstitit Gruterus; quum antea ederetur *ex quibus primo multa rapuit*, concinentibus Exc. Pithœi, et Norv. Vide ad Epit. lib. LXXX. Gronovii codicibus adsentitur Leid. Recte autem *præmia* Gronovius exposuit 'prædas,' 'manubias.' Livius XXXI. 28. 'Urbes, ne classi hostium prædæ ac præmio essent, diruit.' Vide Broukhus. ad Tibull. I. 2. 26. et viros doctos ad Petron. c. 80. et Nason. Fast. v. 204. Gronovii emendatio non satisfacit Crevierio; qui existimat fortasse aliquid intercidisse, ut Sulla dictus fuerit plurima primo rapuisse, deinde cetera in publicum redegisse. In præcedentibus *petendorum bonorum* operarum errore edidit Doujatius: nec aliter tamen Clericus et Crevierius.

Redactum est sestertium ter milies quingentiesque. Lucretium Asellam] Emendo *ter millies quingenties. Q. Lucretium Ofellam*. Etenim Appianus Civ. I. 413. Κόϊντον Λουκρήτιον Ὀφέλλαν nominat. Erroris caussa vulgata est. *Sigon. Ter millies quingentiesque. Lucretium* (quæ voces desunt in Vossian.) servant Leid. Berg. et Boend. *quingenties. Q. Lucretium* Lov. 2. ut Sigonius emendavit. Vide ad XXII. 31. § 7. Præterea *Asellam* Leid. et Berg. *Asillam* Lov. 2. *Assellam* Berg. *Aufellam* Voss. *Offellam* ed. Cam. *Afellam* reliquæ edd. principes. Vide ad Epit. præc.

Consulatum contra voluntatem suam petere ausum, jussit interimi] *Adversus voluntatem suam consulatum petere* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *adversus voluntatem* etiam Leid. Voss. et Boend. Vide ad Epit. lib. LVII. Tum *occidi* sex iidem libri: qui omnes etiam bis infra hac Epit. *occidit* præferunt, pro *interemit*. Vide ad Epit. l. LVII.

Concione advocata, se jussisse dixit] *Concione vocata* Exc. Pithœi, Norv. et tantum non omnes typis descripti ante Gruter. qui *advocata* emendavit, probantibus omnibus scriptis meis, et ed. Camp. Tum *sevissime*, pro *se jussisse*, Berg. Paullo ante *quum hæc indigne ferret* Voss. *quum indigne ferret* Exc. Pithœi, Norv. et fere omnes

edd. ante Gruterum; qui *hoc* inseruit, consentientibus reliquis scriptis meis, et ed. Camp.

In Africa Cn. Domitium proscriptum] Hunc Pompeii jussu interfectum etiam Valer. Max. VI. 2. § 8. scribit; Plutarchus in Pompeio, castris ejus a Pompeio captis interfectum; et Oros. V. 21. inter primores repugnantem occisum esse. *Duker. In Africam* Voss. Berg. et Lov. 2. Tum prænomen Domitii non adparet in Leid.

Et Hieram, regem Numidarum, bellum molientes, victos interemit] Hunc regem Eutropius V. 9. Iarbam nominat, itemque is, qui de Viris Illustribus scripsit, c. 77. Plutarch. in Pomp. p. 624. εἶλε δὲ τῶν βασιλέων Ἰάρβαν τὸν συμμαχήσοντα Δομιτίῳ, τὴν δὲ βασιλείαν Ἰάμψᾳ παρέδωκε. Hiarbæ igitur regis filius fuit Hiempsal, qui regnavit consule Cicerone, ut ipse ait contra Rullum I. 4. et II. 22. Hiempsalis filius fuit Juba victus a Cæsare, ut ait Dio XLI. 172. ubi de bello Cæsaris Africo: de quo loquitur Cic. contra Rullum II. 22. cum ait 'Juba regis filius.' Sic enim legendum, non *Jubæ regis filius.* Hiempsalis enim regis filium intelligit. Jubæ autem filius fuit Juba alter, cui Augustus regnum concessit, historiarum auctor, ut scribit Strabo XVII. 829. *Sigon.* Neqnaquam verosimile est, Hiempsalem filium Hiarbæ fuisse, quod hic dicit Sigonius. Plutarch. in Mario significat, Hiempsalem primum partibus Marii favere visum fuisse, sed deinde ad Sullanas inclinare cœpisse. Idem in Pompeio, et Appian. Civ. I. 399. tradunt, eum regno pulsum, (haud dubie ab Hiarba) hoc victo a Pompeio restitutum esse: quod Sallustium quoque lib. I. Hist. memorasse, e Gellio IX. 12. et Nonio c. 2. voce 'Metus' apparet. Ex his palam est, eum non potuisse Hiarbæ filium esse. *Duker. Hieritam* Leid. Voss. et Berg. *Hieritem* Boend. *Hiertam* Exc. Pithœi: *Hiericam* Lov. 2. Norv. et edd. ante Ascens. qui a. 1513. *Hieram* substituit. Id vero recte Sigonius in *Hiarbam* mutavit. 'Hiarbas' autem vel 'Iarbas' nomen esse Afris usitatum, constat ex Iarba Libyæ rege, qui Didus nuptias ambiit, memoratus Virg. Æn. IV. 36. et alibi. Vide etiam Justin. XVIII. 6. § 1. ubi Bernecc. id melius per adspirationem scribi contendit. Passim in Mss. corruptum exstare, docet Fabric. ad Oros. V. 21. Tum *regem Numidiæ* Gronov. edidit a. 1665. nec aliter præferunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Eos itaque, quam cum Freinsh. Doujat. et Clerico veteres edd. *Numidarum* obferentes, sequi malui. Vide ad Epit. l. LXII. Hunc Hiarbam Gandæ filium facit Sponius in Miscell. Erud. Antiq. p. 147. Sed vellem, addidisset, quam auctoritatem secutus foret. Deinde *occidit* omnes codd. nostri, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide supra hac Epit.

Quod quidem nemini contigerat] Vet. lib. *quod nulli contigerat.* Sigon. Similiter scripti mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. De voce *quidem* perperam inserta jam supra hac Epit. dictum est.

Cn. Norbanus consularis] *C. Norbanus* Capit. tab. itemque reliqui omnes. *Sigonius.* Nihil mutant scripti nostri. At *C. Norbanus* Exc. Pithœi, et edd. principes. Vide ad Epit. l. LXXXV.

Se ipse interemit] Vet. lib. *ipse se interemit.* Sigon. *Ipse se occidit* Mss. mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide supra hac Epit.

Metellus, ex proscriptis unus] Vet. lib. *Mutilus*, quod est Papiorum cognomen. *Sigonius. Mutillus* Berg. et Boend. *Mutilius* Leid. *Mutilus* Voss. Lov. 2. et ed. Camp. Insuper *unus ex proscriptis*, ordine vocum mutato, edidit Gruterus. Nec aliter est in omnibus scriptis nostris, et ed. Camp.

Ad posticum ædis Bastiæ uxoris] Vet. lib. *ad posticias ædes*. Sigonius. *Posticas* solum dicit, et 'aditibus' opponit Ulpian. l. 7. § 7. D. de Usufr. 'vel aditus posticasve vertere' usufructuario permittitur : ubi suppleri potest 'fores,' 'januas,' vel 'portas.' Livius XXIII. 8. 'Hortus erat posticis ædium partibus.' Vide Gronov. ad Livii XL. 2. *Duk. Ad posticum*, voce sequenti omissa, Boend. Prisca lectio non nisi in editis obvia fuit. Livius XLV. 6. 'Per posticum ædium in propinquum cubiculo hortum, atque inde ad mare pervenit.' *Ad posticias ædes*, ut in suis invenit Sigonius, et in contextum recepit, ex meis servant Leid. et Berg. nec non Exc. Pithœi. Alibi tamen me vocem 'posticius' legisse, non recordor. Ultima Gruteri *ad posticas ædes* dedit, quod superest in Voss. et Lov. 2. ac verum esse videtur. Forsitan olim scriptum fuerit more antiquo *ad posticas ædis*, et inde factum sit *ad posticum*. Servius indicare videtur ad Virg. Æn. II. 453. *postica* genere feminino esse vocabulum augurale, *posticum* neutro genere de ædibus dici : quæ observatio si vera foret, vulgatum *ad posticum* præferri deberet. Eam tamen distinctionem non ubique observatam esse, constat ex illis quæ Gronov. notat ad Livii XL. 2. § 2. Ceterum 'Bastiæ' gentis mentionem alibi non reperio. Neque codd. variant, nisi quod *Hastiæ* legat Leid. Verum hujus etiam gentis nullus meminit, nisi inscriptio l. 30. C. de Evictionu. quæ data est cuidam *Hastio*. An igitur ex unius cod. vestigiis hoc loco legendum *Hostiæ uxoris?*

Admissus non est, quia illum proscriptum diceret] *Admissus minime est* Norv. et omnes ferme typis descripti ante Sigonium, qui *non*, pro *minime*, emendavit : quod probant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLIX. Deinde *dicerent* Leid.

Et sanguine suo fores respersit] Vet. lib. *uxoris fores*. Sigon. Idem tamen Sigonius in contextum recepit *fores uxoris;* quod non tantum servarunt eum secuti editores, verum etiam firmant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Insuper *sanguine fuso* Berg. Voces has interdum in Mss. confundi, constat ex illis quæ notantur ad X. 28. § 12.

Sulla Nolam in Samnio recepit] Non tam *in Samnio*, quam *a Samnitibus*, qui invaserant. Supra l. LXXIII. *J. F. Gron. Sulla tam in Samnio* Exc. Pithœi : *a Samnitibus* Clericus recepit, quod in Leid. superesse videtur. *In Samnio* tuentur Voss. Lov. 2. Berg. et Boend.

Quadraginta septem legiones in agros captos deduxit] Appian. Civ. I. 413. 'viginti tres' habet, et p. 416. 'centum viginti millia hominum.' Hic numerus sufficere videtur : nam vix credi potest, Sullam cum omnibus suæ partis ducibus quadraginta septem legiones sub signis habuisse. *Dukerus.* Numerum augent adhuc Boend. et ed. Camp. *LXVII. legiones* præferentes. An in numero notis scripto librarii errarunt, ac *XXVII.* pro *XLVII.* scribendum? Præpositio *in* omittitur in Voss. et Berg.

Et eos iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat] Sullam agros Volaterranorum publicasse, non divisisse, neque iis civitatem eripere potuisse, scribit Cic. ad Att. I. 9. pro Dom. c. 30. et Famil. XIII. 4. *Duk.* Omnia hæc verba omittebantur in Boend. *eos bis divisit* præfert Voss. sed librarius scribere voluit *eos his divisit*, ut legunt alii codd. Tum *Volteras* Lovel. 2. *Volterras* Leid. et Voss. *Volateras* Berg.

Expugnatæ dirutæque sunt] De Mitylenæorum facinoribus in Romanos vide ad Epit. l. LXXVIII. Mitylenas a M. Thermo prætore expugnatas fuisse, apud solum Sueton. Cæs. c. 2. legitur : ubi Casaubonus adnotat

prætoram Thermi nusquam alibi reperiri. Pighius ad a. IↃCLXXII. conjecturas habet sine testimonio veterum. Nec recte dicit, hanc Epitomen indicare, Mitylenas diu obsessas a L. Lucullo proconsule, post Volaterras in Italia captas, sequenti demum anno expugnatas ac dirutas esse. Nam Epitome, si auctor illius secutus est ordinem temporis, nihil aliud indicat, quam Mitylenas post deditionem Volaterrarum expugnatas esse. Luculli in ea nulla mentio est. *Duk. Expugnatæ et dirutæ sunt* Leid. copula exsulat a Voss. *diruptæque* legunt Berg. Lovel. 2. et ed. Camp. Vide ad Livii IX. 45. § 17.

LIB. XC.

M. Lepidus, quum acta Sullæ tentaret rescindere] Barberinus et minor Gudian. *M. Æmilius Lepidus.* J. F. Gron. Similiter Leid. et Berg. At vocem additam nescinnt Voss. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et Norv. Tum *tractaret rescindere* Leid. Paullo ante *ab senatu* edidit Gron. an. 1665. quum priores habuissent *a senatu*, quod tuentur omnes nostri, Exc. Pithœi, et Norv.

Et a Q. Catulo collega] Prima vocula exsulat a Berg. Lov. 2. et Boend. prima et secunda a Voss. Forte legendum *sed a Q. Cat. collega It. pulsus, et in Sard. frustra bell. molit., periit.*

M. Brutus] Pater illius, qui deinde cum Cassio et aliis adversus Cæsarem conspiravit. Plutarch. in vita Pompeii et Bruti. Lepidum Galliam Transalpinam, *τὴν ὑπὲρ Ἄλπεις Γαλατίαν*, id est provinciam Narbonensem, sortitum fuisse, auctor est Appian. Civ. I. 418. De citeriore ita scribit Plutarch. Pompeium ducem belli creatum fuisse adversus Lepidum, ulteriorem Galliam per Brutum exercitu obtinentem, *τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίαν κατέχοντα διὰ Βρούτου στρατεύματι.* Ex eo non decerni potest, utrum Brutus prætor, an pro prætore, an legatus Lepidi, eam obtinuerit. Pighius ad a. IↃCLXXV. et sequentem, Brutum ex prætura Galliam citeriorem provinciam habuisse prodidit; sed conjecturam hanc nulla auctoritate scriptorum veterum confirmare potuit. Neque id mirum est: nam, deperditis monumentis vetustis, in quibus, quo quæque tempore, loco, modo, et a quibus gesta essent, exponebatur, ex iis qui sparsim quædam de illis retulerunt, nulla satis certa notitia rerum his, superioribus et sequentibus aliquot annis gestarum, et hominum, per quos illæ gestæ fuerint, haberi potest. *Duk.*

Qui Cisalpinam Galliam tenebat] Vossian. et Gudiani *obtinebat.* J. F. Gron. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *optinebat* Exc. Pithœi. Mox vocula *est* non adparet in Voss.

Q. Sertorius proscriptus] Barber. interponit, *Q. Sertorii viri bellicosissimi gesta referuntur.* Cui forte connectendum *qui proscriptus.* Gudianus quoque, *Q. Sertorii viri bellacissimi gesta referuntur.* J. F. Gron. Omnes nostri conspirant in vulgatum, et verba in codd. Gronovii interposita ignorant. *Et Q. Sertorius* ed. Camp.

L. Manlius proconsul] Hunc subsidio Metelli ex Gallia, cui ipse præerat, in Hispaniam venisse scribit Orosius v. 23. et *Manilium* nominat; quo pacto legendum esse apud Plutarch. in Sertor. p. 574. puto. *Ὥστε μὲν Λόλλιον ἐκ τῆς περὶ Νάρβωνα Γαλατίας ἐλθεῖν αὐτῷ βοηθόν*· est enim legendum *ὥστε Μανίλιον. Sigonius.* Ut hic, ita et in Oros. v. 22. alia exemplaria habent *Manlius*, alia *Manilius.* In Plutarchi Sertorio, quem locum citat Sigon. est *ὥστε Λεύκιον μὲν Λόλλιον*, pro quo Solanus legendum conjicit *ὥστε Λεύκιον μὲν Μάλλιον.* Sed quis hic sive *Manlius*, sive *Manilius*, quem ‘ proconsulem

Galliæ' vocat Orosius, fuerit, itidem obscurum est. Pighius ad annum IↃCLXXV. hic quoque *Manilius*, et in Plutarcho Μανίλιον legit, et prætorem cum imperio consulari eo anno Galliam provinciam habuisse putat. *Duk.* *L. Manlius* uno consensu hic legunt manu et typis exarati.

M. Antonius legatus] Vet. lib. habent *M. Domitius:* et recte. Nam Antonius, cujus post mentio fit, in hoc bello cum Sertorio erat: Domitius autem cum Metello. Domitium autem ab Herculeio Sertorii duce cum exercitu oppressum scribit Orosius, Eutropius, et Plutarchus. Et Sallustius Histor. lib. I. in quo Sertorianum bellum narrabat, 'Domitium proconsulem ex citeriore Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, a Metello arcessitum' scribit, ut ait Priscian. X. 901. Porro autem *L. Domitius* vocandus. Sic enim et Eutropius, et Plutarchus. *Sigon. Domitius*, quod recte restituit Sigonius, prænomen *M.* habere non potuit: nam, gentem Domitiam nulla prænomina, præterquam 'Cnæi' et 'Lucii,' usurpasse, e Suetonio Ner. c. 1. notum est. Nec tamen ei prænomen *L.* addit Plutarchus. Sed Sigonius pro eo, quod ibi scriptum est, Δομέτιον δὲ καὶ Λούσιον ἀνθύπατον τῆς ἑτέρας Ἰβηρίας, forsitan legendum putavit Λούκιον δὲ Δομίτιον; quod Xylandro quoque in mentem venit. Locum illum corruptum esse certius est, quam quomodo emendandus sit: nam, non 'Lusium,' sed 'Domitium' proconsulem citerioris Hispaniæ fuisse, fragmentum Sallustii apud Priscan. testatur. Solanus ibi Λούσιον ex eo quod paullo ante hæc verba in Plutarcho legitur Λεύκιον μὲν Λόλλιον, intrusum suspicatur. Eutropio VI. 1. 'L. Domitius prætor' est: prætor cum imperio proconsulari scilicet, unde Sallustius 'proconsulem' vocat. *Dukerus.* *M. Antonius* servant Boend. et Norv. *M. Domitius* Leid. Voss. Berg. et Boend. Iis, qui *L. Domitius* legendum censent, non adversor, quia ita apud Eutrop. vocatur. Videndum tamen, quum omnes codd. hic in prænomen *M.* consentiant, an potius *Cn. Domitius* legendum sit. Prænominis enim 'Cnæi' compendium *Cn.* sæpe ab indoctis librariis in *M.* sive *Marcum* mutatum esse, vidimus ad VII. 12. § 1. Apud Plutarch. autem in Sertor. pag. 574. pro Δομέτιον δὲ καὶ Λούσιον, Fabric. ad Oros. V. 23. Δομέτιον δὲ Καλουΐνον legendum censebat, Λούκιον, pro Λούσιον, Haverkampius. Vox *legatus* deest in ed. Camp.

Ab Hirtuleio quæstore] Vetus lib. *Herculeio.* Item Eutropius VI. 1. item Salustius Histor. lib. II. 'Occurrere duci, et prælium accendere, adeo uti Metello in sagum, Herculeio in brachium tela venirent:' ex Marcello in voce 'Sagum.' Hunc, ut opinor, Ἐρέννιον nominat Plutarch. in Pompeio p. 628. *Sigonius. A Birtalegio* Voss. *ab Hirculegio* Lov. 2. *ab Hirculeio* Berg. et Boenderm. *ab Herculejo* Leid. Exc. Pithœi, et edd. ante Frob. qui an. 1535. *ab Hirtuleio* substituit. Vide viros doctos ad Flori III. 22. § 6. Front. I. 5. § 8. Oros. V. 23. et Eutrop. VI. 1.

Præterea res a P. Servilio proconsule adversus Cilicas gestas] *Præterea a P. Serv. proc. adv. Cilicas res gestas* Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. Parum inde differunt Lov. 2. et Boend. nisi quod prior *gestas res*, posterior *aliquas*, pro *Cilicas*, præferant. *Præterea a P. Serv. proc. adv. Cilicas gentes gesta* Berg. Quod nunc vulgo superest, in edd. Gruteri primum invevi. Consentiunt iis Leid. et Vossian. Similis varietas est Epit. lib. CIV. in fine.

LIB. XCI.

Quum adhuc quæstor esset] Vox *quæstor* mendose est: aut enim *eques-*

ter, ut in quibusdam veteribus libris est, aut *eques Ro.* est legendum. Nam sex post libris scriptum est, Cn. Pompeium consulem factum esse, 'antequam quæsturam gereret, ex equite Romano.' Sic autem locutus est Epit. l. LXXXIX. 'Cn. Pompeius, adhuc eques Romanus, ex Africa triumphavit:' ut etiam Cic. pro L. Manil. cap. 21. 'Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus senatusconsulto triumpharet?' Triumphavit autem iterum ex Hispania. Et Dio in quadam concione XXXVI. 13. habita de Pompeio, καὶ ᾧ ἱππεῖ ἔτι ὄντι πολέμους ἐκείνους ἐνεχειρήσατε. Et Plutarchus Pompei. 630. Μήπω δὲ μετέχοντι βουλῆς ἐψηφίσασθε δύο θριάμβους. *Sigon.* Vulgatum *quæstor*, licet mendosum, superest tamen in Leid. Lovel. 2. et Norvic. *equester esset* in Boend. Berg. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Nullum tamen scriptorem *equester*, pro *eques Romanus*, dixisse, mecum existimat Dukerus. De eodem etiam dubitat Crevierius. *Quum adhuc eques esset* legit Voss. quod probandum puto, nisi quis mallet *eques R.* id est *Romanus*. De Pompeio ad bellum Sertorianum misso Cic. pro L. Manil. c. 21. 'Quid tam insitatum, quam ut, quum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur?' Tum *cum imperio proconsulari* Exc. Pithœi. Mox *Sertorii aliquot urbes* Voss.

Thracas pluribus prœliis vicit] Aliud significat Orosius, qui v. 23. eum se magnis malorum molibus objecisse, et ægritudine animi ac morbo interiisse prodit. *Duk.* Omnia hæc vocabula cum tribus sequentibus *Q. Metellus proconsul* desunt in Leid. neglegentia scribæ; cui fraudi fuit repetitio vocis 'proconsul.' Vide ad IX. 11. § 2.

L. Herculeium, quæstorem Sertorii, omni cum exercitu cecidit] Membrana Barber. *cecidit atque fugavit.* Voss. et Gud. minor *quæst. Sertorii cum exercitu cecidit.* Major *quæst. Sertorii ceciditque atque fugavit.* J. F. Gron. *Herculeium* hic præferunt omnes scripti, et editi, uno demto Berg. qui legit *Hirculeium*. Vide ad Epit. præc. Deinde *omnino cum exercitu* edd. principes, pro quo Frob. 1535. *omni cum exercitu* substitnit: quum præstitisset, ut integram vocem ex contextu ejecisset. Omnes enim scripti mei, pleriqne Gronoviani, Exc. Pithœi, et ed. Camp. et *omnino*, et *omni* ignorant. De voce *omnino*, perperam in his Epit. adscita, vide ad Epit. l. LVIII. Præterea *occidit* Boend. et ed. Camp. Vide ad Livii XXXVI. 36. § 6.

LIB. XCII.

Ita ut singula ex utraque parte cornua vicerint] Potest ferri. Forte tamen *ita ut sinistra*. Quemadmodum Epit. l. CXXIV. 'Ita ut utrinsque dextra cornua vincerent.' *J. F. Gron.* Satis certa est conjectura sagacissimi Gronovii. Nam Plutarch. in Sertorio scribit in pugna ad Sucronem dextrum cornu Sertorii a sinistro cornu Romanorum, et dextrum Romanorum a sinistro Sertorii pulsum esse. *Duk.* Ridicule Vossian. *ita ut sine gloria ex utraque parte cortina vicerit.* Reliqui nihil mutant. Paullo ante *adhuc dubio eventu* Norv. et edd. ante Gruter. qui vocem *adhuc*, in nullo apud me codice obviam, recte delevit.

Q. Sertorius Metellum et Perpernam c., &c.] Legendum *Q. Metellus Sertorium et Perpernam*. Neque enim Sertorius Perpernam, qui a se stabat, fundere potuit. *Sigon.* Vitium priscæ lectionis deprehendit jam Glareanus ad Valer. Max. III. 4. 5. quomodo tamen emendari debeat, adsecutus non est; sed demum recte invenit Sigonius. Ejus emendatio-

nem firmant omnes codd. nostri, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Ceterum codd. nostri, et edd. vett. hic et alibi perperam scribunt *Perpennam*. Vide ad Livii XLIV. 27. § 11.

Victoriæ partem cupiens auferre] Vet. lib. *ferre*. Sigonius. Similiter scripti mei, Exc. Pithœi, et editio Camp. ‘ Ferre partem victoriæ,’ ut ‘ ferre præmium, munus.’ Vide ad Livii XXVI. 2. § 4. Ex ejus interpretatione natum est *auferre*.

Obsessus deinde Calagurii Sertorius] Sic finxerunt, opinor, ex Epitoma seq. quum non assequerentur veterem scripturam. Nam Barber. *clime*. Gud. *climiæ*. Alter, *Clume*. Vossian. *cluviæ*. Unde faciendum *Obsessus deinde Cluniæ Sertorius*. Sueton. Galb. c. 9. ‘Sacerdos Jovis Cluniæ :’ conventus Cluniensis pars Tarraconensis provinciæ apud Plinium III. 3. Πολιορκοῦντι δ' αὐτῷ Κλουνίαν (Metello scilicet Nepoti) est apud Dionem XXXIX. 115. *J. F. Gron. Diune* Lov. 2. *Cliniæ* Berg. *Cluviæ* Boend. Sed *Cluniæ*, ut recte Gronovius emendat, superest in Leid. et Exc. Pithœi. Vide Cellarii Geogr. Ant. II. 1. 76.

Non leviora damna obsidentibus tulit] Vet. lib. *intulit*. Sigon. Similiter quinque scripti mei, ed. Camp. et, ut Hearnius testatur, Exc. Pithœi, ac Norvic. Præterea quatuor priora vocabula exsulant a Voss.

Ab Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos] *A P. Curiosone* Exc. Pithœi: *a P. Cursore* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. et edd. ante Frob. qui a. 1535. *a Curione* substituit. Sane prænomen *P.* servari nequit, quia Curio dictus est ‘C. Scribonius Curio :’ vide Pighium in Ann. ad a. IↃCLXXVII. p. 292. et IↃCLXXVIII. pag. 302. *C. Curio* etiam vocatur Epit. l. XCV. Quum tamen omnes libri constanter illud prænomen tueantur, eorum vestigia docent, recte Gronovium 1665. edidisse *ab Curione*. Deinde *in Thracia gesta* Leid. et Berg. *in Traciam res gestas* Boend. Tum *Dardanios* perperam Leid. Voss. Boenderm. et ed. Camp. Mox *atque Sertorii* pro *et Q. Sertorii* Lov. 2. Denique voces *in suos* desunt in Voss.

Plurimos amicorum et secum proscriptorum, crimine proditionis insimulatos] Vet. lib. *plurimos ex amicis et secum proscriptis*. Sigon. Pariter Mss. mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXXIX. Tum vox *insimulatos* abest a Leid. neglegentia scribæ. Livius XLIV. 16. ‘ Quum suspectum se esse cerneret, et proditionis interdum crimine insimulari.’ Hinc *occidit* Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

LIB. XCIII.

In Cilicia Isauros domuit] Indomitos antea. Cl. Claudianus in Eutrop. I. 217. ‘ Indomitos curru Servilius egit Isauros.’ Nihil itaque mutandum. *Delrius*. *In Sicilia* Lov. 2. et Boend. librariorum errore, quos etiam alibi similiter lapsos esse, vidimus ad Epit. l. LXVIII. Dein *Sauros* Voss. *Insauros* Boend. Quum autem tota Isauria tunc et diu etiam post id tempus domicilium et receptaculum latronum fuerit, *Isauros* hoc loco potius pro piratis dici, quam Ciliciam et Isauriam confundi, existimat Dukerus ad Flori III. 6. § 5. Mox *aliquas urbes* Berg. sollemni aberratione scribarum. Vide ad XXX. 19. § 5. et XXXII. 10. § 12. Præterea *moriens* exsulat a Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, Norv. et ed. Camp.

Fœdere cum Sertorio icto] *Inito* Voss. quod ex glossa, quæ, olim margini adscripta, deinde in contextum inrepsit, natum est. Vide ad Livii XXII. 34. § 7.

Ad Chalcedonem prælio ab rege victus est] *Ad Chalcedonam* Leid. et Voss. *ad Calcedonam* Lov. 2. *ad Calce-*

doniam, vel *ad Chalcedoniam* Boend. Norv. et edd. principes: *ad Calcedonem* Berg. Sed recte *ad Chalcedonem* Frob. 1535. restituit. Deinde *a rege* omnes nostri cum Exc. Pithœi, Norv. et edd. Gronovio prioribus: nam is demum *ab rege* a. 1665. recepit. Τὸ *est* non adparet in Lov. 2.

Rexque a Pompeio et Metello victus, et ut contra Sertorium egerunt] Vitiosus sine dubio locus ex vestigiis veterum librorum a me ita emendatur: *resque a Pompeio et Met. contra Sert. gestas continet; qui omnibus bellis.* Sic enim in veteribus libris est: præterquam quod duæ voces *gestas continet* interciderunt. Sic Epitoma seq. ‘ Res a Cn. Pompeio in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.’ *Sigon. Resque a Pompeio et Metello* (*et a Metello* Berg. et Voss.) *adversum* (*adversus* Berg.) *Sertorium, omnibus* Leid. Voss. et Berg. *resque a Pompeio et Metello adversus Sertorium, qui omnibus* Lov. 2. et Boend. neque aliter ed. Camp. nisi quod legat *adversus Sertorium gestas, qui omnibus.* Exc. Pithœi consentire vet. lib. Sigonii, eo excepto, quod etiam τὸ *qui* omittat, Hearnius auctor est. Forte legendum et distinguendum est: *Adp. deinde reg. cop. terrestrium navaliumque, et, occ. Bith., M. Aur. Cotta consul ad Chal. prœlio a rege victus, resque a Pompeio et a Metello adversus Sertorium: qui omnibus, &c.* ut intelligatur verbum ‘ referuntur,’ ‘ narrantur,’ vel simile. Ita Epit. l. c. ‘ Legem tulit, ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur. Concio ejus bona. Q. Metellus,’ &c. Vide Gronov. ad Epit. l. XLIX. In constituendo hoc loco enumeratas codicum lectiones per omnia secutus sum. ‘ Res’ et ‘ rex’ in Mss. sæpe commutari, vidimus ad Livii XXXVI. 9. § 6. Repetita præpositio in locutione *a Pompeio et a Metello* auctori adhæsit ex lectione Livii. Vide ad Epit. l. XLVI. Primi editores denique *contra*, pro *adversus*, substituerant; quod eos passim fecisse, vidimus ad Epit. l. LVII.

Belli militiæque artibus] Displicet illud *belli militiæque*, præsertim in auctore, qui passim brevitati studet. *Belli, militiæ*, omissa copula, Boend. Forte legendum *qui omnibus bellis militiæ artibus par fuit:* ut innuat auctor Sertorium in omnibus bellis, quæ cum Pompeio et Metello gessit, peritia rei militaris iis parem fuisse.

Quos etiam ab obsidione Calagurii oppidi depulsos coëgit diversas regiones petere] Varie scribitur, *Calaguris, Calagurris, Calagorris, Calagorra, Calagurra:* vide ad Flor. III. 22. § 9. *Calagurium* nusquam alibi inveni. *Calaguriis* in margine exemplaris Pithœi pro *Calagurris* scriptum fuisse puto. *Duker. Quod et ab obsidione* Lov. 2. et Boend. *quod et obsidione* Leid. *et ab obsidione* Berg. *et obsidione* Voss. *ab obsidione* Exc. Pithœi. Deinde *Calaguriæ oppidi depulsos* ed. Camp. *Calaguriis oppidi depulsos* Exc. Pithœi. *Calagurris oppidi depulsos* Lōv. 2. et Boend. *Calaguris oppidi depulsos* Berg. *Calagurris depulsos* Leid. Hinc legendum puto *par fuit, et obsidione Calagurris* (vel *Calaguris*) *depulsos coëgit, &c. Depulsos obsidione*, omissa præpositione, ex auctoritate codd. ut ‘ depellere sententia,’ ‘ spe,’ ‘ muris.’ Liv. XXIII. 8. ‘ Nec eum aut inclinata in partem alteram civitas, aut patria majestas sententia depulerat.’ XXXI. 25. ‘ Philippus magna spe depulsus.’ XLII. 54. ‘ Depulsi muris ad portam tuendam concurrunt.’ Recepi deinde *Calagurris;* quia urbem hanc alibi *Calagurium* dictam non memini. Ita tamen vocabatur in cod. Mog. apud Liv. XXXIX. 21. § 8. ubi vide quæ notantur. Vocabulum *oppidi* non magis hic requiro, quam supra Epit. præc. ‘ Obsessus deinde Cluniæ Sertorius:’ præsertim quum Calagurris longe notior fuerit, quam Clunia.

Coëgit diversas regiones petere, Me-

tellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam] Contra Plutarch. in Sertorio p. 579. ὥστε ἠναγκάσθησαν οἱ στρατηγοὶ διαλυθέντες, ὁ μὲν ἐς Γαλατίαν ἀπελθεῖν, Πομπήϊος δὲ περὶ Βακκαίους διαχειμάσαι. *Sigon. Coëgerit* Leid. et Berg.

LIB. XCIV.

Lucullus consul adversus Mithridatem] Voss. *P. Licinius consul.* Gud. *A. Licinius Lucullus consul.* Min. *Publius Lucius Lucullus consul.* Lege *L. Licinius Lucullus consul.* Mox omnes tres *res a Cn. Pompeio.* J. F. Gron. *Lucullus consul* primus dedit Dan. Heinsius; quum priores fere omnes cum Lovel. 2. Exc. Pithœi, et Norv. *L. Lucullus consul* exhibuissent. *C. Lucullus consul* præfert ed. Rom. princeps. *Publius Lucullus* Boend. *P. Lucius Lucullus consul* ed. Camp. *P. Licinius Lucullus consul* Leid. et Berg. Pro quo recte Gronov. *L. Licinius Lucullus* emendat. Mox *expeditiones aliquot* Leid. Voss. Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. pro quo Gronov. 1665. edidit *aliquot expeditiones*, probantibus Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Insuper *pugnas* Boend.

Deiotarus, Gallogræciæ tetrarches, præfectus Mithridatis] Vel adversantibus veteribus libris lego *præfectos Mithridatis.* Nam Deiotarus stetit pro Romanis, non pro Mithridate. Id autem aperte Appianus in Mithrid. p. 222. Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ Φρυγίαν Εὔμαχος Μιθριδάτου στρατηγὸς ἐπιτρέχων ἔκτεινε Ῥωμαίων πολλοὺς μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν, Πισίδας τε καὶ Ἰσαύρους ὑπήγετο, καὶ Κιλικίαν, μέχρι τῶν τις Γαλατικῶν τετραρχῶν Δηϊόταρος ἐπιπολάζοντα αὐτὸν συνεδίωξε, καὶ πολλοὺς διέφθειρε. *Sigon. Thethrarcha,* Latina terminatione, Boend. *tetrarcha* ed. Camp. Sed *tetrarcas* Leid. *tetrarches* reliqui scripti; qua forma etiam extulit auctor B. Alex. c. 67. Antiquitus Gallogræci constabant ex tribus diversis populis, quorum quisque divisus erat in quatuor tetrarchias, ita ut universæ genti præfuerint duodecim tetrarchæ, qui deinde ad tres, postea ad duos redacti sunt, donec tandem unus Deiotarus iis præesse inceperit. Vide Strab. XII. 566. *Præfectus* in sola tantum ed. Basil. 1554. sed, ut videtur, errore operarum, inveni, quod idem etiam Exc. Pithœi servare Hearnius auctor est: *præfectos* præferunt non tantum reliqui typis descripti, sed etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Norv. Mox *occidit* Leid. Boenderm. et ed. Camp. Vide ad XXXVI. 35. § 6.

Præterea res a Cn. Pompeio in Hispania] Prænomen Pompeii, quod in omnibus prioribus edd. deerat, fide trium codd. addidit Gronov. supra ad initium hujus Epitomes; quibus consentiunt Leid. Berg. et Lovel. 2. Insuper male *in Hispaniam* Berg. et Norv.

LIB. XCV.

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit] Hinc Sallustius Histor. lib. II. Nonio auctore: 'Eodem anno in Macedonia C. Curio principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit, pecunias coëgit.' *Sigon. Cicero proconsul* Boend. *Curio proconsul* Bergian. *L. Curio proconsul* Norv. Prænomen antiquissimæ edd. partim omittunt, partim legunt *P.* partim *M.* partim *G.* partim *Caio.* Vide ad Epit. l. LXII.

Quatuor et septuaginta gladiatores] *CCCCLXX. gladiatores* Berg. *quadringenti septuaginta* Leid. Quamvis autem de numero gladiatorum, qui, effracto ludo Lentuli, belli gladiatorii concitores fuerunt, inter historicos non conveniat, nemo tamen majorem, quam hic proditur, memoravit; nisi quod apud Plutarch. in Crass. p. 548. octo et septuaginta fuisse dicantur. Vide Freinshem. ad Flori III. 20. § 3.

Congregata servorum et ergastulorum multitudine] Claudius Puteanus affirmat, se in Mss. legisse *congregata servorum ex ergastulis multitudine.* Sigon. Egregie codd. Barber. et Gudiani ambo *servitiorum.* Restituimus et Livio. *J. F. Gron.* In vulgata scriptura hic sensus esse potest, eos congregasse multitudinem cum aliorum servorum, tum servorum de ergastulo, qui etiam 'ergastula' dicuntur. Plinius H. N. XVIII. 6. 'Coli rura ab ergastulis pessimum est.' Et Florus IV. 8. 'Quum insuper ergastula armasset.' Nec tamen displicet *servorum ex ergastulo.* Livius XXIV. 15. 'Mancipia Romana et ex ergastulo militem.' Justin. I. 6. 'Obvium habuit servum de ergastulo.' *Duk.* Pleræque edd. *servorum et ergastulorum.* Campanus *servorum ergastulorumque;* quod Gruterus recepit, et firmant codd. Leid. Voss. ac Boend. *servorum ex ergastulis* ed. Sigonii 1592. quod non spernendum judicat Crevierius. *Servulorum ergastulorumque* Berg. *servitiorum ergastulorum,* sine copula, Lovel. 2. De ea locutione vide ad XXXV. 32. § 4. *Servitiorum ergastulorumque* Exc. Pithœi. 'Servitia' pro servis, 'ergastula' pro illis servis qui compediti in ergastulis custodiebantur, poni, vidimus ad III. 15. § 9. De servis compeditis et ergastulis vide Brisson. Select. Antiq. II. 9. Mox *Crexo* Voss. *Criso* Leid. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. *Crisso* Exc. Pithœi: *Chryso* Norv. et reliquæ edd. principes, nisi quod *Chrysso* ex prima Rom. laudet Hearnius. *Crixo* ed. Sigonii 1572. quod etiam superest in Berg. Vide Salmas. ad Flori III. 20. § 3. Crixum et Œnomaum Gallos, ac Spartacum Thracem memorant Oros. V. 24. ubi vide Fabric. et Freculph. Chron. part. I. lib. VI. c. 16.

Claudium Pulchrum legatum] *Clodius prætor* vocatur Oros. V. 24. Κλώδιος στρατηγὸς Plut. in Crass. p. 547. *Clodius Glaber* Floro III. 20. § 4. Sed Glaber non Claudiorum, sed Variniorum, cognomen fuit. Vide Sigon. ad verba seqq.

P. Vorenum prætorem] Hunc prætorem Plutarchus in Crasso p. 548. vocat Πόπλιον Βαρῖνον, *Varinium* Frontinus I. 5. ex. 22. Appianus autem I. p. 424. Βαρίνιον Γλάβρον: ut appareat, hunc P. Varinium Glabrum appellatum fuisse: meminit etiam P. Varini prætoris Cicero pro Flacco c. 19. ubi forte *Varinii* legendum est, ut gentis nomen, non familiæ, sit. *Sigon.* In Cicerone pro Flacco c. 19. Pighius quoque ad a. IↃCLXXI. legit *a P. Varinio.* Vide quæ viri docti ad Frontinum Strateg. I. 5. 22. adnotarunt. Varenus tamen etiam nomen Romanum est. Cicero orationem pro L. Vareno habuit, cujus particulæ quædam in Quintiliano et aliis supersunt. *Duk.* Sigonius a. 1555. *P. Varinium* in contextum recepit; pro quo sequentes ejus edd. operarum menda *P. Vatinium* dederunt; quem errorem proximi editores servarunt, et hinc fraudi fuerunt Petavio ad Themist. orat. VII. p. 425. Gruterus deinde *P. Varenum* substituit, quod firmant Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Campani, ac recentiores retinueruut, excepto Clerico, qui Sigonii lectionem *Varinium* adoptavit. *P. Varcenum* legit Voss. *P. Vorenum,* ut est in edd. ante Sigonium, Norvic. Vox *prætorem* exsulat a Berg.

Pulsumque Bithynia regem] *A Bithynia* Exc. Pithœi, Norv. et edd. fere omnes ante Gruterum; qui præpositionem expunxit, consentientibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Vide ad Epit. l. XLVI. Mox *belli et naufragiorum* Boend. *belli naufragiorumque* Voss. Deinde *in portum profugere* Voss. Berg. et ed. Camp. *in portutum profugere* Exc. Pithœi.

LIB. XCVI.

Q. Arrius prætor] Prænomen deest

in Berg. spatio tamen, ubi adscriberetur, relicto. At *M.* ei tribuitur in Norv. *D.* in ed. prima Romana Hearnius invenit. *Nuntius* est in Boend. Vide ad Epit. l. LXII. Dein *Valerius*, pro *Arrius*, Boend. et ed. Camp. *Varius* Lovel. 2. *Artius* Berg. *Martius* Leid. *Arius* reliquæ edd. principes. Sigonius demum *Arrius* dedit, quod superest in Voss.

Fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit] Quo numerus Appiano consentaneus sit, *cum triginta millibus* scribo. Dissentiunt a Floro nonnulli historiæ scriptores; qui Crixum a Gellio consule ad Garganum oppressum tradunt. *Delrius. Fugitivorum regem* Boend. In numero codd. nihil mutant: sed mox *excidit* legit Leid. *occidit* Voss. Berg. a m. pr. et Boend. Vide ad XXXVI. 36. § 6.

C. Lentulus consul] *Cn. Lentulus* perspicue omnes auctores. *Sigon.* Similiter omnes scripti, et edd. principes, nisi quod quædam harum *Gn. Lentulus* legant. *C. Lentulus* primum invenio in ed. Ascensii 1510.

Ab eodem L. Gellius et Q. Arrius prætor] Vet. lib. *L. Gellius consul et Q.* Item Plutarchus et Appianus. Cæterum hic est Q. Arrius prætor; qui, cum successurus esset C. Verri in Sicilia, non successit. Pædianus. *Sigon.* Prætoris hujus nullam mentionem faciunt alii, qui hoc bellum memorarunt. Appian. Civil. I. pag. 420. refert Crixum ab altero consulum ad Garganum prœlio victum cecidisse, et ex exercitu illius XX. millia cæsa fuisse. Consulem illum L. Gellium nominat Orosius V. 24. a quo Crixum victum fuisse, etiam e Plutarchi Crasso apparet. *Duk. Ab eodem consule L. Gellius*, vel *Gelius, et Q. Arrius*, vel *Arius, prætores* Lov. 2. Berg. et Boend. Similiter Leid. et Voss. nisi quod *prætor* servent: *ab eodem L. Gelius et Q. Arius prætores* ed. Camp. *ab eodem L. Gellius consul et Q. Arrius prætores* Exc. Pithœi apud Hearnium.

Sertorius a M. Antonio, et M. Perpenna, et aliis conjuratis in convivio interfectus est, &c. Imperium partium ad Marium translatum est] Locus obscurus. Nam cum dicat, ab Antonio et Perperna interfectum esse Sertorium, addit imperium partium translatum esse *ad Marium*. Nos autem ab aliis accepimus *ad Perpernam* pervenisse. Tolletur igitur omnis obscuritas, si ita legatur: *Sertorius a Manio Antonio et Marco Perperna, &c.* Item *Imperium partium ad Marcum translatum est.* Plutarchus enim in Sertorio Μάλιον Ἀντώνιον vitiose vocat, pro Μάνιον. In veteribus autem libris est *ad Marcum*, non *ad Marium*. Ejusdem porro convivii meminit his verbis Sallustius Histor. l. III. 'Igitur discubnere, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis, senator ex proscriptis, in summo Antonius, et infra scriba Sertorii Versius; et alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquinium et dominum Perpernam:' ex Nonio. *Sigon. A M. Antonio* servant omnes scripti: at, passim prænomen *Manius* librariis minus notum in *Marcus* corruptum esse, vidimus ad Livii XXVII. 25. § 2.

Octavo ducatus sui anno] De voce *ducatus*, quæ auctori non ex lectione Liviana, sed ævi sui corrupto sermone, adhæsit, vide ad Liv. XXIX. 20. § 2.

Sæpe par, ut frequentius victor] Vet. lib. *vel frequentius.* Sigon. *Vel frequentius* ab Sigonio est. Olim *sæpe par, ut frequentius victor.* Quod recte sese habet, modo intelligas τὸ *ita* in præcedentibus verbis. Significat enim, ita sæpe parem fuisse, ut sæpius superior discesserit. *J. F. Gronov.* Duæ priores voces exsulant ab omnibus scriptis meis, et Exc. Pithœi. Deinde *aut frequentius* legunt Norv. et edd. pleræque ante Ascens. qui a.

1510. *ut frequentius* recepit, et annis 1513. ac 1516. *aut frequentius* pro varia lectione in margine ostentavit: *vel frequentius* omnes scripti mei, et ed. Camp. quos cum Sigonio sequi malo, quam cum Gronovio τὸ *ut*, in nullo libro obvium, per ellipsin voculæ *ita* exponere, vel cum Crevierio in *et* mutare. Mox *ad ultimum et sævus et prodigus* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi: *ad ultimum et*, id est, *etiam, sævus et prodigus* Berg. Sed frustra.

Imperium partium ad Marcum translatum est] *Ad Marcum*, pro *ad Marium*, supra hac Epit. Sigonius emendavit ex vett. libb. quorum lectionem probant nostri Leid. Voss. Berg. Boend. et apud Hearnium Exc. Pithœi. At Jac. Perizonius *ad M. Perpernam* in ora exemplaris sui legendum conjecit: *ad M. Perpennam* præfert Lov. 2. Insuper verbum *est* ignorant omnes, quibus utor, Mss. Mox *victumque captumque* Berg. Tum *interfecit* iidem libri cum ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXXIII.

Recepit Hispanias decimo fere anno, quam cœptum est bellum] *Recepit Hispanos* Vossian. Sed recte receptam scripturam reliqui tuentur. *Hispanias* numero plurali sæpius Livius memoravit. Vide ad XXVIII. 18. § 9. et XXX. 30. § 13. Ex ejus lectione id hausit auctor Epitom. supra l. XXVI. 'Cui mandaretur Hispaniarum imperium:' ubi simili lapsu unus et alter codicum legebat *Hispanorum.* lib. CV. 'Pompeio Hispaniæ, Crasso Syria et Parthicum bellum, Cæsari Gallia et Germania dabantur.' Tum vocem *quam* omittit idem Vossian. cum Lov. 2. sed ejus loco *quo* legunt Berg. et Boend. Dein *cœptum erat* omnes scripti nostri, Exc. Pithœi, Norvic. et edd. ante Basil. 1539. quæ *cœptum est* dedit. Priscam igitur lectionem reduxi.

C. Cassius proconsul, Cn. Manlius prætor] Cassium Galliam Cisalpinam provinciam habnisse, et a Spartaco ad Alpes contendente victum vix fuga evasisse, narrat Plutarch. in Crasso. Orosius a Spartaco oppressum et interfectum dicit. *Duk.* Addita conjunctione *proconsul et Cn.* legunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Tum *Malius prætor* Voss. *Gallius prætor* Boend. *Gallus prætor* ed. Camp. *Manilius prætor* ed. nupera Londinensis. In sequentibus vox *prætori* omittitur in Boend.

LIB. XCVII.

Ex Gallis Germanisque constabat] *Ex Germanis Gallisque* solus Boend. Reliqui ordinem, qui vulgo obtinet, tuentur. Et hoc modo Frontin. II. 5. 34. 'Parte alia Gallos Germanosque ex factione Casti et Gannici eliceret ad pugnam.' Etiam Oros. V. 24. 'Gallos auxiliatores ejus Germanosque superavit:' quæ verbotenus descripsit Freculph. Chron. part. II. lib. VI. c. 16. Ceterum Epitome hæc omissa erat in cod. Voss.

Cæsis inimicorum triginta quinque millibus] Vet. lib. *hostium.* Sigonius. Similiter scripti mei, Exc. Pithœi, et ed. Campani. Vide ad Epit. l. CX. Deinde *quindecim millibus* Leid. Male. Front. loc. laud. 'Triginta quinque millia armatorum eo prœlio interfecta cum ipsis ducibus, Livius tradit.' Alii numerum minorem ediderunt. Oros. V. 24. 'E quibus triginta millia hominum cum ipsis ducibus occidit.' Freculph. l. laud. ab eo dissentiens, XXXIII. millia hominum occisa memorat: τριακοσίους ἐπὶ δισχιλίοις καὶ μυρίοις interfectos refert Plut. in Crass. p. 549.

Et duce eorum Granico] Plutarchus p. 549. eum *Cannicium* appellare videtur: ὧν ἀφηγοῦντο Καννίκιος καὶ Κάστος. Gudiani *Ganico.* J. F. Gronov. Vide adnotata ad Frontin. Strateg. II. 4. 7. et II. 5. 34. Plutarchus scribit eos, qui *C. Cannicio* et *Casto* ducibus

a Spartaco secesserant, Gallos scilicet et Germanos, ut ait Frontinus, a Crasso victos fuisse. Sed prænomen Γάϊος, quod *Cannicio* addit Plutarchus, nec Gallo, nec Germano convenit. Fuit fortassis *C. Cannicii* alicujus libertus, vel unus e colluvie ingenuorum Italicorum, quos ad Spartacum confluxisse, Appianus auctor est. *Dukerus. Et ducibus eorum, et Gannico* Leid. *et ducibus eorum cæsis et Gannico* Lov. 2. *et ducibus eorum cæsis Sucico* Boend. *et duce eorum cæsis. Gannido cum Spartacho* Berg. *Gannico*, pro *Granico*, etiam Exc. Pithœi: *et duce eorum Eranico* ed. Campani.

Cum Spartaco deinde bellavit] Jac. Perizonius ad marginem Livii legendum conjecit *dein debellavit*. Idem etiam Crevierio in mentem venit, qui et in contextum recepit. Verum τὸ *dein*, quod Livio frequens est, aut numquam, aut rarissime in Epitomis obcurrit. Potius igitur legendum puto *deinde debellavit*, ut postrema prioris vocis syllaba primam sequentis eliserit. Simile exemplum habuimus apud Liv. ad XL. 50. § 5.

Cæsis cum ipso millibus quadraginta] Vet. lib. *LXX*. Orosius *LX. millia* cecidisse arbitratur. *Delrius. Cæsi cum ipsis LXX. milibus* Boend. *cæsis cum ipso LXX. millibus* ed. Camp. *cæsis cum ipso* $\overline{LX}$. Lov. 2. *cæsis cum ipso LX. M.* Berg. *cæsis cum ipso sexaginta millibus* Leid. Et hunc numerum edidit Oros. v. 24. 'Novissime ipsum Spartacum, disposita acie congressum, maximasque cum eo fugitivorum copias perculit. Nam sexaginta millia eorum cæsa, sex millia capta referuntur: tria millia civium Romanorum recepta sunt.' Ex quo id totidem verbis repetiit Freculph. in Chron. part. II. lib. VI. c. 16. Eutrop. VI. 7. 'Multis ducibus et duobus simul Romanorum consulibus victis, sexaginta fere millium armatorum exercitum congregavcrunt, victique sunt in Apulia a M. Licinio Crasso proconsule.' Plurium itaque codicum, laudatorumque historicorum auctoritate permoveor, ut credam, in vulgata scriptura errorem commissum, et, transpositis numerorum notis, *LX.* pro *XL.* legendum esse, et emendandum similiter Vell. Paterc. II. 30. 'Quorum' (fugitivorum) 'numerus in tantum adolevit, ut, qua ultimo dimicavere acie, LX. millia hominum se Romano exercitui opposuerint. Hujus patrati gloria penes M. Crassum fuit:' ubi nunc editur *XL. millia*, et viri docti *XC. millia* scribendum conjiciunt. Quod nec ipsum displicet, cæsorum numerum iniri non potuisse, testis est Appian. B. Civ. I. p. 426. Ceterum, librarios numerorum notas *LX.* et *XL.* alibi confundere solitos fuisse, docuimus ad X. 38. § 4. et XXXVI. 40. § 12. Idem error obcurrit Epit. libb. XCVIII. XCIX.

Bellum adversus Cretenses parum prospere susceptum] Ita Gruterus edidit, cum quo fecisse videtur Leid. unde nihil in excerptis ad hunc locum notatur. Antea edebatur *parum prospere gestum*, quod superest in Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. Ascon. ad Cic. Divin. in Cæcil. cap. 17. Antonius 'rem inauditam invasit, et, indicto Cretensibus bello, male re gesta ibidem periit.' Mox *morte sua finiit* Leid. *morte sua finit* Lov. 2. *sua morte finivit* Berg. Deinde voces *proconsul Thracas subegit. L. Lucullus* desunt in Boend. culpa librarii, cui fraudi fuit repetita vox *Lucullus*. Vide ad Livii IX. 11. § 2.

Cæsis hostium amplius quam sexaginta millibus] Τὸ *quam* non video in Gud. *J. F. Gron.* Vocula *quam* non necessaria quidem est; eam tamen omnes Mss. mei constanter servant. Unius itaque fide eam expungere non audeo.

*M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti sunt * sicut Pompeius, &c. restituerunt*] Locus mutilatus, merito asterisco notatus. Vetusti libri nihil

varietatis habent, nisi quod *facti sic* ibi est. Ex quo colligo ita esse legendum: *M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti, ut Crassus ex prætura, sic Pompeius, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano, tribuniciam potestatem restituerunt.* Eamdem enim rem, ut memorabilem, edit etiam Appian. I. 426. hoc modo: Ἐς δὲ ὑπατείαν ἄμφω παρήγγελον· ὁ μὲν ἐστρατηγηκὼς μετὰ τὸν νόμον Σύλλα, ὁ δὲ Πομπήϊος οὔτε στρατηγήσας, οὔτε ταμιεύσας, ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοὺς τριάκοντα. Id est, *Consulatum autem ambo se petituros esse professi sunt: is quidem, cum prætor ex lege Sullæ fuisset; Pompeius autem, neque prætura, neque quæstura perfunctus, anno ætatis quarto et tricesimo.* Puto tamen legendum *sexto et tricesimo:* quod quisque intelliget, qui aut ortum aut obitum Pompeii cum primo consulatu ejus conferet. Duabus ergo legibus solutus est: una, quod prætnram non gesserat; altera, quod ante annos ætatis legitimos factus est. Quare merito pro Pompeio ait Cic. [pro l. Manil. c. 21.] 'Quid tam singulare, quam ut ex S. C. legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset?' *Sigonius.* Locum sola interpunctione, frustra sudante Sigonio, sic sanabam, divisa una voce *sicut* in duas: *M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti sunt sic, ut Pompeius, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano.* Pighius in Annal. ad a. IↃCLXXXIII. p. 310. Locus hic stigmatus est, et asterisco notari jussus Caroli Sigonii auctoritate: cujus viri etsi summa est apud me, ut esse debet, auctoritas, tamen fas sit interdum sine malevolentia dissentire. Si legas, et interpungas, voce *sicut* diducta in duas *sic, ut*, planus erit sensus; tametsi non inficior, verum esse, quod Sigonius adjicit, *ut Crassus ex prætura.* Dein evincit librorum, quos Carolus adhibuit, fides, qui *facti sic* integre præferunt, ut divisam appareat dictionem, sensu plano. *A. Schottus,* Obs. Human. III. 6. Totum hoc [*ut Crassus ex prætura, sic*] de conjectura interposuit Sigonius, cujus nullum aliud habet argumentum, quam quod in veteri libro invenit *facti sic*, pro *facti sunt.* Mihi vero videtur, cur de Crasso adderet hoc auctor, caussam nullam habuisse, cum ille per eosdem gradus et articulos productus sit, per quos omnes vulgo. Delendum potius aliquid, quam infulciendum, hoc modo: *consules facti (Pompeius, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano) tribuniciam potestatem restituerunt.* J. F. Gron. Et supplementum, quod interponit Sigonius, et ejectio vocis *sicut*, quæ placet Gronovio, nullius codicis testimonio firmatur. Nec facile quemquam probaturum puto, quod Pighio et mox Schotto in mentem venit, quum ita vix sensus constat. In eo etiam Schottus erravit, quod locum auctoritate Sigonii asterisco notatum scribat, quum Frobenius din ante Sigon. a. 1531. eum adposuerit, et reliqui post Frobenium editores servarint usque ad Sigonium; qui, asterisco sublato, plures ex conjectura voces substituit. *Consules facti, sicut Pompeius* præferunt Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. sed egregie *consules facti, sed Pompeius* Leid. Hinc, recepta Gronovii distinctione, legendum est, *M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti (sed Pompeius, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano) tribunitiam potestatem restituerunt.* Quod etiam in contextum recipere non dubitavi.

Per M. Aurelium Cottam] Lege *L. Aurelium.* Pædianus enim pro Cornelio: 'Fuerunt tres fratres C. M. et L. Aurelius Cotta, is qui lege sua judicia inter tres ordines communicavit, adeptique sunt omnes consulatum.' *Sigonius.* Post decem annos, quam a Sulla equitibus ademta, et ad senatum translata fuerant. Nam tot annos numerat Cicero Act. I. in Verr.

c. 13. a lege Sullæ ad eum, quo ipse Verrem accusavit, id est, ad annum IↃCLXXXIII. Pompeio et Crasso, utroque primum, consulibus; quo anno Cottam legem de judiciis promulgasse, e lib. II. in Verr. c. 71. III. 96. et V. 69. constat. Quod autem hic judicia per Cottam 'ad equites Romanos translata' dicuntur, non habet hanc sententiam, post legem Aureliam solos equites judices fuisse, ut post legem C. Gracchi, qui judicia a senatu ad equites transtulerat. Certum enim est, lege Aurelia judicia inter tres ordines, senatum, equites, et tribunos ærarios, communicata fuisse. Hoc ex Asconio in Divinationem Ciceronis in Cæcilium c. 3. ad Orat. in Pison. cap. 39. et ad Cornelianam dudum docuerunt Budæus ad l. 18. § 14. D. de Munerib. et Manutius de Legib. Rom. c. 15. et etiam ex eo apertum est, quod Cic. Philipp. I. 8. centurionibus quoque in tertia decuria judicum lege Aurelia judicatum patuisse dicit. Et ex ea deinde per multos annos lectos fuisse, qui res judicarent, ostendunt exempla judiciorum apud Cic. ad Att. I. 16. ad Q. Fratr. II. 5. et 16. et apud Ascon. ad Orat. pro Scauro et Milon. in extremo. Julius Cæsar demum, teste Sueton. in vita illius c. 41. sublatis tribunis ærariis judicia ad duo genera judicum, senatores et equites, redegit: quod ab illo post victoriam de Scipione et Juba factum tradit Dio lib. XLIII. p. 226. Hæc igitur quum sine controversia vera sint, quæri potest, quid sit, quod auctor Epit. Liv. hic scribit, judicia per L. Aurelium Cottam 'ad equites Romanos translata' esse? Nam 'judicia transferri' dicuntur, quum ademta ordini, e quo solo judices antea legebantur, ita ad alium ordinem transferuntur, ut deinde ex eo, penes quem ante fuerant, nemo judex esse possit. Cicero Act. I. in Verr. c. 13. de Sulla: 'Inter decem annos, posteaquam judicia ad senatum translata sunt.' Et ibid. 'Judiciis ad senatorium ordinem translatis.' Florus III. 13. § 8. de C. Graccho: 'A senatu in equitem translata judiciorum potestas.' Velleius II. 6. de eodem, 'Judicia a senatu transferebat ad equites.' Idem II. 14. de Druso: 'Quum judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem cuperet:' et c. 32. 'Munus judicandi, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtulerant.' Anton. Augustinus in libro de Legibus sub lege Aurelia in Epitoma non male scriptum dicit, *judicia per Cottam ad equites Romanos translata* esse, quum majori ex parte equites judicarent. Sed hoc testimoniis scriptorum veterum confirmandum fuisse puto. Magis huc pertinet, primum, quod 'judicia' non semper eadem significatione transferri dicuntur. Nam ita Cic. Act. I. in Verr. cap. 8. ad hanc legem respiciens, 'Etenim quis poterit,' inquit, 'Verre absoluto, de transferendis judiciis dubitare?' in I. Verr. c. 2. 'Desinemus nos de judiciis transferendis recusare.' Et ibid. c. 8. 'Ut judicia a vobis' (senatoribus) 'auferantur.' Deinde quod Cicero quoque Divin. in Cæcil. c. 3. Act. V. in Verr. c. 69. et Ascon. ad Act. I. in Verr. c. 1. quæ loca observavit Manutius, de hac lege agentes tantum unum ordinem memorant, quasi Cotta eum solum res judicare voluerit, aut is solus post legem illius judicaverit. Nec Cicero his locis tantum ita loquitur, verum etiam Act. I. in Verr. 16. II. Verr. 71. et III. Verr. 96. ubi ita scriptum est: 'Quid possumus contra istum prætorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui rempublicam negat sistere posse, ni ad equestrem ordinem judicia referantur?' Sic post Ciceronem Tacit. Annal. XI. 22. 'Post lege Sullæ viginti' (quæstores) 'creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat, et quam-

quam equites judicia recuperavissent, quæstura tamen,' &c. Et Plutarch. in Pompeio de primo illius consulatu: *Τὰς δίκας περιεῖδεν αὖθις εἰς τοὺς ἱππέας νόμῳ μεταφερομένας.* Quapropter eo minus mirum videri debet, interdum tantum duos ordines, senatorium et eqnestrem, nominari, et tribunos ærarios præteriri. Hoc e Cic. pro Cluent. c. 43. ostendit, et ex eo Velleium, qui II. 32. Cottam 'munus judicandi æqualiter inter utrumque ordinem partitum' fuisse scribit, ita interpretatur Manutius, enm tribunos ærarios non nominasse quidem, sed tamen non exclusisse. Hanc interpretationem loci Velleiani veram esse, et etiam eo confirmari posse arbitror, quod Cicero in eadem Orat. c. 47. L. Gellio et Cn. Cornelio Lentulo censoribus, id est Pompeio et Crasso consulibus, judicia 'cum ordine equestri' communicata esse dicit, nec mentionem tribunorum ærariorum facit. Ad hæc si animum advertisset Lipsius, abstinuisset, credo, conjectura in Velleio, nec, pro *inter utrumque ordinem partitus est*, legendum putasset *inter ordines partitus est.* Quod autem Velleius Cottam 'munus judicandi æqualiter inter utrumque ordinem partitum' fuisse tradit, haud scio an ita accipi possit, enm ex utroque ordine parem numerum judicum legi voluisse. Nec tamen aliud hujus opinionis argumentum habeo, quam quod id videtur colligi e numero judicum ex utroque ordine in judiciis, qnæ ad Orat. Ciceronis pro Scauro et pro Milone memorat Asconius. *Duk. Per M. Aurelium Cottam*, ut ante Sigonium edebatur, servant Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv.

LIB. XCVIII.

Lachares filius Mithridatis] Vet. lib. *Machares.* Dio XXXVI. p. 25. *Μαχάρης. Sigonius. Bacares* Boend. *Jachares* Norv. *Maccares* ed. Camp. *achares*, omissa prima litera, et relicto spatio, ubi deinceps minio pingeretur, edd. reliqnæ usque ad Ascensium, qui primus vulgatum procudit. Sed recte *Machares* restituit Sigonius: neque aliter est in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Hoc etiam nomine passim apud alios vocatur. Ita apud App. in Mithrid. p. 216. ubi a patre Mithridate Ponti rege regem Bospori constitutum refert, et p. 241. ubi mortem ejus narrat: apud Plutarch. in Lucull. p. 507. ubi in amicitiam Lucnlli receptum memorat: et apud Oros. VI. 5. Mithridates 'Exipodram filium suum interfecit, quum antea jam alium, Macharem nomine, parricidio trucidasset.' Ita Fabricius id nomen, quod in prioribus edd. varie corruptum erat, ex Mss. et auctoribus Græcis restitnit. Et ita emendandus Freculph. in Chron. part. II. lib. VII. c. 3. ubi perperam nunc legitur *cum ante jam Aliomacharem.* Mox *ab L. Lucullo* Gronov. 1665. edidit; quum antea fuerit *a L. Lucullo;* quod servant Boend. et, teste Hearnio, Exc. Pithœi, ac Norv. *ab Lucullo* legit Lov. 2. *a Lucullo* Berg.

C. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt] *Cn. Lentulus*, ut ante. *Sigon.* Ita est in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et nonnullis edd. antiqq. nisi quod quædam earum legant *Gn. Lentulus.* Male *C. Lentulus* præferunt Boend. et ed. Campani. Dein *L. Lelius* perperam Leid. et Berg. Nec melius *C. Gellius* edidit Doujatius, quod tamen Clericus et Crevierius servarunt. At *Cn. Lentulus et L. Gellius* in consulatu et censura collegæ sæpius memorantur. Vide Pigh. in Annal. ad a. IↃCLXXXI. p. 307. et a. IↃCLXXXIII. p. 311. Consules memorati sunt supra Epit. lib. XCVI. Deinde *censuram gesserunt* Boend. et ed. Camp. sed invitis reliquis scriptis et editis. Adscribenda igitur lectio illa errori librariorum,

qui passim hæc verba confuderunt. Vide ad XXII. 28. § 1. Mox *quatuor et quadraginta*, vel *IV. et XL. senatu motis* Berg.: vide ad Epit. præc. *quatuor et sexaginta e senatu motis* Lov. 2. *quatuor et sexaginta a senatu motis* ed. Camp. Sed vide ad XXXIX. 42. § 5. *Quatuor et sexaginta senatores moverunt* Voss. At passim obcurrit locutio 'movere senatu,' numquam vero 'movere senatorem,' pro movere eum senatu.

A quibus lustrum conditum est. Censa sunt] Vet. lib. *a quibus, lustro condito, censa sunt.* Sigon. Pariter Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia] Ὑπερβολικῶς vet. lib. *DCCCCL. millia.* Delrius. Phlegon Trallianus in fragmentis Synagoges Olympiorum in Biblioth. Photii cod. XCII. scribit, anno tertio Olympiadis CLXXVII. id est, a. IↃCLXXXIII. his censoribus 'nonaginta et unam myriadas,' quæ 'nongenta et decem millia' sunt, Romanorum censas fuisse. Hujus auctoritate Rualdus ad Plutarch. Animadv. XXCV. Is. Vossius in Observationibus confirmari putant scripturam librorum, qui hic *IↃCCCL.* (ita Rualdus, Vossius *IↃCCCC.* Lipsius Elect. I. 27. et unus Ms. Hearnii *IↃCCCCL.*) *millia* habent. Addit Rualdus ex Epit. lib. LX. quum jam ante multos annos, puta, a. IↃCXXVIII. non multo minus *CCCC. millia* censa, ac deinde socii in civitatem recepti fuerint, numerum civium per annos paullo minus LX. omnibus rebus florentissimis, facile tantum potuisse crescere. Hæc etsi probabiliter disputari videntur, tamen scriptura editionum, quæ hic *CCCCL. millia* exhibent, nonnihil præsidii in eo habet, quod Eusebius in Chronico prodidit, anno quarto Olympiadis CLXXIII. descriptione Romæ facta, inventa fuisse hominum CCCCLXIII. millia. Nam, quum census ille non alius esse possit, quam qui L. Marcio Philippo et M. Perperna censoribus actus est, ut Scaliger ad Euseb. et Pighius in Annal. ad a. IↃCLXVII. adnotant, vix credi potest, quindecim annis, qui inter horum et Lentuli ac Gellii censuram interfuerunt, numerum civium prope 'quadringentis millibus' capitum auctum fuisse. Civitate Italicis data, quod ante a. IↃCLXVII. factum est, multum crevisse numerum civium, quo argumento, præter locum Phlegontis, præcipue nititur Rualdus, facile concedi potest. Sed hoc quoque considerandum est, bellis, quæ paullo post a. IↃCXXXVIII. quo censa fuisse civium capita 'CCCXCIV. millia, trecenta triginta sex' ex Epitoma l. LXIII. constat, fere continua usque ad a. IↃCLXXXIII. et censuram Lentuli et Gellii gesta sunt, incredibilem multitudinem, tam Romanorum, quam Italicorum, periisse. Bello Cimbrico quinque consulares exercitus victos, et uno prœlio LXXX. millia civium et sociorum cecidisse, testantur historici. Bello sociali amplius CCC. millia juventutis Italicæ absumpta prodit Velleius II. 15. Bello civili, quo Italicorum et civium alii a Marii, alii a Sullæ partibus stabant, Mithridatico, quo uno die CL. millia Italici sanguinis, civium ac sociorum, trucidata sunt, servili in Sicilia, et gladiatorio, quanta strages hominum facta sit, e scriptoribus, qui prœlia bellis illis pugnata, et sæpe numerum ex utraque parte exsorum referunt, intelligi potest. Unde non valde mirum videri debet, neque a. IↃCLXVII. vixdum exstincto bello sociali, amplius quam CCCCLXIII. millia, neque a. IↃCLXXXIII. post finita anno priore bella civilia et gladiatoria, plus CCCCL. millia civium censa fuisse. Non decerno, utrum in Photio et libris Epitomarum Livii, quorum scripturam probat Rualdus, an in Eusebio et vulgatis libris Epitomarum corrupti sint numeri; sed hoc tantum ostendere

volui, dubitari posse, an satis certa sint, quæ de tot myriadibus civium hoc tempore censis dicuntur. Rualdus etiam in eo non nihil servit sententiæ, quam tuetur, quod ex Epitoma lib. LX. scribit, quum jam an. IↃCXXVIII. fere CCCC. millia civium (*CCCXC. millia septingenta triginta sex* habet Epitoma) censa fuerint, populum Romanum, omnibus rebus florentissimum, per annos paullo minus LX. non difficile in illam multitudinem excrescere potuisse. Primum enim, quo probabilius faceret, tot annis plurimum augeri potuisse sobolem stirpis Romanæ, maluit ex Epit. lib. LX. eligere a. IↃCXXVIII. quam ex Epit. lib. LXIII. a. IↃCXXXVIII. quo paullo plus CCCXCIV. millia censa fuerunt; ne, si XLV. annos dixisset, qui ab hoc anno ad a. IↃCLXXXIII. fluxerunt, minus credibile esset, iis numerum civium plus altero tanto crescere potuisse, qui ab a. IↃCXXVIII. ad a. IↃCXXXVIII. nondum quatuor millibus auctus fuerat. Deinde frustra jactat florentissimas illis annis res Romanas, quibus assiduis bellis et multis gravissimis cladibus tantam multitudinem civium interiisse constat; ut mirum videri possit, eorum his censoribus *CCCCL. millia* superfuisse. Grævius quidem in Præfatione tom. I. Antiq. Rom. ita scribit, ut non videatur credidisse, rationem librorum habendam esse, qui hic numerum civium in immensum augent. Sed Rualdo præivit Lipsius, qui Elect. I. 27. ad bonam causam defendendam (vide Epitom. l. CXV.) undique argumenta conquirens, certis et gravibus hoc quoque dubium et leve admiscet. *Duk.* Omnes editi vulgatum constanter servant: id contra in nullo cod. superest: *civium capita DCCC.* legit Lov. 2. *civium capita nongenta millia* Leid. et Voss. *civium capita DCCCCL*^{m}. Berg. Boend. et Exc. Pithœi.

L. Metellus prætor in Cilicia adversum piratas prospere rem gessit] Scribe *Sicilia.* Hic est enim Metellus, qui Verri in Sicilia successit. Pædianus. *Sigon.* Prænomen omittit Berg. quod a præcedente numeri quinquagenarii nota interceptum est. Tum *in Cicilia* Lov. 2. *in Sicilia* Voss. Leid. Berg. Exc. Pithœi, et omnes typis inpressi usque ad Frob. qui a. 1535. ejus loco substituit *in Cilicia.* Male. Oros. VI. 3. 'Metellus, Siciliæ prætor, quum fœdissima illa C. Verris prætura Siciliam adflictam invenisset, maxime Pyrganione archipirata nefariis prædis et cædibus dilacerante, qui, pulsa classe Romana, Syracusanum portum obtinuerat, quem mox navali terrestrique prœlio comminutum Sicilia decedere compulit.' *In Siciliam* legit Boend. Sed vide ad Epit. l. LXXXIV. Deinde *adversus piratas* Leid. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLVII. et infra hac Epit. *In Sicilia bellum prospere gessit* Voss.

Quod incendio consumtum erat, refectum a Q. Catulo dedicatum est] Vet. lib. *quod incendio cons. ac refectum erat, a Q. C. dedicatum est.* Sigonius. Ita etiam omnes Mss. nostri, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Prior lectio innuit Catulum non modo 'dedicasse' Capitolium, sed 'refecisse:' idque verum est. Hinc 'curator restituendi Capitolii' vocatur apud Gell. II. 10. Hinc etiam Cæsar apud Suet. ejus vita c. 15. 'Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit, rogatione promulgata, qua curationem illam in alium transferebat:' qui deinde actionem hanc deposuit. An tamen ideo codd. lectio præferenda est, quia Capitolii refectio ante Catulum Sullæ data est, quo, antequam absolveret, mortuo curam hanc Catulus accepit? Vide Tacit. Hist. III. 72. Deinde vox *quod* deest in Voss. et Exc. Pithœi. Id si placet, locum ita distingue: *Templum Jovis in Capitolio (incendio consumptum ac refectum erat) a Q. Catulo dedicatum est.*

Insuper *ab Q. Catulo* Gronov. 1665. edidit, et recentiores servarunt. Antea legebatur *a Q. Catulo;* quod superest in omnibus scriptis meis, Exc. Pithœi, et Norv.

Et immensas utriusque regis copias] Voss. et Gudiani *ingentes*. J. F. Gron. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani: quod recepi. Vide ad Epit. l. LI.

Multis certaminibus fudit] Vet. lib. *pluribus prœliis*. Sigon. Eamdem lectionem præferunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Idem etiam voluerunt Exc. Pithœi. Sed ibi librarii errore datum est *floribus prœliis*. ' Multi' et ' plures ' alibi quoque confunduntur. Vide ad Epit. lib. LXXX. Similiter ' certamen ' et ' prœlium ; ' vide ad Epit. l. CXXIX.

Bello sibi adversum Cretenses mandato, Cydoniam] Pronomen *sibi* deest in omnibus scriptis meis: qui cum ed. Campani præferunt *adversus Cretenses*. Vide supra hac Epit. Dein, pro *mandato Cydoniam*, una voce, scribæ errore, *Macedoniam* legit Voss.

L. Triarius, legatus Luculli] Triario prænomen *Cnæus* tribuit Berg. at *Caius*, vel *Gaius* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. usque ad Gruterum, qui in ultima ed. reposuit *L. Triarius*. In eo secutus est Pighium, ita emendantem in Annal. ad a. IↃCLXXII. p. 267. Verum *L. Triarium* quæstorem urbanum memorat quidem Cic. in Verr. I. 14. eum tamen Luculli legatum hoc tempore fuisse, vel legatum Luculli ' Lucii ' prænomen habuisse, non constat. Certe Ascon. in Arg. Orat. Cic. pro M. Scauro, Appian. in Mithrid. pag. 231. Plutarch. in Lucull. p. 515. in Pomp. p. 639. quæ loca Pighius laudavit, et Dio Cass. XXXV. pagg. 4. et 5. omisso prænomine, eum simpliciter ' Triarium ' vocant. Contra Γάϊος Τριάριος, qui ἐτείχισε τὴν Δῆλον, memoratur Phlegonti Trall. apud Photium in Bibl. p. 147. quem verisimiliter Luculli legatum refert Freinsh. in Supplemento hujus lib. cap. 88. Priscam igitur lectionem revocavi.

Lucullum, ne persequeretur, &c.] *L. Lucullum* Berg. Tum *ne sequeretur* Voss. *Lucullus ne persequeretur Mithridatem, seditio militum tenuit*, reliquis omissis, Leid.

Qui sequi nolebant, quia legiones Valeriæ, impleta] Veteres libb. *id est, legiones Valerianæ, quæ impleta a se stipendia dicentes*. Sigon. Gud. uterque *quia sequi eum nolebant, id est, quia legiones Valerianæ, impleta ab se stipendia dicentes*. Dio XXXV. 6. Οἱ γὰρ Οὐαλέριοι οἱ τῆς τε στρατείας ἀφεθέντες, καὶ μετὰ τοῦτ' αὖθις στρατευσάμενοι ἐκινήθησαν. Et rursus p. 7. Καὶ οἵ γε Οὐαλέριοι, μαθόντες ὅτι τῆς στρατείας παρὰ τοῖς οἴκοι τέλεσιν ἀφεῖνται, παντελῶς ἀπεχώρησαν. *J. F. Gronov. Legiones Valerianas* dicit duas illas, quas, a L. Valerio Flacco consule a. IↃCLXIX. in Asiam adductas, Valerio occiso, Fimbria occuparat. Eas deinde Sulla, ex Asia discedens, ibi cum Murena reliquerat, et Lucullus postea exercitui suo junxerat. Vide Appianum in Mithrid. pagg. 204. 210. et seqq. et Dousam ad Sallust. Histor. lib. v. Earum contumaciam et seditiones Plutarchus quoque in vita Pompeii refert. *Duk.* Lectionem, quam Sigonius ex vett. libb. produxit, in Exc. Pithœi superesse, Hearnius monuit, *Quia sequi nolebat, id est, quia legiones Valerianæ, quæ impleta a se stipendia dicentes Lucullum reliquerunt* legit Berg. *quæ sequi nolebant, id est, quæ legiones Valerianæ quod impleta a se stipendia dicentes Lucullum reliquerunt* Voss. *quia sequi nolebant, id est, quia legiones Valerianæ, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt* Leid. Lov. 2. et Berg. *Valeriæ*, quod in capite Scholii Sigoniani legitur, ex errore operarum ibi ortum videtur: in nullo enim, vel manu, vel typis descripto, libro obvium fuit. Omnes servant *Valerianæ*.

LIB. XCIX.

Gnosson, et Lyctum, et Cydoniam] Copulam priori loco omittit Boend. Sed vide ad Epit. l. XLVI. In nominibus urbium magis variant libri. *Cinoson* legit Boend. *Corson* Voss. quæ indicare videntur olim *Cnoson* scriptum fuisse. *Gnosum* est in Lovel. 2. *Gnoson* in Leid. Berg. Exc. Pithœi, Norv. omnibusque edd. ante Gronov. qui a. 1665. *Gnosson* dedit. Vide ad XXXVII. 60. § 3. Tum *Liciam* Voss. *Licion* Berg. *Litium* Lov. 2. et Boend. *Licium* Leid. *Lycium* Exc. Pithœi, et ed. Campani: *Lyctium* Norv. et pleræque reliquæ edd. usque ad Moguntinos, qui recte *Lyctum* ediderunt. Tandem *Adoniam* Vossian. *Sidoniam* Boend. Mox *plurimas urbes*, pro *civitates*, Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Campani; quod tot testium auctoritate prætuli. Voces 'urbs' et 'civitas' etiam commutantur a librariis I. 59. § 6.

L. Roscius tribunus plebis] *L. Rosius* Lov. 2. Norv. et plures edd. vett. *L. Rostius* Berg. et Boend.

Quatuordecim gradus proximi] Non intelligo quomodo *gradus proximi* dici possint, ubi antea non significatum est, quid illud sit, cui proximi fuerint. Duplex conjectura mihi in mentem venit. Una, excidisse aliquid, v. g. 'orchestræ,' e qua senatus spectabat: nam huic proximi erant quatuordecim gradus, lege Roscia equitibus in theatro adsignati. Unde Petronius cap. 126. 'Usque ab orchestra,' inquit, 'quatuordecim transilit, et in extrema plebe quærit, quod diligat.' Altera, quæ probabilior videtur, pro *proximis* legi posse *primis*: primi enim post orchestram erant quatuordecim gradus, e quibus spectabant equites; quos etiam 'sedilia prima' dicit Horat. Epod. IV. 15. 'Sedilibusque magnus in primis eques, Othone contemto, sedet.' Nam quod ibi scholiastæ veteres de sedilibus tribunorum commenti sunt, merito explosit Pet. Faber Semestr. II. 6. 'Primus' autem et 'proximus' etiam in Livio et Suetonio permutari, adnotarunt Jac. Gronov. ad Livium II. 33. P. Burmann. ad Suet. Cæs. c. 50. et Drakenb. ad Liv. V. 47. *Duk.*

Persequi piratas jussus] *Prosequi* Voss. Berg. Boend. et edd. Campani, ac Rom. 1472. Verba hæc in Mss. Livii commutantur innumeris in locis, quæ cumulare operæ non est. Vide Bentl. ad Hor. Sat. I. 9. 16. Burm. ad Ovid. Met. IV. 151. Bronkh. ad Tib. I. 9. 28. Corte ad Plinii IV. 9. § 21. Torren. ad Valer. Max. III. 2. princ. et viros doctos ad Suet. Cæs. cap. 27. Mox *interclusus erat*, pro *intercluserant*, obvio errore, Voss. Vide ad Livii XXIII. 29. § 16.

Intra quadragesimum diem toto mari eos expulit] *Intra LX. diem* Boend. De hac varietate notæ numeralis vide ad Epit. l. XCVII. Quod vulgo exstat, firmatur testimonio Flori III. 6. 'Quid prius mirere in hac victoria? velocitatem, quod quadragesimo die parta est? an felicitatem?' ubi vide Freinsh. Alii tamen longius paullo temporis spatium bello conficiendo Pompeium impendisse narrant. Id enim 'intra paucos menses' ingenti felicitate et celeritate confectum dicit Eutrop. V. 12. ubi vide Cellar. Eodem anno, quo cœptum est, etiam finitum fuisse, refert Dio Cass. XXXVI. 81. Πᾶσαν ἅμα τὴν θάλασσαν, ὅσην οἱ καταποντισταὶ ἐλύπουν, τὰ μὲν αὐτὸς, τὰ δὲ καὶ διὰ τῶν προστρατήγων περιέπλευσε, καὶ τὰ πλείω αὐτοετὲς ἡμέρωσε. Pronomen *eos* ignorat Voss. Mox *bello quoque* Leid. et Boend. Vide ad Livii l. V. c. 27. § 1. Præterea *in Cicilia* Lov. 2. *in Sicilia* Boend. et edd. Rom. princeps, teste Hearnio, ac Campani. Vide ad Epit. l. LXVIII.

Res gestas a Q. Metello adversus Cretenses] Vocabulum *gestas* exsulat a Norv. et plerisque edd. antiqq. nisi quod in ed. Campani invenerim. Ad-

didit deinde ed. Paris. 1573. et post eam recentiores omnes servarunt. Superest etiam in omnibus scriptis meis. In sequentibus *et epistolas Cn. Pompeii et Metelli missas in vicem* legit Leid.

Queritur Metellus, gloriam rerum a se gestarum a Pompeio sublatam præteriri] Et Voss. et Gudiani ignorant τὸ *sublatam*. Ergo pro *præteriri* fac *intercipi*. Duo tamen *gloriam sibi rerum*. Ita forte melius foret *præripi*. J. F. Gronov. *Queriturque Metellus* Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. *queriturque*, sequenti voce omissa, Voss. *queritur Q. Metellus* Exc. Pithœi. Vide ad XXII. 31. § 7. Tum *sibi gloriam rerum a se gestarum a Pompeio sublatam præripi* ed. Camp. *gloriam sibi rerum a se gestarum a Pompeio præteriri* Lov. 2. et Boend. *gloriam sibi rerum gestarum a Pompeio præripi* Berg. quod recepi. Mox *ad accipiendum urbium deditiones* Boenderm. Vide ad Livii XL. 49. § 1.

Pompeius Romæ rationem reddit] *Romæ* supervacaneum, præsertim cum dicat, per epistolas rem esse actam. Abest certe a vet. libris. *Sigon.* Abest etiam a Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Tum *reddidit* Boend. Ita passim librarii syllabæ *di* vel additione vel omissione in hac voce variant in Mss. Vide ad II. 15. § 6. III. 26. § 2. c. 60. § 5. XXVIII. 8. § 6. XXXVIII. 13. § 4. Idem in *tradit* ac *tradidit* obvenisse, vidimus ad Livii XXXIV. 29. § 13.

LIB. C.

C. Manlius tribunus plebis] *C. Manilius*. Cicero pro lege Manilia. *Sigon. Cum Manlius tribunus* Vossian. Berg. Lov. 2. et Boeud. *Manlius* etiam Leid. Exc. Pithœi, et Norv. Vide ad XXXIV. 53. § 2. Mox *indignatione maxima* Exc. Pithœi, Norvic. et edd. ante Gronov. qui an. 1665. reposuit *magna indignatione*. Ejus autem lectio superest in omnibus scriptis meis, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. L.

Ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur] Ita Gronov. a. 1665. edidit, cui consentiunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Antea circumferebatur *bellum Mithridaticum;* quod superest in Exc. Pithœi, et Norv. In verbis seqq. *Concio ejus bona* aliquid vitii latere suspicatur Crevier. sed rem parvi esse testatur.

Domitis Cretensibus] Vet. lib. *perdomitis Cretensibus*. Sigonius. Pariter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. *Domitius* corrupte Boenderm. et ed. Campani: *domitis* Voss. et Norv.

Liberæ in id tempus insulæ leges tulit] Vet. lib. *dedit*. Quo verbo et Cicero et alii in hoc genere utuntur. *Sigon. In id tempus usque liberæ* Boend. et ed. Camp. quod ex librariorum interpolatione natum videtur. Sufficit *in id tempus*, pro 'usque ad id tempus.' Ita Liv. XLIV. 2. 'Itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum castra posituri erant, deliberatio ejus rei differtur.' Vide Dukerum ad Flori Præfat. in princ. Dein *legem tulit* Norv. et priscæ edd. pro quo Frob. 1535. reposuit *leges tulit*. Sigonius *leges dedit*. Et ita Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Liv. XLV. 30. 'Quanta universos teneat Macedonas formula dicta, quum leges quoque se daturum ostendisset:' cap. 32. 'Leges Macedoniæ dedit cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis, dare videretur.' Cic. in Verr. II. 49. 'C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum sententia Halesinis leges dedit:' et cap. 50. 'Leges similes de cooptando senatu, ac de numero veterum ac novorum dedit.'

Ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus] *Ad regendum bellum* Doujatius et Clericus ediderunt, invitis omnibus libris. Vox *profectus*

deest in Boend.

Cum rege Parthorum Phraate] *Pretogure* et mox *Pregarem* Voss. *Pharaarete* et *Pharaaretem* Boend. *Pharaarate* et *Pharaaratem* ed. Campan. *Pharte* et *Phartem* Berg. *Phracate* et *Phracatem* Lov. 2. *Phraharte* et *Phrahartem* Norvic. et edd. principes. *Phrahate* et *Phrahatem* postea secutæ; quomodo apud Justin. Tacit. et alios editur, et optimi codd. Horatii præfernnt, teste Torrent. ad Horat. Ep. I. 12. 27. Vide etiam Cruqoium ad Horat. Od. II. 2. 17. *Phraate* et *Phraatem* ed. Mognnt. quod omnes recentiores servarunt, et in novissimis Horatii edd. obtinet.

Regem Parthorum, et Tigranem Armeniorum regem, ac demum inter filium] Vet. lib. *Tigr. Arm., ac deinde inter filium.* Sigonius. Gudiani, *Phraatem Parthorum regem et Tigranem Arm., ac deinde.* J. F. Gron. *Parthorum regem, et Tigranem regem Armeniorum* Voss. Boend. et ed. Campani. *Parthorum regem, et Tigranem Armeniorum* Berg. et Lovel. 2. *Parthorum regem* etiam Leid. sed in eo desnnt voces *Armeniorum regem, ac deinde inter Tigranem* errore librarii ob repetitionem vocis *Tigranem.* Vide ad IX. 11. § 11. In edd. Sigonii altera ac tertia omittitnr τὸ *Parthorum*, quod etiam exsnlat ab Exc. Pithœi.

Ac deinde inter Tigranem filium patremque] *Ac deinde*, qnod pro *ac demum* Sigonius admisit, superest in Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Vide ad Livii XL. 22. § 1. Præterea *inter filium Tigranemque patrem* Voss. *inter filium Tigranem patremque* Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et typis descripti ante Gronov. qui edidit *inter Tigranem filium*, nt præfert Berg.

LIB. CI.

Bosporum profugere] Voss. et Gud. alter *Bosporon.* Ut Cypron, Isthmon, Corinthon. *J. F. Gronovius.* Terminum Græcum servant etiam Leid. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norvic. et edd. ante Elzevirianam Dan. Heinsii, quæ *Bosphorum* dedit. Vide ad Epit. l. LII.

Eique, ademtis Syria, Phœnicia, Cilicia, regnum Armeniæ restituit] *Phœnice* vet. lib. Sigon. *Etque*, pro *eique*, Vossian. *atque* Leid. et Berg. Tum *ademta* Boend. Deinde *Fenicia* idem Boend. *Phœnicia* Norv. et edd. ante Sigonium, qui snbstituit *Phœnice*: nec aliter legnnt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Observant viri docti, melioris ævi scriptores Latinos *Phœnicen*, non *Phœniciam*, dixisse. Vide Ferrar. ad Cic. Philipp. XI. 13. Jac. Gronovium ad Pomp. Melæ I. 12. et Cellar. Geogr. Ant. III. 12. 271. *Phœniciam* dixisse Martian. Capell. lib. VI. observat Relandus Palæst. I. 9. Eadem vox in lapide, qui tempore Septimii Severi sculptus est, obcurrit apnd Gudium in Inscript. p. LXIX. n. 1. Licet igitur forte ætate, qua vixit anctor Epitomarum, in nsu fuerit; alteram tamen recepi partim codd. fide, partim qnod anctor eam ex ipso Livio hausisse videtur. Tandem *et Cilicia* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Grnterum, snblatæ copulæ anctorem, quæ etiam ab omnibns Mss. meis exsulat.

Qui in petitione consulatus ambitus damnati erant] Hi erant P. Antronius et P. Sulla, qnibus Dio XXXVI. 21. socios conjurationis addit Catilinam et Cn. Pisonem, et alii apnd Sueton. Cæs. c. 9. etiam Crassum et Cæsarem. Crassum a Cicerone argui anctorem conjurationis, quæ a Catilina et Pisone facta est, scribit Asconius ad princip. Orat. Cic. in Toga Candida. *Duk.*

Iberos, Albanos, qui transitum minime dabant] Vet. lib. *Albanosque, qui transitum non dabant.* Sigon. Eadem lectio superest in Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed.

Camp. Copula *que* intercepta erat a sequenti pronomine *qui*. Alia exempla vide ad II. 59. § 11. III. 50. § 11. et XXXIX. 19. § 6. Passim etiam *minime* pro *non* in his Epitomis datum esse, vidimus ad Epit. l. XLIX.

Per Colchos, Heniochosque, et res ab eo in Bosporo gestas] Ita primi vulgarunt Moguntini, nisi quod *Hemochosque* vulgatum sit errore operarum, quem servarunt proximi, et demum Froben. emendavit, *Heniochosque* reponens. Antea edebatur *Ethnicosque*, quod superest in Norvic. Sed *Etnichosque* legunt Exc. Pithœi: *et Ethnicos* Leid. *Ervicosque* Vossian. *Ernicos*, omissa copula, Lovel. 2. *et Hernicos* ed. Camp. *Hernicosque* Boenderm. *et Thrachas* Berg. *Heniochos* his oris memorant omnes geographi. Eosdem etiam inter populos, quos Mithridates transiit, quum a Pompeio victus in Bosporon aufugeret, recensent Appian. in Mithrid. p. 241. et Aurel. Vict. in Vir. Inlustr. c. 77. Præterea *in hospitio*, pro *in Bosporo*, Leid. Dein *prospere gestas*, addita priori voce, Boend. et ed. Camp.

LIB. CII.

Parum profecisset ad mortem] Duæ ultimæ voces desunt in Leid. *parum profecisset morte* legit Voss. Sed nihil mutandum. Liv. XXXI. 34. 'Philippus aliquid et ad caritatem suorum, et ut promtius pro eo periculum adirent, ratus profecturum se.' Cic. ad Att. VII. 13. 'Ad summam profectum aliquid puto:' de Finib. III. 4. 'Multumque ad ea, quæ quærimus, explicatio tua ista profecerit.' Curtius IX. 10. 'Tantum singulis ad spem salutis ipsos proficere credentibus.' Florus IV. 9. 'Nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Cæsar.' Similiter Celsum et Scribonium Largum locutos esse, docet Rhodius in Indice Scriboniano voce 'Proficit.' 'In aliquid proficere' Livius alibi sæpe dixit. Vide ad III. 61. § 12. Paullo ante *Ab eo pater obsessus in regia* Voss.

A milite Gallo, nomine Bithoco] *Bitæto* repono ex Appiano in Mithrid. p. 248. Βίτοιτον οὖν τινα ἰδὼν ἡμεμόνα Κελτῶν, Πολλὰ μὲν ἐκ τῆς σῆς, ἔφη, δεξιᾶς ἐς πολεμίους ὠνάμην, ὠνήσομαι δὲ μέγιστον εἰ νῦν με κατεργάσαιο. Qui scripsit de Viris Illustribus cap. 76. 'Sithocum' nominat. *Sigon. Bitocho* ed. Camp. *Bitoco* Lov. 2. et Exc. Pithœi: *Bithocco* Norv. et edd. principes. *Bithoco* iis proximæ cum Leid. Berg. et Boend. *Biroco* Voss. *Bitæto* emendanti Sigonio consentiunt Fabric. ad Oros. l. VI. c. 5. et Schottus ad Anr. Victor. de Vir. Illustr. c. 76. Gallum hunc forte *Bituitum* vocatum esse, conjicit Gruterus ad d. loc. Aurelii Vict. Sane Βίτοιτος Appiani et Βιτούϊτος una tantum litera differunt: Appiani etiam interpres vocem Græcam reddit *Bituitus*. *Bituitum* Arvernorum regem memorat auctor Epit. l. LXI. de cujus tamen loci vera lectione non convenit.

A quo, ut juvaretur, petierat] Vet. lib. *a quo, ut adjuvaret se, petierat*. Sigon. Illud *juvaretur* demum obvium fuit in ed. Froben. Priores habent *adjuvaretur*, consentiente Norvic. *ut juvaret se* Lov. 2. *ut adjuvaret se* Leid. Berg. Boenderm. Exc. Pithœi, et ed. Campani; eoque ducunt vestigia Voss. qui errore librarii præfert *ut adjuraret se*.

Fanum eorum Hierosolymæ, inviolatum ante id tempus, cepit] Barber. et alter Gud. *Fanum eorum in Hierosolyma*. Sic apud Livium XLII. 26. legati Romani Ptolemæum dicuntur 'in Alexandria convenisse.' Cæsar B. Civ. II. 18. 'naves in Hispali faciendas.' Voss. *eorum Hierosolymam*. Gud. major *eorum iheresolymam*. J. F. Gronov. *Fanum eorum Hierosolymam* Lov. 2. et Norv. *fanum eorum Hierosolyma* Berg. Exc. Pithœi, et, teste

Hearnio, ed. prima Rom. *fanum eorum in Hierosolyma* Leid. Boend. et edd. priori proximæ usque ad Frob. 1535. in qua præpositio, sed forte culpa operarum, omissa est. *Hierosolymæ* demum exhibuit Francof. ed. 1578. Recepi igitur *in Hierosolyma*. Vide ad XLII. 26. § 7. Deinde *inviolatum ad id tempus* Leid. quod et ipsum non temere spernendum est, pro 'usque ad id tempus.' Liv. IV. 43. 'Ad id tempus patricii creati erant.' XLII. 21. 'Consules ad id tempus in provincias non exierant.' Eo sensu 'pugnare ad deditionem' l. VII. c. 19. 'ad undecimum interregem seditionibus certatum est' VII. 21. 'disciplina militari stetit ad hanc diem Romana res' VIII. 7. 'ab hora diei tertia ad octavam ita anceps dicitur certamen stetisse' VIII. 38. ubi alia vide, et apud Cortium ad Sall. Jug. c. 114. Similiter *ad id locorum*, pro 'usque ad id tempus,' inlustrant Gronov. ad Livii XXVII. 7. § 17. et Cort. ad Sall. Jugurth. c. 63.

Bis repulsam in petitione consulatus passus] Sæpius petere voluit, sed bis tantum petiit. Vide Manut. ad Cic. ad Att. I. 1. *Duk. Repulsas* Vossian. Deinde *passus est* Boend.

Cethego, et pluribus] Vet. lib. *et pluribus aliis*. Sigon. Similiter Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani: *et cum pluribus aliis* Exc. Pithœi.

Incendiis urbis, obprimenda republica] Vet. lib. *et opprimenda*. Sigon. Copulativam addunt etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Exercitu quoque in Etruria comparato. Ea conjuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis conjuratis] *Opprimenda republica exercituque in Etruria: comparata conjuratione industria M. Tullii Ciceronis de conjuratis*, reliquis omissis, Voss. Sed librarii errore: *exercituque* etiam Berg. Vide ad V. 27. § 1. Tum *erupta est* Leid. et Berg. eodem errore, quo passim confunduntur 'dirutus' et 'diruptus;' vide ad Livii IX. 45. § 17. *Exstincta est* Boend. et ed. Camp. Orosius VI. 6. 'Conjuratio Catilinæ adversus patriam per eosdem dies in urbe habita ac prodita, in Etruria vero civili bello exstincta est.' Id tamen hic ex glossa natum puto. 'Eruere conjurationem,' ut 'eruere vitia' apud Senec. de Clem. I. 22. 'Constituit bonos mores civitati princeps, et vitia eruit, si patiens eorum est, non tamquam probet, sed tamquam invitus:' ita Gronov. legendum monuit. Mox *supplicium sumtum*, omisso verbo *est*, Boend. et ed. Camp. *omnino sumtum supplicium est* reliquæ edd. ante Sigonium, qui *omnino* abjecit. Vide ad Epit. l. LVIII. Gruterus deinde dedit *supplicium sumtum;* quod probant omnes codd. mei.

LIB. CIII.

A C. Antonio proconsule] Recte *proconsule:* nam ἐν ἀρχῇ εὐθὺς τοῦ ἔτους, ἐν ᾧ Ἰούνιός τε Σιλανὸς καὶ Λούκιος Λικίνιος ἦρξαν, periisse Catilinam, testatur Dio XXXVII. 47. *J. F. Gron.* Præpositio omittitur in Voss. Ceterum Gronov. in ed. 1665. legendum conjecerat *consule*, quod in Addendis ipse damnavit; substitutis, quæ hic ejus nomine leguntur.

Cum exercitu cæsus] Vet. lib. *cæsus est*. Sigonius. Similiter omnes Mss. mei, Exc. Pithœi, et edd. principes. Aldus demum τὸ *est* omiserat.

Quod in habitu mulieris sacrarium, in quod virum intrare nefas est] Vet. lib. *in sacrarium*. Sigonius. Pall. *in quo*. Fuit forte *in sacrarium, quo*. Gruter. *In mulieris habitu* Exc. Pithœi, Norv. omnesque excusi ante Gronov. qui a. 1665. invertit ordinem, et edidit *in habitu mulieris;* cum eo autem faciunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et ed. Campani: at insuper *in habitu mu-*

liebri Boend. quod verum puto. Cic. ad Att. I. 12. 'P. Clodium Ap. filium, credo te audisse, cum veste muliebri deprehensum domi C. Cæsaris:' et Epist. 13. 'Credo enim te audisse, quum apud Cæsarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum.' Suet. Cæs. c. 6. 'Quem inter publicas ceremonias penetrasse ad eam muliebri veste tam constans fama erat.' Deinde *in sacrarium* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Supra Epit. l. XXXI. 'In sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis intraverunt:' ubi vide quæ notantur. Præterea *in quo* codd. nostri, Norvic. et primæ edd. usque ad Moguntinos, qui *in quod* dederunt. Sed nec male Gruterus, deleta præpositione, *quo* scribendum conjecit: ut τὸ *in* perperam repetitum sit ex litera ultima vocis præced. Vide ad XXXVII. 11. § 4. Quamvis autem in hoc auctore vix elegantiæ captandæ videantur, ita tamen evitabimus ingrate ter repetitam præpositionem *in habitu muliebri in sacrarium, in quod.* Denique *nefas erat* Voss. a m. pr. *nefas esset* Boend. et ed. Camp.

Intrasset, quumque uxorem Metelli pontificis stupravisset, absolutus] Cicero, Plutarchus, Suetonius, omnes denique Cæsaris pontificis maximi uxorem fuisse credunt, non Metelli. Itaque non est credendum, in tam nota historia lapsum esse auctorem; verum, ut multos alios, sic hunc locum a librariis esse vitiatum. Ego vero sine dubio legendum esse duco *maximi pontificis.* Errandi caussa orta est ex compendiosa scriptura. Nam, cum paucis literis scriptum esset *M. pont.* imperitus ille, qui descripsit, interpretatus est *Metelli*, cum *maximi* ea vox significaret. *Sigon.* Voss. et Gudiani, *cum intrasset, et uxorem:* deinde *stuprasset.* Tollenda nimirum copulativa, *cum intrasset, uxorem maximi pontificis stuprasset.* J. F. Gron. Vulgata lectio comparuit demum in ed. Moguntina. Priores tantum non omnes habent *cumque intrasset, uxorem Metelli Pontii stupravisset;* nisi quod in quibusdam sit *Metelli Ponti*, vel *Metelti Pon.* ut habet etiam Norv. *cum intrasset, cumque uxorem Metelli pontificis stupravisset* Exc. Pithœi: *cum intrasset, et uxorem Metelli pontificis stuprasset* Berg. et Lov. 2. *intrasset, et Metelli pontificis uxorem stuprasset* Leid. *intrasset, ut uxorem Metelli pontificis stuprasset* Boend. et ed. Campani. Nomen Metelli hic vitiosum, et errorem inde natum esse, quod, quum hic pontificis maximi nomen desideraretur, aliquis historiæ inperitus *Metelli* nomen scripserit, qui pontifex maximus ante Cæsarem fuerat, monuit Manut. ad Cic. ad Attic. I. 12. Emendo igitur *intrasset, et uxorem maximi pontificis stuprasset.* Præterea *absolutus est* primus edidit Gruterus. Nec aliter inveni in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Reliquæ edd. ignorant τὸ *est.*

Cn. Potitius prætor Allobroges] Hic prætor fuit consule Cicerone, ab eoque et Sallustio *C. Pontinus*, a Dione Γάϊος Πομπτῖνος et Πομπτίνιος dicitur. Idem etiam post triumphavit ex Gallia. Ego *C. Pontinium* scribo. *Sigon.* Ante hæc verba ultimam hujus Epitomes periodum inserendam censuit Sigonius: vide ad ea verba. Prætoris, a quo Allobroges domiti sunt, nomen varie in vetustis edd. et Mss. exaratur. *Cn. Pontirius* est in edd. Rom. 1472. et Parm. *Cn. Pontitius* in proximis, et cod. Norvic. pro quo Mediol. 1505. *Gn. Pontius*, Ascensius 1510. *Cnæ. Potitius* dederunt, probantibus Ascensii lectionem recentioribus usque ad Sigonium. Is autem *C. Pontinius*, Gruterus *Cn. Pontinius* reposuerunt. *Cn. Pompeius* præfernnt Boend. et ed. Campani; *Cn. Ponti-*

nus Leid. et Lov. 2. *Cn. Pontius* Berg. *C. Pontinus* Voss. *C. Pontinius* Exc. Pithœi. Ex lapidibus etiam nihil certi erui potest. Nomen enim hujus gentis *Pontinius* et *Pontinus* scribitur apud Gruter. *Pontinius* apud Reines. *Pomptinius* apud Fabrett. p. 640. et Donium class. II. 189. ac class. XVI. 14. *Pontinius* in nummo, victoriam et triumphum hujus prætoris de Allobrogibus celebrante, quem edidit Goltzius in Fast. ad a. IↃCXCIX. Prætorem hunc *C. Pomtinum* dictum censet Cortius ad Sall. Catil. c. 45. *C. Pomptinium* Oudend. ad Front. II. 4. 7. *C. Pontinium* Crevierius ad h. loc. cujus exemplo ita etiam hic edidi. Ceterum *Allobrogos* Leid. et Boend. a m. pr. *Allobrogas* Berg. Lov. 2. et ed. Campani. Vide ad Epit. l. LXI.

Ad Solonem domuit] Σολώνιον vocat Dio Cass. XXXIX. 51. *ad Salonem* edidit Doujatius, sed verisimiliter operarum errore, quia in notis nihil monuit, et in Supplementis Freinshemii urbem ex auctoritate Dionis *Solonium* vocat. Errorem editionis Doujatianæ servarunt Clericus et Crevierius: *ad Solonem* codices nostri servant; nisi quod *a Solone* sit in Voss.

P. Clodius ad plebem transiit] *Transit* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Ita sæpe variant librarii; vide ad I. 27. § 4. II. 48. § 4. III. 52. § 1. IV. 16. § 3. V. 33. § 2. VI. 2. § 14. XXII. 13. § 1. ad Epit. libb. XXIV. XLVI. CVI. et CVII. Similia alia vide ad XXXVI. 20. § 3. Mox *ergoque consulatus candidato* Voss. *eoque candidatu*, omissa media voce, Boend. a m. pr. *candidato* a m. sec.

Conspiratio inter tres principes civitatis] *Conspiratio civitatis inter tres principes* Voss. Vox *tres* omittitur in Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. sed intercepta videtur ab ultima syllaba vocis præced. *civitatis principes* Berg. et Lov. 2. Mox *et Cæsarem* Voss. *et C. Cæsarem* Boend. Exc. Pithœi, Norv. et editi ante Gruter. qui copulam ejecit. Eam ignorant etiam Leid. Berg. et Lov. 2.

Leges agrariæ a Cæsare consule cum maxima contentione] Voss. et Gudiani *magna*. J. F. Gronov. Præpositio *a* deest in Leid. vox *consule* in Boend. cujus loco *censore* perperam præfert Voss. Dein *magna* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Vulgatum servant Exc. Pithœi, et Norvic. Vide ad Epit. l. L.

C. Antonius proconsul] *M. Antonius* Voss. et Berg. Sed male. Intelligitur enim Antonius Ciceronis in consulatu collega, qui *Caii* prænomen habuit. Ejus res gestas vide apud Dion. Cass. XXXVIII. 64.

Lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset] *Ab Ap. Claudio* Boend. ed. Camp. et, ut Hearne testatur, Romana princeps: *a P. Claudio* Norv. *ab P. Claudio*, vel *Clodio*, edd. memoratis proximæ: *a P. Clodio* Aldus dedit. Vox *lata* omittitur in Leid. Deinde *quia indemnatos* Boend. Norv. et edd. ante Sigonium, qui emendavit *quod indemnatos*, ut exstat in Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Tum *cives* deest in Leid. et mox verbum *est* in Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi.

Helvetios, vagam gentem, domuit] *Etruscos* Voss. Tum *gentem vagam* Berg. Lov. 2. Boend. et edd. ante Gruter. Paullo ante vox *Cæsar* exsulat ab Exc. Pithœi.

Per provinciam Cæsaris Narbonem iter facere] Lege *per provinciam Cæsaris Narbonensem:* in aliam puta Galliam, quæ non erat provincia. *J. F. Gron.* Conjecturam Gronovii in contextum recepit Clericus, non monito lectore. Sed *Narbonem* servant omnes scripti, præter solum Leid. qui vocem illam omisit. Potest etiam abesse, quia jam præcesserat, 'Cæsar in provinciam Galliam profectus.'

Forte igitur ex margine in contextum inrepsit. Sequentia *Præterea situm Galliarum continet* non adparent in Leid. quæ rectius in omnibus reliquis supersunt. Verius enim videtur, Livium ad exemplum Cæsaris, antequam belli cum Gallis gesti fata recenseret, brevem Galliæ descriptionem præmisisse, ejusque auctorem Epitomarum nominatim mentionem fecisse, quemadmodum etiam ratione Germaniæ fecit in initio lib. seq. 'Prima pars libri situm Germaniæ moresque continet.'

Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane, et Tigranis filio, triumphavit] Hæc verba non puto suo loco sita esse. Ut ita sentiam, me impellit, quod Cicero ad Atticum lib. I. Plinius VII. 25. et XXXVIII. 2. Capitolinorum triumphorum scriptores, et reliqua omnia Romanæ historiæ monumenta loquuntur, Cn. Pompeium de Mithridate et Asia triumphasse, Pisone et Messalla consulibus. In hac autem Epitoma triumphus post Gabinii et Pisonis consulatum, quo anno Cæsar se scribit in Galliam venisse, et cum Helvetiis pugnasse, id est, post tertium annum, collocatur, cum tamen in eadem ante triumphum Pompeii mentio fiat conspirationis factæ inter Pompeium et Cæsarem, quæ Pompeio præsente ante consulatum Cæsaris facta est. Librarii tamen et hunc errorem fuisse, pro certo habeo. Nam, qui *Cn. Pompeius*, &c. erat scripturus, per incuriam oculis ad Pontinium conjectis, *Cn. Pontinius* scripsit, et quæ sequuntur. Post autem, cum intelligeret, se Pompeii triumphum temere prætermisisse, eundem ipsum in fine Epitomæ collocasse. Est autem triumphus Pompeii rebus a Pontinio gestis anteponendus. *Sigon.* Non inepte disputat Sigonius, hæc suo loco posita non esse. Sed et in historia vitium est. Cur enim de liberis potius Mithridatis, quam de ipso? Res est, *Pompeius de Mithridate, ductis ante currum Mithridatis liberis, et Tigrane Tigranis filio, triumphavit.* J. F. Gron. Ordinem temporum hic non observari, ac Pompeium de Mithridate aliisque in Oriente devictis diu ante initium belli Gallici triumphasse, certum est. Id vero utrum librariis, ut Sigonius existimat, an ipsi Epitomarum auctori adscribendum sit, incertum puto. Ab utrisque enim in hac re erratum esse, ex superioribus libris non uno in loco constare potest. Vide ad Epit. libb. II. V. et alibi. Quum tamen hæc periodus in omnibus Mss. constanter in finem Epitomes rejiciatur, verisimilius est, errorem ab auctore Epitomarum commissum esse. Ceterum Gronovii conjectura convenit aliorum relationibus. Eutrop. VI. 16. 'Triumphavit Pompeius de bello piratico et Mithridatico. Nulla umquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante ejus currum filii Mithridatis, filius Tigranis, et Aristobulus rex Judæorum.' Adde Appian. in B. Mithrid. 252. et Plutarch. in Pomp. 642.

Magnusque a tota concione consalutatus est] Quando et a quo Pompeius cognomen Magni acceperit, varie traditum est. Plutarchi, Appiani, et Auctoris Epitomes Livianæ diversas sententias refert Spanhemius ad Juliani Cæsares p. 167. ed. Amstel. Cum Plutarcho, qui in vita Pompeii narrat, eum, ex Africa victis Marianis reversum, a Sulla Magnum appellatum fuisse, convenit quod Plinius Hist. Nat. VII. 26. scribit, eum, Africa subacta, Magni nomen in spolium inde cepisse. Nec contrarium ei, quod in Pompeio dicit Plutarchus, est, quod apud eumdem in Crasso legitur, a populo Magnum cognominatum fuisse. Nam hoc ita accipi potest, quum sive a Sulla, sive a militibus in Africa, quod quidam tradiderunt, ita consalutatus fuisset, populum deinde propter benevolen-

tiam erga eum vulgo cognomen illud usurpasse. Appianus in princ. Mithridaticorum et Civil. II. p. 285. eum a rebus adversus Mithridatem gestis id consecutum auctor est. Deinde in Mithridatic. p. 238. conjecturam adfert, forsitan inde ortum fuisse, quod ei post confectum bellum piraticum imperium, quale numquam cuiquam ante eum, nimirum lege Manilia, datum, id est, ut Plutarchus dicit, universum imperium Romanum unius potestati subjectum fuerat; quod non faciendum putabat Hortensius apud Cic. pro L. Manil. c. 17. Spanhemio maxime probabile videtur, quod in hac Epitoma scriptum est, ob rationem non contemnendam, quæ apud eum legi potest. Sed Livius XXX. 45. quem locum idem observavit, hoc cognomen ab adsentatione familiari cœptum fuisse celebrari putavit. Hoc consideratione dignum esse arbitror, non solum, quia quodammodo e Plutarcho in principio vitæ Pompeii confirmari potest; sed etiam, quia Livius, aliquot annis ante mortem Pompeii natus, non ignorare potuit originem hujus cognominis, et quia Sallustius quoque, prope æqualis Pompeio, eamdem indicasse videtur Histor. lib. III. e quo Nonius in voce 'Æmulus,' et in 'Accusativus pro genitivo' hæc descripsit: 'Sed Pompeius, a prima adolescentia sermone fautorum similem se fore credens Alexandro regi, facta consultaque ejus quidem æmulatus erat.' Nec absurde credi potest, Sullam, cui adulatio illi adsentantium familiarium non poterat non nota esse, eum, post rem egregie in Africa gestam, eodem cognomine, tamquam eo dignum, appellasse; deinde eum vulgo ita dici cœpisse; ac postremo, quum post triumphum de rebus a se gestis apud populum, ut mos erat, disseruisset, a tota concione Magnum consalutatum fuisse. Harduinus ad d. l. Plinii scribit, Suetonium prodidisse, Pompeium id cognominis ex Ponto, non ex Africa, retulisse. Rectius Appianum dixisset; ut liquet Suetonium in Cæs. c. 35. et Appianum Civil. l. II. p. 485. inspicientibus. *Duk. Salutatus* Voss. Lov. 2. et Boend. Male. Livius I. 7. 'Utrumque regem sua multitudo consalutaverat:' ubi vide. XXII. 30. 'Circumfusosque militum ejus totum agmen patronos consalutasset.' Deinde *τὸ est*, quod omiserunt quædam veterum edd., recte iterum addiderunt Moguntini. Superest enim in omnibus meis Mss.

LIB. CIV.

C. Cæsar, quum contra Germanos, &c. exercitum duceret] Ita primus edidit Gruterus, quum antea vulgati præferant *C. Cæsar contra Germanos, &c. quum e. d.* quod etiam in Norvic. superest. Sed ordinem verborum, qui Grutero placuit, servant Vossian. Leid. Lovel. 2. Berg. Boend. et ed. Campani: qui iidem etiam legunt *adversus Germanos*. Vide ad Epit. lib. LVII. Præterea *ducere* Exc. Pithœi: *ducerent* Norv. et edd. Aldina priores, excepta ea quam procuravit Campanus. Illa autem *duceret*, ut Aldus restituit, et omnes codd. mei exhibent, vulgavit.

Qui Ariovisto duce in Galliam descenderant] Mss. Barb. et Gudiani *transcenderant*. J. F. Gronov. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Livius XXVIII. 42. 'Quum Hasdrubal in Italiam transcendit.' XXXII. 13. 'Omisso incepto in Macedoniam transceudit.' XXXVIII. 3. 'Eadem spe in Aperantiam transcenderunt.' XLIII. 23. 'In agrum Antigonensem transcendit.' Auctor Epit. Liv. lib. CVIII. 'Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit.' Quin etiam, qui mari vel flumine, ut hic Germani

Rheno, trajecto in regionem veniunt, ' in eam transcendere ' dicuntur. Liv. XXIII. 1. ' Quasi angustis insulæ terminis clauderetur, in Italiam transcendit.' Etiam ' in eam transgredi ' XLII. 1. ' Cum quibus prætor, cui Sardinia obtigisset, in Corsicam transgressus bellum gereret.' Oros. VI. 9. ' Cæsar in Germaniam facto ponte transgrediens.' Vide Cort. ad Sall. Hist. I. 955.

Quorum ager possidebatur] *Quorum agrum possidebat* Boend. et ed. Campani. Mox *trepidatione militum, &c. orta* Berg. et Lov. 2.

Gallia omni expulit] Vet. lib. *Gallia expulit.* Sigonius. Similiter legunt Leid. Voss. Lov. 2. Berg. Boend. et Exc. Pithœi. Paullo ante *victor prælio* Berg. In sequentibus *hortante*, pro *orante*, Berg. et ed. Campani: *exercente* Leid. Berg. et Lov. 2. *exerente* Vossian. An voluerunt librarii *Pompeio inter alios exorante?*

Et T. Annio Milone tribuno plebis, ingenti gaudio] Suspicor legendum *et T. Annio Milone tribuno plebis agente*: neque enim hoc placet, ne Milonem, qui in magistratu erat, et legem rogare poterat, orasse dicamus, sed egisse: orasse autem Pompeium, qui erat privatus. Excidisse autem hanc vocem propter eam, quæ similis sequitur, *ingenti*, puto. *Sigon. Et Ti. Antonio tribuno plebis* Leid. *et T. Antonio tribuno plebis* Berg. *et G. Antonio tribuno plebis* Voss. *et T. Annio milite tr. pl.* Lov. 2. *et T. Annio Milone tri. pl.* Boend. Ex his confirmatur conjectura ad Epit. l. LVIII. proposita, ubi pro *C. Antonius* legendum monui *T. Annius.* Deinde vox *agente*, quam Sigonius addidit, exsulat a Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et Norv. Solus Boend. ex quo in excerptis hic nihil notatur, eam agnoscere videtur. Adprime etiam convenit. Nam Milo non tantum pro reditu Ciceronis oravit, sed etiam Clodium, qui legem ea de re ferri impediebat, licet gladiatoribus armatum, lege Plotia de vi postulavit, et, quum judicia sublata videret, gladiatores emit, quibus conatus furoresque Clodii comprimeret. Vide Fabricii Hist. Cic. ad a. IↃↃXCVI.

Ac totius Italiæ, ab exsilio reductus est] Hanc lectionem nobis dedit Gronovius a. 1665. nec aliter legunt Leid. Voss. Berg. et Boend. *ac totius urbis* præfert Lov. 2. Antea edebatur *ac universæ Italiæ:* sed primos editores passim *universus*, pro *totus*, in his Epitomis substituisse, vidimus ad Epit. l. LII. Id etiam lectionem illam vitii arguit, quod particulam *ac* adsciscat ante vocem a vocali incipientem: ejus rei aliud exemplum apud auctorem Epitomarum non observavi, qui ab hac locutione abstinere didicit exemplo Livii. Vide quæ notantur ad Liv. X. 36. § 17. Præterea voces *ab exsilio* non adparent in Leid. Deinde *revocatus est* legit Lov. 2.

Ambiones, Suessiones, Veromanduos, Atrebates, Belgarum populos] *Ambrones* Voss. et Berg. Verum Ambrones Helvetiorum populi fuerunt. Vide Cellar. Geogr. Ant. II. 3. p. 176. Sed hic auctor Belgarum populos memorat, inter quos notissimi fuerunt Ambiani. Vide eumdem Cellar. p. 244. Dein *Suessones* Leid. quomodo sæpe alibi in Mss. hoc nomen scribi solet, et quidam etiam viri docti scribendum contendunt. Vide Cellar. ibid. p. 249. et quæ notantur ad Cæsar. B. Gall. VII. 75. ut et ad Lucani I. 423. *Suesonas* Berg. *Suesionas* Lovel. 2. Tum *Virumandos* Boend. *Viromandos* Berg. et ed. Camp. *Viruoniam duo* Voss. *Viruomanduos* Leid. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *Viromanduos* edd. ante Gronovium; quam orthographiam probare videtur lapis apud Gruter. p. CCCLXXV. in quo memoratur L. BESIVS. SVPERIOR. VIROMAND. EQ. R. Sed *Veromanduos*, ut Gronovius reposuit, passim vocat Cæsar in Bell.

Gall. Vide Cellar. ibid. pag. 246. Postea *Atrebares* Leid. et Voss. *Atrebates* Berg. et Exc. Pithœi. Denique *Belgas populos* Boend.

Quorum quidem maxima multitudo erat, prœlio victos] Vet. libri non habent *quidem*. Sigonius. Gud. *quorum gens multitudo*. Voss. et Gud. alter *quorum ingens multitudo*. J. F. Gron. Particulam *quidem* omittunt etiam omnes nostri, et Exc. Pithœi: vide ad Epit. l. LV. *ingens multitudo* etiam omnes iidem. Vide ad Epit. l. LI. et mox hac Epit. *ingens est multitudo* ed. Camp. *est*, pro *erat*, præfert etiam Boend. Deinde voces *prœlio victos* omittit Leid. at *prœlio evictos* legunt Norv. et edd. ante Froben. 1535.

Ac deinde contra Nervios, unam harum civitatum, cum maximo discrimine pugnavit] Forte *unam horum civitatem. Horum* puta Belgarum. Nec male Barb. et Gudiani, *Nervios, unius civitatis*. J. F. Gron. Vox *deinde* deest in Leid. Tum *Nervios duas ex his civitatibus* Voss. *Nervios unam ex his civitatibus* Boend. quod forte voluit ed. Camp. quæ prodigiose corrupta *Hermosimam ex his civitatibus* præfert. *Nervios unius ex his civitatibus* Exc. Pithœi: *Nervios unius civitatis* Leid. Berg. et Lovel. 2. quod quum etiam Gronovius in suis invenerit, in contextum recepi. Prior Gronovii conjectura maxime Crevierio adridet. Insuper *cum magno discrimine* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. L.

Ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent, ex nonaginta quinque senatoribus tres tantummodo evaderent] Variant hi numeri. Barber. *ex sexaginta mill. arm. septem superessent, ex sexcentis sen. tres.* At apud Cæsar. est II. 28. ' Ex sexcentis ad tres senatores; ex hominum millibus sexaginta, vix ad quingentos, qui arma ferre possent:' ubi Ciacconius ex Plutarcho *ex quadringentis*. Gud. *ex LX. milibus armatorum superessent, et ex V^c. senatoribus tres tantum evaderent.* Alter, *ex sexaginta quinque milibus arm. septem superessent, et ex sexcentis senatoribus tres tantum evaderent.* J. F. Gron. Codd. admodum variant: *ex CXLX. arm. mill. trecenti superessent, ex VI^c. sen. tres tantum evaderent* Berg. *ex LX. CCC. superessent, ex sexcentis sen. tres tantum evaderent* Lov. 2. *ex sexaginta mill. arm. CXC. senatoribus tres tantum evaderent* Voss. *ex LX. milibus armat. trecenti superessent, ex sexcentis senator. tres tantum evaderent* Boend. et ed. Campani: *ex DC. tres super., ex quadringentis sen. tres tantum evaderent* Exc. Pithœi: *ex sexaginta quinque millibus arm. septem, et ex sexcentis sen. tres tantum superessent* Leid. ex cujus postremi cod. vestigiis et ex Cæsaris loco a Gronovio laudato forte legendum est, *ex sexaginta millibus arm. trecenti, ex sexcentis sen. tres tantum superessent.* Ex variantibus autem codicum constat, inter eos convenire, *tantum*, pro *tantummodo*, legendum esse; quod admisi. Pro *nonaginta quinque* Gronov. in contextum recepit *quadringentis*, cujus loco ex longe plurium codd. auctoritate dedi *sexcentis*.

De redigenda in provinciæ formam Cypro] *De redigenda provincia Cypro* Boend. et ed. Camp. *de redigenda provinciæ forma Cypro* Leid. Voss. et Berg. Mox *regia pecunia* alio ordine Lov. 2.

C. Catoni administratio ejusdem rei mandata est] Vet. lib. *ejus rei*. Sigon. Similiter Voss. Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Præterea legendum esse *M. Catoni*, ut verbo monuit Crevierius ad h. loc. videbimus ad initium Epitomes sequentis.

Ob injurias, quas patiebantur, a suis regno pulsus Romam venit] Vet. lib. *ob injurias, quas patiebatur a suis, regno pulsus Romam venit*. Sigon. In hac scriptura non optimus sensus esse videtur: nam reges non solent regno pelli ob injurias, quas a suis accipi-

unt, sed ob eas, quibus ipsi suos adficiunt. Si ipse tam intolerabiles injurias a suis accepisset, auctor Epitomes rectius dixisset, *ob injurias, quas patiebatur a suis, regno profugus*, quam *regno pulsus*. Sed neque regno pulsus est, si Timageni credimus: nam hic apud Plutarchum in Pompeio p. 645. scripsit, eum nulla necessitate coactum Ægypto excessisse. Nec a suis pulsum fuisse, non obscure e Dione colligi potest, qui lib. XXXIX. p. 97. rem ita narrat: Quum propter exactiones pecuniarum in odium Ægyptiorum incurrisset, et iis nec persuadere, ut quiescerent, nec eos vi cogere posset, eum Romam fugisse, et se a suis regno pulsum questum fuisse. Ægyptios ignorantes, eum in Italiam profectum, et mortuum esse ratos, filiæ illius Berenice regnum tradidisse, ac deinde, re comperta, legatos Romam misisse, qui eos adversus accusationes illius defenderent, et ipsum de injuriis illatis accusarent. Itaque, si hic in scriptura vulgata nihil vitii est, ea forsan non de eo, quod factum fuerat, sed quod rex factum querebatur, intelligi potest: quasi scriptum esset *regno pulsus, ut ferebat*, aut *querebatur*. Duk. *Quas patiebatur a suis* etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Non sine caussa autem voces *regno pulsus* Dukero displicuerunt: Ptolemæum enim non regno pulsum esse, sed a civibus dissidentem Alexandriam reliquisse, et Romam navigasse, refert Plut. in Cat. Min. p. 776. quo eodem loco Cato exprobrans ipsi imprudentiam, qua summam felicitatem reliquisset, ac suadens, ut rediret, et cum civibus in gratiam reverteretur, non obscure indicat, eum potius sponte cessisse, quam vi pulsum esse. An igitur fides habenda est codici Leid. qui voces illas expungit? Forte igitur pro glossemate habendæ sunt, quæ olim margini adscriptæ fuerunt explicandi caussa injurias, quas Ptolemæus a suis patiebatur.

Venetos, gentem oceano junctam] *Gentem oceano junctam, scilicet Venetos* Norv. et edd. principes: *gentem oceano junctam, Venetos*, omissa voce, Frob. a. 1535. edidit, quod etiam superest in Exc. Pithœi. Gruterus demum alio ordine *Venetos, gentem oceano junctam*, concinentibus Leid. Berg. et Lov. 2. neque aliter Boend. et ed. Camp. nisi quod *conjunctam* præferant. *Venetam gentem, oceano junctam* legit Voss.

Præterea res ab legatis ejus eadem fortuna gestas continet] Ita Gronov. a. 1665. vulgari curavit, idque pariter præferunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. nisi quod omnes legant *a legatis*, et Voss. omittat vocem *ejus*, Berg. ipsius loco *suis* scribat. Olim edebatur *Præterea a legatis ejus eadem fortuna res gestas continet;* qui ordo verborum etiam obtinet in Boend. Exc. Pithœi, et Norv. Eamdem varietatem habuimus Epit. l. XLVII. et l. XC. sed vocabula in eumdem ordinem digesta, in quem Gronovius digessit, obcurrunt Epit. libb. XL. LX. LXXXVII. XCIV. CVIII. et CXX. in alterum ordinem Epit. l. XCII. ubi tamen in aliis codd. *gesta*, pro *res gestas*, inveni.

LIB. CV.

M. Catonis tribuni plebis intercessionibus] Lego *C. Catonis* ex epistolis Ciceronis ad Lentulum (ad Famil. l. I.). Etenim Lentulo in re Alexandrina maxime adversatus est. Item ex lib. XXII. Annalium Fenestellæ intelligitur, teste Nonio voce 'Rumor:' 'Quod, ut magistratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam et Ptolemæo simul, qui jam profectus ex urbe erat, et P. Lentulo consuli, paranti jam iter, concitare secundo quidem populi rumore jam cœpit.' *Si-*

gon. Vide Dionem Cass. XXXIX. p. 103. Cic. ad Q. Fratr. II. 6. ibique Manutium, et Pighium ad a. IↃCXCVII. et seq. *Duk.* Præterquam hoc loco, Cato etiam memoratur mox verbis seqq. et Epit. præcedenti non longe a fine. In horum Catonum prænominibus variant scripti et editi. In Epitome præced. omnes codd. legunt *M. Catoni.* Eamdem scripturam servant typis inpressi usque ad Sigonianam a. 1572. quæ substituit *C. Catoni.* Id mox arripuerunt Parisini a. 1573. et post eos tantum non omnes recentiores; nisi quod nuper Crevierius priscam lectionem revocarit. Hoc loco *C.* vel *G. Catonis* est in Voss. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. *M. Catonis* in Leid. Berg. Norv. et, excepta Campani altera, præferente, edd. omnibus ante Sigonium, qui *C. Catonis* legendum docuit. Ipsius vestigiis institerunt omnes recentiores, excepto Modio, qui iterum Marci prænomen ipsi tribuit. Mox verbis seqq. *M. Cato* legunt omnes scripti, omnesque edd. usque ad Jac. Gronovium, cujus ed. major dedit *C. Cato*, quum minor servarit *M. Cato.* Majorem sequuntur Hearnius, et ed. Londin. Jam vero, quæ Epit. lib. CIV. referuntur, pertinent ad Catonem Uticensem, ut constat ex Plutarcho ej. Vit. p. 776. Ad eumdem pertinent, quæ narrantur in periodo seq. ut patet ex eodem Plut. ibid. pag. 779. Catonem autem Uticensem Marci prænomen habuisse, omnes historici consentiunt. Ab illo Catone diversus est, cujus hic mentio fit: is enim tribunus plebis vocatur. Jam vero Cato Uticensis tribunatum plebis gessit a. IↃCXCI. Silano et Murena consulibus. Vide Plut. in ej. Vit. p. 769. At Cato hic memoratus tribunus plebis fuit, quo tempore Uticensis prætoram petebat, sed repulsam passus, et Vatinius ei prælatus est. Vatinius autem prætor fuit a. IↃCXCVIII. Pompeio et Crasso utroque secundum consulibus. Et quidem ejus Catonis prænomen fuit *Caius*, sive Γάϊος, teste Dion. Cass. XXXIX. p. 103. Ejus aliquoties Cic. meminit ad Famil. I. et ad Q. Fratr. libb. I. ac II. Sed præsertim huc facit locus ad Q. Fratr. II. 6. 'C. Cato concionatus est, comitia haberi non siturum, si sibi cum populo dies agendi essent exemti.' Ex his omnibus colligo Epit. præc. legendum esse *M. Catoni*, hoc loco *C. Catonis*, et mox *M. Cato.* Ex omnibus itaque edd. solæ Sigonii prima et tertia, eaque, quam nuper Crevierius nobis dedit, tribus his locis veram lectionem exhibuerunt, reliquæ aliquo eorum locorum oberrarunt. Vox *intercessionibus* male exsulat a Leid.

In petitione præturæ, prælato Vatinio, repulsam tulit] Gud. *prælato L. Vatinio.* Scribe *prælato P. Vatinio.* J. F. Gron. Vatinii prænomen *P.* non monito lectore, contra quam promiserat, recepit Clericus. Et quidem, id ei prænomen fuisse, constat; verum illud ignorant omnes codd. nostri. *In petitione a Vatinio repulsam tulit* legit Boend.

Qua provinciæ consulares in quinquennium, Pompeio Hispaniæ, &c.] Lege *consulibus*, pro *consulares*, ut Pompeium Crassumque consules iterum intelligamus. *Sigon.* Ita legunt etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LVIII. Contra vox *provinciæ* exsulat a Leid. quæ etiam sine dispendio sensus abesse potest. At unum testem audire periculosum est. Tum *Hispania* Voss. et Berg. Male. Vide ad Epit. l. XCVI.

Cæsari Gallia et Germania] De Germania nihil apud alios proditum inveni. Gessit quidem bellum adversus Germanos, et eos vicit, antequam Rhenum transiret, quod ipse B. Gall. lib. IV. narrat; sed ex eo, quod Plutarchus in vita illius pag. 718. e Tanusio Gemino, et in Cat. Utic. p. 784.

scribit, Catonem, quum senatus supplicationes victoriæ Cæsaris caussa decrevisset, censuisse, eum, tamquam violatorem fœderum, Germanis dedendum esse, quo etiam Sueton. Cæs. c. 24. respexit, facile intelligi potest, ipsum causam hujus belli, ut plerorumque aliorum, quæsivisse. Dio quoque lib. XXXIX. pag. 113. rem aliter atque ipse refert, nec perfidiam ac simulationem illam Germanorum, quam B. G. IV. 13. ambitioni et crudelitati suæ prætexit, (nam, quadringenta millia hominum ab eo tum interfecta fuisse, scribit Plutarchus) memorat, sed satis aperte significat Germanos ab eo per fraudem circumventos esse. Ipsi, speciosos titulos injustis bellis et turpibus actionibus prætendenti, non credendum est. Nam, hunc ei morem esse, recte monet Victorius Var. Lect. III. 27. *Duk.* Quatuor hæc vocabula exsulant a Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Verum eodem tempore, quo Pompeio et Crasso provinciæ adsignabantur, Cæsari imperium prorogatum fuisse constat ex Plut. in Crass. 552. in Pomp. 646. et in Cæs. 718. Vide etiam Sueton. Cæs. cap. 24. et Dion. Cass. XXXIX. p. 106. Quod autem Galliæ jungatur Germania, de eo vide ad h. loc. Dukerum.

In vincula ductus est] *Conjectus est* Leid. Epit. lib. XLVIII. 'Ab tribunis plebis, &c. in carcerem conjecti sunt.' Altera tamen lectio, pro qua stant reliqui codd. auctori itidem in usu fuit. Supra Epit. lib. XXXVIII. 'Quum in vincula et carcerem duceretur.' Epit. lib. LV. 'Consules in carcerem duci jusserunt.'

In regnum reduxit Ægypti] Vet. lib. *reduxit in regnum Ægypti.* Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Rejecto Archelao] Vet. lib. *ejecto Archelao.* Sigon. Immo cum Berenice filia, quæ ei nupserat, occiso. Vide Dion. XXXIX. p. 117. et Strab. XVII. pag. 796. *Duk.* *Rejecto* servant Voss. Boend. et Norv. *ejecto* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *abjecto* Leid. Mox *regem adasciverant* Exc. Pithœi.

Victis Germanis et in Gallia cæsis] Copulativam ignorat Vossian. Gud. *victis Germanis in Gallia cæsisque.* J. F. Gron. Vulgatum servant Leid. et Berg. Copulativa abest a Lov. 2. *victis Germanis, et cæsis in Gallia* Boend. quam lectionem, vel Gudianam Gronovii, quæ etiam Crevierio placuit, vulgata veriorem puto. Mox *Rhenum transivit* Berg. Vide ad Epit. præced. Ita 'transcendere fossam' dixit Liv. XXV. 14.

Proximam partem Germaniæ domuit] Vet. lib. *et proximam.* Sigon. Pariter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pith. Sed copulam ignorant Voss. Boend. et Norv.

In Britanniam, parum prospere tempestatibus adversis, trajecit, iterumque parum felicius] Lege ex vet. lib. *in Brit. primum parum prospere, &c. trajecit, iterum parum felicius.* Sigonius. Dele τὸ *parum* [posteriori loco,] ex superiori versiculo inculcatum. Florus III. 10. 'Ipso quoque oceano tranquillo magis et propitio.' *J. F. Gron.* *Primum parum prospere*, ut Sigonius in vet. lib. invenit, et in contextum recepit, etiam in Exc. Pithœi esse, Hearnius monuit. Gruterus deinde *primo parum prospere* edidit, quod servant Leid. Voss. Berg. et Boend. idque voluisse videtur scriba Lov. 2. qui tamen aberrans *quo*, pro *primo*, dedit. Dein *tempestatibus abortis* Boend. qui scribere voluisse videtur *obortis.* Solent enim ita peccare librarii. Vide ad II. 37. § 9. *Obortis* etiam præfert ed. Camp. Sed nihil muto. Livius XXXIV. 6. 'In navis administratione alia in secundam, alia in adversam tempestatem usui sunt.' Cic. de Invent. II. 31. 'Nautæ quidam quum adversa tempestate in alto jactarentur.' Oros. VI. 9. 'Adversa tempestate correp-

tus plurimam classis partem disperdidit.' Insuper *iterumque parum felicius* Leid. et Norv. *itemque parum felicius* Vossian. *iterum parum felicius* Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Sed, vocem *parum* ex verbis proxime præcedentibus perperam repetitam esse, Gronovio adsentior; eamdem tamen cum Clerico ex contextu ejicere non audeo. Paullo ante *ac demum de oceano* Voss. Sed librarius duplicem lectionem *demum* et *deinde* invenisse, et utramque hoc modo exprimere voluisse, videtur. Vide ad III. 44. § 4. Voces autem has in Mss. confundi, dictum est ad XL. 22. § 1.

Maximaque hominum multitudine cæsa] Voss. et Gudiani *magnaque multitudine hostium cæsa.* J. F. Gron. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Passim in his Epitomis *maximum* substitutum esse ab editoribus, ubi vulgo codd. *magnum* præferunt, notavimus ad Epit. l. L. Commutari etiam sæpissime voces 'hostes' et 'homines,' vidimus ad Livii XXIV. 40. § 14.

Reliquam partem insulæ in potestatem redegit] Vet. lib. *aliquam partem.* Egregie. Nam scribit in Agricola Tacitus c. 13. Cæsarem, qui primum in Britanniam legiones Romanas duxit, prospera pugna terruisse incolas, et litoris tantum potitum esse. *Sigon.* Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi.

LIB. CVI.

Honosque ei a populo habitus est] Ita Gruterus, et post eum omnes recentiores ediderunt. Eadem lectio confirmatur etiam testimonio Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. nisi quod Boend. omittat τὸ *ei*, et Berg. legat *est habitus.* Antea vulgabatur *honosque maximus ei;* quod etiam in Exc. Pithœi, et Norvic. superfuisse, auctor est Hearnius. Sed *maximus* inter illas voces esse, quas primi editores in contextum Epitomarum inseruerunt, vidimus ad Epit. l. XLVIII.

Gallorum multi populi] Vet. lib. *aliquot populi.* Sigonius. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Eodem modo variant primi editores supra Epit. l. LIII. Vide quæ notantur ad Epit. lib. LI.

Ambiorige duce Eburonum, defecerunt] Forte *Ambiorige duce, rege Eburonum.* J. F. Gron. Certe Ambiorigi 'regnum' adscribit Cæsar B. Gall. v. 26. Deinde *Helvetiorum* Boend. et ed. Camp. *Eburorum* Lov. 2. *Eburnorum* Voss. et Exc. Pithœi. Tum *defecerunt* exsulat a Boenderm. et ed. Camp.

Cotta et T. Aurunculeius legati] Vet. lib. *Cotta et T. Veturius.* Apparet tamen legendum *Cotta et Titurius.* Sic enim Cæsar IV. 38. 'Q. Titurius et L. Cotta legati.' Deceptus est librarius, quod Cottæ nomen *Aurunculeius* fuit, eodem auctore Cæsare. Item Appianus Κόττας καὶ Τιτύριος. *Sigon.* Videant primi editores, et scriba Norvic. unde lectionem *T. Aurunculeius* hauserint, quæ in nullo mihi cod. obvia fuit. *Titus Vertuarius* est in Berg. *T. Ligarius* in Leid. Boend. et ed. Camp. *Tigranus* in Lov. 2. *Tigorus* in Exc. Pithœi: *Tigurius* in Voss. pro quo, una tantum litera mutata, recte Sigonius *Titurius* reposuit. Cæsar B. Gall. v. 24. 'Unam legionem et cohortes quinque in Eburones, qui sub imperio Ambiorigis et Cativulci erant, misit. His militibus Q. Titurium Sabinum et L. Aurunculeium Cottam legatos præesse jussit.' Mox *insidiis circumventi* Exc. Pithœi, Norvic. et edd. antiqq. Oros. l. VI. c. 10. 'Cottam et Sabinum legatos apud Eburones cum tota funditus legione insidiis circumventos interfecit.' At Gruterus inverso ordine dedit *circum-*

venti insidiis; quod superest in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boenderm. et ed. Camp.

Magno labore defensa] Edebatur olim *maximo labore*, suffragantibus Excerp. Pithœi, et Norv. Ejus loco Gronov. 1665. emendavit *magno labore;* quod probant Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. L.

Interque eos, qui in Treviris præerat, Q. Cicero] Quos *eos?* Numquid prius dixit? 'aliorum quoque legatorum.' An hic potius *interque ea, quibus in Treviris præerat Q. Cicero?* Hoc magis placet. *J. F. Gronov.* Vitium hoc quum esset in postremis aliquot edd. commissum, nescio quorum culpa, merito advertit Perizonium meum, isque monuit me, reponi debere *Nerviis*, quod obtinuit olim, excuditque in Sigoniana Paulus Manutius. Et hoc volunt Mss. in quibus vidi exstare *Terberis*, vel *Terbeiis.* Itaque emendavi errorem. *Jac. Gron. Intra quæ erat, qui Treviris præerat, Q. Cicero* Leid. *interque ejus, qui interberis præerat, Q. Cicero* Voss. *interque ejus, qui in Treveris præerat, Q. Cicero* Berg. et Lov. 2. *Treberis* Exc. Pith. *Treveris* Boend. edd. Romana princeps apud Hearnium, et Campani. *Nerviis* jam ipsum Sigonium edidisse video a. 1572. An legendum? *inter quæ ejus, qui in Nerviis præerat, Q. Ciceronis.* Illud *inter quæ* probabile redditur ex illis quæ dicentur ad Epit. seq. Castris legionis, quæ in Nerviis hibernabat, Q. Ciceronem præfuisse, testatur Cæsar B. Gall. lib. v. cap. 24. Vide etiam Oros. VI. 10.

Bellum Parthis inlaturus, Euphratem fluvium transiit] *Parthis illaturus bellum* Lov. 2. Tum *Euphratem flumen* Berg. Vide ad Livii XXXVIII. 15. § 7. Dein *transivit* Exc. Pithœi, Norv. et pleræque edd. ante Gronovium, qui *transiit* emendavit. Nec aliter Voss. Berg. Lov. 2. Boenderm. et ed. Camp. *transit* Leid. et una vel altera ex priscis edd. Vide ad Epit. l. CIII. Mox *in quo et filius cecidit* Voss. *in quo filius cecidit, et ipse quum reliquias,* et *vocatus,* pro *evocatus,* Boend. et ed. Camp.

Ut de pace acturus] *Acturis* et vet. lib. habent, et historiæ fides postulat. *Sigon.* Similiter omnes scripti nostri cum Exc. Pithœi, et ed. Camp. Præterea *velut de pace* Gronov. 1665. recepit, quod et ipsum servant codd. nostri, et ed. Camp.

Comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est] *Comprehensusque* Leid. Vossian. Berg. et Lov. 2. quorum duo posteriores omittunt sequentem voculam *et.* Præterea *ne quid victus* Voss. Tum *repugnans vivus interfectus est* Leid. Pro *interfectus est,* quod servant omnes nostri, et ed. Campani, reliquæ edd. ante Gruterum, et cum illis Norvic. præferunt *interemptus est, et ita periit.* Sed *interemptus est,* reliquis omissis, Exc. Pithœi. At vide ad Epit. lib. LXXIII.

LIB. CVII.

C. Cæsar, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit] Prænomen deest in Boend. Vide ad Epit. lib. LXII. Hinc *Trevcris* Leid. Berg. Boend. et edd. principes. Utraque scriptura in monumentis et libris antiquis obcurrit. Vide Cellar. Geogr. Ant. II. 3. 200. Tum *in Galliam* Norvic. male. Deinde *transit* Leid. Voss. Norvic. et ferme omnes edd. usque ad Gronov. qui a. 1665. emendavit *transiit.* Vide ad Epit. l. CIII. Mox *nulloque ibi invento hoste* Exc. Pithœi, Norvic. et edd. ante Gronovium, qui eodem tempore, transpositis vocibus, dedit *hoste invento;* quod probant omnes nostri, et ed. Camp.

Et Ambiorigem in fuga persecutus] Hoc frigide dici, et addendum fuisse videtur, quo eventu eum persecutus

fuerit. Fortassis *in fuga frustra persequutus est.* Ambiorigem e Romanorum persequentium manibus, quum jam in eo esset ut caperetur, bis elapsum fuisse, scribit Cæsar B. G. lib. VI. capp. 30. et 43. *Duker. Et regem Ambiorigem* Boend. Exc. Pithœi, Norvic. et edd. pleræque ante ultimam Gruteri, quæ *τὸ regem* expunxit. Eadem vox exsulat etiam a Voss. Leid. Berg. et Lovel. 2. Tum *persecutus est* legunt Leid. Berg. Boenderm. et ed. Camp.

In via Appia ad Bovillas occisi] Sic Cic. pro Milone. Sed præpositionem et Voss. et duo Gud. nesciunt. Et solebant sic quoque loqui. Suet. Domit. cap. 17. 'Cadaver Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funeravit.' *J. F. Gron.* Præpositio etiam exsulat a Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. omnibusque editis usque ad Curionem, qui eam primus adscivit. Interdum præpositio addi solet, ut apud Liv. XXII. 36. 'In via Fornicata, quæ ad Campum erat, aliquot homines de cœlo tacti exanimatique fuerant.' Ascon. in Argumento Orat. Cic. pro Mil. 'Semianimem Clodium extractum in via Appia occisum esse.' Et postea, 'Nominatim cædem in Appia via factam comprehendit.' Sæpius tamen præpositio omitti solet. Liv. IV. 41. 'Jam consul via Lavicana ad fanum Quietis erat.' X. 36. 'Interamnam coloniam Romanam, quæ via Latina est, occupare conati.' XXII. 55. 'Equites expeditos et Appia et Latina via mittendos.' Valer. Max. I. 8. 4. 'Fortunæ etiam muliebris signum, quod est via Latina ad quartum milliarium, eo tempore cum æde consecratum.' Ascon. ad Cic. Orat. pro Milon. cap. 18. 'Via Appia est prope urbem monumentum Basilii.' Verius igitur est, ut scriptis et edd. primis pareamus, ac præpositionem expellamus. Paullo ante *candidato consulari* Leid. Ita Cic. pro Mur. cap. 27. 'Videtur prætorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum, incurrere:' et in Fragm. Orat. in Toga Candid. 'Ut repente gladiatores populo non debitos pollicerentur, quos ipse consularis candidatus perspexit, et legit, et emit.' Reliqui tamen omnes codd. *consulatus* tuentur.

Qui armis ac vi contendebant] *Armis atque militibus* Boend. *armis atque vi* Voss. Supra Epit. l. LXXIX. 'Quum perniciosas leges per vim atque arma ferret.' In præcedentibus *Scipionem, Milonem*, omissa copula, Voss. Berg. et Lov. 2.

Cn. Pompeius legatus a senatu] Quid hic *legatus?* Mss. *et ab senatu consul tertio.* Numquid igitur, *delegatus ab senatu et consul tertio factus est absens?* An potius *rogatus a senatu?* Hanc enim speciem ambitioni suæ circumdedit. *J. F. Gron. Cn. Pompeio legato et a senatu consul tertio factus est* Voss. Similiter Berg. nisi quod *tercio consul* legat. *Cn. Pompeius legatus et a senatu consul tertio factus est* Leid. *tertio* etiam Lov. 2. Boend. Norvic. omnesque edd. ante Moguntinam, quæ *tertium* substituit. Vide ad v. 16. § 1.

Quod nemini umquam contigit] Vet. lib. *quod nulli alii umquam*, sine voce *contigit.* Sigon. Sic Sigonius, deleto, quod adjiciebatur olim, *coutigit.* Subscribunt Vossianus et Gudianus minor. Intelligendum *facti sunt.* Major Gud. *quod nulli alii unquam accidit.* J. F. Gron. *Quod nulli alii umquam*, omisso verbo *contigit*, Berg. Lovel. 2. Boend. et Exc. Pithœi: *quod nemini umquam contigit* Norvic. *quod nulli alii umquam contigit* Leid.

Lex dicta est, ut ratio] Vet. lib. *Lex data.* Hinc ergo *Lex lata.* Sigon. *Lex data est* Leid. Voss. Berg. et Boend. unde Sigonius legendum conjicit *lata;* quod in Exc. Pithœi superesse, auctor est Hearnius. Voces 'datus' et 'latus' sæpe in Mss. commutantur. Præter exempla enumerata ad Livii

I. 4. § 7. vide quæ notantur ad VII. 24. § 8. ad Epit. libb. VII. et XLVI. Similiter 'dictus' et 'latus;' vide ad Livii VII. 28. § 8. et ad Epit. l. XIX. Paullo ante *quæstione de certa morte P. Clodii* Boend.

Invito et contradicente M. Catone] Hoc verisimile quidem est, nec tamen alibi, quod sciam, legitur. *Lex* hic est plebiscitum, quod Pompeio tertium consule, decem tribunis plebis ferentibus, et Pompeio ipso adnitente, factum est, ut Cæsaris absentis ratio in petitione secundi consulatus haberetur, de quo est in Cic. ad Att. VII. 3. et VIII. 3. in Dione XL. 144. in Appian. Civ. II. 442. et Floro IV. 2. § 16. Suetonius in Cæs. c. 26. eamdem rem paullo plurihus hoc modo refert: Quum tribuni plebis Pompeio, quem solum consulem senatus fieri censuerat, Cæsarem collegam destinarent, hunc cum iis egisse, potius ad populum ferrent, ut absenti sibi, quandoque imperii tempus expleri cœpisset, petitio secundi consulatus daretur, idque obtinuisse. Nam quæ de destinatione tribunorum plebis et actione Cæsaris cum iis narrat, alii prætulerunt: nisi quod e Dione intelligi potest, tum a quibusdam agitatum fuisse, ut Cæsar Pompeio collega daretur. Scribit enim, Pompeium id metuentem per tribunos plebis effecisse ut Cæsari absenti consulatum petere liceret. Aliam deinde legem, ab eodem Pompeio in tertio consulatu latam, cujus uno capite absentes, ne Cæsare quidem excepto, a petitione honorum submovebantur, memorant Sueton. Cæs. c. 28. Cic. ad Att. VIII. 3. et Dio XL. 147. Sed accuratissime Suetonius, e quo solo discimus quo jure Marcellus, qui post Pompeium anno IↃCCII. consul fuit, et haud dubie alii earumdem partium contenderint, beneficium populi, quod Cæsari plebiscito datum fuerat, eidem lege Pompeii, quæ plebiscito posterior erat, ademtum esse. *Duk. Et invito et contradicente* Leid.

Inter quas Avarici Biturigum et Gergoviæ Arvernorum] Voces *inter quas* omittit Vossian. quæ etiam, si plures codd. concinerent, omitti possent: nunc vero servandas censeo, partim quia reliqui Mss. constanter retinent, partim quia auctor ita loqui solet. Supra Epit. l. LXXVII. 'Duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, judicati sunt.' Epit. l. LXXX. 'Omnibus adversæ partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro.' Hinc confirmatur conjectura supra proposita Epit. præced. 'Quum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno labore defensa essent, inter quæ ejus, qui in Treviris præerat, Q. Ciceronis.' In nominibus propriis hic mire variant Mss. *Avarici Baturigenses et Gergovia Avernorum* legit Leid. *Avaria, Bituria, et Gergoniæ Arvernorum* Voss. *Avarici Biturícum, et Gergoniæ Avernorum* Berg. *Avarici Biturinix, et Gergoniæ Arvennorum* Lov. 2. *Arvaria Bituria vicit cum religione Arvernorum* Boend. Sed Hearnius ex suis nihil aliud notat, quam τὸ *et* deesse in Exc. Pithœi, et Norv. eorumque posteriorem *Gergovis* habere. Certum tamen est ex Cæsare aliisque, receptam lectionem probam ac veram esse. Paullo ante *adversus*, pro *adversum*, recepi fide Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLVII.

LIB. CVIII.

C. Cæsar Gallos ad Alesiam vicit] Sic item Cæsar ipse in Comm. Diod. Siculus, Strabo, Velleius, Dion Cassius, Polyænus, et Orosius. Sed *Alexiam* in Norv. et edd. Aler. Sig. Vineti, atque Gruteri. Nec aliter Metaphrastes Cæsaris, et Florus; quamvis etiam hic vetustis edd. *Alesiam* præ se ferat. C. M. NOBILISSI-

MUS. SALEX. M. P. M. in inscriptione quadam, a Reinesio edita Cl. II. num. 15. cujus indicio *Alexia* notatur, ultima litera præcedentis vocis describentis oscitatione perperam repetita. Vide Cellarii Geogr. Ant. vol. I. p. 135. *Hearnius. Alexiam* Leid. Voss. Berg. Boend. et edd. ante Gronovium, qui a. 1665. *Alesiam* reposuit, auctores ab Hearnio memoratos secutus. Eam autem veriorem scribendi rationem esse, monuerunt viri docti ad Vell. Paterc. II. 47. Cæsar. Gall. VII. 68. et 69. Flor. III. 10. § 23. et Fabric. ad Oros. VI. 11. qui ex Diod. Sic. IV. 158. docent Herculem *Alesiam* adpellasse ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν στρατείαν ἄλης, eamque etymologiam non *Alexiam*, sed *Alesiam*, probare. Prænomen Cæsaris exsulat a Boend. et ed. Camp. Sed vide ad Epit. l. LXII. *Cum Cn. Cæsar Gallos ad Alesiam vicerit, omnes Galliæ civitates* præfert Berg.

C. Cassius, quæstor M. Crassi] *C. Cestius* Boend. *Cn.* vel *C.* vel *Gaius Cæsius* Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, Norv. omnesque typis descripti usque ad Frob. qui recte *C. Cassius* emendavit. Ita enim vocatur Plutarcho in Crass. p. 554. Appian. in Parth. 149. Dion. Cass. XL. 132. et 133. Vell. Pat. II. 44. aliisque. Præterea *G. Crassi* Voss. *C. Crassi* Lov. 2. et Exc. Pithœi. Mox *in Syriam transierat* Voss. Sed vide ad Epit. l. CIV. Præterea *occidit*, pro *cecidit*, Leid. Vide ad XXXVI. 36. § 6.

Consulibus Ser. Sulpicio et M. Marcello] Gud. *Ser. Sulpicio, M. Marcello.* J. F. Gronov. Similiter Leid. Voss. Lov. 2. et Boend. Paullo ante *M. Cicero*, pro *M. Cato*, perperam Leid.

Contentiones inter consules de successore C. Cæsari] *Continet inter consules* Leid. Voss. Berg. Boend. Norv. et edd. principes: *contentionem inter consules* Lov. 2. et ed. Parm. Quod nunc exstat, primum apud Aldum inveni. Præterea *C. Cæsaris* Leid. Voss. Berg. Boend. et ed. Campani. Idem error in nonnullis edd. committitur Epit. seq. Mox *agente in senatu Marcello* sine prænomine Leid. Berg. et Lov. 2.

Veniret, quum is lege lata in id tempus consulatus] Ocius dele τὸ *id*, et scribe *in tempus consulatus*, hoc est, in solidum decennium. Ipse de Bello Civ. III. 1. 'Dictatore habente comitia Cæsare, consules creantur Julius Cæsar et P. Servilius: is enim erat annus, quo per leges ei consulem fieri liceret.' Fortassis, 'consules creantur ipsè et P. Servilius: is enim erat annus, quo per leges eum.' Gud. minor etiam *ad petitionem consulatus rediret.* J. F. Gronov. Novem hæc vocabula desunt in Voss. sed errore librarii, cui peccandi ansa fuit vocis *consulatus* repetitio. Vide ad IX. 11. § 11. *Rediret*, pro *veniret*, etiam Leid. Mox *gestas in Syria* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gronovium, qui a. 1665. *in Syria gestas* dedit, consentientibus Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. CIV.

LIB. CIX.

Caussæ civilium armorum] Præmittit his verbis uterque Pall. *Qui est primus civilis belli:* ut et infra Epit. l. CX. antecedit 'qui est civilis belli secundus.' Item l. CXI. 'qui est civilis belli tertius.' Et sic consequenter usque ad Epit. l. CXVI. ubi habent 'qui est civilis belli octavus.' Adeo ut Livius singulis libris singulorum annorum gesta complexus fuerit. *Gruter.* Quod utrumque Pall. huic et septem sequentibus libris præmittere Gruterus monet, iisdem libris in Exc. Pithœi præmissum invenit Hearnius. Similia, quibusdam tamen mutatis, præmittuntur huic et quinque sequentibus libris in Leid.

huic et tribus sequentibus in Voss. huic et CXI. ac CXII. in Berg. huic, tum, CXII. CXIII. CXIV. et CXVI. in Boend. huic et CXII. in ed. Camp. Verum varietas hæc codd. satis indicat omnia illa a librariis addita esse: quod ulterius inde firmatur, quoniam alibi in contextu Epitomarum numerus librorum non fuerit adjectus, ut dictum est ad Epit. l. I. Ex illis itaque Gruterus recte efficere non potuit Livium singulis libris singulorum annorum gesta complexum fuisse. Id etiam verum non esse, ex ipsis Epitomis colligi potest, et ex supplementis Freinshemii palam fit. Ceterum *Caussa civilium armorum* legit Voss. invitis reliquis. Tum *de successore C. Cæsaris mittendo* Voss. Boend. et ed. Camp. Neque aliter Berg. nisi quod *Cn. Cæsaris* præferat. Sed vide ad Epit. præc.

Exercitum negaret, nisi a Pompeio dimitteretur] Vet. lib. *exercitus*, et *dimitterentur*. Sigon. Melius *nisi et a Pompeio*. J. F. Gron. *Exercitum*, et *dimitteretur* servant Leid. Vossian. Berg. et Boend. contra *exercitus* et *dimitterentur* Lov. 2. et Exc. Pithœi. Utrumque auctoritate Cæsaris defendi potest: et quidem prius B. Civ. I. 2. 'Uti ante certam diem Cæsar exercitum dimittat:' alterum c. 10. 'Cæsar in Galliam reverteretur, Arimino excederet, exercitus dimitteret.' Particulam *et*, quam interponendam Gronovius judicat, et Clericus in contextum adscivit, in nullo cod. inveni: quare iterum ejeci.

Primum adversus Cæsarem actiones continet] Vet. liber *primum adversus Cæsarem de populo Romano Cæsare actiones continet*. Hinc ego, observatione historiæ ductus, *primum adversus Cæsarem, deinde pro Cæsare actiones continet*. Id enim omnes tradunt, et maxime Cœlius ad Cic. ad Famil. VIII. 6. 'Quod tibi supra scripsi, Curionem frigere, jam calet: nam ferventissime concerpitur: bellissime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, et pro Cæsare loqui cœpit.' Ad hanc etiam historiam pertinere puto verba quædam Varronis, ex lib. IV. de Vita populi Romani, quæ sunt apud Marcellum voce 'Obstrigillare:' 'Curio, cum id fecisset, dicebat amicis, ut illi renunciaretur, se obstrigillaturum, ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret consul.' Est autem 'obstrigillare' obstare. *Sigon. Adversus Cæsarem de re pu. celare actiones* Boend. et ita etiam Berg. nisi quod *actionem* præferat: *adversus Cæsarem de re p. Cæsaris actiones* Lov. 2. *adversus Cæsarem de publica re et Cæsaris actiones* Leid. *adversus Cæsarem de p. r. alare actiones* Voss. *adversus Cæsarem de po. ro. Cæsarisque actiones* Gudianus alter, teste Gronov. ad Epit. l. LXVII. *adversus Cæsarem, deinde pro Cæsare actiones continet* firmari testimonio Exc. Pithœi, monet Hearnius. Quemadmodum Cæsar Curionem, qui antea Pompeio adhærebat, ab eo abductum sibi conciliarit, vide apud Vell. Pat. II. 48. et quæ ibi notantur.

M. Antonio et Q. Cassio] *Et M. Antonio* Voss. Tum *et Q. Crasso* Leid. et Berg. Male. Voces hæ confundebantur etiam supra Epit. præc. *Q. Cassium* in hac re memorant Cic. ad Famil. XVI. 11. Cæsar B. Civ. I. 2. et alii historici. Paullo ante *successor Cæsari omnino mitteretur* Norv. et edd. ante Sigonium; qui recte omisit vocem *omnino*, exsulantem pariter ab omnibus Mss. meis, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVIII. et mox hac Epit.

Mandatum ab senatu consulibus et Cn. Pompeio] *Mandatum est a senatu* Leid. *mandatumque a senatu* Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et priscæ edd. usque ad Frobenium, qui a. 1535. copulam primus omisit. Si lectio codd. illorum et vett. edd. placet, major distinctio post verbum *caperet* tollenda,

et oratio ulterius continuanda est; quæ hoc modo cohærebit: *Quum senatusconsultum factum esset, ut, &c. mandatumque a senatu* sc. esset, &c. *Cæsar, &c. in Italiam venit.* Sin orationem post *cuperet* intercidere malimus, cum Leid. legam *mandatum est a senatu.* Illud *ab senatu* in edd. Gronovianis demum vidi. Mox alio ordine *ne quid detrimenti respublica* Leid. et Berg. sed *ne quid respublica detrimenti* passim obcurrit apud Liv. III. 4. Sallust. in Catil. c. 29. et Cæsar. B. Civ. I. 5. et 7. licet quædam eorum aliter laudarit Brisson. de Formul. II. 212. Is ergo ordo verborum, qui vulgo exstat, in hac formula sollemnis fuisse, ac placuisse videtur.

Bello inimicos persecutus, cum exercitu in Italiam venit] Et sensus et vetustæ lectionis auctoritas probant legendum esse *persecuturus.* Sigon. *Inimicos bello* Boend. et ed. Camp. at vox *bello* deest in Lov. 2. Tum *persequi rex* Vossian. *persecuturus* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Corfinium cum L. Domitio et L. Lentulo cepit, eosque dimisit] *Corfinium et cum L. Domitio* Leid. qui insuper *ipsosque dimisit* præfert. Præterea *P. Lentulo* emendavit Perizonius in margine exemplaris sui: et recte. Intelligitur enim 'P. Lentulus Spinther,' memoratus Cæsari B. Civ. I. 23.

Universosque ejus partium Italia omnino expulit] Vet. lib. *cæterosque partium ejus Italia expulit.* Sigon. *Ceterosque partium ejus* etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Vox *universus* inter eas est, quæ interpolatoribus harum Epitomarum summopere placuerunt, et in deliciis fuere. Præsertim tamen eam subposuerunt, ubi codd. *totus* legunt. Vide ad Epit. l. LII. Tum *ex Italia* Leid. Livium alibi præpositionem, cum qua verbum compositum est, in regimine addidisse, vidimus ad Præfat. § 10. non tamen id semper vel ipse, vel auctor Epit. fecerunt. Liv. II. 6. 'Nos extorres expulit patria.' Auctor Epit. lib. LXXXVIII. 'Carbonem Italia expulit.' Epit. l. CIV. 'Germanos Gallia expulit.' Similiter 'pellere regno' Epit. l. XLVI. ubi alia vide. Vox autem *omnino* deest iterum in omnibus scriptis meis, Exc. Pithœi, et edit. Camp. Vide supra hac Epit.

LIB. CX.

Relictis in obsidione C. Trebonio et D. Bruto, profectus in Hispaniam, L. Afranium et C. Petreium] Vet. lib. *relictis in obs. urbis ejus legatis, C. Trebonio.* Sigon. Omnia illa vocabula, sola tantum prima excepta, desunt in Boend. at voces a Sigonio additæ in Voss. quas contra agnoscunt Leid. Lov. 2. et Berg. ita tamen ut *ejus urbis* ultimus præferat. Tum *Decio Bruto* legunt Voss. et Lov. 2. Hinc *L. Anfrannium et C. Petreium* Voss. *L. Affranium et CN. Petreium* Berg. *L. Africanum et Petreium* Exc. Pithœi. Vide ad Epit. l. CXIII. et viros doctos ad Vell. Paterc. II. 48. *M. Petreium* Sigonii edd. posteriores præferunt; quod verum puto, licet nemo postea Sigonium audire dignatus sit. Petreium enim, quem Cæsar ex Hispania discedere coëgit, Marci prænomen habuisse, testantur Sueton. Cæs. c. 34. Oros. VI. 15. Eutrop. VI. 20. et 23. Jul. Celsus de Vit. Cæs. p. 141. et Freculph. Chron. part. I. lib. VII. c. 8. M. Petreium, ducem Pompeianum, sæpius etiam memorat auctor B. Afric. At ipse Cæsar semper ejus prænomen omittit B. Civ. l. I. Vestigia veri prænominis supersunt in Berg. Passim enim *Cn.* et *M.* in Mss. confundi, vidimus ad VII. 12. § 1. Paullo ante vox *ipsi* non apparet in Leid. Berg. et Lov. 2. Præ-

terea *cluserat* legunt Exc. Pithœi. Ita *clusa*, pro *clausa*, idem cod. habet infra h. Epit. Sæpe etiam veteres ita scripsisse, docet Meursius in Critic. Arnob. II. 12. Voculam *et* ante *relictis* ignorant etiam Exc. Pithœi.

Cum septem legionibus] *Septem*, si emendata est Epitoma Liviana, ait Lipsius de Milit. Rom. IV. 8. Nam *quinque* tantum sunt in Cæs. B. Civ. I. 38. et 39. et Floro IV. 2. § 29. *Duk.*

Ad Ilerdam in deditionem accepit] *Ad Hylerdam fluvium* Boend. *ad Ilerdam fluvium* ed. Campani. At vox *fluvium* ab indocto primum margini adscripta, mox in contextum recepta est. Ilerda enim, ut notum, urbs fuit Hispaniæ ad fluvium Sicorim sita. Vide Cellar. Geogr. Ant. II. 1. 94. *Ad Hilerdam* Berg. Adspirationem huic nomini in Mss. addi, testis est Burm. ad Lucani IV. 2. Id tamen in nummis et marmoribus antiquis sine adspiratione scribi, testatur Cellar. loc. laud. Mox *omnes incolumes* sine copula Leid.

Gaditanis civitatem dedit] Gaditanis civitatem a Cæsare datam deinde confirmavit populus Romanus. Dio XLI. 164. *Duk.*

Massilienses, &c. victi post longam obsidionem in potestatem Cæsaris se permiserunt] Vet. lib. *potestati Cæsaris se.* Sigonius. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Infra Epit. seq. 'Omnibusque adversarum partium, qui se potestati victoris permiserunt, Cæsar ignovit.' Præterea *Massiliensibus victis* Voss. *Massilienses vicit* Leid. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. antiqq. pro quo ed. Mediol. 1505. recte *victi* emendavit; quod in Berg. fuisse videtur.

Male contra Pompeianos in Illyrico rebus gestis, captus est] Se *male contra Pompeianos pugnavit in Illyrico: captus est* invenisse in Norv. et ed. Romana principe, Hearne testatur. Et ita proximæ etiam edd. nisi quod *et in Illyrico captus est* legant. Gruterus deinde substituit *male contra Pompeianos rebus gestis in Illyrico captus est.* Gronovius, transpositis vocabulis, *in Illyrico rebus gestis;* quod probant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Recte. Antonius enim περὶ τὴν Ἰλλυρίδα ἦσσατο, teste App. Alex. B. Civ. II. p. 457. Insuper *adversus Pompeianos* iidem quinque codd. et una ed. Vide ad Epit. l. LVII. Tandem verbum *est* expungit Voss.

Opitergini Transpadani, Cæsaris auxiliares, rate sua ab hostilibus navibus clausa] Vox *Transpadani* omittitur a Norv. *Opit. Transp. Cæsaris rostrate suo ab hostibus* legit Voss. *hostibus navibus* etiam Exc. Pithœi, et Norv. *hostium* Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXXVI. Denique *clusa* Exc. Pithœi. Vide supra hac Epit.

Potius, quam in potestatem inimicorum] Vet. lib. *hostium.* Sigon. Pariter Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Vide ad Epit. libb. XXVII. XLVI. XCVII. et alibi. Mox *inter sese occurrentes* Boend. et ed. Camp. *occurrentes* etiam Norv. et primæ edd. pro quo Frob. *concurrentes* emendavit; quod superest in Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Vide ad XXXVI. 24. § 4.

Quum adversus Pompeianarum partium ducem Varronem pugnasset] Vet. lib. *cum prospere adversus.* Porro autem *Varum*, non *Varronem*, legendum. Hic est enim Atius Varus, qui in Africa stetit contra Cæsarem. Eadem labes est in bello Cæsaris apud Florum IV. 2. § 34. 'Pulso,' inquit, 'fugatoque Varrone.' *Varum* autem habent Cæsar, Dio, Plutarchus, reliqui. Sic in Orat. antequam iret in exsilium, legitur c. 11. *Q. Varroni trib. pl.* pro *Q. Vario.* Sic in orat. pro P. Sulla c. 7. 'Nemo T. Coruncano, nemo Curioni, nemo huic ipsi C. Mario, quum ei multi inviderent, objecit.' *Ti. Coruncanio* et *C. Curio* legendum: nominat enim novos homines 'Coruncanium' et 'Curium' æquales, ut alias facit. *Sigonius. Quum prospere* Leid.

Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Dein *adversum* Boend. et multæ ex vetustis edd. pro quo jam *adversus* edd. Camp. Mogunt. et reliquæ recentiores, quod est in ceteris Mss. Vide ad Epit. lib. XLVII. Tum *Pompeianarum partium ducem Varum* Exc. Pithœi : *Varum, Pompeianarum partium ducem* Gruterus edidit. Et ita præferunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Sed vocem vel *Varum*, vel *Varronem* ignorant Boend. et ed. Camp.

Cum exercitu cæsus est] Duæ priores voces desunt in Leid. Oros. VI. 15. 'Curio ex Sicilia in Africam cum exercitu transgressus est: quem Juba rex continuo exceptum cum omnibus copiis trucidavit.' Florus IV. 2. 'Pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum morte sequeretur.' Voces *C. Cæsar in Græciam trajecit* desunt in Leid. et Berg. *in Thraciam* legit Lov. 2.

LIB. CXI.

C. Cæcilius Rufus] Lege *M. Cœlius Rufus*. Est enim is, de quo Cæsar B. Civ. III. 20. ait, 'Iisdem temporibus M. Cœlius Rufus prætor, causa debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum juxta C. Trebonii prætoris urbani sellam collocavit.' Et Vell. II. 68. 'M. Cœlius in prætura novarum tabularum auctor exstitit.' Item idem Cœlius in epistola ad Ciceronem. Tolle *quam maxime* ex vet. lib. *Sigon. L. Cecilius Ruffus* Norv. *L. Cœcilius Rufus* ed. Rom. princeps, teste Hearnio. *M. Cecilius Ruffus* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. *M. Cœlius Rufus*, ut Sigonius emendat, Leid. Ita autem legendum esse, Sigonio adsentitur Pighius in Ann. ad a. IↃCCV. p. 445. De veritate emendationis dubitat Xylander ad Dion. Cass. XLII. 195. partim quia apud Dion. ibidem, ubi de eadem re tractat, ὁ Κεκίλιος ὁ Μάρκος vocatur, partim quia consul quidam *C. Cæcilius Rufus* memoratur apud Dion. lib. LVII. et in indice, et in ipso libro p. 613. Verum, ut ordine inverso de posteriori loco prius videamus, altera parte difficultatis levabimur monendo viros doctos docuisse, indicem consulum, Dionis libris præfixum, non ab ipso Dione, sed ab aliis, partim ex ipso Dione, partim aliunde, confectum esse. In ipso vero loco Dionis p. 613. legendum omnino est Γάϊός τε Καίλιος, vel Κοίλιος, pro Καικίλιος: nam consul hic 'C. Cœlius' vocatur apud Tacit. Ann. II. 41. C. CÆLIVS. RVFVS in lapide apud Gruter. CCCCXLVIII. 8. quem Ryckius ad d. l. Taciti laudavit, et in alio apud Gudium LX. 8. C. CÆLIVS. VIRIANVS. RVFVS. apud eumdem LX. 2. Idem quidem C. CÆCILIVS. RVFVS vocatur in alio iterum lapide apud eumdem XLV. 8. Sed, hunc lapidem imperite descriptum esse, reliqui laudati testantur. [In priori autem loco Dion. p. 195. Καίλιος ὁ Μάρκος, pro Κεκίλιος, legendum est. Verisimilius enim videtur, eum corruptum et emendandum esse ad exemplum Cæsaris et Velleii, quam omnia illa loca ex Dione refingenda esse. Accedit 'Cœlium' etiam vocari apud Oros. VI. 15. et Freculph. in Chron. part. I. lib. VII. c. 8. Solent autem alibi voces 'Cœlius' et 'Cæcilius,' sive, ut in Mss. exarari solent, 'Celius' et 'Cecilius,' a librariis commutari. Vide ad Epit. Liv. libb. LXXIII. CXIV. et Cortium ad Plinii I. 5. § 8. et IV. 17. § 1. Præterea mox *in urbe quam maxime concilaret* Norv. et edd. vett. At emendationem Sigonii, qui voces *quam maxime* tollendas monuit, et ex contextu etiam ejecit, testimonio suo firmant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LIX. Insuper vocem *prætor* perperam omittit Voss. Ad hæc *novarum turbarum spe* Boend. et edd. quas vidi, ante Mediolanensem 1505.

quæ recte *novarum tabularum* subposuit; quod firmant reliqui sciipti. De tabulis novis vide Rhodigin. Antiq. Lect. XII. 20. Marc. Donatum ad Suetou. Cæs. c. 42. et viros doctos ad Sallust. Catil. c. 22.

Uterque, quum bellum molirentur, interempti sunt] *Uterque, quum bellum moliretur* Lov. 2. *Utrique, quum bellum molirentur* Leid. Vide ad XXXVI. 16. § 6. Tum *injecti sunt* Voss. *interjecti sunt* Exc. Pithœi: *interfecti sunt* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXXIII. Mox vocabulum *Ægypti* et præpositio *a* exsulant a Boend. Vide ad Epit. l. XLVI. *regina Ægypti* Berg. et Lov. 2. *ab Ptolemæo* Leid.

Propter Q. Catuli prætoris avaritiam] Lege *Q. Cassii*, ut in emendationum libris correximus ex Dione. *Sigon. Propter Catuli prætoris avaritiam* Exc. Pithœi: *propter Q. Catuli avaritiam* Boend. *propter Q. Catulli avaritiam* Berg. *propter Q. Con. avaritiam* Voss. *propter Q. Catii prætoris avaritiam* Lov. 2. Prisca lectio superest in Leid. et Norv. At *Q. Cassii prætoris*, quod nemo adhuc viderat, legendum monuit Xylander ad Dion. Cass. XLVII. p. 369. Certe non animadverterat Sigonius in prima ed. scholiorum, sed demum tetigit Emend. I. 12. in secunda deinde ed. quæ diu post Dionem a Xylandro editum prodiit, scholiis inseruit. Ipse vero Xylander emendationem suam non tantum loco Dionis confirmari addit, sed etiam testimonio auctoris de B. Alexandr. c. 48. et seqq. Ejus conjecturam probat etiam Pighius in Ann. ad a. IDCCIV. p. 436. Dukerus, præter loca a Jac. Gronov. ad verba seqq. laudata, insuper videndum docuit Valer. Max. IX. 4. 2.

Cum duabus Varianis legionibus a partibus Cæsaris desciverunt] Nullæ in Hispania fuerunt a Varo dictæ vel ductæ legiones. M. Varro tenuerat ulteriorem Hispaniam, ubi Corduba erat. Ejus legiones relictæ illic fuerant et traditæ Q. Cassio Longino, cujus odio a Cæsaris partibus postea iterum descivere, sed superveniente Lepido brevi ad officium rediernnt. Vide Cæsar. Bell. Civ. II. 20. 21. et Auctor. B. Alex. 53. 57. 58. Scribendum igitur hic vel *Varronis*, vel *Varronianis*, ut Liv. XXIII. 38. ‘ Varroniani milites.’ *Jac. Gron.* Voces *cum duabus* desunt in Voss. Lectio deinde Leid. *Varrianis legionibus* favet conjecturæ Gronovii *Varroïanis*, id est, *Varronianis*. Præterea *a partibus desciverunt*, media voce *Cæsaris* omissa, Voss. *a partibus Cæsaris defuerunt* Lov. 2. unde conjici posset librarium scribere voluisse *defecerunt*. Vide ad Epit. Liv. l. XLIV. quod tamen veræ lectionis interpretationem censerem. Certe pari modo *defecissent*, pro *descissent*, exhibet cod. Haverk. XXV. 16. § 10. *desciverunt a partibus Cæsaris* ed. Camp.

Cn. Pompeius ad Brundusium obsessus a Cæsare] Quid est tam novum, quam Pompeium obsessum a Cæsare ad Brundusium? In vet. lib. est *ad Dyrrachium:* atque idem tradunt omnes historici. *Sigon. Ad Brachium* Berg. a m. pr. *ad Dirachium* a m. sec. *ad Durachium* Boend. *ad Dyrrachium* Leid. Voss. Lov. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Dein *a Cæsare* non agnoscit Leid. ut nec *a Cæsare et* Berg. Verba autem *præsidiis ejus expugnatis* referenda esse ad præsidia Cæsaris, docet Oros. VI. 15.

Translato in Thessalia bello, apud Pharsaliam acie victus est] Si *Pharsaliam* pro regione dixit, ut plerique alii, *apud* est ‘ in.’ Ita Sueton. Aug. c. 92. ‘ Apud insulam Capreas veterrimæ ilicis demissos jam ad terram ramos langnescentesque adventu suo convaluisse:’ et c. 93. ‘ Quod Judæam prætervehens apud Hierosolyma non sacrificasset.’ Sed fortassis *Pharsaliam* pro urbe posuit, ut Tacit. Hist. l. I. c. 50. ex sententia Cellarii:

'Pharsaliam, Philippos, et Perusiam, ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur.' Sic quoque in vulgari lectione Catulli carm. LXV. vs. 37. 'Pharsaliam coëunt, Pharsalia tecta frequentant,' videtur accipi posse, etsi aliter sentit Is. Vossius. Freinsh. Florum etiam IV. 2. § 64. 66. et 84. forsan *Pharsaliam* pro urbe posuisse putat. Sed plane non necesse est, primo loco ita sumi. *Duk. Bello, victus est* Leid. *acie, magna Pompeianorum strage, victus est* Boend. et ed. Camp. *transluta in Thessaliam acie victus est*, reliquis omissis, Voss. Mox in fine hujus Epitomes *permiserant*, pro *permiserunt*, Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

LIB. CXII.

Trepidatio victarum partium per diversas orbis terrarum partes] Gudiani *in diversas*. Forte, ut apud Sall. Jugurth. cap. 67. 'trepidare ad arcem oppidi.' *J. F. Gronov. Trepidantium victarum partium* Leid. *Trepiduntia victarum partium* Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. *Trepidatio victorum partium* Exc. Pithœi. Dein *in diversas orbis terrarum partes* Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: quod recte Gronov. non displicuit; quamvis huc male advocarit locum Sallustii, ut Cortius ad eum monuit. 'Trepidare' hic est huc illuc discurrere cum tumultu. Et quidem *trepidabant in varias partes*, id est, trepidationis caussa erat, ut varias partes adirent, in quibus se tutas latebras, et rei restituendæ facultatem habituros sperabant. Si tamen codd. permitterent, una particula trajecta legerem, *Trepidatio victarum partium et in diversas orbis terrarum partes fuga referuntur*. Ceterum *refertur*, pro *referuntur*, Leid. Voss. Berg. et Lov. 2.

Auctore Theodoro præceptore] Vct. liber *Theodoto*. Plutarchus, Dio, et cæteri Θεόδοτον. *Sigon. Et auctore* Norv. et edd. ante Frobenium, qui primus copulam omisit. Eamdem ignorant Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. et Exc. Pithœi: at *tutore*, pro *auctore*, legit Lov. 2. Tum *Theodoro* Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. *Theodoto* Leid. et Berg. De eo vide viros doctos ad Flori IV. 2. § 60. Nomina hæc propria similiter confunduntur in Mss. XXIV. 5. § 10. Præterea *præceptore suo* Leid. at paullo ante *pupulli sui* in Exc. Pithœi fuisse, auctor est Hearnius.

Cujus apud regem maxima erat auctoritas] Gudiani et Voss. *cujus magna apud regem auctoritas erat*. J. F. Gron. Vulgato adhærere Exc. Pithœi, et Norv. Hearne testatur. Sed *quovis magna auctoritas erat* Berg. *cujus apud regem magna erat auctoritas* Boend. et ed. Camp. *cui a rege magnu auctoritas erat* Voss. *cujus magnu apud regem auctoritas erat* Leid. et Lov. 2. Omnes igitur nostri in *magna*, pro *maxima*, consentiunt. Vide ad Epit. l. L. et mox hac Epit.

Et Photino, occisus est ab Achilla, cui id facinus erat delegatum] Est obvius error librariorum in scriptoribus Latinis, pro *Pothinus:* nam Græcis est Ποθεινός. Vide Oudendorp. ad Cæs. B. Civ. III. 108. *Duk.* Licet omnes nostri *Photino*, vel *Fotino* præferant, cum Exc. tamen Pith. scribendum est *Pothino*. Et ita Gronov. 1665. quem ex recentioribus minor Jac. Gronovii ed. Doujatius, Clericus, et Crevierius secuti sunt. Vide Grotium et Oudend. ad Lucani l. VIII. vs. 483. Præterea perperam *Archelao* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et edd. vett. *Herchelao* ed. Camp. Tum *cui delegatum id facinus erut* Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gruterum, qui *cui delegatum id erat facinus* substituit; Gronovius *cui id facinus erat delegatum*, consentientibus omnibus nostris membranis cum ed. Campani. Mox *in terram veniret*

Boend. et ed. Camp.

Cornelia uxor et Sex. Pompeius filius in Cyprum refugerunt] Voss. et Gudiani, ut diximus, *filius Cypron refugerunt*. J. F. Gron. *Cyprum refugerunt* Berg. Boend. Norv. ed. Camp. et, teste Hearnio, Rom. princeps. Omnes reliqui excusi ante Gronov. *in Cyprum*, quod Hearnius etiam in Exc. Pithœi invenit. Sed *Cypron refugerunt* Leid. et Lov. 2. De terminatione Græca *Cypron* vide ad Epit. lib. LII. de omissa præpositione ad Epit. lib. LIX. Insuper *et Sex. Pompeii filius* Voss. et Boend. *et Sex. Pompeius Pompeii filius* Berg. Verum, qui filium ex nomine paterno describunt, ad id adhibent prænomen patris, vel ejus cognomen, non autem nomen gentile, de quo dubitari nequit. Vide ad Livii III. 25. § 3. et IV. 45. § 5. Id si auctor Epitomes hic facere voluisset, dicere debuisset *et Sex. Pompeius Magni filius*, ut Epit. l. CXIII.

Post tertium diem insecutus, quum ei Theodotus caput Pompeii et annulum obtulisset] An post tertium diem a nece Pompeii? Hoc quidem postulant ea, quæ proxime præcedunt; sed nusquam proditum opinor. App. Civ. II. p. 483. scribit Cæsarem tribus diebus ab Rhodo Alexandriam pervectum fuisse. De eo Livius quoque forsitan aliquid dixerat. *Duk. Post tertiam diem* Vossian. Boend. et edd. Camp. Rom. a. 1472. ac Parm. Sed reliqui *tertium* defendunt; quomodo ipsum Livium maluisse vidimus ad VIII. 11. § 15. Dein *quum ei Cæsari* Voss. Sed ultima vox est librarii pannus. Tum *et annulum* omittit idem Voss. Male. Caput enim Pompeii et annulum Cæsari oblatum simul memorant Plut. in Pomp. 662. in Cæs. 730. Dio Cass. XLII. 189. Oros. VI. 15. Eutrop. VI. 21. et alii.

Et infensus est, et inlacrimavit, sine periculo Alexandriam tumultuantem intravit] Lege, *et offensus est, et ill., nec sine peric. Alex. tumultuantem intravit.* J. F. Gron. Ἀσύνδετον scabram reddit orationem. Manifestum est e Dione XLII. 189. certam esse conjecturam Gronovii, inferentis *nec*. Duk. Vocula *et* priori loco deest in omnibus Mss. meis, Exc. Pithœi, Norv. et excusis ante Gruterum; qui contextui inmisit, quemadmodum Clericus utramque Gronovii conjecturam, *offensus* pro *infensus*, et insertionem particulæ negantis *nec*. Ambas etiam probavit Crevierius, consultius tamen non adscivit.

Iisdem auctoribus Ptolemæum, quibus Pompeium interfecerat, cum maximo suo discrimine vicit] *Ptolemæum iisdem auctoribus* Berg. Lovel. 2. et ed. Camp. Vocem *Ptolemæum* non agnoscit Voss. et insuper legit *qui Pompeium interfecerant*. Deinde *magno*, pro *maximo*, Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide supra hac Epit. Ad hæc pronomen *suo* omittunt Voss. et Berg. quod tamen servandum est; quia Cæsar eo tempore non tantum magno partium discrimine vicit, sed ipse etiam præsentissimum vitæ periculum adiit; quod auctor B. Alex. cap. 21. aliique describunt. Deinde *evicit* Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: sed prima litera ejus vocis perperam ex præced. fine repetita est. Vide ad XXXVII. 29. § 8.

In Nilo navicula subsedit] Vox *navicula* deest in Boend. *consedit* legit ed. Campani. Male. 'Subsidere' enim dicuntur, quæ fundum petunt. Colum. XII. 19. 'Quidquid fecis subsederit, exagitet, et in summum reducat.' Mox *in Africam, &c. iter* perperam iterum Boenderm. et ed. Camp. Non enim indicatur iter Catonis versus Africam, sed potius per eam.

Bellum a Cn. Domitio contra Pharnacem Parthum prospere gestum continet] Domitius hic legatus Cæsaris cum Pharnace Ponti rege male rem gessit. Ex quo apparet legendum esse *contra Pharnacem parum prospere*. Ita enim Appian. II. p. 484. Φαρνάκης

Δομιτίῳ Καίσαρος στρατηγῷ συνενεχθεὶς ἐς μάχην ἐνενίκει πάνυ λαμπρῶς. Et Dio, XLII. 206. Καῖσαρ Γναῖον Δομίτιον Καλουῖνον ἔπεμψε, τήν τε Ἀσίαν οἱ καὶ τὰ ἐκεῖσε στρατόπεδα προστάξας λαβεῖν· καὶ ὃς τὸν Δηϊόταρον καὶ τὸν Ἀριοβαρζάνην προσλαβὼν ἤλασεν εὐθὺς ἐπὶ τὸν Φαρνάκην, καὶ συμβαλὼν ἡττήθη. *Sigon. Bellum Cn. Domitio* sine præpositione Voss. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Tum *adversus*, pro *contra*, Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII. Dein *parum prospere* omnes scripti nostri, Exc. Pithœi, et ed. Camp.

LIB. CXIII.

Imperium earum P. Scipioni delatum est] Ita Gronovius 1665. edidit; nec aliter est in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. nisi quod eorum ultimus legat *eorum*, et prænomen *Publius* ignoret. *Eorum* præfert etiam ed. Campani. Excusi ante Gronovium habent *earum imperium*. Deinde *Q. Scipioni* malebat Delrius ad Epit. seq. Sed vide quæ ibi notantur. Panllo ante *Pompeii partibus* Leid. et Berg. Male. Infra Epit. seq. ‘ Eques Romanus Pompeianarum partium.’

Cui ex æquo deferebatur imperium] *Imperium* vacat; subauditur enim ex priore membro. Vet. lib. *Sigonius*. Eamdem tamen vocem servant Leid. Voss. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norvic. quare etiam restitui. Unus Berg. Sigonio favere videtur.

Pompeii Magni filius] Vet. lib. *Inde Pompeius Magni filius*. Sigon. Τὸ *Inde* allevit Sigonius. Voss. *In Pompeii*. Gud. *Cn. Pompeii*. Scribe *Cn. Pompeius Magni filius*. J.F.Gron. Cum editis ante Sigonium faciunt Leid. Boend. et Norv. cum vet. libro Sigonii Exc. Pithœi. *Cn. Pompeii Magni filius* legit Lov. 2. *Cn. Pompeius Magni filius*, ut Gronovius conjecit, Berg. quod Clericus recepit, et postea etiam Crevierius recte probavit, addita hac caussa: quum duo filii Pompeii essent, qui prænominibus distinguebantur, verisimile admodum esse, auctorem Epitomes ei, de quo agebat, suum prænomen addidisse. Certe id fecit Epit. lib. CXXIII. ‘ Sex. Pompeius, Magni filius, &c. totam provinciam occupavit.’ In eo tamen aliquid humani passus est Crevierius, quod adfirmet lectionem hanc clare expressam reperiri in uno e codd. a Gronovio inspectis. *Pompeius Magni filius* eadem ratione dictum, qua ‘ Servilius Prisci filius.’ De eo vide ad IV. 45. § 5. Mox *contractis in Hispania viribus* Boend. Deinde *Africanus*, pro *Afranius*, Exc. Pithœi. Vide ad Epit. l. CX. Tandem *volebat* Berg.

Pharnaces, Mithridatis filius, rex Ponti, &c. victus est] Ita primum Moguntiæ editum vidi. Priores excusi dederant *ex Ponto;* quod licet Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et Norvic. præferant, alterum tamen verius est. ‘ Pharnacem in Ponto vicit’ dixit Orosius VI. 16. ex quo emendandus est Freculph. part. I. lib. VII. c. 9. in quo male *in ponte* nunc editur. Mox τὸ *est* exsulat a Boend.

A P. Dolabella tribuno plebis] De turbis ab eo in republica concitatis narrat Dio XLII. 198. et sæpe queritur Cicero in Epistolis ad Atticum. Vide Manutium ad Attic. XI. 23. Dio eum a patriciis ad plebem transiisse tradit, ut tribunus plebis fieri posset. Certum est, eum non aliter tribunum plebis fieri potuisse; quam etiam P. Clodio causam fuisse, cur se a P. Fonteio, homine plebeio, adoptari voluerit, e Cicerone pro Domo c. 13. et Dione XXXVII. 53. constat. Sed in quam gentem plebeiam transierit, nusquam diserte proditum scio. Cicero ad Attic. lib. VII. cap. 8. scribit, eum testamento Liviæ cujusdam cum duobus coheredibus in triente institutum, sed nomen mutare jussum

fuisse, et πολιτικὸν σκέμμα esse dicit, an rectum sit nobili adolescenti, mutare nomen mulieris testamento; sed simul significat se ac Dolabellam certius de eo judicaturos, quum scivissent quantum in triente trientis esset. An hereditas illa, in qua tantum triens trientis erat, tam locuples fuerit, ut Dolabella eam sibi adeundam, et nomen testamento mulieris mutandum, et cetera, sine quibus patricius in gentem plebeiam transire non poterat, facienda putaverit, satis incertum esse arbitror; etsi in ea sententia esse video Sigonium de Ant. Jure Civ. Rom. I. 7. Malaspina ad Ciceronis l. d. putat, eum non crevisse hereditatem, quia postea etiam in Fastis consulum *P. Cornelius Dolabella*, nec prænomine, nec nomine, nec cognomine mutato, vocetur. Sed hoc argumentum non maximi ponderis est. Nam primum, poterant esse causæ, quamquam hic ullam fuisse non credo, ob quas ei, qui testamento adoptatus erat, hereditatem cernere, et tamen nomine testatoris abstinere liceret, ut docent JCti in l. 7. l. 63. § 10. ad SCtum Tertull. et constat exemplo Tiberii apud Sueton. in illius vita c. 7. de cujus loci sententia non per omnia adsentiri possum Heraldo Observ. c. 20. Deinde etiam exempla aliorum ex eadem ætate sunt, qui post adoptionem vel rarissime novis nominibus, vel fortasse numquam aliter, quam veteribus, a scriptoribus appellantur. M. Junium Brutum, percussorem Julii Cæsaris, a Q. Servilio Cæpione avunculo adoptatum, (incertum testamento, an lege curiata) Cicero bis omnino, ni fallor, patris adoptivi nominibus Q. Cæpionem Brutum vocat, semel ad Attic. II. 24. iterum Philipp. X. 11. alibi semper M. Brutum.' T. Pomponius Atticus, a Q. Cæcilio avunculo testamento adoptatus, ut auctor est Corn. Nepos in Att. c. 5. hereditate adita nomina quidem avunculi sumsit; sed haud scio, an post adoptionem nusquam a Cicerone Q. *Cæcilius* vocetur, nisi in sola Epistola 20. libri III. ad Atticum, qua ei hereditatem gratulatur, cujus inscriptio est ' Q. Cæcilio Q. F. Pomponiano Attico.' In aliis ad eum epistolis et libris postea scriptis, quam plurimis locis, eum vel Titum, vel Pomponium tantum, vel T. Pomponium nominat. Ser. Sulpicium Galbam, a noverca Livia Ocellina adoptatum, (testamento, ni fallor; nam tum nondum aliter videntur adoptare potuisse fœminæ) L. Livii Ocellæ nomina adsumpsisse, et Lucium prænomen usque ad tempus imperii usurpasse, scribit Sueton. in Galba c. 4. nec tamen ab ullis scriptoribus aliis, quam ante adoptionem, nominibus appellatur. Quin etiam ex iis, quos non testamento, sed comitiis lege curiata, adoptatos constat, P. Clodius patricius, a P. Fonteio plebeio adoptatus, post adoptionem nusquam, quod quidem invenire potuerim, P. Fonteius, sed semper P. Clodius, ut ante eam, dicitur. Non potest igitur ex eo, quod Dolabella post adoptionem Liviæ nomina mutasse non legitur, concludi, eum hereditatem illius non crevisse. Potuit eam cernere, et tamen a scriptoribus tam veteribus nominibus, ut illi, quos dixi, quam novis, etsi de his testimonium nullum superest, vocari. Nam tum eos, qui adoptati erant, saltem qui testamento, vulgo sine discrimine, modo nominibus, quæ ante adoptionem habuerant, modo novis, quibus illa mutare jussi fuerant, appellatos fuisse, argumento sunt verba Varronis de Re Rust. II. 2. ' Atticus, qui nunc T. Pomponius, nunc Q. Cæcilius, cognomine eodem.' Unde, qui Ciceroni post adoptionem ' Pomponius Atticus,' Suetonio in Tiberio c. 7. ' Cæcilius Atticus' est. Adde quæ ad Epit. l. CXIV. de Scipione, socero Pompeii, adnotantur. Dixi fortassis

plura, quam necesse erat: hoc tamen lubet addere, mihi quærendum videri, an mos testamento adoptandi, et heredes sub conditione ferendi nominis instituendi apud Romanos vetus fuerit. Multa de eo scripta sunt, sed nullum vetustius illius exemplum prolatum vidi eo, quod Cujacius Observ. VII. 7. ex Cicerone de Clar. Orator. c. 58. observavit; quod quum ad medium fere seculum septimum ab Urbe condita pertineat, indicio esse potest, eum non valde antiquum esse. *Duk.* De mutatione nominis per adoptionem adde Malapas. ad Ciceron. ad Att. III. 23. et de adoptione in testamento Bosium in l. VII. ad Att. c. 8.

Legem ferente de novis tabulis, excitatæ essent] *De novis tributis, excitarentur* Voss. qui verbis proximis præfert *ut ex ea caussa*, pro *et ex ea*. Sed, voculas illas passim a librariis confundi, vidimus ad XXI. 28. § 8.

Inductis, &c. in urbem militibus, octingenti e plebe cæsi sunt] Voces *in urbem* exsulant a Leid. Insuper *militibus octingentis, a plebe cæsi sunt* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. et editi ante Frobenium, qui a. 1531. ita emendavit, ut nunc editur. Ei proxime accedunt Exc. Pithœi, in quibus est *octingenti a plebe*.

Veteranis cum seditione missionem postulantibus] Decumanos fuisse, Sueton. Cæs. cap. 70. Dio XLII. 209. et Appian. Civil. II. pag. 485. tradunt. *Duk. Cum sessatione postulantibus* inperite Voss. *postulatibus* Boend.

Contra copias Jubæ regis cum discrimine magno pugnavit] *Adversus copias* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Vide ad Epit. l. LVII. Tum *Libiæ regis* Voss. Dein *cum discrimine maximo* pleræque edd. ante Gronovium, qui a. 1665. *magno* substituit, consentientibus Voss. Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Campani. Vide ad Epit. l. L.

LIB. CXIV.

Cæcilius Bassus] De hoc multa e vetustis scriptoribus post alios collegit Abramus ad Cicer. pro Deiot. c. 8. In Cicerone frequens est illius mentio. Vide Famil. Ep. XI. 1. XII. 11. et 18. ad Attic. XIV. 9. et lib. XV. ep. 13. et Philipp. XI. 13. *Dukerus. Cælius* Leid. et Berg. Male. Vide Dion. Cass. XLVII. 342. Voces has sæpe a librariis commutari, docui ad Epit. l. CXI. Et ita in hoc ipso Basso errarant apud Cic. pro Deiot. c. 8. et 9. ubi viri docti *Cæcilius* legendum monuerunt: quod Grævius bis quidem in contextum recepit, at bis etiam mutare oblitus est. Vide quoque Perizon. Animadv. Hist. cap. 4. pag. 178.

Et relicto a legione Sex. Cæsare, quæ ad Bassum] *Et* vacat vet. lib. *Sigon.* Vet. lib. *qui ad Bassum*. Delrius. Particula *et* omittitur etiam in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Tum *qui ad Bassum* Voss. Norv. et edd. antiqq. ante Frobenianam a. 1531.

Transierat: occisoque eo Cæsar Scipionem] Novum principium orationis a voce *Cæsar* faciendum est. *Sigon.* Volunt hæc, [non admissa nova Sigonii interpunctione] C. Cæsarem dictatorem bellum a Basso excitatum oppressisse, occiso Basso; eoque facto deinceps in Africa vicisse ceteros Pompeianos. Sed recte monuit Sigonius, novum orationis principium a voce *Cæsar* faciendum esse. Quod tamen quia tantum pro auctoritate monuit, non docuit, aut probavit, et commodior videbatur vetus distinctio historiæ ignaris, dicto audientes alios non habuit; lectoresque Livii, quorum longe maxima pars, ut constat, non simul legit omnium notas, nihil vel parum illa admonitione juvantur. Ut ergo historiæ sua constet fides, non modo ante τὸ *Cæsar* distinguendum censeo, sed et delendam proximam voculam, legendumque *relicto a*

legione Sex. Cæsare, quæ ad Bassum transierat, occisoque. Cæsar Scip., &c. Nempe Sex. Cæsar relictus a legione et occisus fuit opera Bassi; qui, eo facto, bellum excitavit dictatori Cæsari, sed a Cæsarianis Statio Murco et Marcio Crispo contra eum missis oppugnatus fuit, neutiquam tamen ante necem Cæsaris occisus vel mortuus. *Jac. Perizon.* Animadv. Histor. c. 4. pag. 177. Idem Perizonius ad marginem Livii sui forte legendum adscripsit, *relicto a legione Sex. Cæsare; quæ ad Bassum transierat, occiso eo. Cæsar, &c.* Si vero alterutra emendationum ejus eligenda foret, præferrem illam, quam in Animadv. Hist. proposuit. Verum neque eam probare audeo, quod, invitis omnibus Mss., integram voculam *eo* delere audacius esse videatur. Forte igitur, unica litera, simul cum interpunctione, mutata, legendum *occisoque. Et Cæsar;* vel etiam *occisoque. C. Cæsar.*

Scipionem prætorem, Afranium, Jubamque vicit ad Thapsum] Lege *proconsulem.* Nisi malis *Scipionem, Petreium, Afranium.* J. F. Gron. *Prætorem* servant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Ejus loco ut cum Gronovio *Petreium* legamus, ideo minus placet, quia auctor Epitomarum, duos illos partium Pompeianarum simul memorans, *Afranium et Petreium,* non inverso ordine, dicere solet. Vide Epit. libb. CX. et CXIII. Ratio est, quia Afranius gessit consulatum, quam dignitatem Petreius numquam obtinuit, quem 'prætorium' vocat Vell. II. 48. Eodem ordine junguntur etiam apud alios scriptores, nisi quod tamen 'Petreius et Afranius' obcurrat apud Flor. IV. 2. § 26. et Sueton. in Cæs. c. 34. Præfero igitur priorem Gronovii conjecturam *Scipionem proconsulem,* quam etiam probat Perizon. in Animadv. Hist. c. 4. pag. 177. Simili modo peccant librarii apud Livium XXXVII. 46. § 1. Vox *Afranium* deest in Voss. Leid. Berg. et Lov. 2. Tum *vicit Achæpressum* Boenderm. *vicit ad Tripsum* Voss. *vicit ad Tapsum* Berg. Lov. 2. et edd. vett. *vicit ad Thapsum* recte Sigonius vulgari curavit: Græce enim est Θάψος. Vide ad Livii XXIX. 30. § 5.

Rescisso vulnere exspiravit] *Reciso vulnere* pleræque edd. principes; pro quo *resciso* substituit Ascens. 1510. *rescisso* 1513. *resciso* præferunt etiam Berg. et Norvic. *rescisso* Leid. Voss. Lovel. 2. Boenderm. et ed. Campani. Recte Florus IV. 2. § 72. 'Ille passus, dum abscederent, rescidit plagas.' Verba 'rescindere' et 'recidere' etiam alibi commutantur. Vide ad Epit. l. LVII.

Anno ætatis quadragesimo] Vet. lib. *quadragesimo octavo.* Idque probat Plutarchus Catone Minore pag. 794. Ἐτελεύτησε δὲ Κάτων ἔτη δυεῖν δέοντα πεντήκοντα βεβιωκώς. Appianus Civil. II. 290. de morte ejus scribit ἔτη μὲν ἀμφὶ πεντήκοντα γεγονώς. *Delrius.* In his, quæ scriptores illi de anno mortis Catonis referunt, non est dissensus. Vide Gruchium de Comit. Rom. I. 3. p. 573. tom. I. Thes. Antiq. Rom. *Duk. Anno LXIII.* Boenderm. *anno LXVIII.* ed. Camp. *anno ætatis quadragesimo octavo* Leid. Voss. Berg. et Exc. Pithœi.

Petreius Jubam seque interemit] *Petreiusque Jubam seque* Boend. Tum *interfecit* Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boenderm. et ed. Campani. Vide ad Epit. l. LXIII. De utriusque morte vide Freinsh. ad Flori IV. 2. § 69.

P. Scipio] Hic *P. Cornelius Scipio Nasica* initio vocabatur: post, a Q. Metello Pio adoptatus, cœpit *Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio* nominari, testibus Cœlio in Epist. Familiar. et Asconio in Miloniana. Quare hic *Q. Scipio:* et supra lib. CXIII. *Q. Scipioni* legere malim. *Delrius.* Hunc a Q. Cæcilio Metello Pio testamento adoptatum, ut Dio lib. XL. pag. 144. scribit, Cœlius ad Ciceronem Famil. VIII. 8. 'Q. Cæcilium Q. F. Metellum

Pium Scipionem' vocat; Cicero de Harusp. Resp. cap. 6. et Asconius in Argum. Milonianæ 'Q. Metellum Scipionem.' Idem tamen, quod ad Cicer. Famil. VIII. 8. adnotavit Manutius, in hac et præcedenti Epitoma, in Cic. pro Domo cap. 47. et Eutrop. VI. 18. etiam post adoptionem vetere prænomine et cognomine patris naturalis 'P. Scipio' appellatur. Vide ad Epit. l. CXIII. *Duk.* Loca veterum, quæ ex Manutio hic laudat Dukerus, evincunt, nihil vel hoc loco, vel Epit. præcedente in Scipionis prænomine mutandum esse. *P. Scipio* etiam vocatur apud Val. Max. IX. 5. 3. et Suet. in Tiber. c. 4. Et quidem simpliciter *Q. Scipio* apud unum vocatur Dion. Cass. XL. 144. apud reliquos vero vel addito nomine *Q. Metellus Scipio*, vel, ut hoc loco, *P. Scipio.*

Circumventus honestæ morti vocem quoque adjecit] Videtur excidisse *parem*, aut *memorabilem*. J. F. Gronov. *Circumventus ab hoste morti quoque vocem adjecit* Boend. et ed. Campani: *ab hoste*, pro *honestæ*, præfert etiam Berg. Mox *quærentibus enim hostibus imperatorem* Boend. Exc. Pithœi, et edd. ante Gruterum, qui *imperatorem hostibus* primus dedit, consentientibus Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Deinde *se bene habet* Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp.

In Gallia Bellovacos rebellantes vicit] Vet. lib. *rebellantes prælio vicit.* Sigon. *Vagos*, pro *Bellovacos*, Voss. *bello vagos* Boenderm. *Bellovagos* Leid. Berg. et ed. Camp. *Belloveges* Lov. 2. Tum *rebellantes prælio vicit* omnes nostri, Exc. Pithœi, et ed. Campani. Paullo ante *Catonis filia Veneris data* Voss. *Catonis filia venũdata* Lov. 2.

LIB. CXV.

Ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, et Africa] Gudiani *ex Ponto, ex Africa.* J. F. Gron. *Ex Ægypto, et Ponto, et Africa* Boend. *ex Ægypto, Ponto, et Africa* Exc. Pithœi: *ex Ægypto, ex Ponto, ex Africa* Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Vide ad Epit. lib. XLVI.

Epulum et omnis generis spectacula edidit] Vet. lib. *dedit.* Sigon. Similiter Voss. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. At omnia hæc verba desunt in Leid. et Berg. Mox *concessit reditum* Exc. Pithœi, et edd. pleræque ante Gruterum; qui verba transposuit, consentientibus scriptis nostris, et ed. Campani.

Qui Marcellus beneficio ejus frui minime potuit] Vet. lib. *non potuit.* Sigon. Hic quoque τὸ *minime* sustulit Sigonius. Sed gravius sedet ulcus. Gud. *qui beneficio ejus Marcellus frui non potuit.* Ex hoc verborum ordine jam facile est videre, legendum esse *quo beneficio.* Quamquam perinde est *quo Marcellus beneficio ejus.* J. F. Gron. Non offendor voce *Marcellus*, quæ præcesserat, post pronomen relativum repetita, quum sæpius ita optimi scriptores loquantur. Livius VI. 1. 'Diemque, &c. duplici clade insignem (quo die ad Cremeram Fabii cæsi: quo deinde,' &c. XL. 51. 'Locavit portum et pilas pontis in Tiberim: quibus pilis fornices,' &c. Cic. in Verr. IV. 21. 'Domus erat ante istum prætorem nulla paullo locupletior, qua in domo hæc non essent:' ad Att. II. 11. 'Dies nullus erat, quo die non scirem.' Cæsar Gall. I. 6. 'Diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant: is dies erat ante diem V. Kalendas Apriles.' Cic. pro Rosc. Am. c. 45. 'Quare aliquanto post eam diem venierint, quæ dies in lege præfinita est:' de Inv. II. 27. 'Postulat, ut legem, qua lege fecerit, proferat.' Marmor Ancyr. 'Lustrum post annum alterum et quadragesimum feci, legi: quo lustro civium Romanorum,' &c. Cenotaphium Pisanum C. Cæsaris: 'Diem eum, quo die obiit, qui dies ante diem VIIII.

Kal.' &c. Vide Burm. ad Suet. Cæs. c. 2. et Cortium ad Plinii Ep. II. 11. § 22. et v. 6. § 22. Idem etiam fit post pronomen *is*. Livius VI. 2. 'Dictatoremque dici M. Furium Camillum. Is dictator C. Servilium magistrum equitum dixit.' XXV. 1. 'Quicumque libros vaticinos precationesve, aut artem vaticinandi conscriptam haberet, eos libros omnes,' &c. lib. XXXIV. c. 35. 'Ex qua die scriptæ conditiones pacis editæ Nabidi forent, ea dies ut induciarum principium esset.' Cæsar Gall. I. 40. 'Coacto consilio, ad id consilium legatos adhibuit.' His non obstantibus, a priori Gronovii conjectura non sum alienus; ut enim is in Gud. invenit, præfert etiam Lovel. 2. quin etiam plane *quo beneficio ejus Marcellus* vidi in Berg. Insuper *frui non potuit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLIX.

A P. Magio Chilone cliente suo] *Cn. Magio* ex epistola Servii ad Ciceronem ad Fam. IV. 12. *Sigon. A Cn. Magno cliente suo* Voss. et Exc. Pithœi: *a Cn. Magio cliente suo* Berg. et Lov. 2. in quibus vox *cliente* præcedentem elisisse videtur: *a Cn. Magio Cillone* Norv. et edd. principes pleræque ante Moguntinos, qui *a P. Magio Chilone* substituerunt: pro quo Gronovius *a Cn. Magio Cilone* a. 1665. dedit, consentientibus Leid. Boend. et ed. Camp. Utrum prænomen, *Cn.* an *P.* præferendum sit, dubito. Ex Val. Max. IX. 11. 4. constat, Magium hunc in exercitu Pompeiano Marcelli commilitonem fuisse: Cæsari vero 'Cn. Magius præfectus fabrum Cn. Pompeii' memoratur Civ. I. 24. et 'Cn. Magius Pompeii præfectus' in epistola ad Oppium et Cornelium, quæ inseritur Ciceronis ad Att. l. IX. post Epistolam VIII. Vide etiam Jul. Cels. de Vit. Jul. Cæs. p. 137. ed. Græv. apud quem p. 139. *Cn. Magium Pompeii præfectum*, pro *N. magni Pompeii præfectum*; et pag. 140. *Cn. Magium*, pro *N. Magium*, recte scribendum conjicit Grævius. Cur vero *N. Magius* Perizon. in Diss. Triad. p. 257. nisi forte ultimo Celsi loco abreptus, in Cæsare scribendum existimarit, ignoro. Contra *P. Magius* vocatur Ser. Sulpicio apud Cic. ad Fam. IV. 12. Neque tamen ullam ibi lectionum diversitatem viri docti ex codd. adnotarunt. Differunt etiam 'Chilo' et 'Cilo.' Teste enim Charis. Instit. Gramm. I. 78. 'Cilones dicuntur, quorum capita oblonga et compressa sunt: Chilones autem cum adspiratione ex Græco a labris improbioribus, quæ illi χείλη: unde Chilones improbius labrati.' Vide etiam Fest. voce 'Chilo.' In Val. Max. quidem 'Magius Chilo' plerumque editur, at maxima pars codd. Ciceronis, monente Gebhardo, enim *Magium Cilonem* vocat. Donec igitur magis constet, quid verius sit, Gronovium secutus servavi *Cn. Magio Cilone*.

Et censum egit] Barb. sine copulativa *Romæ censum egit*. Sed malam et ipse manum passus. Nam legendum cum Voss. et Gud. *recensum egit*. Suetonius Julio cap. 41. 'Recensum populi nec more, nec loco solito egit.' Octavio cap. 40. 'Populi recensum vicatim egit.' *J. F. Gron.* Vulgatum superest in Boend. et Norv. *censum egit*, sine copula, ostentant Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *Romæ censum egit* Leidens. *recensum egit* Exc. Pithœi.

Capitum centum quinquaginta millia] Numerus hic, quamquam valde imminutus est, tamen bene habet. Scribit enim Dio, pro duabus et triginta myriadibus civium, quæ ante bellum civile censæ sunt, quindecim tantum censas hoc tempore, reliquis bello civili absumptis. Et Appianus ait, vix dimidiam partem civium, quæ ante civile bellum censebatur, esse censam. *Sigon.* Plutarchum voluit, puto, scribere Sigonius, pro Dione: nam in Dione hoc nusquam legitur.

Sed Plutarchum et Auctorem Epitomes errasse, qui ad censum totius populi a Cæsare actum retulerint, quod eos de recensu eorum, qui frumentum de publico accipiebant, debuisse dicere, ex Sueton. in Cæs. 41. apertum est, docuerunt Lipsius Elect. I. 8. et 27. et Rualdus Animadvers. XXIV. in Plutarchum, qui his recte socium erroris addit Appian. Civil. II. 495. Plutarchum hoc nomine etiam Torrentius et Casaub. ad Sueton. notarunt. Norisius quidem Cenotaph. Pis. Dissert. I. 2. videtur probasse Panvinii et Sigonii sententiam, qui illis, quos dixi, auctoribus tam exiguum numerum civium in censu Cæsaris inventum fuisse crediderunt: sed clariora et certiora sunt argumenta, quibus eam viri docti impugnarunt, quam ut de errore eorum dubitari possit. An Cæsar censum ullum legitimum egerit, dubitat Lipsius, quia non monuerunt id, ut dicit, Sueton. aut Dio. Verum de Dione fallitur. Nam hunc, postquam XLIII. 224. de numero eorum egerat, quos ad frumentationem admitti volebat Cæsar, deinde p. 226. scribere, a Cæsare censum populi, ut censore, actum, ostendit, ac simul erroris arguit Rualdus: quod Casaubonum quoque non fugerat, qui ad Sueton. adnotat Dionem optime de recensu eorum, qui frumentum de publico accipiebant, sed alibi minus recte populi censum a Cæsare, ut censore, actum scribere. Breviatorem Livii tamen culpa liberare, eamque in sciolum aliquem, qui recens a lectione Plutarchi hoc in margine Livii adnotaverit, transferre conatur Rualdus. Nam, hoc colon spurium et insiticium esse, ex eo colligi posse ait, quod Breviator hoc solenne habeat, ut nusquam numerum civium exacto censu adscribat, quin lustri conditi mentionem simul adjiciat. Sed mihi hoc illo argumento non satis certa ratione colligi videtur. Verum est, quod de more Breviatoris dicit Rualdus: sed quum ex omnibus libris Livii, qui integri supersunt, appareat, eum nunquam numerum civium referre, et simul lustri mentionem adjicere, nisi ubi etiam Livius id fecerat, non minus verosimile est, eum hic quoque ab Auctore suo non discessisse; et quia is de lustro nihil dixerat, neque ipsum mentionem illius habuisse. Propemodum mihi persuadeo, Livium eamdem rem, quam Sueton. Cæs. c. 41. et Dio XLIII. 224. memorant, retulisse, atque eam etiam, quemadmodum Sueton. ibidem, et in Aug. cap. 40. ‘ recensum populi ’ vocasse; sed auctorem Epitomes, sive non cogitantem, sive ignorantem, aliud esse ‘ censum,’ aliud ‘ recensum populi,’ ‘ recensum ’ pro ‘ censu totius populi ’ accepisse, et de illo iisdem verbis, quibus de hoc uti solent scriptores antiqui, usum fuisse. *Dukerus.* Lipsius etiam putat Elect. I. 27. confidentem quempiam nebulonem in hanc Epitomen intrusisse illa verba de censura. Contra Vossius de Magnit. Romæ Veter. c. 6. non sollicitandum hunc locum existimat, quum in hac lectione conspirent libri veteres. Ceterum *quo censa sunt civium capita decies centena et centum quinquaginta millia* Boend. et ed. Camp. Vox *civium* deest in Voss.

· *Profectus in Hispaniam contra Sex. Pompeium*] Vet. lib. *profectusque in Hispaniam adversus Cn. Pompeium.* Recte: erat enim major natu Cnæus, quam Sextus. *Sigon.* Copulam *que* omittunt Leid. Boenderm. et Norv. Contra eamdem agnoscunt Vossian. Berg. et Lovel. 2. Tum *contra* non adparet in Boend. Norvic. et primis edd. quam vocem demum Ascens. a. 1513. addidit. Sed ejus loco *adversus,* ut Sigonius voluit, recepit Gruterus. Neque aliter inveni in Leid. Vossian. Berg. et Lovel. 2. Vide ad Epit. l. LVII. Eadem Ascensii edit. primum *Sext. Pompeium* recepit,

quum priores *Cn. Pompeium* dedissent; quod servant omnes codd. nisi quod *G. Pompeium* sit in Norv.

Multis utrimque expeditionibus factis] Ita Gruterus edidit, consentientibus Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Antea edebatur *utrimque multis*, quod superest in Exc. Pithœi, et Norvic. Mox voces *et aliquot urbibus expugnatis* non adparent in Boend.

Summam victoriam cum magno discrimine ad Mundam urbem consecutus est] *Cum maximo discrimine* Norv. et pleræque edd. ante Gronov. qui an. 1665. emendavit *cum magno;* quod firmant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et edit. Camp. *cum summo magno discrimine* Boend. librarii errore. Vide ad Epit. lib. L. Tum *discrimine et pene suorum fuga ad Mundam* Boend. et ed. Camp. Quamvis autem verum sit Cæsarianos prœlio ad Mundam pene in fugam actos esse, eorum tamen librorum fide voces illas admittere non audeo; præsertim quum brevitati Epitomes sufficiat præcessisse *cum magno discrimine*. Præterea vocem *urbem* omittit Boend. Sed eam auctor addidit, quod et fluvius *Munda* est, qui ab aliis *Monda* vocatur.

Pompeius Sextus effugit] Vet. lib. *Sex. Pompeius effugit*. Sigon. Frustra Sigonius *Sex. Pompeius:* quasi insolens sit prænomina postponi. *J. F. Gron. Sex. Pompeius* Exc. Pithœi. Sed vulgatum est in Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. et Boend. Vide ad Livii III. 1. § 1.

LIB. CXVI.

C. Cæsar ex Hispania quintum triumphum egit] Prænomen negligunt Berg. Lov. 2. Boend. Norv. et edd. ante Moguntinam, quæ prima addidit. Servant id etiam Leid. et Voss. Vide ad Epit. l. LXII. Tum *in Hispania* Leid. ac Voss. manifesto scribarum errore. Supra Epit. l. CXV. 'Cæsar quatuor triumphos duxit, ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, ex Africa:' ubi etiam in principio Epitomes Cæsaris prænomen omittitur. Quare neque hic necessario requireretur, nisi quidam codd. id vellent. *De Hispania quartum* Berg.

Et quum multi quam maximique honores ei ab senatu] Vet. lib. *plurimi maximique*. Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Deinde *honores a senatu* omnes iidem præter Exc. Pithœi, quæ *honores ei a senatu* præferunt cum Norv. et editis ante Gronov. *ab senatu* recipientem.

Ac dictator in perpetuum esset] Duæ priores voces omittuntur in Leid. Male. Cic. Philipp. I. 2. 'Quum dictatoris nomen, quod sæpe justum fuisset, propter perpetuæ dictaturæ recentem memoriam funditus ex republica sustulisset.' Flor. IV. 2. § 91. 'Omnes unum in principem congesti honores; circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cœlo, ad hoc pater ipse patriæ, perpetuusque dictator:' ubi vide Dukerum, et, quos ibi laudat, viros doctos, de utroque titulo 'patris patriæ' et 'dictatoris perpetui' agentes. Paullo ante *parens patriæ* Lov. 2. In seqq. *adversus eum causam* Berg. et Lov. 2. Tum *præstiterunt* Leid. Berg. Lov. 2. et typis descripti ante Frob. ed. 1531.

Quod senatui deferenti hos honores, &c. minime adsurrexit] Vet. lib. *non assurrexit*. Sigon. Videtur excidisse vocula *et quod senatui;* quæ particula statim bis repetitur. *Gruter. Et quod senatui* Boend. et ed. Camp. qui ambo etiam *senatui afferenti* præferunt: *senatu deferenti* Voss. *senatui deferente* reliquæ, quas vidi, edd. ante Ascens. 1513. Tum *non assurrexit* Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Vide ad Epit.

l. XLIX. *non assumpserit* Voss. Præterea *Veneris Genetricis* Boend. de qua orthographia vide Pierium ad Virg. Æn. I. 590. et Lambin. ad Lucret. I. 1. Adde Dausq. in Orthogr. part. II. voce 'Genetrix.' *Ante ædem Veneris Genitricis cum sederet* Berg.

Et quod a M. Antonio consule, collega suo] *Et quod M. Antonio consuli collegæ suo* Lov. 2. Berg. et ed. Camp. *eo quod M. Antonio consuli collegæ suo* Voss. *et quod M. Antonio collegæ suo* Leid. et Boend. *et quod M. Antonio consule collega suo* edd. ante Gryphium, qui a. 1548. præpositionem recepit. Et recte. Non enim, M. Antonio inter Lupercos currente, ab alio quovis, sed ab ipso Antonio diadema Cæsari impositum est. Vide Cic. Phil. II. 34. Vell. Paterc. II. 56. Flor. IV. 2. § 91. et alios.

Cæsetio Flavo] Hujus utrumque nomen, tam in Latinis, quam in Græcis auctoribus, variat. Vide Fabrit. ad Cic. pro Ligar. c. 11. et Torrent. ad Suet. Cæs. c. 79. *Duk. Consetio Flavo* Voss. *Cæsetio Flavio* Berg. et ed. Camp. *Ceseceo Flavo* reliquæ edd. ante Froben. 1535. quæ *Cæsetio* restituit, et paullo ante *Marullo*, quum, excepta ed. Campani, priores aliæ *Marulo* cum Berg. et Norvic. præferant. *Mamillo* Boend. Mox *in invidiam et tamquam* Voss. *invidiam et tamquam* Boend. Exc. Pithœi, et quædam edd. vett. *invidiam enim tamquam* aliæ: *invidia et tamquam* Berg. Lov. 2. et ed. Rom. 1472. Tum *affectantis* Leid. qui una cum Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi omittunt vocem sequentem *moventibus*.

M. Brutus, et C. Trebonius, et C. Cassius, et ex Cæsaris partibus D. Brutus] Vet. lib. *M. Brutus, et C. Cassius, et ex Cæsaris partibus D. Brutus, et C. Trebonius.* Sigon. Trajectionem, quam Sigonius ex vet. lib. recepit, firmant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: sed in prænominibus eorum, qui conspirationis capita fuere, non nihil variant. Cassii enim prænomen omittunt Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. Tum *Decius Brutus* præferunt Leid. Voss. et Lov. 2. Hinc *M. Trebonius* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *M. Brutus, C. Cassius, M. Trebonius*, reliquis omissis, Boend. et ed. Camp. Mox *in curia Pompeii* Exc. Pithœi, Norv. et edd. priores ante Gronov. qui a. 1665. reposuit *Pompeii in curia.* Id autem recentiores servarunt, sed mihi in nullo libro obvium fuit. Nam *in Pompeii curia* legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend.

Obsidibus Antonii et Lepidi liberis acceptis] *Antonii et Lepidi de liberis* constanter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi: quasi non omnes Antonii et Lepidi liberos, sed quosdam de illis, obsides accepissent. Verum *οἱ παῖδες Ἀντωνίου τε καὶ Λεπίδου* obsides dati esse dicuntur apud App. Alex. Civ. II. 517. et Antonius 'liberos suos obsides' in Capitolium misisse dicitur apud Vell. Paterc. II. 58. quod tamen de uno Antonii filio, non de pluribus, intelligendum esse, Schegk. ad eum locum ex Cicerone evicit. Similiter, *τόν τε τοῦ Λεπίδου υἱὸν καὶ τὸν τοῦ Ἀντωνίου ἐν ὁμήρων λόγῳ* conjuratos accepisse, narrat Dio Cass. XLIV. 257. Pari modo, Antonii filium percussoribus obsidem datum esse, tradit etiam Plutarch. in Anton. 921. et in Brut. 992. Antonium autem, si non plures, certe duos filios ex Fulvia uxore suscepisse, aliunde notum est. Et ita *τὰ παιδία τὰ Ἀντωνίου* memorat App. Alex. Civ. V. 679. et *τοὺς Ἀντωνίου παῖδας* p. 682. Paullo ante *ab senatu decreta* edidit Gronov. invitis non tantum prioribus edd. sed etiam omnibus scriptis nostris, Exc. Pithœi, et Norv. In sequentibus *a Capitolio discesserunt*, pro *descenderunt*, Boend. solito scribarum errore. Vide ad IX. 14. § 7.

Hæres ex parte dimidia institutus]

Potius fidem habeo Suetonio, qui in Cæs. c. 83. ita scribit: 'Novissimo testamento tres institnit hæredes, sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, et L. Pinarium et Q. Pedium ex quadrante reliquo.' *Duk. Constitutus* Boend. *institutus est* Leid. Voss. et Lov. 2. *ex parte dimidia hæres institutus est* Berg.

C. Octavius ex sorore nepos] Quamquam Plutarchus in Antonio p. 922. et Dio lib. XLV. in princ. idem scribunt, (scribunt autem Ὀκτάβιον τῆς Ἀτίας τῆς τοῦ Καίσαρος ἀδελφῆς υἱὸν, id est, *Atiæ sororis Cæsaris Octavium filium* fuisse) tamen portentum dicit, qui ita dicit. Qui enim fieri potest, ut Octavius nepos sit Cæsaris ex sorore, qui Atia, quæ fuit Juliæ sororis Cæsaris filia, natus sit? quanquam apud eos mendum esse suspicor, ἀδελφῆς, pro ἀδελφιδῆς: neque enim Atia soror Cæsaris, sed sororis filia fuit. Itaque in Bruto ait Plutarchus p. 994. οὗτος μὲν ἦν ἐξ ἀδελφῆς Καίσαρος. Ergo *sororis nepos* legendum, ut vet. lib. habent, atque ut Vell. II. 59. Sueton. Cæs. c. 83. Aug. c. 94. et alii tradiderunt. Appianus Civ. II. 518. τῆς ἀδελφῆς θυγατριδοῦν vocat, id est, sororis nepotem ex filia. *Sigon.* Non dubium est quin Sigonius recte ex libris scriptis, ex Velleio et Suetonio restituerit *sororis nepos*. In Menagianorum tom. IV. pag. 167. ed. Amst. 1716. duplex de hac voce error Casauboni ad Spartiani Hadrian. c. 2. notatur. Unus, quod putaverit, *nepos* hic ita dici, ut apud alios inferioris ætatis scriptores, quibus 'nepos ex fratre' vel 'sorore' est fratris vel sororis filius: quum *C. Octavius sororis nepos* hic nihil aliud sit, quam nepos Juliæ, sororis Julii Cæsaris. Nihil aliud esse verum, et tamen reprehensio paullo iniquior est; quæ justa foret, si Casaubonus hic legisset *sororis nepos*. Sed manifestum est, eum secutum fuisse scripturam, quæ, si non in omnibus, saltem in plerisque edd. Livii ante Sigonianas erat, *C. Octavius ex sorore nepos;* non eam, quam Sigonius protulit et exhibent Menagiana, *C. Octavius sororis nepos*. Itaque, si quid in eo notatu dignum admisisse dici potest Casaubonus, id hoc solum, sed admodum leve est, quod, quum ista ad Spartianum scribebat, non inspexit ea quæ hic adnotavit Sigonius. Alterum errorem Casauboni hunc esse pronunciant Menagiana, quod in Ovidio ex Pont. III. 3. 62. Cupidinem ita alloquente, 'Cæsar, ab Ænea qui tibi fratre nepos,' ex Scaligeri sententia eodem sensu explicuerit vocem *nepos:* nam poëtam hoc velle, Cupidini cognatum esse Augustum, qui e posteris Æneæ filii Veneris sit. Sed, hanc interpretationem illorum verborum non posse admitti, ad Ovidium ostendit Burmannus: qui fere eo inclinat, ut putet Ovidium innovasse veram et antiquam notionem vocis *nepos*, quæ vetustioribus Latinis, ut Casaub. l. d. et Vossius de Vit. Sermon. I. 27. docuerunt, semper est filii aut filiæ filius, sed a recentioribus etiam pro fratris aut sororis filio usurpari cœpit. Nec multum a Burmanni sententia abit Cellarius, cujus judicio in his rebus aliquid tribui potest. Nam hic in Curis Posterioribus capp. 5. et 6. Barthio *nepos ex fratre* vel *sorore* defendenti respondet, hoc rarum et forsan solitarium antiquitatis exemplum, idque poëticum esse. Quæ porro in iisdem Menagianis, tom. I. p. 191. et tom. IV. p. 168. de usu hujus vocabuli in Latinis scriptoribus dicuntur, pluribus expendere, et quærere an ea satis inter se consentire videantur, nec lubet, nec hujus loci est. Satis erit, hic paucis monuisse, non convenire inter doctos de significatione vocis *nepos* in Quintiliani proœmio l. IV. Instit. Orat. et in Statii Silv. III. 3. 78. Schulting. quidem ad Paulum Sentent. IV. 11. 3. in eadem, qua

Menagius, sententia est, in Quintiliano Domitiani *sororis nepotes* esse illius *sororis filios:* sed aliter sentit Bailius in Lexico voce 'Quintilien.' Statium autem quod interpretes, et in his Gronovius in Diatr. in Stat. c. 30. et in Elencho Antidiatr. c. 4. hac voce ea significatione, quam damnat Menagius, usum volunt, non placet Barthio ad Stat. l. d. nec Cruceo in Muscar. p. 43. *Duk.* Omnia hæc vocabula cum sequentibus *et in nomen adoptatus est* desunt in Voss. Sed *C. Octavius sororis nepos* legunt Leid. Berg. Lovel. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et ed. Camp. neque aliter veterem cod. Perioches Livianæ præferre, diu ante Sigonium monuit Pierius ad Virg. Æn. v. 568. ubi etiam in Dion. Cass. XLV. princ. ἀδελφιδῆς, pro ἀδελφῆς, legendum suspicatur, idemque mendum insidere Plut. in Cicer. 885. Vide etiam Xylandr. ad l. l. Dion. qui et apud Plut. et apud Dion. ἀδελφιδῆς legendum censuit, tum quod ita legatur apud Plut. in Bruto pag. 994. tum quod Dio Cass. XLIII. 234. Octavium vocet τὸν τῆς ἀδελφῆς Καίσαρος ἔγγονον, seu ἔκγονον.

Quum in campum Martium ferretur] Vet. lib. *deferretur*. Sigon. Nostri *ferretur*, quod mutavit Sigonius, haud scio quamobrem. *J. F. Gron. Deferretur* Berg. sed *ferrent* Lov. 2. Vide ad XXXVIII. 40. § 1. *Ferretur* Leid. Voss. Boend. et Norv. Appian. Alex. Civ. II. 518. Πείσωνος τὸ σῶμα φέροντος ἐς τὴν ἀγοράν. Mox *dictaturæ honos in perpetuum sublatus est* desunt in Leid. Male. Vide Cic. Orat. Philipp. I. l. Dion. Cass. II. 44. 267. et App. Al. Civ. III. 542.

Chamaces humillimæ sortis homo] Appianus hunc Ἀμάτιον vocat. Sic enim ait: Ἀμάτιος ὁ Ψευδομάριος· Μαρίου γὰρ ὑπεκρίνετο υἱωνὸς εἶναι. Ex eo apparet, legendum hoc loco *C. Amatius*. Movet tamen, quod Valerius IX. 15. hunc 'Erophilum Equarium medicum' nominat. *Sigon.* Appian. duobus locis *Amatium* lib. III. Civ. in princ. et pag. 549. Eum *nepotem* se, non *filium*, C. Marii tulisse dicit, sed, ut hic adnotat Sigonius, alio nomine appellat Valer. Max. IX. 15. 1. Appiano quoque est *υἱωνὸς*, quod non recte verti *filius*, ad Valer. Max. monuit Torrenius. Ciceroni ad Att. XII. 49. *C. Marius C. F. C. N.* ubi vide interpretes. *Duk. Chamates* Vossian. Lov. 2. et Norv. *Camates* Boenderm. *Carmates* Leid. et Berg. *Camartes* ed. Camp. Tum *humillimæ conditionis* Leid. quod ex interpretatione marginali in contextum inrepsit. 'Ultimæ sortis homo' est Epit. l. XLIX. ubi vide. De hoc Pseudo-Mario, præter auctores a viris doctis laudatos, vide Cic. ad Att. XIV. 6. 7. 8. et Philipp. I. 2. Mox *quod se C. Marii* Berg. Vide ad XXXVII. 35. § 3.

Seditiones moveret, interfectus est] Vossian. et Gudiani *necatus est*. J. F. Gron. Similiter Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Præterea *seditionem moveret* Berg.

LIB. CXVII.

Bellum in Macedonia gesturus] Florus IV. 2. extr. et Dio c. 45. princ. tantum bellum adversus 'Parthos' memorant. Sueton. Cæs. cap. 44. et Aug. cap. 8. adversus 'Dacos' et 'Parthos.' Vell. II. 59. et Appian. Civ. l. II. c. 499. bellum 'Geticum' et 'Parthicum.' Si auctor Epitomes nomine 'Macedoniæ' Dacas quoque et Getas comprehendit, admodum late id sumsit. *Duk.*

Omnibusque prosperis exceptus] Vet. lib. *ominibusque*. Ea vero 'omina' quæ fuerint, Obsequens c. 128. et Dio lib. XLV. p. 272. et Velleius II. 59. tradunt. Cum enim urbem intraret, solis orbis super caput ejus curvatus, rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est. *Sigon. Omnibusque prospere exceptis* Boenderm.

Norv. et primæ edd. pro quo Frob. a. 1535. *ominibusque prospere exceptus.* Ejus loco Gryphius 1548. operarum, ut videtur, errore *omnibusque prosperis exceptus* edidit, sed *ominibusque* Sigonius emendavit; quem tamen proximi editores ante Gronovium audire neglexerunt. Sigonio consentiunt Leid. Voss. Lov. 2. et Exc. Pithœi, nisi quod eorum primus *exceptis* præferat: *omĩbusque* est in Berg. Passim in Mss. et edd. vett. commutantur 'omen' et 'omne,' ut etiam 'omina' et 'omnia;' vide ad v. 55. § 2. VI. 39. § 8. XXIII. 13. § 4. XXIV. 16. § 10. XXIX. 10. § 8. XL. 5. § 4. Carrion. ad Val. Flacc. I. 231. et quæ notantur ad Silii Ital. IX. 4. Mox *etium* deest in Boend. et ed. Camp. *quod nomen* legit Berg. *et nomen* Leid. Voss. et Lov. 2. Vide ad XXII. 47. § 9.

In confusione rerum ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit] Ne hoc quidem quemquam alias legisse opinor, Lepidum pontificem maximum ab Octavio, ubi primum Apollonia rediit, interemtum; immo vero ne id quidem Epitomarum scriptor scripsit. Nam infra ait M. Lepidum ab Octavio, abrogato triumviratus honore, vitam impetrasse. Est ergo locus mirum in modum vitiatus. Vetus liber vestigia aliqua continet, quibus ad germanam lectionem pervenire valemus: sic: *in confusione rerum ac tumultuum Lepidum pontificem tum maximum interfecit.* Hinc ego *in confusione rerum ac tumultu M. Lepidus pontificatum maximum intercepit.* Confirmat hanc lectionem Velleius, qui ait II. 63. 'Lepidus in locum C. Cæsaris mortui pontifex maximus furto creatus.' *Sigon.* Rem narrat Dio lib. XLIV. extr. Adde Bosium de Pontif. Max. Romæ Vet. c. 3. § 5. *Dukerus.* Lectio, quæ in capite Scholii Sigonii exstat, superest in Leid. Boend. et Norv. *ac tumultum Lepidum pontificem maximum interfecit* legit Berg. *ac tumultuum Lepidum pontificem maximum interfecit* Vossian. *ac tumultuum Lepidum pontificem tum maximum interfecit* Lovel. 2. et Exc. Pithœi. Sigonium veram scripturam restituisse, loca veterum a viris doctis laudata probant. 'Interficere' et 'intercipere,' sive 'interfectus' et 'interceptus' etiam alibi a librariis commutantur: vide ad III. 30. § 8. et Burm. ad Sueton. Claud. c. 1.

De permutatione provinciarum] Ita Gronov. 1665. edidit; eadem lectio superest in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Priores præferunt *de provinciarum permutatione,* quod servant Exc. Pithœi, et Norv. Paullo ante *et Antonius* Exc. Pithœi: *et M. Antonius* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Tum *legem quoque* ed. Camp. Vide ad v. 27. § 1.

Tulisset per vim] Vet. lib. *per vim tulisset.* Sigon. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Adversum avunculi percussores] *Avunculi magni* dicendum erat. Ita tamen etiam Sueton. Aug. c. 10. 'Nihil convenientius, quam necem avunculi vindicare.' *Sigon.* Vinetus quoque ad Epitom. de Cæsar. c. 1. ubi Cæsar 'major avunculus' Octavii vocatur, e Paulo JCto in l. 10. § 15. D. de Gradib. adnotat *avunculum magnum* dicendum fuisse. Hoc ad c. 1. Auctoris de Cæsaribus, qui sub Aurelii Victoris nomine circumfertur, ab eo sumpsit Schottus, et suo judicio usus pro eo quod ibi ante legebatur, *adoptione majoris avunculi Cæsaris,* substituit *magni avunculi,* ac simul scriptori illi auctorem erroris fuisse dicit Suetonium, qui in Aug. c. 7. Cæsarem 'avunculum majorem' Octavii vocet. Potuisset etiam ex eodem Paullo Sentent. IV. 11. § 4. et e Festo voc. 'Major avunculus' ostendere, 'avunculum magnum' aviæ, 'majorem' proaviæ fratrem esse, et tamen reprehensione Suetonii supersedere. Si Suetonio propositum fuisset gradus

cognationum enumerare, et docere quo quæque persona gradu ab alia distet, sine dubio dixisset Cæsarem, fratrem Juliæ, aviæ, non proaviæ, Octavii, ‘ avunculum magnum ’ illius fuisse. Nam in gradibus numerandis necesse est, ut gradus numero, sic personas nominibus distingui. Sed non versatus est in illo argumento Suetonius, unde intelligi potest, in communi usu loquendi discrimen illud non fuisse observatum, et eum, qui JCtis, gradus et nomina cognationum distinguentibus, ‘ avunculus magnus ’ est, vulgo etiam ‘ avunculum majorem ’ dictum fuisse. Ita enim Velleio quoque II. 59. Cæsar est ‘ avunculus major ’ Octavii, et Suet. Claud. c. 3. Augustus ‘ avunculus major ’ Claudii, qui Claudio avunculus magnus, Antoniæ matri illius, Octavia, sorore Augusti, natæ, avunculus erat. Et id quo magis credam, etiam eo inducor, quod, ut hic ab auctore Epitomes, ita etiam a Velleio l. d. et c. 60. a Sueton. Aug. capp. 8. et 10. et ab Orosio VI. 18. Cæsar nec ‘ magnus,’ nec ‘ major avunculus,’ sed tantum ‘ avunculus ’ Octavii appellatur; et quod Scholiastes Persii, quem Cornutum vocant, ad Satyr. VI. 60. ‘ majorem avunculum aviæ fratrem ’ esse dicit. Si nominibus cognationum, quibus JCti in enumerandis gradibus alias personas ab aliis distinguunt, numquam aliter in alio argumento uti licuisset, ne ipsi quidem appellationem patris ad avum, et filii ad nepotem producere, nec alii scriptores fratres et sorores de aliis, quam qui iisdem parentibus, aut alterutro eorum nati erant, dicere potuissent. *Duk.* Cæsarem Octavii vel Augusti ‘ avunculum ’ vocat etiam Suet. Aug. capp. 68. et 94. Ceterum Gronov. a. 1665. vulgari curavit *adversus percussores avunculi*, quod probant Leid. Voss. Berg. et Lov. 2. *adversus avunculi percussores* Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. XLVII. Lectioni, quæ antea circumferebatur, adhærent Exc. Pithœi, et Norvic.

Magnis injuriis affecit. Cæsar, ut sibi et reipublicæ vires contra eum] Melius concluditur hæc tota oratio in vet. lib. ita : *magnis injuriis affecisset, Cæsar et sibi et reip.* Sigon. *Mognis injuriis affectus est* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. et Boend. *affectus esset* Exc. Pithœi ; quod pro *affecisset* librarii dederunt eodem errore, quo *reliquerant* pro *reliqua erant, admissæ essent* pro *admisissent*, ac similia plura, de quibus vide ad XXIII. 29. § 16. Dein *et sibi et reipublicæ* Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Insuper *adversus eum* Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII.

Deductos in colonias veteranos excitavit] *In colonia* Voss. Berg. Boend. et ed. Camp. *in coloniam* Lovel. 2. Male. Præterea *excivit* scribendum conjicit Ger. Vossius ad Vell. Paterc. II. 61. quia pariter Velleius ibi dicit, ‘ Primumque a Calatia, mox a Casilino veteranos excivit paternos.’ Librarios ita sæpe peccasse, notavimus ad XXIII. 41. § 2. Hic tamen codd. vulgatum servant.

Signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt] Suspicabar *transtulerunt*, ac *trans* fortassis propter compendium scripturæ hujus vocis periisse. Sed nihil muto. Velleius II. 61. ‘ Sublatis signis ad Cæsarem se contulerunt.’ *Duk. Transtulerunt* scribendum existimat Crevierius. At libri nihil mutant.

Deinde plures sævitia] Vet. lib. *Deinde et complures.* Sigon. Consentiunt Leid. Berg. et Exc. Pithœi. *Deinde complures* Lov. 2.

Trucidati, quia et suspecti erant, et ad Cæsarem] Dele ultimum *et* ex vet. lib. *Sigonius.* Sigonius copulativam delet. Bene. Sed hoc amplius lege : *Deinde et complures sævitia M. Antonii, passim in castris suis trucidantis,*

qui suspecti erant, ad Cæsarem desciverunt. J. F. Gronov. *Trucidat, quia et suspecti erant, et ad Cæsarem desciverant* Leid. *trucidati, quia et suspecti erant, ad Cæsarem desciverunt* Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *trucidati, qui et suspecti erant, ad Cæsarem desciverunt* Exc. Pithœi.

Discursus utriusque partis] *Discursum* Voss. Berg. Lovel. 2. et Boend. Paullo ante *cum exercitu recuperavit* Leid.

LIB. CXVIII.

M. Brutus in Græcia sub prætextu] *Decimus Brutus* Voss. *D. Brutus* ed. Rom. princeps apud Hearnium. Sed male. 'D. Bruto' enim Gallia, at 'M. Bruto' Macedonia erat adsignata. Vide Appian. Civ. III. 527. Sequentia hujus Epitomes idem satis ostendunt. Caussam erroris vide ad Epit. lib. LXII. Tum *sub prætextato* Exc. Pithœi, quæ etiam mox *cui P. Vatinius* præferunt. Paullo post *redigit* Boend. et ed. Camp.

Qui primus reipublicæ arma sumserat pro populo Romano, imperium a senatu datum est] Hic locus mire depravatus est, cum tamen non videatur. Me, ut vitiatum esse, atque ita legendum esse crederem, Cicero admonuit: *qui pro republica arma sumpserat, proprætoris imperium a senatu datum est.* Nam Cicero in senatu in Anton. v. 16. ita ait de Octavio: 'Demus igitur imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest, sit pro prætore eo jure, quo qui optimo.' &c. Vox *prætoris* in *populo Romano* mutata est ob eam caussam, quam sæpe alias. Eadem macula fœdavit quoque Velleium II. 61. cum ait, 'Eum senatus, honoratum equestri statua, pro P. R. una cum consulibus designatis Hirtio et Pansa bellum cum Antonio gerere jussit:' ubi legendum est *pro prætore.* Sigon. Videtur scribendum *qui privatus pro republica arma sumpserat.* Velleius II. 61. 'C. Cæsar, nonum decimum annum ingressus, mira ausus ac summa consecutus, privato consilio majorem senatu pro republica animum habuit, primumque a Calatia, mox a Casilino veteranos excivit paternos.' Tacitus Ann. I. 10. 'Paratum ab adolescente privato exercitum.' *J. F. Gron.* Cic. Phil. III. 2. 'Qua peste privato consilio rempublicam Cæsar liberavit.' Florus IV. 4. 'Privatus, quis crederet? consulem aggreditur.' Augustus in Monumento Ancyrano 'Annos undeviginti natus exercitum privato consilio, privata impensa comparavi.' *Duk.* Privatum Octavium fuisse, quum primum arma sumeret, verum est: utrum tamen id auctor Epitomes hic indicarit, dubito. Certe propius ad vulgatum accedit, si *primus reip.* mutemus in *pro rep.* quam in *privatus pro rep.* Recte vero *pro P. R.* sive *pro populo Romano,* in *pro PR.* sive *proprætoris,* emendavit Sigonius. Vide ad XXXI. 8. § 10. Loci Velleiani emendationem a Robort. Emendat. II. 23. sibi subreptam esse, queritur Sigonius Emend. I. 17. et 31. *Ab senatu* Gronov. ejusque exemplo recentiores, invitis Mss. et excusis prioribus, ediderunt.

Cum consularibus ornamentis] Mallem *prætoriis.* Nam et Græci, Plutarchus, Appianus, Dio στρατηγικὰ κόσμια decreta tradunt. Et Cicero Philipp. v. 17. decernit, senatorem eum esse, sententiamque loco prætorio dicere. *Sigon.* Id, quod Sigonius adfirmat, retulit Plutarch. in Anton. 923. At Dio XLVI. pag. 310. Cæsari ante victum Antonium, viventibus adhuc Hirtio et Pansa consulibus, decretum dicit τὸ βουλεύειν ἐν τοῖς τεταμιευκόσι· consulibus vero interfectis, ταῖς δὴ τιμαῖς ταῖς ὑπατικαῖς ἐκόσμησαν, ὥστε καὶ γνώμην ἐν τοῖς ὑπατευκόσιν ἤδη τίθεσθαι, teste eodem Dione pag. 318. Appianus vero decretum dicit B. Civ. III. 559. τὴν γνώμην αὐτὸν

ἐσφέρειν ἐν τοῖς ὑπατικοῖς ἤδη.

Missique ad eum ab senatu legati de pace] Ita Gronovius a. 1665. edidit; idemque præferunt Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. nisi quod omnes illi legant *a senatu*. Priores edd. præferunt *missique ad eum legati a senatu de pace*, quod in Exc. Pithœi, et Norv. supererat: sed *missis ad eum a senatu legatis de pace* in Voss. Voces *a senatu* omittuntur in Leid. Paullo post, trajectis vocibus, *ad componendam eam* ostentant Berg. et Lov. 1.

M. Brutus in Epiro C. Antonium prætorem potestati suæ subjecit] Vox *Brutus* deest in Voss. Tum *in Ægypto C. Antonium* legit Boend. Hinc *potestati suæ subegit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. omnesque edd. ante ultimam Gruteri, quæ *subjecit* recepit. Alibi voces illæ commutantur. Vide ad XXVIII. 21. § 9. XXX. 9. § 2. XXXVIII. 47. § 11. XXXIX. 2. § 9. et alibi. Pariter 'adigere' et 'adjicere;' vide ad Epit. l. CXXIV.

LIB. CXIX.

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellæ occisus est] *L. Trebonius* ed. Rom. princeps apud Hearnium. *S. Trebonius* ed. Rom. a. 1472. *M. Trebonius* scripti plures supra vocant Epit. lib. CXVI. Verum hic nihil mutant. Et recte. Fontem erroris, in paucis edd. commissi hoc loco, indicavi ad Epit. l. LXII. Dein *Dolobellæ* et mox *Dolobella* Leid. Voss. Lov. 2. Boend. et Norv. Similiter edd. antiqq. aliorum scriptorum, in Græcis vero Δολοβέλλας: pro quo passim viri docti *Dolabella* et Δολαβέλλας substituerunt. Quamvis autem in uno lapide apud Gruter. CDXCIX. 7. pariter DOLOBELLA reperiatur, altera tamen orthographia præferenda est. Non modo enim eam firmat nominis origo; quod, ut observat Dausq. in Orthogr. deducitur a 'dolabra,' cujus deminutivum est *Dolabella*; verum ita etiam est in pluribus lapidibus apud Gruter. Sponium, Donium, aliosque; sed inprimis in Fast. Capitol. Consul. ad a. IↃXCIV. IↃCCLXII. et in Fast. Capit. Triumph. ad an. IↃCLV. Accedit auctoritas nummi, tempore Tiberii cusi cum hac inscriptione, PERM. DOLABELLAE. PROCOS. apud Spanhem. de Us. et Præst. Num. Diss. X. p. 170. et in Thes. Morell. tom. I.

Hostis ab senatu judicatus est] *Ab senatu*, in recentioribus edd. obvium, auctorem habet J. F. Gronovium; quum omnes scripti, et priores excusi præferant *a senatu*. Præterea hoc ordine vocabula primum composuit Gruterus, probantibus Leid. Voss. Berg. et Lovel. 2. sed *a senatu hostis* est in Boend. Exc. Pithœi, ed. Camp. omnibusque reliquis excusis a Froben. an. 1535. ad Gruterum. Vetustiores vero *a senatu inimicus* præferunt. Voces 'inimicus' et 'hostis' etiam commutantur Epit. l. CX. et mox hac Epit. Verum paullo post habemus, 'Hostisque a senatu cum omnibus, qui intra præsidia ejus erant, judicatus est.' Epit. l. LXXVII. 'Ex qua duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, judicati sunt.' Epit. lib. CXXI. 'Ut Dolabellam, hostem judicatum, bello persequeretur:' ubi pariter peccant edd. vett. Vocula *est* non adparet in Lov. 2.

A. Hircius consul cum exercitu superveniens] *Hirtius* Capitol. consules, et Græci Ἵρτιος. *Sigon.* Recte quidem Sigonius emendat *Hirtius:* id tamen nomen in Fastis Capitol. non memoratur: sed eo modo, ut voluit, scribitur in lapide apud Gruter. CLXV. 3. et CLXVI. 1. in alio apud Fabrett. ad Column. Traj. c. 7. p. 197. quem bis inscriptionibus suis inseruit pagg. 217. et 324. HIRTIA apud Gruter. p. CMLXXVIII. 7. A. HIRTIVS. PR. in nummo apud viros doctos, qui illustrarunt Numm. Famil. Vocula *cum*

deest in Voss. τὸ *superveniens* in Leid. Mox *fortuna* male Exc. Pithœi. Tum *in Galliam effugit* præfert Leid.

Cum legionibus, quæ sub ipso erant, sibi junxit, hostisque ab senatu cum omnibus] Omnia hæc vocabula negligentia librarii desunt in Voss. *quæ sub eo erant* legunt Exc. Pithœi. Tum *a senatu* Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. omnesque excusi usque ad Gronov. qui a. 1665. *ab senatu* dedit, et mox *essent;* quum priores, consentientibus Leid. Berg. Boend. Exc. Pithœi, et Norv. præferant *erant.*

Qui post victoriam suam in inimicorum castris ceciderat] Vet. lib. *qui post vict. in hostium castris ceciderat.* Sigon. Licet Sigonius *post victoriam in hostium castris* se in vet. lib. invenisse monuerit, edidit tamen *post victorium in ipsis hostium castris,* quod Gronov. a. 1665. recepit, et mihi obvium fuit in Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *post victoriam ipsius hostium castris* in Boend. et ed. Camp. *post victoriam ipsius in inimicorum castris* in reliquis edd. antiqq. *post victoriam suam in inimicorum castris* in Basil. a. 1554. *post victorium ipsis in hostium castris* in ed. Gruteri. Dein *exciderat* male Boend. et ed. Campani. Paullo ante *Aur. Hirtius* Exc. Pithœi. Vide ad Epit. l. LXXIV. *At Hirtius* Leid.

Et L. Pansa, e vulnere, quod in adverso prælio exceperat, defunctus] *L. Pansa* servant omnes excusi, nisi quod Sigonius *C. Pansa* ediderit; cui, licet mutatæ lectionis in scholiis non meminerit, neminem recentiorum auscultasse, merito miramur. Hirtii enim in consulatu collega, non *L.* sed 'C. Vibius Pansa' dictus est. Ita autem non tantum vocatur apud Cic. Phil. III. 15. Phil. V. 19. Phil. XI. 9. ad Fam. VIII. 8. apud Dion. Cass. XLVI. p. 278. et alibi; verum etiam in Fragm. Fastor. Capit. ad a. IↃCCX. Ad eumdem hunc Pansam referunt viri docti nummos, quos cum inscriptione hac C. VIBIVS. C. F. PANSA. Ursinus et alii ediderunt: sine dubio vero ad eum pertinent duo, in quorum altero ab hac parte adscribitur LIBERTAS, ab illa C. PANSA. C. F. C. N. in altero ab hoc latere C. PANSA, ab illo ALBINVS. BRVTI. F. Libri scripti eodem errore, quo editi, laborant; nisi quod in solis Exc. Pithœi legatur *C. Pansa.* Præterea *ex vulnere* Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Tum *exceperant, defuncti* male Boend. et ed. Camp. Mox *ex tribus ducibus* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde *parum gratus senatui* Voss.

Qui, D. Bruto, obsidione Mutinensi ab Cæsare liberato] *Quod de Bruto* Berg. Hinc *a Cæsare* præter scriptos quinque nostros etiam Exc. Pithœi, Norv. et editi ante Gronov. qui a. 1665. *ab Cæsare* substituit. Dein *deliberato* Voss.

Honore triumphi decreto] Hic sermo est adulantium potentiæ Octavii et successorum ejus: quo et Velleius utitur II. 62. 'D. Bruto, quod alieno beneficio viveret, decretus est triumphus.' Et Dio XLVI. pag. 317. Πάνθ' ὅσα ἐκεῖνος ἤλπισε λήψεσθαι, τῷ Δεκίμῳ δόντες· οὐ γὰρ ὅτι βουθυσίας, ἀλλὰ καὶ ἐπινίκια αὐτῷ ἐψήφισαν. At, hæc si speravit Octavius, improbe speravit: nam de cive non triumphabatur. Id quod adulatores illos meminisse oportebat. Bruto decretus est triumphus de gentibus Transalpinis, ut colligas ex Famil. IV. 11. Ciceronis, et Epit. lib. CXIV. Quanto vero honestius Suetonius Octav. c. 12. 'Ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus.' *J. F. Gron. Triumphi honore decreto* Berg. et Lov. 2. Mox *intentionem,* pro *mentionem,* Boend. et ed. Camp. Dein *ob quod C. Cæsar* Voss.

Et, perculsis adventu ejus iis] *Præclusis* vel *preclusis* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Mogunt. quæ *perculsis* recte

emendavit. Error ortus erat ex literis perperam transpositis. Præterea *iis* deest in Boend.

Quum annos XVIII. haberet, consul creatus est] Vet. lib. *annos XIX.* recte; est enim natus Octavius consule Cicerone IX. Kal. Octob. auctore Suetonio Aug. cap. 5. consul factus est Pansa et Hirtio consulibus interfectis X. Kal. Octob. Quæ summa annorum est viginti, uno die minus. Quare qui XIX. annos scribunt, integros accipiunt; qui viginti, imperfectos. Optime autem omnium Velleius, qui ait II. 65. 'Consulatum iniit Cæsar pridie, quam viginti annos impleret, X. Kal. Octob. cum collega Q. Pedio.' *Sigonius.* Gud. *cum decem et novem annos haberet.* Alter, *cum decem et octo annos haberet.* J. F. Gron. Petavius quoque de Doctr. Temp. lib. XII. cap. 30. hic legit *XVIII.* et exponit, quum excessisset annos XVIII. et nonum decimum ageret. Sed Norisius in Cenot. Pisan. Diss. II. 2. ex anno confusionis, quem vocat, qui CCCCXLV. dierum fuit, quam additionem dierum factam dicit ante annum, quo Augustus consul fuit, nempe a. IↃCCX. argumentatur, eum anno vigesimo et mense insuper expleto, senatui consulatum extorsisse. Si vera est illius sententia, videtur dicendum esse, Velleium II. 65. Suetonium Aug. c. 26. et alios, qui eum nondum viginti annos natum consulem factum tradiderunt, non habuisse rationem mensis intercalarii, qui in annum confusionis inciderat, et duorum mensium, quibus eumdem Julius Cæsar, ut auctor est Suet. Cæs. cap. 40. auxerat. Sed de anno confusionis aliter sentit Petavius, qui de Doctr. Temp. IV. 1. et X. 61. annum illum an. IↃCCVIII. et primum Julianum an. IↃCCIX. fuisse contendit. Augustus autem, etiam ex Norisii sententia, primum consulatum cepit mense Sextili a. IↃCCXI. *Duk. Cum annos XVIII. haberet* Voss. et Norv. *cum XVIII. annos haberet* Lovel. 2. *cum annos decem et octo haberet* Leid. Boend. et ed. Camp. *cum annos novemdecim haberet* Exc. Pithœi: *cum XIX. annos haberet* Berg.

LIB. CXX.

Cæsar consul legem tulit] *C. Cæsar* Lov. 2. Exc. Pitbœi, Norv. et antiqq. edd. Prænomen vero primus omisit Curio, nisi quod etiam non adpareat in ed. Camp. Licet autem Basileenses a. 1554. et Sigonius anno proximo id revocarint, recentiores tamen mox iterum omiserunt. Sed nec exstat in Leid. Voss. Berg. et Boend. Mox vocabulum *consul* exsulat a Leidens. Voss. et Boeud. Hinc *quorum opera Cæsar pater* est in Exc. Pithœi. Tum *occisus est* in Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp.

Quum M. Antonio vires Asinius quoque Pollio et Munatius] Perperam *Quum M. Antonius* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi. Tum *Asiniusque Pollio* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. quod dictum esse posset ad exemplum eorum, de quibus vidimus ad Livii XXXV. 41. § 6. Potest etiam ex scribarum errore ortum esse; quos vocnlas *que* et *quoque* sæpissime commutasse, vidimus ad V. 27. § 1. Dein *Numatius*, transpositis literis, Voss. Vide viros doctos ad Suet. Tib. cap. 5. *Minatius* Berg. et Boend. *Minutius* ed. Camp.

Et D. Brutus, ... mandavit] Vet. lib. *mandaverat.* Sigonius. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boenderm. Exc. Pithœi, et ed. Camp. qui omnes libri primam voculam *et* ignorant. Verum ea intercepta videtur ab ultimis literis vocis præced. *ampliassĕt.* Vide ad Livii XXXVII. 59. § 1.

Ab Capeno Sequano interemptus est] 'Camillum' vocat Appianus lib. III. in fine; Valer. Max. IV. 7. 'Furium.' Ergo 'Furius Camillus' dicebatur. Vide eumdem IX. 13. Velleius II. 64.

'Camelum' vocat. *H. Valesius.* Velleius II. 64. non dicit Camelum percussorem Bruti, sed hospitem, fuisse; et Brutum in ejus domo ab iis quos miserat Antonius, jugulatum. Appianus III. Civil. extr. ita refert, Brutum, a latronibus captum, se ad Camillum deduci petiisse, Camillum Antonio rem clam significasse, et ab eo jussum fuisse caput Bruti ad se mittere. Verosimile est, eadem de nece Bruti prodidisse Livium. Neque enim necesse est, quod hic Brutus ab Capeno interemtus dicitur, ita accipi, quasi Capenus ipse eum occideret: nam ab eo interemtus dici potest, quia auctor necis illius fuit. Quæ eruditissimus Valesius hic in exemplari suo scripserat, neque ipsum publicari voluisse, et sine injuria illius omitti potuisse, credo. Nam quæ in his consequentia est? 'Camillus' fuit hospes et proditor Bruti: 'Furius,' teste Valer. Max. ab Antonio ad Brutum occidendum missus fuit: ergo is, a quo Brutus interemtus est, 'Furius Camillus' dicebatur. *Duk.* Varie hanc periodum exhibent libri: *relictus a leg. suis quum profugisset, jussu Ant., in cujus pot. venerat, cæsus a Cupeno Sequane interfectus est* est in Leid. *relictus a leg. suis quum profugisset, jussu Ant., in cujus pot. venerat, præfuisse cæsus a Capeno Sequano interfectus est* in Voss. *relictus a leg. jussu Antonii in ejus potestate venerat profugisset, cæso a Capeno Sequano ac interfectus est* in Boend. *relictus a leg. suis jussu Ant. in cujus potestatem venerat profugisset cæsus a Capeno* (*cæsus et a Capaneo* in Berg.) *Sequano interfectus est* in Berg. Lovel. 2. et ed. Campani. Sed melior sensus est in vulgatis edd. quam in his libris, quorum lectiones dedi. Recte vero Dukerus contra Vales. monet, ex collatis Appiani Alex. et Valerii Max. locis non patere, eum a quo D. Brutus interfectus est, Furium Camillum dictum esse. Quem enim App. 'Camillum' vocat, Gallorum dynasta est; et quidem ex populo Sequanorum, ut locus hic docet. Unde etiam Orosius VI. 18. eumque secutus Freculph. part. I. lib. VII. c. 14. D. Brutum 'in Gallia a Sequanis' captum et occisum tradunt. At contra Furius, 'cui Brutianæ ultionis officium mandatum erat,' sive 'quem ad Brutum occidendum Antonius miserat,' ut Valer. Max. dicit, Romanus fuisse videtur, quem ad dynastam Gallorum cum manu equitum Antonius miserat, ut, eo conscio et teste, Brutus interficeretur. Ceterum apud Livium XLI. 1. memoratur 'Catmelus' regulus Gallorum, a quo nomine non multum distat 'Camelus' Vell. vel 'Camillus' Appiani. Et forte simile nomen hic restituendum est. Vide etiam Jac. Perizon. Epist. ad Nic. Heinsium, quam edidit Burm. in Syll. Epist. tom. IV. 779. Præterea, licet D. Brutus in potestatem Antonii venisse dici possit, qui tantum venerat in potestatem dynastæ Sequani, apud quem jussu Antonii interfectus est, forte tamen, si vera est Appiani, vel Velleii narratio, mutato verborum ordine legendum est *jussu Antonii a Camelo*, vel *Camillo*, vel *Cutmillo Sequano, in cujus potestatem venerat, &c.* Denique cum omnibus codd. et edd. *interfectus*, pro *interemptus*, edidi. Vide ad Epit. l. LXXIII.

Cæsar pacem cum M. Antonio et Lepido fecit] *C. Cæsar* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Norv. et pleræque edd. nisi quod Basil. 1554. eosque secutus Sigonius *D. Cæsar* vulgarint; quod in Exc. Pithœi esse, Hearne notavit: id vero non aliter, quam *Divus Cæsar*, reddi potest. Sed, quum Augustus demum post mortem 'Divi' titulum acceperit, potius videtur illud *D.* natum esse ex operarum errore. Et ita existimasse videntur, qui tertiæ Sigonii editioni præfuerunt, quia priscam lectionem *C. Cæsar* re-

vocarunt. Primus deinde Heinsius in ed. Elzevir. invitis omnibus libris, prænomen expunxit; quem quum inprovide recentiores secuti sint, illud nunc iterum restitui. Contra *cum Antonio*, vicissim omisso prænomine, Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et editi ante Gronov. qui prænomen an. 1665. addidit, quod tot codd. et edd. auctoritate iterum delevi.

Ita ut tresviri reipublicæ constituendæ quidem per quinquennium præessent] Nihil purius potest esse vetere hujus loci lectione: *ita ut IIIviri reip. constituendæ per quinquennium essent ipse, et Lepidus, et Antonius, et ut suos quisque.* Sic enim pacis conditiones fuerunt dnæ, triumviratus et inimicorum proscriptio. *Sigon.* In eo Sigonio consentiunt omnes quinque codd. nostri, cum Exc. Pithœi, et ed. Campani, τὸ *quidem* delendum esse, de quo vide ad Epit. l. LV. et *essent* legendum, pro *præessent.* Deinde *reipublicæ restituendæ causa*, ultima voce addita, Leid. et Boend. Ita passim in Fastis Capitol. dictatores dicuntur REI. GERVNDAE. CAVSSA, vel COMIT. HABEND. CAVSSA, vel CLAVI. FIGENDI. CAVSSA, vel LATINAR. FER. CAVSSA. Quum tamen τὸ *caussa* desit in Voss. Berg. Lovel. 2. Exc. Pithœi, et Norv. ac librarii passim eam vel synonymas voces addere de suo soliti sint, ut vidimus ad XXXI. 12. § 4. eos etiam id hoc loco fecisse, credere malo.

Ipse, et Lepidus, et Antonius, ut suos quisque inimicos proscriberent] *Ipse, Lepidus, et Antonius*, copula priori loco omissa, Boend. Norv. et edd. ante Sigonium, qui eam ex vet. lib. addidit: cum quo faciunt etiam Leid. Voss. Berg. et Lovel. 2. Et recte. Partim enim, auctorem Epitomarum copulam illam repetere solitum fuisse, vidimus ad Epit. l. XLVI. partim ita evitabitur ambiguitas, utrum intelligendum sit *ipse*, scilicet C. Cæsar, an proxime jungendum *ipse Lepidus.* Recte dein Sigonius post vocem *Antonius* delevit verbum *statuerunt;* quod similiter neque Mss. nostri, neque Exc. Pithœi, neque ed. Camp. agnoscunt. Optime Sigonius ex vet. lib. *et ut suos*, consentientibus Leid. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Quum autem Sigonius, Gruterus, et alii particulam *et* recepissent, primum eam ex contextu iterum ejectam vidi in ed. Gronov. an. 1665. Eadem postea omissa est in nota Sigonii in ed. Gronov. an. 1679. quod Hearnio fraudi fuit, eique ansam dedit perperam monendi τὸ *et* in vet. lib. Sigonii non exstitisse. Denique *proscriberet* Boend. et ed. Camp. Sed male: *quisque proscriberent* formatum est ad imitationem Livii; quem ita passim locutum esse, vidimus ad VII. 19. § 2.

Centum triginta senatorum nomina fuerant] *Fuerunt* vet. lib. *Sigon.* Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Centum triginta duum senatorum nomina in tabula proscriptionis proposita fuisse, auctor est Oros. VI. 18. et ex eo Freculph. part. II. lib. VII. cap. 14. Paullo ante vocem *Romani* omittunt Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. omnesque edd. ante Gruterum.

Et inter eos L. Paulli fratris M. Lepidi] Prima vocula non adparet in Boend. qui sequentia verba ita exhibet: *inter eos L. Paulli fratris mris Lepidi, al' M. Lepidi.* Sed librarius perperam duas lectiones junxit, ac simul in contextum recepit. Ceterum, qua ratione factum esse potuerit, ut L. Paullus et M. Lepidus fratres germani diversarum tamen familiarum gentis Æmiliæ nomina nacti sint, pluribus docet Perizon. in Animadv. Hist. III. 145. ubi erudite L. Paullum inlustravit.

Et L. Cæsaris Antonii avunculi, M. Ciceronis] Vet. lib. *et M. Ciceronis.* Item *hujus occisi*, non *cujus occisi.* Sigonius. In Dione XLVII. 330. scribitur

ἀμέλει τῷ τε Ἀντωνίῳ καὶ ὁ θεῖος Λούκιος Ἀντώνιος Καῖσαρ. Sed vox Ἀντώνιος rejicienda est. *Delrius.* Primam voculam omittit male Voss. Modo habuimus 'ipse, et Lepidus, et Antonius:' ubi vide. Deinde particulam *et*, ante penultimam vocem a Sigonio additam, agnoscunt omnes codd. quos consului, Exc. Pithœi, et ed. Camp. qui omnes, excepto uno Boend. *hujus*, non *cujus*, constanter itidem agnoscunt.

Popilio legionario milite] Ita scripti mei, omnesque edd. præter Sigonianas, quæ recte præferunt *Popillio;* quod etiam in Exc. Pithœi esse, Hearne monnit. Vide ad XXVI. 6. § 1. Mox *annos XLIII.* notis numeralibus perperam transpositis, Voss.

Caput quoque cum manu dextra] Vet. lib. *caput cum manu.* At Livius tamen, inter duas manus positum, scripsit. Verba ejus sunt apud Senecam Declam. Suasor. I. 6. ita: 'Ita relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus in rostris positum:' in iisdem verbis nulla Popilii mentio est. *Sigon.* Etiam alia quædam de morte Ciceronis inter scriptores veteres discrepant. Loca omnium collegit ac descripsit Fabritius in Historia Ciceronis extr. Adde Corradum in Quæstura. *Duk.* Τὸ *quoque* exsulat etiam a Berg. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Deinde Gronov. edidit *cum dextra manu,* quod probant omnes exarati mei et ed. Camp.

LIB. CXXI.

Hostem judicatum] Ita Sigonius edidit, adstipulantibus omnibus scriptis meis, et ed. Camp. Priores excusi cum Norv. legunt *inimicum judicatum.* Vide ad Epit. l. CXIX. Paullo ante Cassii prænomen *C.* deerat in Voss. et Boend. Vide ad Epit. lib. LXII. Mox *auctoritate reipublicæ adductus* Lov. 2.

In urbe Laodicea] *Laudicea* ed. Camp. *Laudicia* Leid. et Berg. Vide Dausq. Orthogr. parte II. voce 'Latomiæ.' *Laodicia* Voss. et Lov. 2. Græce dicitur Λαοδίκεια, quod vel *Laodicea* vel *Laodicia* Latine efferri potest. Vide ad XXXI. 43. § 5.

Bruti jussu C. Antonius captus, occisus est] *Bruti jussu C. Ant., M. Antonii frater, captus occisusque est a Q. Cicerone* Boend. et ed. Camp. invitis omnibus reliquis, calamo vel typis exaratis, libris. Verum, C. Antonium a quodam C. Clodio interfectum esse, refert Dio Cass. XLVII. 341. Eum jussu Bruti interfectum esse, ut vindicaret mortem Ciceronis, refert Plut. in Anton. p. 925. sive ut parentaret D. Bruto et Ciceroni, et quidem opera Hortensii, quem deinde Antonius, prœlio Philippensi captum, ad sepulcrum fratris iumolavit. Vide Plut. in M. Brut. 996. Quin etiam a Q. Cicerone, vel patre, vel filio interfici non potuit, quum ambo proscriptione perierint; si vera sunt, quæ narrant Appian. Civ. IV. 601. et Plutarch. in Cicer. p. 884.

LIB. CXXII.

M. Brutus adversus Thracas parum prospere rem gessit] Veritate flagitante, vocem *parum* tollo. Nam regionem Sadali recepit, et Bessorum maleficia vindicavit. *Delrius.* Vocem *parum* ejiciendam esse ex contextu, jam ante Delrium vidit Xylandr. ad Dion. Cass. XLVIII. 369. siquidem Rascipolidis auxilio adjutus, Bessis feliciter debellatis, Imperatoris nomen M. Brutus retulisse dicatur apud Dion. Cass. XLVII. 341. Præterea Bruti prænomen *M.* male omittitur in Boenderm. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LXII. Mox *omnibus in transmarinis provinciis exercitibusque* Lov. 2.

Ad ordinanda belli futuri consilia] *Futuri belli* Exc. Pithœi, Norvic. et plerique excusi ante Grnter. qui or-

dinem vocabulorum invertit. Ei autem favent Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Paullo ante *coëgerunt*, pro *coiverunt*, Berg.

M. Messalæ Publicolam fratrem junctum communi consilio condemnaverunt] Vet. lib. *victum communi concilio condonaverunt:* et recte. Idem enim Dio XLVII. 341. Βρούτῳ τε Γέλλιος ὁ Ποπλικόλας ἐπεβούλευσεν· ὁ δὲ δὴ Γέλλιος ἐφωράθη· ἔπαθε δὲ δεινὸν οὐδέν· ὁ γὰρ Βροῦτος ἐκεῖνόν τε ἐν τοῖς φιλτάτοις ἀεὶ νομίσας εἶναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Μάρκον Μεσσάλαν πάνυ τῷ Κασσίῳ προσκείμενον εἰδὼς, ἀφῆκεν αὐτόν. *Sigonius.* Sic *victum* Sigonius ἀντὶ τοῦ *junctum:* quorum alterum pessimum est, alterum parum utile. Historia est apud Dionem, Βρούτῳ τε Γέλλιος, &c. Ex quibus adparet in hanc sententiam scriptum fuisse *fratrem insidiarum convictum.* J. F. Gron. *M. Messalam Publicolam* Voss. Boend. et ed. Camp. *M. Messalæ Poplicolam* Exc. Pithœi. *Poplicolam* etiam edidit Sigonius. Et ita Γέλλιος ὁ Ποπλικόλας vocatur apud Dion. Cass. l. laud. At *Publicola* apud Vell. II. 85. Nec aliter hic in reliquis Mss. Vide ad Livii II. 8. § 1. Edidi etiam *Messallæ.* Vide ad XXVII. 5. § 1. Hinc *victum* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. *vinctum* Exc. Pithœi: *conjunctum* ed. Parm. quod proxime ad Gronovii *convictum* accedit. Insuper *condenarunt* Voss. *cõdẽnavẽrt* Boend. *cõdmnaverunt* Berg. *condonarunt* Leid. et Lov. 2. Quæri potest, qua ratione L. Gellius Poplicola et M. Valerius Messalla fratres fuerint? Pighius in Annal. ad an. IOCLXXXI. 307. observat, 'Poplicolæ' cognomen non Gelliæ, sed Valeriæ, genti proprium fuisse, ideoque id Gellio adoptione tributum existimat. Indicare videtur, M. Valerii Messallæ fratrem adoptione transiisse in gentem Gelliam; sed gentis Valeriæ, unde migravit, proprium cognomen *Poplicolam* servasse. Similiter 'Cæpio Brutus,' 'Cæcilius Atticus,' 'Metellus Scipio,' de quibus vide Duker. ad Epit. l. CXIII. CXIV. Ii cognomina gentium, ex quibus prognati erant, post adoptionem pari modo retinuerunt.

LIB. CXXIII.

Sex. Pompeius, Magni filius, lectis ex Epiro] *Sex. Pompeii Magni filius* Voss. Male. Vide ad Epit. l. CXIII. Tum *ex lectis* perperam idem codex. Forte librarius dare voluit *electis*, ut est in Berg. Insuper *ex Cypro* Boend. et ed. Camp. Mox *et fugitivis* Leid.

Cum exercitu diu, sine ulla loci cujusquam] [Vide Lectt. Var.] *Loci cujuspiam* Lov. 2. *loci cujusque* Boend. Mox *prædatus est in mari* Boend. idem. Sed rectius oratio suspenditur usque ad sequens 'occupavit.'

Occisoque a Pompeio A. Bithynico prætore] Vet. lib. *occisoque A. Pompeio Bithynico prætore.* Sic autem ipse vocabatur, ut omnia Rom. monumenta loquuntur. *Sigon. Occisoque . . . . . Bithinico prætore*, reliquis omissis, relicta tamen lacuna, Boend. *occiso quoque Pompeio Bithimeo prætore* Voss. *occisoque Pompeio Bithimio prætore* Berg. *occisoque Pompeio Bithynico prætore* Leid. et Lov. 2. *occisoque Pompeio Bithyniæ prætore* ed. Camp. Patet, nullum meorum codd. Pompeii Bithynici prænomen *A.* agnoscere; Sigonio tamen consentiunt Exc. Pithœi.

Salvidienum legatum] Vet. lib. *Q. Salvidienum legatum.* Sueton. Aug. c. 66. 'Salvidienium Rufum.' Quare *Q. Salvidienium* lego. *Sigon. Quinti* prænomen recte addidit Sigonius: agnoscunt enim Leid. Voss. et Exc. Pithœi; sed ejus loco *qui* est in Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Deinde *Salidenum* Voss. *Salvidenum* Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *Salvidemum* Boend. et Norv. *Salvidiemum* ed. Ro-

mana princeps, teste Hearnio; quum reliquæ, quas vidi, edd. vett. *Salvidemum* præferant. *Salvidienium* ex Exc. Pithœi laudat idem Hearnius, quomodo Sigonius ex Suetonio hic emendandum censuit. Sed Ger. Vossius ad Vell. II. 59. eum vitiosos Suetonii codd. secutum esse monuit, ac servandum vulgatum *Salvidienum*. Certe, ita in Suetonio legendum esse, ibidem contendit Torrent. nec aliter hoc loco est in Leid. idque Frobenius, qui a. 1531. *Salvidenum* dederat, quadriennio postea reposuit. Etiam memoratur Epit. l. CXXVII. Σαλβιδηνὸς vocatur App. Alex. Civ. v. 710. Κόϊντος Σαλουϊδίηνος Ῥοῦφος Dioni Cass. XLVIII. 364. Ῥοῦφος ὁ Σαλουϊδιῆνος p. 376. De eo vide Burm. ad d. l. Suetonii. Insuper mox *legatum manibus prælio vicit* Voss. Tum *bellum adversus Brutum* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII.

Q. Cornificium in Africa T. Sestius, Cassianarum partium ducem] Luxata verba *Cornificium in Africa Cassianarum partium ducem T. Sestius*. Sigon. Lege *Cæsarianarum* ex Appiano IV. 620. Cornificius autem a Bruti partibus stabat, teste Appiano lib. IV. et Cicerone in Epistolis. *H. Vales.* Cornificium a Sextio victum Dio XLVIII. 369. et Appianus Civ. IV. 620. tradunt. Ante triumviratum Cornificius et Lælius veteri provinciæ, quæ, deleta Carthagine, Africa proprie dicebatur, præfuerant, Sextius Numidiæ, Juba victo, a Cæsare subactæ. Divisis inter triumviros provinciis, quum hic Antonii, illi Octaviani rebus studerent, bellum inter eos ortum est, quo Cornificius periit. Ita Dio. Appianus quoque eum hoc bello interiisse prodit, sed aliter refert historiam: nam in triumvirali divisione universam Africam Cæsari obvenisse dicit, et aliam causam belli inter Cornificium et Sextium narrat. Vide Pighium ad a. IↃCCIX. Sed ex utroque liquet, Sigonium pro *Q. Cornificius* recte legere *Q. Cornificium*. Etsi autem Dio eum 'Cassianarum' partium ducem fuisse non dicit; tamen, non alieno ab illis animo fuisse, indicio sunt Epistolæ Ciceronis Fam. XII. 22. et 25. post necem Julii Cæsaris ad eum scriptæ, et quod Dio XLVIII. p. 367. eum Sex. Pompeio auxilia militum ex Africa in Siciliam misisse scribit. Appianus quoque Civ. IV. p. 610. eum a reipublicæ partibus stetisse, et proscriptos a triumviris se ad eum contulisse dicit. *Duk.* Edd. principes *Q. Cornificius in Africa T. Sestium, Cassianarum partium ducem, prælio vicit:* neque aliter est in scriptis, nisi quod parum in voce *Sestium* varient, ut mox videbimus. Eamdem lectionem Sigonius etiam prima ed. retinuit. Altera deinde a. 1572. ejusdem Sigonii exhibuit *Q. Cornificium in Africa T. Sestius Cassianarum partium ducem prælio vicit.* In illa deinde, quæ post ejus mortem an. 1592. prodiit, scholium præmissum primum adparuit, et transpositio vocum ibidem proposita in contextum recepta est. Ea vero admissa, insuper *Cassianarum* in *Cæsarianarum* mutandum conjicit H. Valesius. Verum et emendatio Sigonii in secunda, et transpositio vocum in ultima ejus ed. obvia, et H. Valesii conjectura ante hunc et illum, jam Xylandro in mentem venit in Annotat. ad Dion. Cass. XLVIII. pag. 369. Eæ autem primum a. 1558. prodierunt. Non necesse tamen esse, ut *Cassianarum* mutetur, Dukero adsentior. Præterea, qui in plerisque edd. *Sestius* vocatur, Appiano et Dioni Σέξστιος dicitur. Verum alia est gens 'Sestia' patricia, alia 'Sextia' plebeia. 'L. Sestium' Bruto favisse, eique pro quæstore fuisse constat ex nummis ejus gentis. Contra, 'T. Sextium' partibus triumviralibus adhæsisse, ex App. et Dion. Cass. patet. Forte igitur legendum *Q. Cornificium in Africa Cassianarum partium ducem*

T. Sextius prælio vicit. Certe *Sextium* præferunt Voss. et Lov. 2. eoque ducunt vestigia Leid.Berg. Boend. et ed. Camp. *Sextum* præferentium : quemadmodum etiam apud Dion. peccari Xiphilin. ad d. l. monuit. Solent autem nomina hæc 'Sextius' et 'Sestius' a librariis indoctis confundi. Vide ad Livii III. 32. § 5. X. 8. § 8. XXX. 26. § 11. Epit. l. LXI. et viros doctos ad Sueton. Tib. c. XLII.

LIB. CXXIV.

C. Cæsar et Antonius] Cæsaris prænomen omittitur in Voss. et Boend. Similiter in initio Epit. libb. CXXV. CXXVI. Quod probandum, vel etiam Antonio suum addendum videbitur illis qui, alterius prænomine memorato, alterius non omittendum judicant: vide ad IV. 49. § 1. Id tamen necesse non esse, patet ex illis quæ notantur ad Epit. l. XXVIII. Mox *adversus Brutum* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII. Voces insuper *et Cassium* perperam omiserunt Donjatius, Clericus, et Crevierius.

Ita ut utriusque dextra cornua vincerent] Vel *utriusque aciei*, vel *utrorumque*, vel *utrimque*. J. F. Gron. *Ut dextra utriusque cornua* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. quomodo etiam Gronovius edidit: *ut dextra utrimque cornua* Clericus ex Gronovii conjectura admisit. Dein *vicerint* Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. pro quo Gruterus substituit *vincerent*, quod probant Leid. et Lov. 2. Proxime accedunt Vossian. Berg. Boend. et ed. Camp. *vincerentur* præferentes errore librariorum. Vide ad XXXIX. 22. § 8. id enim admitti non posse, evincunt App. Alex. Civ. IV. 654. et Plut. Brut. 1007. qui, dicendo Brutum sinistrum hostium cornu in fugam conjecisse, indicant dextrum Bruti cornu vicisse.

Inæqualem fortunam partium mors Cassii fecit] Vocem *partium* neglexit librarius Boend. Deinde *mors quidem Cassii* Norv. et priscæ edd. Sed mediam vocem omisit Sigonius, probantibus omnibus scriptis meis, et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LV. Mox *quum in cornu* Vossian. *quum eo cornu* Boend. et ed. Camp. Tum *mortem conscivit*, omissa voce *sibi*, Voss.

Altero deinde prælio victus] *Altero deinde victus* Leid. Berg. Lovel. 2. et Exc. Pithœi. *Alter deinde victus* Voss. Boend. et ed. Campani. Mox Τὸ *Stratone* exsulat perperam a Leid. Eum enim pariter memorant App. Alex. Civ. IV. 666. et Plut. in Brut. 1009.

Ut sibi gladium adjiceret] Uterque Pall. *adiceret* : quod æque notat 'adigere,' quam 'adjicere.' Et vero 'adigere' hic magis convenire videtur. Quære tamen, an *adigere alicui* dici queat. *Gruter.* Lege *adigeret*. Justin. I. 9. 'Vel per suum corpus adigi Mago ferrum jussit.' *J. F. Gronov.* Vulgatum superest in Leid. Vossian. Berg. Boend. et Norv. *addiceret* in ed. Campani: *adiceret* in Lov. 2. *adigeret* in Exc. Pithœi, teste Hearnio. Ovid. Met. v. 78. 'surgentibus obstitit ensis, Alterius costis jugulo Phorbantis adactus.' Met. XII. 325. 'ferrataque collo Fraxinus, ut casu jacuit resupinus, adacta est.' Val. Max. III. 2. 23. 'Quinque militum diurno prælio sufficientia pila una dextra hostium corporibus adegisti:' ubi Torren. in multis codd. *adjecisti* invenit; sed vulgatum præfert, et hoc loco adscripto inlustravit. Similiter commutantur verba 'subigere' et 'subjicere;' vide ad Epit. lib. CXVIII. 'transigere' et 'transjicere;' vide ad Silii I. 642.

Annorum erat circiter ætatis quadraginta] Locum hunc mancum esse, semper suspicatus sum: nec me fefellit opinio, ubi et veteres libros et hujus historiæ scriptores conferre cœpi. In vet. lib. ita est: *adjiceret, an-*

norum circiter XL. ita ut duæ voces absint *erat* et *ætatis*. Hinc ego *Idemque fecerunt principum Romanorum circiter XL. Inter quos Q. Hortensius occisus est.* Qui enim cum Bruto mortem oppetierunt, tradit; quorum alios sibimet, ut Brutus fecerat, necem consciviſse ait; alios autem, ut Hortensium, ab inimicis esse interfectos. Hanc rem sic Vell. II. 71. 'Non alind bellum crudelius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit. Nam Varro, ad ludibrium morituros Antonii, digna illo, ac vera de exercitu ejus magna cum libertate ominatus est. Drusus Livius, Juliæ Augustæ pater, et Varus Quintilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter sese ipse in tabernaculo interemit, Varus autem liberti, quem id facere coëgerat, manu jugulatus est.' Item Dio multo apertius XLVII. 356. Τῶν δ' ἀνδρῶν τῶν πρώτων τῶν ἀρχάς τινὰς σχόντων ἢ καὶ ἐκ τῶν σφαγέων, τῶν τε ἐπικεκηρυγμένων ἔτι ὄντων, οἱ μὲν πλείους ἑαυτοὺς παραχρῆμα ἀπέκτειναν, ἢ ἁλόντες, ὥσπερ ὁ Φαβώνιος, ἐφθάρησαν· id est, *Ex principibus autem viris, quique magistratus aliquos gesserant, aut etiam ex interfectoribus et iis qui adhuc proscripti erant, plerique sibimet ipsis statim mortem consciverunt, aut capti, ut Favonius, interfecti sunt.* Sigon. Vet. lib. *circiter sexaginta.* Delrius. *Annorum erat ætatis circiter XL.* Leid. Boend. et ed. Camp. *annorum erat ætatis quadraginta* Voss. *annorum erat circiter quadraginta* Lov. 2. *annorum circiter quadraginta* Berg. quam lectionem ultima Gruteri ed. recepit, quum Sigonius conjecturæ suæ locum in contextu dedisset: cujus exemplum Doujatius et Clericus secuti sunt. At recte Crevierius, locum mutilum esse confessus, præstare judicavit, mancam et hiulcam orationem exhibere, quam eam, quæ specie falsæ sanitatis imponeret. Hearnius auctor est, Exc. Pithœi præferre, *idemque fecerunt principum Romanorum circiter XL. inter quos Q. Hortensius erat.*

LIB. CXXV.

C. Cæsar, relicto Antonio, transmarinæ provinciæ ex parte imperium ei cessit] Itane transmarina una erat provincia, cujus partem sibi retinuit, partem Antonio cessit Octavianus? Gud. *Cæsar relicto trans mare Antonio provinciæ ex parte imperii positæ recesserat.* Voss. *Cæsar relicto trans mare Antonio p. e. p. imperii potestate recesserat.* Deniqne Barber. et Gud. alter *Cæsar relicto trans mare Antonio, quæ provinciæ ex parte imperii potestate recesserunt.* Scribe, *Cæsar, relicto trans mare Antonio, (quæ provinciæ ex parte imperii in potestatem ejus cesserant) in Italiam reversus.* Suetonius August. 'Partitis post victoriam officiis, cum Antonius orientem ordinandum, ipse veteranos in Italiam reducendos, et municipalibus agris collocandos recepisset.' *J. F. Gron.* Cæsaris prænomen omittunt omnes, quos adhibui, codd. cum Exc. Pithœi, et ed. Campani. Vide ad initium Epit. præcedentis. Præterea *relicto trans mare Antonio, quæ provinciæ ex parte imperii potestate recesserant* Leid. *relicto trans mare Antonio provinciæ ex parte imperii positæ recesserant* Berg. et Lov. 2. *relicto trans mare Antonio ex parte imperii potestate recesserat* Boend. *relicto trans mare Antonio provinciæ ex parte imperii potestate recesserat* Exc. Pithœi: *relicto trans mare Antonio provinciæ ex parte imperii ei cesserat* ed. Camp. Gronovii conjecturam probat Crevierius, nisi quod malit *ex partitione imperii:* quod etiam verius videtur.

Corrupti a Fulvia, M. Antonii uxore] *Correcti* Voss. *corepti* Boend. *correpti* Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et omnes typis descripti usque ad Ascensium,

qui a. 1513. *corrupti* recte emendavit. Id autem superest in Leid. Vide ad III. 37. § 8. Mox *adversus imperatorem*, pro *contra*, omnes codd. mei, et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LVII. Tum *conjuraverant*, pro *concitaverant*, Leid. et Berg.

Cum grandi periculo inhibuit] Vet. lib. *gravi*. Sigonius. Similiter Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Eadem Fulvia consiliante] *Consulente* Leid. Lov. 2. Boenderm. Norv. et editi ante Gruterum, qui *consiliante* reposuit; neque aliter in Vossian. et Berg. inveni. De voce 'consiliare' varie inter viros doctos disceptatum est, utrum satis Latina, atque optimo seculo digna; an vero pene Longobardica, aut certe posteriori demum ævo recepta fuerit. Prius placuit Cellario in Cur. Poster. p. 56. posterius Andr. Borrichio in Append. ad Cellarii Cur. Poster. Verum, licet quis contenderet, optimo ævo in usu non fuisse, de quo nunc nihil definio, id tamen verbum auctore harum Epitomarum indignum non esse existimo. At vicissim id vel ex conjectura, vel ex unius aut alterius Msti auctoritate ipsi Livio vindicare non audebo. Vide quæ notantur ad Livii VII. 31. § 1. et XXIV. 28. § 8.

M. Lepido, qui custodiæ urbis cum exercitu præerat, scisso, hostiliter in urbem inrupit] Vet. lib. *fuso*. Sigonius. Similiter Leid. Voss. Berg. et Lovel. 2. Verum τὸ *fuso* vel *scisso* deest in Boend. et ed. Camp. Sed male. Ea enim voce omissa sensus foret, L. Antonium etiam M. Lepidum in partes suas recepisse; quum tamen ex Appian. Civ. v. 687. constet Cæsarem Octavianum, expeditionem adversus L. Antonium suscepturum, Lepidum cum duabus legionibus urbi præfecisse. Antonium autem, quum clam ad urbem accessisset, mira celeritate eam ingressum esse, portis sibi proditis; quo tempore Lepidus ad Cæsarem evasit. Vide etiam Dion. Cass. XLVIII. 364. Præterea voces *cum exercitu* desunt in Berg.

LIB. CXXVI.

C. Cæsar, quum esset annorum viginti trium] Cæsaris prænomen deest in Leid. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epitom. lib. CXXIV. Dein *viginti quatuor* Lov. 2. Boend. Norv. et edd. ante Froben. qui *viginti trium* reposuit. Ea vero lectio superest in Leid. Voss. et Berg. et etiam vera existimanda est. Nam *natus est Augustus M. Tullio Cicerone, C. Antonio consulibus, IX. Kal. Octobres*, teste Suet. Aug. c. 5. Perusiam autem ad deditionem adegit ἐπὶ Γναίου Καλουΐνου δεύτερον, καὶ ἐπ' Ἀσινίου Πωλίωνος ὑπάτων, ut narrat Dio Cass. XLVIII. p. 365. Cicero autem et Antonius secundum Fast. Capitol. consules fuerunt a. IↃCXC. sed Calvinus et Asinius a. IↃCCXIII. quo anno ineunte Perusiam Cæsar Octavianus in potestatem redegit; unde simul constat eum tum annum ætatis vigesimum tertium egisse.

Obsessum in oppido Perusiæ L. Antonium] *Obsessus* perperam Exc. Pithœi. Hinc *in oppido Perusii* Leid. *in oppidum Perusiam* Boend. *in oppido Perusia* Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, Norv. et omnes edd. ante ultimam Gruteri, qui *in oppido Perusiæ* substituit. Eam lectionem non damno. Vide ad Livii XL. 19. § 9. Quum tamen ita in nullo codice repererim, priscam scripturam revocavi. Denique *L. Antonium coëgit*, addita ultima voce, Leid. Sed ea ex sequentibus perperam repetita est. Mox *compulsum* Voss. Boend. et ed. Camp. Verum proxima *conatumque aliquoties erumpere*, potius *repulsum*, ut reliqui codd. præferunt, quam *compulsum*, requirunt. Præterea *et omnibus quidem militibus* edd. vett. ante Sigoni-

um, qui recte expunxit vocem *quidem*, neque in ullo meorum Mstorum, neque in ed. Campani obviam. Vide ad Epit. l. LV.

Redactis in potestatem suam] *Redactisque* codd. nostri, Norv. et omnes editi ante Froben. qui a. 1535. copulam ejecit. Sed codd. sequi tutius visum est. Præterea *suam* non agnoscit Voss. qui etiam mox *circa ullum sanguinem* legit, sollemni scribarum lapsu. Vide ad XXI. 48. § 6.

LIB. CXXVII.

Victoque Didio Saxa, M. Antonii legato] Vet. liber *Decidio Saxa*. Item Cicero Philipp. XIII. 13. Decidium Saxam Antonii satellitem commemorat. *Sigon.* Cæsar B. Civ. I. 66. *L. Decidius Saxa*, et Dio XLVII. 347. Δεκίδιος. *Duk.* Copula *que* male omittitur in Boenderm. Dein *Decio Saxa* Leid. et Berg. *Decio Gaza* ed. Camp. *Decidio Saxa* Voss. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi; quod recte Sigonius restituit. Δεκίδιος Σέξας memoratur Dion. XLVII. p. 347. pro quo Σάξας reponendum. Casaubonus quidem Exercit. Baron. num. I. § 30. ibidem Δίδιος Σάξας legendum existimabat; sed, eum errare, ostendit Noris. ad Cenot. Pis. Diss. II. 16. § 5. Præterea *et M. Antonii legato* Voss. Lov. 2. et Boend. Male. 'Decidius Saxa' enim ab 'M. Antonii legato' non fuit diversus.

Universam eam provinciam occupaverunt] *Totam eam* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LII. Insuper *occuparunt* Leid. et Exc. Pithœi.

Incitaretur, uxore Fulvia dimissa, ne concordiæ ducum obsturet] Forte *incitaretur ab uxore Fulvia, ea dimissa, ne conc. ducum obstaret*. J. F. Gronov. *Uxore Fulvia dimissa* non dici posse, nisi de divortio, nemo negabit. Sed de eo nihil usquam proditum est. Dio XLVIII. p. 347. Appian. Civil. v. p. 706. et Plutarch. in Anton. p. 929. scribunt, Fulvia Sicyone morbo exstincta, Antonium morte illius graviter doluisse, ac deinde Octaviam uxorem duxisse; nec ullam divortii Antonii cum ea mentionem faciunt. Si horum fides certa est, de quo non potest dubitari, non video, quomodo Auctor Epitomes cum iis in concordiam redigi possit, nisi legatur *Fulvia amissa, quæ concordiæ ducum obstabat*. Ab ea bellum inter Cæsarem et Antonium propter æmulationem Cleopatræ concitatum fuisse, tradunt Plutarchus et Appianus. *Duk.* Certissimum puto, pro *dimissa* minima mutatione legendum esse *amissa*, id est mortua. Liv. I. 1. 'Rege Pylæmene ad Trojam amisso.' II. 36. 'Filium namque intra paucos dies amisit.' c. 47. 'Consule altero amisso.' III. 50. 'Morte amitti melius ratum, quam contumelia, liberos.' Suet. Cæs. c. 1. 'Annum agens sextum decimum patrem amisit.' c. 26. 'Matrem primo, deinde filiam, nec multo post nepotem amisit.' Aug. cap. 8. 'Quadrimus patrem amisit:' qui ita sæpe loquitur. Justin. I. 9. 'Ante famam amissi regis occupat facinus.' Flor. II. 14. 'Amissum cum legione prætorem plenissime ultus est.' Ita 'amissio' pro morte Plin. Ep. I. 12. Insuper verbum *incitaretur* deest in Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et Exc. Pithœi, quorum primus et ultimus omittunt τὸ *dimissa*. At Leid. legit *gerendum paratus esset:* quod videtur recipiendum. Si tamen *incitaretur* servari placet, partim cum Gronovio, partim cum Dukero legerem *incitaretur ab uxore Fulvia, ea amissa, quæ concordiæ ducum obstabat*. Ad hæc *bellum adversus Cæsarem gerendum* Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. et Boend. *bellum adversus Cæsarem gerundum* ed. Campani. Vide ad Epit. l. LVII. et mox infra hac Epit.

Q. Salvidienum consilia nefaria con-

tra Cæsarem molitum] *Q. Sanidenum* Boend. *Q. Salvidenum* Berg. *Q. Savidionum* Voss. *Q. Salvidemum* Norv. et edd. vett. pro quo Frob. a. 1531. *Q. Salvidenum*, et quadriennio postea *Q. Salvidienum* emendavit; quod posterius etiam superest in Leid. Lov. 2. et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. CXXIII. Præterea *adversus Cæsarem* omnes codd. nostri, et ed. Campani. Vide ad verba proxime præcedd.

Indicio suo protraxit] A Grutero receptum puto: nam priores *detexit*. Quod ne quem turbet, attestor in quatuor membranaceis nobis occurrisse *protraxit*. Et est Livianum. Vide ad XLIV. 26. *J. F. Gron.* *Protexit* perperam primæ edd. quod Ascens. a. 1513. mutavit in *detexit*, et deinde Gruterus in *protraxit;* quomodo legunt etiam Leid. Voss. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *pertraxit* Berg. et ed. Campani: *traxit* Boenderm. Præterea *iudicio* Boend. et edd. principes: de quo errore vide ad Livii VII. 39. § 5. Refert autem Appian. Civ. v. pag. 710. Antonium, postquam cum Cæsare in gratiam rediisset, ei detulisse, Salvidienum, qui Galliæ Narbonensi præerat, de defectione a partibus Cæsaris ad se nuncium misisse. Vox *suo* exsulat a Lovel. 2. Mox *sibi* non adparet in Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. et Boend. quod prænomen in eadem locutionis formula etiam omittitur Epit. l. CXXIV.

Quum vicinus Italiæ hostis] Hæc, et quæ de victoria Parthica Ventidii referuntur, non bene temporibus digesta esse, adversus Norisium disputat Pagius in Apparatu Chronol. ad Annales Baronii § 83. et 93. *Duk.*

Et annonæ commeatum impediret] Vet. lib. *annonæ commercium.* Sigon. Ita etiam Exc. Pithœi, quod Sigonius et dein Gruterus receperunt. Postea Gronovius, trajectis vocibus, *et commercium annonæ* edidit, ut præferunt Leid. Berg. Lov. 2. et ed. Camp. *ac commercium annonæ* est in Voss. et Boend. Supra Epit. l. XCIX. 'Persequi piratas jussus, qui commercium annonæ intercluserant.' Mox *eo postulatam cum pacem* Lovel. 2. et Exc. Pithœi: *cum postulatam pacem* Boend. Præterea *Cæsar et Antonius quidem fecerunt* edd. vett. Sed vocem *quidem*, quam nulli codd. nec ed. Camp. agnoscunt, recte Sigonius expunxit. Vide ad Epit. l. LV.

Bella gesta continet] Vet. lib. *bella ibi gesta.* Sigon. *Bella ingesta* Exc. Pithœi: *bella inde gesta* Lov. 2. *bella ibi gesta* Leid. Voss. et Berg. Et ita recte edidit Crevierius.

LIB. CXXVIII.

Quum Sex. Pompeius rursus latrociniis mare infestum redderet] *Rursum* Norv. et edd. vett. pro quo ed. Sigonii 1572. *rursus* edidit, consentientibus scriptis meis et ed. Camp. Tum *mare inquietum* Voss. quod alterius glossema est.

Pacem, quum acceperat] *Quam acceptaverat* Voss. Ita Mela I. 1. 'Qua diffunditur, alia aliis locis cognomina acceptat.' Quinctil. Inst. Orat. XII. 7. 'Quum et Socrati collatum sit ad victum, et Zeno, Cleanthes, Chrysippus mercedes a discipulis acceptaverint.' Unius tamen cod. auctoritatem leviorem puto, quam ut ejus fide vulgatum mutemus.

Necessario adversus eum bello susceptο] Ita Gronov. 1665. edidit; et similiter habent Leid. Voss. et Berg. ab his non aliter differt Lov. 2. nisi quod vocem ultimam omittat. *Necessario bello adversus eum suscepto* legunt Boend. et edd. Camp. *necessario bello contra eum suscepto* Exc. Pithœi, Norv. et reliquæ ante Gronovium edd. Vide ad Epit. l. LVII. Mox *cum dubio eventu pugnavit*, adscita præpositione, Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Infra Epit. seq. 'Adversus Sex. Pompeium vario

eventu navalibus prœliis pugnatum est.'

L. Ventidius, legatus M. Antonii] Vet. lib. *P. Ventidius.* Ita ceteri. *Sigon. L. Ventidius* superest in omnibus meis, nec non in Exc. Pithœi, et Norv. Sed recte *P. Ventidius* emendat Sigonius; quomodo non tantum semper apud alios vocatur, sed etiam Epit. l. CXXVII.

Parthos in Syria vicit] Vet. lib. *prœlio vicit.* Sigonius. Similiter Leid. Berg. Lov. 2. et Exc. Pithœi. Reliqui Vossian. Boenderm. et Norv. vocem *prœlio* omittunt. Supra Epit. l. CXXVII. 'Parthos prœlio victos Syria expulit.' Epit. l. CXIV. 'In Gallia Bellovacos rebellantes prœlio vicit:' ubi alii eamdem vocem etiam omiserunt. Liv. XXX. 30. 'Non tantum ad id, quod, data pace, jam habere potes, si prœlio vincas, gloriæ adjeceris.' XXXIII. 12. 'An, quia victus prœlio foret, inexpiabile bellum factum?' Mox *occidit*, pro *interemit*, omnes scripti, et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII. Per regem Parthorum occisum intelligitur Pacorus. Vide Front. I. 1. § 6.

Judæorum quoque legati ab Antonio interemti sunt] Vet. lib. *Judæi quoque a legatis Antonii subacti sunt.* Sigon. Lectio scholio Sigonii præscripta demum mihi obvia fuit in ed. Frob. a. 1535. Antiquiores enim pleræque præferunt *Judæi quoque a legatis Antonii interemti sunt;* quibus more suo concinit Norvic. At *Judæi quoque a legatis Antonii subacti sunt* legunt Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Neque abludit Boend. nisi quod exhibeat *Judæique a legatis*, sollemni scribarum errore; de quo dictum est ad V. 27. § 1.

LIB. CXXIX.

Navalibus certaminibus pugnatum est] *Navalibus prœliis iterum pugnatum est* Boend. *navalibus prœliis pugnatum est* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp. quod recepi. Vide ad Epit. l. XCVIII. Paullo ante Pompeii prænomen *Sextum* non adparet in omnibus quinque scriptis meis, et ed. Camp.

Ita ut duarum classium Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret] Vet. lib. *ut ex duabus Cæs. classibus altera, cui Agr. præerat.* Sigon. *Ita ut ex duabus Cæs. classibus altera, cui* Leid. Voss. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani. Neque aliter Berg. nisi quod in eo desit vox *ita.* Similiter *ex quibus duo*, pro *quorum duo*, Gronov. ex Mss. reponit Epit. l. LXXIX. Tum *vicerit* Voss. Mox *altera, in qua Cæsar dux erat* Voss. et Berg. Sed vulgatum præfero: alterum inter errores librariorum refero. Vide ad Livii IV. 37. § 6.

Expositi in terram in quam maximo periculo essent] Vet. lib. *exp. in terram milites in max. per. essent.* Sigonius. *Cum exp. in terram milites in magno per. essent* Leid. *exposita in terra milites quum in magno periculo essent* Voss. *expositi in terram milites quum in magno periculo essent* Boend. et ed. Camp. *expositi in terra milites in magno periculo essent* Berg. et Lov. 2. *expositi in terram quum in quam maximo periculo essent* edd. vett. unde particulam *quum* expunxit Frob. 1531. Quamvis autem Sigonius se in vet. lib. *in maximo periculo* invenisse testetur, edidit tamen *in magno;* quod Gruter. deinde, et postea reliquos recte secutos esse, meorum consensus docet. Vide ad Epit. l. LI.

Victus deinde Pompeius in Siciliam profugit] Vocem *deinde* negligit Voss. quæ tamen necessaria videtur, ut hæc pugna a priori distinguatur. Tum *in Ciliciam* Norv. et quædam ex vett. edd. Vide ad Epit. l. LXVIII. Pompeius quidem victus cum reliquiis classis Siciliam petiit; verum, in itinere cognoscens, exercitum ter-

restrem, quem in ea insula habebat, ad hostes defecisse, præmissis nunciis Messanam, ut, quidquid suarum rerum possent, navibus inponerent, Mitylenen contendit, et inde se in Asiam recepit, ut opem Antonii inploraret. Vide App. Alex. Civ. v. 740. 747. Dion. Cass. XLIX. 398. 402. Vell. Paterc. II. 79. et Eutrop. VII. 6. An igitur hic legendum *Pompeius ex Sicilia profugit?*

M. Lepidus ex Africa, &c. trajecerat, ei bellum quoque quum Cæsar inferret] Hæc verba sententiam continent, et a veterum librorum et ab historiæ hujus fide alienam. Sic igitur corrige ex vet. lib. et Dione lib. XLIX. et aliis: *M. Lepidus, qui ex Africa velut ad societatem belli contra Sex. Pompeium a Cæsare gerendi trajecerat, cum bellum Cæsari quoque inferret, relictus, &c.* Sigonius. Voculam *qui*, a Sigonio interpositam, agnoscunt non modo omnes scripti nostri, sed etiam typis excusi ante Frob. qui a. 1535. eam ejecit; quum mendum potius postremis verbis insideret, in quibus etiam libri variant. Nam *quum bellum Cæsarque inferret* legit Vossian. *quum bellum Cæsar inferret* Bergian. *quum bellum et Cæsari quoque inferret* Boend. et ed. Camp. *quum bellum Cæsari quoque inferret*, ut Sigonius emendabat, Leid. Lovel. 2. et Exc. Pithœi. Præterea *belli contra Sex. Pompeium Cæsari gerendi* Voss.

Relictus ab exercitu] *Relicto exercitu* omnes codd. nostri, Norv. et edd. usque ad Froben. qui a. 1535. *relictus ab exercitu* emendavit; quod et Exc. Pithœi agnoscere, Hearne monuit.

Qui honos nemini ante eum habitus est] Vet. lib. *erat*. Sigon. Idem scribunt Vell. II. 81. Senec. de Benef. III. 32. et Dio XLIX. 400. qui addit id neque postea cuiquam contigisse. Sed multa sunt apud Lipsium de Milit. Rom. v. 17. Grnter. ad Vell. l. d. Cerdam ad Virgil. Æn. VIII. 684. et Scheffer. de Milit. Nav. IV. 3. testimonia scriptorum veterum, honorem coronæ navalis etiam aliis et ante, et post hoc tempus tributum fuisse. Viri docti in diversas partes eunt: alii hos lapsos putant, alii illos. Schefferus ad figuram et speciem coronæ navalis, qua primus et solus omnium donatus dicitur Agrippa, referendum censet. *Duker. Qui honos nulli ante eum* Leid. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. *qui honor nulli ante eum* Voss. *qui honor ante eum nulli* Berg. Deinde *habitus est* Leid. Voss. et Norv. *habitus erat* Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp. Paullo ante *a Cæsare* omnes, quos consului, codd. ut et Exc. Pithœi, Norv. atque typis exarati ante Gronov. qui demum a. 1665. *ab Cæsare* vulgavit.

LIB. CXXX.

M. Antonius, dum cum Cleopatra luxuriaretur] Scribe *luxuriatur*. Et sic Gudianus uterque: major etiam *Dum M. Antonius cum Cl. luxuriatur*. J. F. Gron. Prænomen Antonii omittunt Voss. Boend. et, teste Hearnio, ed. Romana princeps. Vide ad Epit. l. LXII. Dein *luxuriatur* etiam Leid. et Lov. 2. reliquis alteram lectionem servantibus. Sed vide ad Livii I. 40. § 7.

Tarde Mediam ingressus] *Tandem Mediam ingressus* Voss. *tandem Mediam ingressus provinciam* Berg. *tarde Mediam provinciam ingressus* Exc. Pithœi. *Mediam provinciam ingressus*, omissa prima voce, Boend. Norv. et edd. ante Gruterum; qui emendavit, ut nunc vulgo editur, consentiente Leid. a quo non aliter dissentit Lov. 2. nisi quod etiam vocem *tarde* repudiet. Ea etiam vox non convenire videri posset, quum Plutarch. in Anton. 933. et Appian. Parth. 158. testentur Antonium πρὸ καιροῦ, quum nondum tempestivum esset, tempore hiberno, bellum movisse. Verum il-

lud *tarde* non ad tempestatem anni referendum est, sed eo, quod, in Orientem profectus, ut bello Parthico præesset, id diu per legatos gesserit, quia amoribus Cleopatræ inretitus ejus absentiam ferre non poterat. Mox *cum legionibus X. et VIII. XVI^m. equitum* Boend. *cum legionibus X. et VIII. et XVI. millibus equitum* ed. Camp. *et XV. millibus equitum* Voss. Voces *octodecim, et sedecim millibus equitum Parthis intulit: et quum, duabus legionibus*, quæ a m. sec. in margine adscripta sunt, a m. pr. deerant in Berg. cui errori ansam præbuit repetitio vocis *legionibus*. Vide ad IX. 11. § 11.

Insecutis subinde Parthis, et ingenti trepidatione, et magno] *Insecutus subinde a Parthis* Leid. Berg. Boend. et ed. Camp. Dein prius *et* sine caussa omiserunt Donjat. Cleric. et Crevier. Superest enim in omnibus scriptis, et prioribus edd.

Viginti et uno diebus trecenta millia fuga emensus] Ita demum præfert ultima Gruteri ed.: omnes priores *XXI. die;* quod etiam superest in Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et Norv. *vigesima prima die* in Leidens. Præterea *CCC. milliaria* Berg. Alibi ita variant codd. Vide ad VI. 32. § 9. X. 2. § 9. et XXXV. 34. § 9.

Super tam infeliciter susceptum Parthicum bellum] Vocula *tam* exsulat ab Exc. Pithœi, Norv. et edd. ante Gruterum, qui primus eam interposuit, consentientibus Leid. et Lov. 2. Eodem ducunt reliqui Voss. Berg. et Boend. qui exhibent *super eum infeliciter*. Mox *in Armenia hiemare nolebat* Lov. 2. *hiemare in Armeniam volebat* Voss. qui etiam verba seqq. *dum ad Cleopatram festinat*, perperam omisit.

LIB. CXXXI.

Quum in fidem M. Antonii veniret] Lege *venisset*. J. F. Gron.

A legatis ejus oppressus est] Vet. lib. *oppressus a legatis ejus, occisus est*. Sigon. Similiter omnes codd. mei, Exc. Pithœi, et ed. Camp. Mox *cum magno provinciæ motu inhibuit* Boenderm. *motum*, pro *motam*, Berg. *totum* Leid.

Iapidas, et Dalmatas, et Pannonios subegit] *Iapigas* Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Exc. Pithœi, et edd. Camp. Rom. 1472. ac Parm. Sed per vocalem Græcam *Iapydas* legendum esse, dixi ad XLIII. 5. § 3. Tum vocula *et* priori loco exsulat ab Exc. Pithœi, Norv. et edd. usque ad Gruterum; qui, consentientibus scriptis meis, et ed. Campani, recte addidit. Vide ad Epit. l. XLVI.

Artavasdem, Armeniæ regem] *Artundem* Leidens. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *Arunidem* Vossian. *Archanadem* Berg. Boend. et ed. Camp. *Artimiridem*, vel *Artiniridem* Norvic. et edd. vett. pro quo Froben. 1535. *Artavasdem* reposuit. Certe Plutarcho in Anton. 932. et Dioni Cass. XLIX. 407. Ἀρταουάσδης. Appiano in Parth. 158. 159. et 168. Ἀρταβάζης dicitur. Forte vero legendum *Artavasden*. Nam Ἀρταουάσδην dixit Dio Cass. l. laud. *Artabasden* Oros. VI. 19. Pro quo forte legendum *Artavasden*. Freculph. tamen part. I. lib. VII. c. 15. *Arthabanem* appellat. Mox *in vincula coram jussit* Voss. *in vincula comitti jussit* ed. Rom. 1472.

LIB. CXXXII.

Cæsar in Illyrico] *C. Cæsar*, addito prænomine, Exc. Pithœi, Norvic. et quas vidi edd. usque ad Gruterum, qui illud expunxit. Non adparet etiam in ullo meorum codd. Vide ad Epit. l. LXII.

Neque, finito triumviratus tempore, imperium deponere] Gud. *neque finito ejus tempore tr. imp. deponere*. J. F. Gron. Similiter Lov. 2. Boenderm. Norv. omnesque edd. ante Gruter.

qui edidit *neque finito triumviratus tempore*, consentiente Bergian. Mox *quod urbibus Italiæque inferret* male Boend. *quod urbi Italiæque inferret* Exc. Pithœi, Norv. et edd. usque ad Gronovianam 1665. quæ dedit *urbi et Italiæ;* quod probant Leidens. Voss. Boend. et Lov. 2.

Terrestribus copiis ob hoc contractis] Voces *ob hoc* desunt in Voss. Mox *Octaviæ sororis Cæsaris* male Vossian. Berg. et Boend.

Pugnæ deinde navales et prælia equestria Cæsaris referuntur] *Pugna deinde navalis* Leid. Berg. et Lov. 2. Licet autem præsertim memoretur pugna ad Actium, qua Antonius a Cæsare victus est, eodem tamen bello et alia prælia navalia acciderunt. Certe Dio Cass. L. 427. refert Sosium, qui observarat Agrippam cum maxima parte classis Cæsarianæ alio profectum esse, L. Arruntium invasisse, et in fugam conjecisse; interveniente vero Agrippa pugnam instauratam, et Agrippam in fugam conjectum fuisse. Quin etiam, secundum Vell. II. 84. 'Bis ante ultimum discrimen classis hostium superata.' Vide etiam Oros. VI. 19. Vox *Cæsaris* deest in Voss.

LIB. CXXXIII.

Occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus] Prima vox deest in Berg. *occisa Cleopatra* Boend. Male. Quemadmodum Cleopatra rumorem mortis suæ spargi jusserit, vide Plut. in Anton. 951. et Diou. Cass. LI. 450. Paullo ante Antonii prænomen deest in Boend. Vide ad Epit. l. LXII. Tum *in ultima desperatione rerum* legit Lov. 2.

Se ipse interemit] *Se ipsum* Boend. et ed. Camp. Vulgatum elegantius esse, vidimus ad II. 19. § 5. Quamvis vero vix ad elegantiam linguæ Latinæ scriptor Epitomarum exigi possit, aliquid tamen ei ex lectione Liviana adhæsit. Præterea pro vulgato stant reliqui omnes scripti et editi. Deinde *interfecit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. et Boend. Vide ad Epit. l. LXXIII.

Cæsaris Alexandria in potestatem redacta. Cleopatra, ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte occubuit: in urbem reversus] Hæc verba male interpuncta ex auctoritate Ms. libri ita debent dispungi et legi: *Cæsar, Al. in pot. redacta, Cleop., ne in arb. victoris veniret, defuncta, in urbem reversus, &c.* Sunt enim hæc omnia una periodo connectenda. *Sigonius.* Quemadmodum emendandum ac distinguendum monuit Sigonius, etiam in contextu edidit, nisi quod duabus vocibus additis vulgarit *voluntaria morte defuncta;* quas etiam retinent omnes scripti nostri. Sigonio per omnia consentiunt Berg. ed. Camp. et, teste Hearnio, Exc. Pithœi: reliqui vero, quibus usus sum, parum differunt. Nam *Alexandriam in potestate* legit Voss. *in potestate,* tum *in arbitrio,* et *defuncta est* Leid. *defuncta est* etiam Lov. 2. et Boend. Mox vocula *tres* exsulat a Leid. intercepta forte a primis literis sequentis *triumphos.*

Tertium ex Cleoputra] Scribe *de Cleopatra.* Dicimus enim 'triumphare ex provincia,' non autem 'ex rege,' sed 'de rege.' *Sigonius. De Cleopatra* omnes scripti mei, et ed. Campani.

Inposito fine civilibus bellis altero et trigesimo anno] Lege *altero et vigesimo,* non solum quia ita est in veteribus libris, sed etiam quia historiæ veritas id postulat. Nam a Lentulo et Marcello consulibus, quibus civilia arma primum sumpta sunt, usque ad Cæsarem V. et Sex. Apuleium consules, quibus posita sunt, tot anni numerantur. Velleius II. 89. 'Vicesimo anno finita bella civilia.' *Sigon.* Vulgatum servant Vossian. Lovel. 2. Boend. et Norv. Sed Sigonio *altero*

et vigesimo emendanti, concinunt Leid. Berg. et Exc. Pithœi. Præterea *civilibus armis* Voss.

M. Lepidus, Lepidi, qui triumvir fuerat, filius] Duæ ultimæ voces desunt in Exc. Pithœi. *M. Lepidus, qui Lepidi triumviri filius fuerat* Boenderm. *M. Lepidus, qui Lepidi triumviri fuerat filius* Voss. Norv. et omnes edd. ante Gruterum, qui ejus, quod nunc exstat, auctor exstitit: et recte. Non enim *fuerat*, sed *erat* ejus filius, patre adhuc vivente. Cum Grutero faciunt Leid. Lovel. 2. et Berg. Vell. II. 88. 'M. Lepidus, &c. Lepidi ejus, qui triumvir fuerat rei publicæ constituendæ, filius, Junia Bruti sorore natus.' Mox *adversus Cæsarem*, pro *contra*, Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII. Deinde *oppressus est*, duabus mediis vocibus omissis, Voss.

LIB. CXXXIV.

C. Cæsar, rebus compositis] Ita omnes fere, quas vidi, edd. usque ad Donjatium; qui, adstipulantibus Clerico et Crevierio, prænomen Cæsaris expunxerunt; quod, sive casu, sive de industria factum sit, firmant Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et una ed. Campani. Vide ad Epit. lib. LXII. Mox voces *et omnibus* exsulant a Voss.

Et mensis Sextilis in honorem ejus adpellatus est] Forte *Aug. quoque cog. est, ut et mensis Sextilis in honorem ejus appellatus.* J. F. Gron. *In honorem ejus cognominatus est* Voss. errore librarii, quum *cognominatus est* modo præcesserit. Verbum *est* exsulat a Lov. 2. Si Gronovii conjectura non displicet, una vocula addita, in ora cod. legendum monet Jac. Perizonius, *Aug. quoque cogn. est, ut et mensis Sextilis, in honorem ejus ita appellatus.*

Quum ille conventum Narbone egit] Veteres libri *Narbone ageret.* Sigon. *Egit* tuentur Berg. Lov. 2. et Norv. *exercitum Narbone egit* Boend. et ed. Camp. *egisset* Leid. *ageret*, ut Sigonius emendat, Exc. Pithœi apud Hearnium. Sed quinque hæc vocabula perperam desunt in Voss.

Census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus] Julium Cæsarem Galliis, in provinciæ formam redactis, quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuisse, scribit Suetonius Cæs. c. 25. Augustus primus censum in iis agere instituit, quod fortassis numquam ante eum in ulla provincia a Romanis factum fuerat. Non multo post etiam in aliis quibusdam provinciis censum actum fuisse, tradunt scriptores antiqui. Sed census Galliarum frequentior in illis mentio est. Vide Lipsium ad Tacit. Annal. I. 31. Exc. K. *Duker.* Vox *Cæsar* deest in Leid.

Bellum contra Bastarnas, et Mæsos, et alias gentes a M. Crasso refertur] Veteres libri *a M. Crasso gestum refertur.* Sigon. *Adversus*, pro *contra*, Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. lib. LVII. Dein *Basternas* iidem omnes. Vide ad Livii XL. 5. § 10. Præterea *Messos* Berg. *Mossos* Leid. *Marsos* Boend. et ed. Camp. *Morses* Voss. Tum *a M. Accalo* Voss. Insuper vox *gestum*, a Sigonio ex vet. lib. addita, in nullo meorum codd. nec in Norv. adparet. Eamdem tamen in Exc. Pithœi exstare, auctor est Hearnius. Denique *referuntur* Berg. Boend. et Exc. Pithœi.

LIB. CXXXV.

Salassi, gens Alpina, perdomiti] *Salissi* Boend. *Salassæ* Voss. *Balassi* ed. Camp. *Salasi* Berg. Norvic. et edd. reliquæ usque ad Moguntinam, quæ *Salassi* emendavit. Tum *gens Alpinæque domiti* Voss. *gens Alpium domiti* Berg. *gentes Alpinæ perdomiti*

Boend. Norv. omnesque excusi ante Gruterum, qui *gens Alpina perdomiti* restituit; quod est in Leid. et Lov. 2. Paullo ante *ab Cæsare* Gronov. 1665. eumque secuti recentiores ediderunt, invitis scriptis et edd. prioribus, in quibus constanter est *a Cæsare*, quod revocavi. Tum *refertur* non adparet in Voss.

LIB. CXXXVI.

Epit. lib. CXXXVI.] Ante hunc librum invenio in libro Ms. album intervallum esse relictum, cum his verbis: 'Generaliter et communiter hic est defectus quorundam librorum.' Duos autem libros deesse puto eos, qui numerum expleant librorum centum quadraginta duorum, quos Petrarcha a Livio scriptos ait Rerum Memorandarum Tract. I. c. 8. Itaque hunc librum CXXXVIII. appello, atque ita deinceps reliquos. Desiderantur ergo Epitome libb. CXXXVI. et CXXXVII. Quod ex his rationibus colligitur: Censorinus de Die Nat. cap. 17. ait Livium lib. CXXXVI. ludos quintos sæculares tradidisse, quos fecit Augustus; qui facti sunt, Censorino ipso, et Dione, et aliis auctoribus, C. Furnio et C. Junio Silano consulibus. Est autem verisimile, eum, qui scripsit Epitomas, quamvis exiliter eas ac tenuiter scripserit, verbo etiam mentionem eorum ludorum, ut rei maxime memorabilis, fuisse facturum, quemadmodum ante lib. XLIX. quartorum ludorum fecerat. In libro autem CXXXVI. vulgato nulla eorum mentio fit. Nam de Rhetia victa a Tiberio et Druso agitur, quod bellum gestum est Druso et Pisone consulibus, ut ait Dio, id est, biennio postquam ludi seculares editi fuerant. Accedit, quod Hispani et Salassi in lib. CXXXV. Cæsare VIII. et Silano consulibus, auctore Dione, subacti traduntur, id est, a. IↃCCXXV. Si igitur in lib. CXXXV. res explicantur gestæ an. IↃCCXXV. in eo autem, qui sequitur, de Rhetia agitur, quæ victa fuit an. IↃCCXXXV. sane apparet prætermitti res gestas novem annorum, qui interjecti sunt, multasque nobiles ac memorabiles actiones præteriri: ubi enim de templo Jani ab Augusto clauso? ubi de tribunicia potestate Augusto data? Ergo duos libros medios intercidisse credendum est. *Sigonius.* Similiter in Manuscripto Berg. vacuum spatium ante hujus libri Epitomen relictum, ad finem præcedentis adscripta verba, *Hic deficit*, et huic præfixum titulum *Ex libro CXXXVIII.* inveni, et ita libris sequentibus usque ad finem, cui præscribitur *Ex libro CXLII.* Etiam Hearnius testatur, non dissentire Exc. Pithœi: sed in Norv. non plures, quam CXL. libros numerari. In Leid. et Lov. 2. cujusque libri Epitomæ nulla inscriptio additur. At Voss. et Boend. qui antea turbarant, et quosdam libros conjunxerant, non plures quam CXXXIX. agnoscunt; hanc autem Epitomen ex lib. CXXXV. esse dicunt.

Rhætia a Ti. Nerone et Druso, Cæsaris privignis, domita] *Græcia* Voss. Boend. Norv. et plures vetustissimarum edd. nisi quod, in Rom. principe *Aretia* esse, auctor sit Hearnius. Frobenius demum *Rhetia*, alii *Rhætia* reposuerunt, ut præferunt Leid. Lov. 2. et Exc. Pithœi. In Berg. quidem *Recia* scribitur, sed vacuo spatio relicto, ubi deinde litera majuscula pingeretur: in qua ne error committi posset, leviori manu minuscula litera *g* adscripta erat; ut ejus librarius etiam *Grecia* legendum censuerit. Scribendum autem esse *Rætia*, dixi ad v. 34. § 11. Adde lapidem apud Reines. cl. VI. num. 123. et Donii Inscript. Class. VI. 17. etiam viros doctos ad Sueton. Tib. c. 9. Tum præpositio *a* deest in Voss. Præterea

Tiberio Nerone, et Druso Cæsaris privigno Leid. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. omnesque excusi usque ad Gronov. qui a. 1665. recte *privignis* emendavit; quod in Voss. fuisse videtur. *Tiberio Druso Cæsaris privigno*, reliquis male omissis, Berg. Ceterum, Cæsarem utrumque privignum adversus Rætos misisse, ex historicis constat. Vide Dion. Cass. LIV. 536. Vell. II. 95. et quos ibi laudat Bœcler. Adsentiri enim nequeo Bentleio, qui quidem recte locum Horatii IV. 5. 17. adversus Dacier. ita legendum contendit: *Videre Rætis bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici.* Sed male eo utitur argumento, Drusum non cum Rætis et Vindelicis bellum gessisse; sed Drusum Vindelicos tantum, Rætos Tiberium adgressum esse. Ad quod probandum, imprimis urguet verba Velleii Pat. loc. laud. 'Quippe uterque' (Tiberius et Drusus) 'divisis partibus Rætos Vindelicosque adgressi.' Verum ejus hunc sensum puto, Tiberium et Drusum utramque gentem non junctis, sed divisis copiis, neque iisdem, sed diversis locis, adgressos esse. Similis locutio est apud Livium XLIV. 11. 'Divisis partibus' (Cassandream) 'oppugnare adorsi' prætor et Eumenes. Ita forte legendum, pro *adorti.* Vide ad XXXV. 51. § 8. Certe Drusum Rætici belli ducem agnoscunt etiam Suet. Claud. cap. 1. 'Drusus in quæsturæ prætura que honore dux Rætici, deinde Germanici belli:' et Oros. VI. 21. 'Claudius Drusus, privignus Cæsaris, Galliam Rætiamque sortitus,' &c. Quin etiam Dio l. laud. refert, priorem missum contra Rætos Drusum, ut eos a prædanda Italia arceret; sed, quum nihilominus Galliam infestarent rapinis, missum etiam esse Tiberium, ut illos ea parte adgrederetur. Videntur autem varii Rætorum, Vindelicorum, ac Noricorum populi junctis viribus bellum gessisse. Strabo enim Geogr. IV. 206. enumeratis harum gentium populationibus, addit Πάντας δ' ἔπαυσε τῶν ἀνέδην καταδρομῶν Τιβέριος καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δροῦσος θερείᾳ μίᾳ. Licet igitur Dio l. laud. et Auctor hoc loco solos *Rætos* memorent, eorum tamen nomine intelligendi etiam sunt populi vicini ac socii, Vindelici et Norici: ut etiam apud Horat. d. loco sub 'Vindelicis' etiam comprehendi debent Norici et Ræti, unde Drusum 'cum Vindelicis' bella gessisse dicit 'sub Alpibus Rætis.'

Ab Druso census actus est] In Galliis nempe, ut est in fragmento orationis Imperatoris Claudii apud Gruter. Inscript. p. 1011. *Duker. A Druso* Voss. et Lovel. 2. *et a Druso* Leid. Berg. Exc. Pithœi, Norv. omnesque excusi ante Gruterum, qui copulam expunxit: *et Druso* Boend. *ab Druso* Gron. Copulam iterum addendam censui.

LIB. CXXXVII.

Qui ob censum exortus in Gallia erat, compositus] *Exortus erat in Gallia* Berg. *in Galliis exortus erat* Lov. 2. Præterea *composuit* Berg. *componit* Leid. et Voss. *componitur* Exc. Pithœi. Sed vulgatum tuentur Boend. et Norv. Paullo ante voces *et trans Rhenum* exsulant culpa librarii a Boend.

Ara Cæsari ad confluentem Araris et Rhodani dedicata] Vet. lib. *Ara D. Cæsari.* Sigon. Mihi suspectum est *Divo;* quia non video cur Auctor Epitomarum Augustum hoc uno loco potius 'Divum Cæsarem,' quam 'Cæsarem,' ut in Epitomis præcedentibus, aut 'Augustum,' ut Epit. lib. CXXXVIII. aut denique 'Cæsarem Augustum,' ut Epit. l. CXL. appellare voluerit. Si quis inconstantiam quidem illius argui posse, sed tamen eum hoc a Livio accipere potuisse putat, ei ostendendum est, Livium postremos hos libros historiarum post mortem Augusti, cui eum in quartum an-

num superstitem fuisse prodidit Eusebius, evulgasse, ut in iis Augustum ‘ Divum’ vocare potuerit, quem viventem I. 19. IV. 20. et XXVIII. 12. ‘ Divum ’ non dixerat. Ita mihi videtur : nec adhuc muto, quæ ad Florum IV. 2. § 91. idoneos auctores secutus, de corona radiata et titulo ‘ Divi ’ primorum principum Romanorum verba dixi ; cum non necesse esset, ea ibi pluribus exsequi, etsi voces adulatorias adsentatorum, et arrogantiam, vel dementiam potius, quorumdam principum non ignorabam. Vir doctissimus, qui ea tum probare non potuit, ipse deinde de titulo ‘ Divi ’ idem scripsit. Aram Lugdunensem Augusto primum dedicatam fuisse Calendis Augusti, die natali Imp. Claudii, qui fuit a. IↃCCXLIII. auctor est Sueton. in Claud. cap. 2. De ea est in inscriptione apud Gruter. XIII. 15. *Duk. Ardi Cæsaris, &c. dedicata* Voss. et Lov. 2. *Ardi Cæsari, &c. dedicatur* Exc. Pithœi : *Arebi Cæsaris, &c. dedicata* Boend. *Aram Cæsaris, &c. dedicat* Leid. et Berg. Tum *ad confluentem maris et Rhodani* Leid. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, Norv. et edd. vett. pro quo Ascensius jam a. 1510. *Araris* emendavit. Ex his patet nullum etiam meorum codd. literam *D*, a Sigonio interpositam, sive vocem *Divo*, agnoscere ; nisi forte quis ex *Ardi* emendandum putet *Ar. Di*, sive *Ara Divo*. At potius Dukero adsentior, et literam *D*. vel vocem *Divo*, mihi quoque suspectam profiteor. Aram hanc, Romæ et Augusto ad confluentem Araris et Rhodani dedicatam, pluribus illustravit Menestrier Histoire Consulaire de Lyon pag. 68. Quemadmodum autem hic *ad confluentem* numero singulari, ita etiam Justin. XXXII. 3. ‘ Ex his manus quædam in confluente Danuhii et Savi consedit.’ Sed AD. CONFLVENTES. ARARIS. ET. RHODANI. est in inscriptione, quam Dukerus laudavit.

Dedicata, sacerdoteque creato] Vet. lib. *dedicatur, sacerdote creato.* Sigon. Vocula *que*, quam Sigonius expunxit, exsulat etiam a Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. Præterea *orato*, pro *creato*, perperam Voss. Insigni negligentia vocem illam omiserunt Doujatius et Clericus.

C. Julio Vercondaridubio Æduo] Corruptum nomen Gallicum. Barberin. et Gud. *C. Julio Verecunda Rudibrio Æduo.* Voss. *C. Julio Iracondati dubrio eduo.* Gud. alter *C. Julio Vercon Claridubrio Adrio.* J. F. Gron. *C. Julio Verecundari dubio Æduo* Leid. *C. Julio Tracondati Dubrio Æduo* Voss. *C. Julio Verecundarum dubio Eduo* Berg. *C. Julio Vercundari Dubrio Æduo* Lov. 2. *C. Julio Vercondari Dubrio Æduo* Exc. Pithœi : *C. Julio Vercondari dubio Eduo* Norv. *Vercondari dubio*, duabus vocibus, editi ante Modium, qui unica voce *Vercondaridubio* dedit. Et ita recentiores. Menestr. Hist. Cons. de Lyon p. 72. locum ita laudat, quasi invenisset *C. Julio Verecundato Dubio Heduo*, at p. 73. *C. Julio Verecundari Dubio Heduo.* Fluvius Galliæ Dubis variis auctoribus memoratur. Et quidem Ædui habitabant μεταξὺ τοῦ Δούβιος καὶ τοῦ Ἄραρος, teste Strab. Geogr. IV. 192. An igitur forte flumini illi vicina fuit urbs ignobilis ejusdem nominis, hujus C. Julii patria, unde ‘ Duhius ’ vocatur, gente Æduus? Ceterum idem Menestrier p. 73. hunc C. Julium sacerdotem conjicit eumdem Julium Sacerdotem esse, quem a Caligula interfectum esse refert Dio Cass. LIX. 657. Verum verba Dionis hanc conjecturam falsi arguunt : ‘ Sacerdos ’ enim apud eum est nomen proprium, et is, quem Caligula occidit, ab ipso vocatur Ἰούλιος Σακερδώς. ‘ Sacerdos ’ autem cognomen Romanum esse, docet ‘ C. Licinius Sacerdos,’ cui Verres in prætura urbana et Siciliensi successit. Quin etiam inter cognomina gentis Juliæ fuit. Nam C. IVLIVS

SACERDOS memoratur in lapide apud Gruter. CCCCXLII. 1.

LIB. CXXXVIII.

Thraces domiti a Scipione] Lege *a L. Pisone*. Is enim, cum Pamphyliæ præesset, hoc bellum gessit. Dio LIV. 545. Florus etiam IV. 12. § 17. et Velleius II. 98. Thracas a L. Pisone perdomitos scribunt. *Sigon. A Cepione* Leid. Vossian. Berg. Lovel. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Campani.

Cherusci, Tenchateri, Cauci] *Cauci* et *Chatti* in Germania sunt. Dio tamen LIV. 544. Chattos ait victos esse a Druso; itemque Florus IV. 12. § 23. Velleius et Chaucos et Chattos a Tiberio subactos tradit. *Sigonius.* Corn. Tacitus, Ann. Florus, et Paullus Orosius *Tencteros* nominant; alii *Tenchateros.* Delrius. *Corusci* Voss. *Corisci* Boend. *Corrissci* ed. Camp. *Cerusti* Exc. Pithœi. *Cerusii* Berg. *Cerusci* Lov. 2. Norv. et reliquæ vett. edd. usque ad Moguntinam, quæ *Cherusci* emendavit. Dein *Cenththrei* Leid. *Conthrei* Voss. *Centrei* Berg. *Cheucrei* Lov. 2. *Chencrei* Boenderm. *Chencharei* Exc. Pithœi: *Chemcrei* ed. Campani: *Cenchrei* Norv. et reliquæ edd. vett. pro quo Froben. *Tenchateri,* Gronov. *Tenchtheri* reposuerunt. Eos promiscue 'Tencteros' et 'Tenchtheros' vocari, auctor est Cluver. Germ. Antiq. III. 10. 546. Denique ultima vox deest in Boenderm. et ed. Camp. *Chauci* legunt Leid. Vossian. Lov. 2. et Exc. Pithœi: *Canci* Berg. *Cauci* Norv. et edd. vett. pleræque ante Sigonium. Inter populos Germaniæ, a Druso devictos, memorantur 'Tencteri,' 'Catti' et 'Cherusci' apud Oros. VI. 21.

Antea amisso filio Marcello] *Ante* Berg. Lov. 2. Boend. et edd. vett. cujus loco Gronov. *antea* dedit, consentientibus Leid. et Voss. Facile autem ultima litera τοῦ *antea* vel repeti vel intercipi potest ob primam proximæ vocis *amisso.* Etiam alibi, ubi similis ratio reddi nequit, variant hoc modo librarii. Vide ad XL. 12. § 3. Deinde *M. Marcello* Leid. Voss. et Boend. Quod prænomen ei tribuit Vell. Pat. II. 93. At reliqui codd. illud ignorant. Vocis seq. litera initialis æque caussa esse potuit, ut a librariis omitteretur, quam ut adderetur. Vide ad VI. 16. § 4. et XL. 34. § 1.

Cujus monumenta sunt theatrum et porticus, ejus nomini dicata] Vet. lib. *nomine,* id est, æque, ac si ille dedicasset, Marcelli theatrum et porticus appellata. *Sigonius. Monumento sunt* librarii errore Voss. Tum *ejus nominis dicata* apud Hearnium Exc. Pithœi, et Norv. Quum autem Sigonius ex vet. lib. emendasset, et in contextum recepisset *ejus nomine dicata,* postea Gruterus, trajectis vocibus, *nomine ejus dicata* edidit, quod apud me superest in Lov. 2. *nomini ejus dicata* in Leid. et Voss. *nomini ejus dedicata* in Boend. et ed. Camp. *nomine ejus dedicata* in Berg. quod præstare videtur. Suet. Aug. c. 43. 'Commissione ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat.' Solent librarii verba 'dicare' et 'dedicare' confundere. Vide ad V. 18. § 5. X. 32. § 9. Gronov. ad Quinctil. Declam. CCCXXIII. 652. et Torren. ad Valer. Max. III. 2. 5. Recte autem *nomine* exponit Sigonius. Certe Suet. in Aug. c. 29. inter opera publica, quæ Augustus sub nomine alieno fecit, numerat theatrum Marcelli. Vide etiam Dion. Cass. XLIII. 238.

LIB. CXXXIX.

Bellum contra Transrhenanas gentes] *Adversus,* pro *contra,* Leid. Vossian. Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Vide ad Epit. l. LVII. Tum *Fārenas gentes* Boenderm. *Transrhenas gentes*

Berg. Voss. et ed. Camp. *trans Rhenum gentes* Leid. Mox *continetur*, pro *refertur*, Boend. et ed. Campani.

Pugnaverunt Senectius et Anectius tribuni civitatis Nerviorum] Et hæc suspecta reddunt scripti Barber. *pugnaverunt tum constinctus senectius et auectius trib. ex civitate Nerviorum.* Gud. *pugnaverunt tum senectius et avectius tribuni ex civitate Nerviorum.* Voss. *pugnaverunt chunistianus et avertius tribuni ex civitate Nerviorum.* Gud. alter *pugnaverunt Constinctus et Auectus tribuni ex civitate Nerviorum.* J. F. Gron. *Pugnaverunt Constinctus et Anectius* Leid. *pugnaverunt Chunstinctus et Auctus* Lov. 2. *pugnaverunt Chumstinctus et Avectius* Exc. Pithœi: *pugnaverunt Chunistinaus et Avectius* Voss. *pugnaverunt Crisanius et Avectus* Berg. *pugnaverunt Crisanius et Acretinus* Boend. et ed. Camp. *pugnaverunt T. Senectius et Anectius* edd. reliquæ ante Froben: qui a. 1535. prænomen *T.* expunxit: quas lectiones diligenter notavi, ut locum corruptum pateret; cui ut digna medicina paretur, integriores codd. exspectandos censeo. Tum *tribuni ex civitate Nerviorum* omnes scripti mei, et ed. Camp. Mox vocabulum *frater* non adparet in Berg.

Signis a rege eorum, quæ sub Crasso et postea sub Antonio] E Dione LIV. 525. constat, Augusto signa a Parthis reddita fuisse, quum in Asia esset; in quam, M. Apuleio, P. Silio consulibus, a. IↃↃↃXXXV. profectus fuerat. Recepit autem ea, ut in vita Tiberii c. 9. scribit Suetonius, per Tiberium, quem tum in Armeniam miserat; antequam illa gererentur, quæ post Epitomen l. CXXXV. usque ad hanc de Tiberii, Drusi, ac Pisonis bellis referuntur. Quid ergo est, quod nunc demum alienam ab hoc loco et tempore mentionem de signis Romanis Augusto a Parthis redditis injicit? Massonus in Jano Reserato sect. IV. c. 2. § 11. putat hæc vel librarii errore loco mota et huc detrusa; vel inserta voce *ante*, ut in Epit. l. CXXXVIII. 'ante amisso filio Marcello,' legendum esse *ante signis a rege eorum, &c. redditis.* Utrumque rationem habet. Nam, etiam in Epit. l. CIII. quædam in locum alienum migrasse, ostendit Sigonius, etsi ibi aliquanto facilior potuit esse lapsus librariorum, et emendatio cum ordine rerum gestarum congruit. Sed malim amplecti priorem conjecturam; quia mihi non apparet ratio, cur Livius ea, quæ continuo post lib. CXXXV. exponenda fuerant, in lib. CXXXIX. rejicere voluerit. *Dukerus.* Idem etiam placebat Crevierio. Præterea *sub Crasso et postea Antonio*, præpositione posteriori loco omissa, Berg. Verum, et Livium et auctorem Epitomarum præpositiones repetere solitos fuisse, vidimus ad Epit. l. XLVI.

LIB. CXL.

Ipse a fractura, equo super crus ejus collapso] Ita demum Gronovius 1665. et post eum recentiores omnes ediderunt. Verum non modo excusi, quos vidi, priores, sed etiam codd. mei, cum Exc. Pithœi, et Norv. legunt *ex fractura*, quod revocavi. Perperam vero *equi super crus ejus collapsi* Voss. Paullo ante *gestum* deest in Lovel. 2. *a Druso* in Voss. *confectum a Druso* præferunt Berg. Boeud. et ed. Camp.

Tricesimo die, quam id acciderat, mortuus est] *XXX. dies* Voss. *trigesima die* Leid. Deinde *quam id ei acciderat* ed. Camp. *qua id acciderat* Rom. 1472. et Parm. *quo id acciderat* Berg. *postquam id acciderat* Voss. quod est ex glossa natum. *Quam* enim pro 'postquam' usurpare, Livio familiare esse, vidimus ad XXVIII. 16. § 14. Eadem loquendi ratio ex Livii lectione adhæsit etiam auctori Epitomarum. Supra Epit. l. III. 'Decemviri, &c.

creati sunt altero et trecentesimo anno, quam Roma condita erat.' Epit. l. XXV. 'Cæsi anno octavo, quam in Hispaniam iverant.' Epit. l. XLIX. 'Tertii belli Punici initium, &c. intra quintum annum, quam erat cœptum, consummati.' Epit. lib. XCVI. 'Recepit Hispanias decimo fere anno, quam cœptum est bellum.' Tandem *mortuus*, omisso *τῷ est*, Leidens. Voss. Berg. Lovel. 2. Boend. et ed. Camp.

Nuncio valetudinis evocatus] Vet. lib. *valetudinis ejus*. Sigonius. Similiter Leid.

Raptim occurrerat] Veteres libri *accurrerat*. Sigon. Mss. Pall. *adcucurrerat*. Gruter. *Accurrit* Voss. Boend. et ed. Camp. *accurrerat* Leid. Berg. Lovel. 2. Exc. Pithœi, et edd. ante Moguntinam, quæ *occurrerat* prima admisit. Gruteri *adcucurrerat* recipere non audeo. Quamvis enim Livius ipse augmentum præteritis compositorum verbi 'Curro' sæpe addiderit, ut vidimus ad Livii I. 12. § 8. idem tamen et auctorem Epitomarum fecisse, nondum observavi.

Romam revectum] Corpus Drusi *Romam pervectum* a Nerone fratre dicitur in Ms. Dio etiam LV. 549. Καὶ ἀποθανόντα ἐς Ῥώμην ἐκόμισαν. Tiberius autem non eo Roma venit, sed ex Pannonia, auctore Dione ibidem: quare *pervectum* placet. *Sigon.* Similiter Leid. Berg. Lov. 2. Boend. Exc. Pithœi, et ed. Camp. *provectum* Voss.

In C. Julii tumulo conditum] Augusti est intelligendum. Nam inquit Dio LV. 549. ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνημεῖον κατετέθη. *Sigon.* Dio sine dubio mausoleum significavit, quod Augustum sibi dudum ante hoc tempus in sexto suo consulatu exstruxisse scribit Sueton. Aug. cap. 100. Si de eo quoque sensit Auctor Epitomarum, contra consuetudinem suam hoc solo loco Augustum vocavit 'C. Julium.' Sed 'tumulum' sic dixit, ut Suetonius in Aug. c. 16. Antonii et Cleopatræ monumentum: 'Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit.' *Duk. In tumulo C. Julii* Berg. Lov. 2. Boend. et ed. Camp. Hunc Drusum ei sepulcro illatum esse, in quo M. Marcellus et Agrippa sepulti sunt, refert Albinov. Eleg. ad Liv. vs. 67. et seqq. Marcellum autem Augustus in sepulcro suo condidit, teste Dion. Cass. LIII. 517. similiter etiam Agrippam, teste eodem lib. LIV. 541. Hoc mausoleum 'tumulum Augusti' etiam vocavit Tacit. Ann. III. 4. 'Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur.'

Laudatus a Cæsore] Veteres libri *Laudatus est a Cæsare*. Sigon. Non aliter etiam Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Exc. Pithœi, et ed. Camp.

Supremis ejus plures honores additi] *Supremis illius funeribus plures* Exc. Pithœi, Norv. et pleræque edd. ante Gruter. qui id, quod nunc vulgo exstat, recepit, adstipulantibus Leid. Voss. et Lov. 2. Neque multum hinc abeunt Boend. Berg. et ed. Camp. quorum ille *suppremos illius*, hi *supremos ejus* præferunt. 'Suprema' pro morte, sive eo quod mortuis fieri solet, etiam pro reliquiis cadaveris cremati, poni, docet Salmas. ad Solin. pagg. 16. et 31. Deinde *honores dedit* Leid. Voss. Berg. Lov. 2. Boend. Norv. et edd. usque ad Froben. qui *additi* reposuit: *dati* exhibent Exc. Pithœi.

FINIS NOTARUM VARIORUM.

SYLLABUS CODICUM,

QUIBUS IN LIVIO RECENSENDO USUS SUM.

[Ex Editione Drakenborchiana.]

Et quidem ad Decada primam hi mihi præsto fuerunt.

I. *Florentinus*, qui servatur Florentiæ in bibliotheca Serenissimi Magni Etruriæ Ducis Medicea, ac notatur numero XVIIII. Hujus, cum editis collati, variantes lectiones, ab Abbate Antonio Maria Salvinio a. CIↃIↃCCXVIII. confectas, ex peregrinatione Italica in Angliam attulit, et liberaliter mecum communicavit Thomas Coke, Baro de Lovel. Eodem hoc codice in adornanda altera Livii ed. quæ a. CIↃ IↃ C LXV. prodiit, usus est J. F. Gronovius, excerpta ejus nactus partim a consobrino suo Luca Langermanno, partim a Marquardo Gudio, et recte testatur eum omnium hujus partis optimum esse. Verum quædam spicilegia relicta fuisse, nec eo consulendo me operam lusisse deprehendi.

II. *Fragmentum Havercampianum* est codex membranaceus, forma majori, quem Hagæ Comitum in auctione quadam, quæ Petavii et Mansartii nomina præferebat, divenditum Henr. Hadr. van der Marck, toparcha in Leur, sibi comparavit: postea vero Sigeb. Havercampius, quum bibliotheca Markiana publice distraheretur, coëmit, et usibus meis benigne indulsit. In hoc codice pauca tantum libri primi et secundi Liviani fragmenta exstabant. Et quidem duo tantum ex libro primo. Eorum prius incipiebat a cap. 3. § 4. voce ‘ creverant,’ et desinebat in c. 7. § 4. voce ‘ facinorisque : ’ posterius a c. 31. § 1. voce ‘ mons,’ et desinebat in c. 33. § 1. voce ‘ traduxit.’ Tria occurrebant ex libro secundo. Primum incipiebat a c. 25. § 3. voce ‘ caussa,’ et desinebat in fine c. 32. secundum a c. 40. § 12. voce ‘ muliebri,’ desinens in c. 47. § 6. voce ‘ portas : ’ tertium a c. 55. § 1. voce ‘ delectus ’ incipiens cum ipso libro desinebat. Sequentes octo libros hic codex integros exhibebat; nisi quod in libro quinto unum vel alterum folium desideraretur a c. 2. § 12. voce ‘ usurpare ’ usque ad c. 10. § 4. vocem ‘ militum ; ’ quodque in libro decimo post cap. 20. § 9. vocem ‘ agmen ’ reliqua omnia deessent. Hoc fragmentum manu satis antiqua exaratum videtur, et, post codicem Florentinum ac Leidensem primum, bonitate reliquis hujus partis præstat.

III. *Gaertnerianus* est codex chartaceus in forma majori, qui eadem manu tribus voluminibus exaratus exhibet librorum Livii decadas primam, tertiam, ac quartam. Hunc a Car. Guil. Gaertnero, Juris in Academia Lipsiensi antecessore, mihi impetravit Paullus Daniel Longolius. Referendus est inter codd. recentiores.

IV. *Harleianus Primus* codex est Comitis Oxoniensis, septingentorum vel octingentorum, ut creditur, annorum, octo tantum priores Livii libros continens, et inter meliores hujus partis numerandus, quem sæpissime optimis consentire deprehendi. Hunc codicem, ex bibliotheca sua depromtum, deprecante Jac. Philippo D'Orvillio, de Livio meo optime merito, in usum hujus editionis cum vulgatis libris conferri insigni benignitate concessit. In colligendis autem lectionum varietatibus operam ac manum mihi commodavit Casleius, bibliothecæ regis M. Britanniæ custos, in hac re exercitatissimus, multisque experimentis probatus.

V. *Harleianus Secundus* alter est ejusdem Comitis Oxoniensis codex, sed priori longe recentior et bonitate cedens, quem a. CIↃCCCCLIV. exaratum, ejusque fini hæc verba adscripta esse Casleius, qui et hunc mihi codicem excerpsit, testatur:

Nomen meum non pono,
Quia laudari non volo.
Si tamen vis scire,
Palus vocatur iste.

VI. *Havercampianus* codex est membranaceus forma majori, qui Fragmento Havercampiano, paullo ante num. II. memorato, in eodem volumine subjectus, eo tamen longe recentior et minus integer, eosdem, quos illud, dominos habuit. De ejus ætate dicam, quum Havercampianum, tertiam librorum Livii decada continentem, recensebo.

VII. *Leidensis Primus* codex est membranaceus in forma majori, ac satis antiquus, quem viri docti sex vel septem seculorum ætatem ferre existimant. Videtur autem ab imperito librario descriptus esse ex codice longe vetustiore; qui sine ulla vocum distinctione continua literarum serie exaratus fuit. Id autem ex eo conficio, quia passim vocabula, quæ distinguenda erant, perperam connectuntur, et contra, quæ jungenda erant, distinguuntur. Nihilominus omnium optimo Florentino, quem num. I. recensui, bonitate proximus est, plurimamque partem eidem consentit: unde si non ex eodem, ex quo ille, certe ex simili exemplari utrumque descriptum esse videtur. Ad idem persuadendum faciunt etiam singulares formulæ, quæ ad finem quorumdam librorum Livii et in hoc et in illo codice occurrunt; quas hic enotasse, et lectoris oculis subjicere, haud abs re erit.

In Florentino.	In Leidensi primo.
Ad finem libri I.	
Victorianus vero (lege *V. C.*) *emendabam Domnis Gymnachis.*	*Titi Livii ab urbe condita liber primus explicit. Incipit liber secundus.*
Ad finem libri II.	
Titi Livii ab urbe cond. lib. II. explicit. Incipit lib. III. feliciī.	*Victorianus CIC* (l. *V. C.*) *emendabam Domnis Symmachis. Titi Livii ab urbe cond. liber II. explicit. Incipit tertius.*
Ad finem libri III.	
Ad finem hujus libri in excerptis meis nihil annotatum video.	*Titi Livi Nicomachus Dexter* $\overline{V.C.}$ *emendavi ab urbe cond. Victorianus* $\overline{V.C.}$

In Florentino.	In Leidensi primo.
	emendabam Domnis Symmachis. liber III. explicit.
Ad finem libri IV.	
TITI LIVI Nichomacus Dexter V. C. emendavi ab urb. cond. Victorianus V. C. emendavi Domnis Symmachis lib. IIII. explic.	*Titi Livii Nicomachus Dexter V. C. emendavi ab urbe conditor. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. Explicit liber quartus. Incipit liber quintus feliciter.*
Ad finem libri V.	
T. LIVI. Nicomachus Dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. Explicit liber V. incipit liber VI. feli ci ter.	*Titi Livii Nicomachus Dexterum* (leg. *Dexter V. C.*) *emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani ab urbe cond. Victorianus emendabam Domnis Symmachis. liber V. explicit. Incipit liber VI.*
Ad finem libri VI.	
T. Livi Nicomachus V. C. III. Præfect. urbis emendavi ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. liber VI. explicit.	*Titi Livii Nicomachus Favianus V. C. IIII. Præfec. urbis emendavi ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. l. VI. explī. incipit liber VII.*
Ad finem libri VII.	
Emendavi Nicomachus Liviañ Titi Livi ter. Pref. urb. apud Hennam ab urbe conditor. Victorianus VIC. (l. V. C. emendabam Domnis Symmachis. liber VII. explicit. Incipit l. VIII. Feliciter.	*Explicit liber septimus. Emendavi Nicomachus Flavianus Titi Livii ter prēf. urbis apud Henna ab urbe cond. Victorianus VOC (l. V. C.) emendabam Domnis Symmachis. Incipit liber VIII.*
Ad finem libri VIII.	
Emendavi Nico. Flavianus T. Livi VEC. (l. V. C.) ter præf. urb. apud Term. (l. Henn.) ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. lib. VIII. explic. incipit VIIII.	*Explicit lib. VIII. incipit lib. VIIII.*
Ad finem libri IX.	
Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. Titi Livi ab urbe condita lib. VIIII. explicit. Incipit lib. X. feliciter.	*Titi Livii ab urbe cond. liber VIIII. explicit. Victorianus COS (forte V. C.) emendabam Domnis Symmachis. incipit liber X.*

Idem hic codex Leidensis olim Chifletii fuit, in cujus bibliotheca eum vidit ac versavit Gottefr. Wendelinus; in Dissert. enim de Natali Solo Legum Salicarum c. 16. p. 118. easdem formulas, quas ad plerorumque librorum Livii finem in nostro cod. adscriptas dedi, exhibuit, tanta inter has et illas similitudine, ut in apertis etiam mendis, quæ ex librarii aberratione natæ sunt, constanter consentiant. Jocosa autem est Wendelini expositio, quum per *urbem apud Hennam*, in formula finali lib. VII. memoratam, quæ Nicomachum

Flavianum Dextrum tertium ac quartum sibi delegerit amplissimi nominis præfectum, intelligit Bagacum Nerviorum. Nam Romæ quidem, quæ ad ripas Tiberis condita est, nomen fuisse ‘urbs ad Tiberim;’ Bagaco vero ‘urbs apud Hennam,’ quoniam Henna fluvius, quæ nunc incolis *l'Haine* dicitur, ad montes usque Hannoniæ magnarum navium patiens, duabus leucis ab ea abest: ob hanc autem distantiam, quum *urbs ad Hennam* dici nequeat, vocatam esse *urbem apud Hennam*. Verba igitur, quæ ad finem lib. VII. adscripta sunt, ita intellexit, Nicomachum Flavianum Dextrum, qui codicem illum antiquiorem, cujus Chifletianus tantum est exemplar, emendavit, fuisse tertium jam præfectum urbis apud Hennam, sive prope fluvium Hennam, id est Bagaci Nerviorum. Verum fluvius ille, ut et regio, cui nomen dedit, semper a scriptoribus Latinis et Francis per primam vocalem, et vel simplicem vel duplicem *n* literam ‘Haina,’ ‘Hayna,’ ‘pagus Haynocensis,’ ‘Hanoniensis,’ aut ‘Hannoniensis’ vocatur, ‘Hanioum’ etiam vel ‘Hanoium’ in Instrumento divisionis regni Lotharingici inter Ludovicum Germanicum et Carolum Calvum; numquam ‘Henna’ vel ‘Hennoniensis,’ multo minus Bagacum Nerviorum nomine ‘urbis apud Hennam’ indicatur. Longe igitur præferenda est sententia H. Valesii de Critic. I. 34. existimantis, Flavianum Nicomachum V. C. præfectum urbis Romæ, apud Hennam urbem Siciliæ Livii historias emendasse; ubi, ut et in notis P. Burmanni, plura de viris illustribus, qui apud Romanos interpretandis et emendandis libris operam dederunt, videri possunt. Similiter illud *apud Hennam* Reinesius exposuit Epist. ad Hoffmann. et Rupert. LXIX. p. 624. et ad Inscript. Class. I. num. XL. p. 78. Flavianum, quum Livii codicem emendaret, apud Hennam in Sicilia moratum esse. Sententia hæc multis adstrui posset, sed paucis contenti erimus. Is igitur, qui Livium emendavit, in subscriptionibus variorum librorum vocatur *Nicomachus Dexter:* vide ad finem libb. III. IV. et V. *Nicomachus Favianus:* vide ad finem lib. VI. *Nicomachus Liviañ.* vide ad finem lib. VII. *Nicomachus Flavianus:* vide ad finem libb. VII. et VIII. Dicitur *III.* vel *IIII. Præfect. urb.* vide ad finem lib. VI. *ter.* vel *teꝛ̃ Pref. urb.* vide ad finem lib. VII. *ter Præf. urb.* vide ad finem lib. VIII. Livium emendavit *apud Hennam:* vide ad finem libri VII. *apud Term.* vide ad finem libri VIII. Parens ejus appellatur *Clementianus:* vide ad finem libri V. Has formulas pessime a librariis, æque in Mediceo ac Leidensi codice, habitas, multosque in iis errores commissos esse, nemo, credo, negabit. Eo refero, quod in cod. Med. lib. I. pro *V. C.* legatur *vero*, et *Gymnachis* pro *Symmachis:* lib. II. *VIC* pro *V. C.* lib. VIII. *VE C.* pro *V. C.* et *Term.* pro *Henn.* Similiter quod in Leid. cod. lib. II. *CIC* legatur pro *V. C.* lib. V. *Dexterum* pro *Dexter V. C.* lib. VII. *VOC.* pro *V. C.* in quibus omnes mihi facile adsensuros existimo; sed ulterius pergendum, et codicis Leid. lib. VI. *Favianus*, ac Medicei lib. VII. *Liviañ.* in *Flavianus* mutandum arbitror, ut codicis Liviani emendator *Nicomachus Flavianus Dexter* vocetur. Deinde codicis Medicei lib. VI. *III.* lib. VII. *ter.* lib. VIII. *ter Præf. urb.* codicis Leid. lib. VI. *IIII.* lib. VII. *teꝛ̃ Pref. urb.* emendandum conjicio in *iteꝛ̃.* sive *iterum Præf. urb.* Et quidem primo præfecturam urbis obtinuisse videtur post mortem Valentiniani II. ab Eugenio tyranno, a. CCCXCIII. vel a. CCCXCIV. quam Theodosius M. tyranno devicto et interfecto, ei iterum eripuit. Certe quum postea ab Honorio præfectus urbis fieret, ‘præstitisse

illi amissionem præfecturæ, quod mutavit auctorem,' testatur Symmach. Ep. VII. 104. et 'cum illo honorem amissum revertisse in gratiam, eique integratum esse honorem,' Epist. IV. 7. Quum autem post ereptam præfecturam aula et conspectu Imperatoris abstinuisset, mortuo Theodosio M. ab Honorio Imperatore evocatus est in aulam, ut Theodori consulis, qui dignitatem illam a. CCCXCIX. gesturus erat, officio interesset. Vide Symm. Epist. V. 6. et Ep. VII. 95. in qua re eum testimonii auctoritate adjuvit Stilico: vide Symm. Ep. IV. 5. quem diem obire ne negligeret, suasit ipsi Symmachus Ep. VI. 36. Ea occasione revocatus præfecturam urbanam, antea sub Eugenio administratam, sed a Theodosio M. ademtam, a filio ejus Honorio recepit, ut ex laudatis Symmachi locis IV. 7. et VII. 104. constat. Eam autem recepit anno eodem CCCXCIX. ad quem præfectum urbis VIII. Id. Jun. Brixiæ data est Cod. Theod. lib. XIV. tit. X. lex 3. Hunc honorem etiam anno sequenti continuavit, ad quem missa, et IX. Kal. Febr. Romæ in foro Aproniani proposita est Cod. Theod. lib. XIII. tit. V. lex 29. Brixiæ data XIV. Kal. Sept. lib. XI. tit. XXX. lex 61. et Mediolani data VI. Id. Nov. lib. XV. tit. II. lex 9. Quo usque honorem retinuerit, incertum est. Id constat, Decium ei in præfectura successisse, ut colligi potest ex Symm. VII. 50. ad quem Ravennæ VIII. Id. Dec. a. CCCCII. data est in Cod. Theod. lib. VII. tit. XIII. lex 15. Tandem in nomine *Clementiani*, quo pater Flaviani appellatus fuisse dicitur, errorem commissum esse, et in eo *Flaviani* nomen latere existimo. Inter doctos enim constat, Flaviani præfecti Urbis patrem esse, qui in lapide apud Reines. class. VI. num. 92. vocatur *Virius Nicomachus Flavianus;* ubi etiam omnium, quos gessit, honorum magnus catalogus occurrit. Ut autem reliquos missos faciamus, tantum observandum puto, eum etiam *Vicarium Siciliæ* in eo lapide vocari. Vel igitur in hoc magistratu villam ac prædia non longe a Siciliæ urbe Henna emendi occasionem habuit, vel ex hæreditate majorum nactus est, et ad filium transmisit, qui postea huc secedens Livium emendavit. Certe, Flavianum filium aliquid rei in Sicilia habuisse, constat ex Symmacho, qui ei scribens VI. 57. inter alia inquit, 'suadeam, ut ad præfectos prætorio Siciliensis caussæ vestræ actio transferatur.' Et epist. 67. 'De Siculo negotio vestro sanctus Comazon, me quoque assentiente, rescripsit.' Hoc etiam uno verbo addendum est Victorianum V. C. ad finem librorum Livii in codd. Mediceo et Leidensi memoratum, qui Livium Symmachis emendavit, Nicomacho Flaviano juniorem fuisse, eumque sua ex hujus exemplaribus descripsisse; utrumque vero ante Apollinarem Sidonium vixisse. Id enim colligi potest ex Sidon. Apoll. VIII. 3. 'Apollonii Pythagorici vitam, non ut Nicomachus senior e Philostrati, sed ut Tascius Victorianus e Nicomachi schedis exscripsit, quia jusseras, misi.' Symmachum autem non sibi tantum, sed etiam amicis, Livium emendari curasse, ipse testatur IX. 13. 'Munus totius Liviani operis, quod spopondi, etiam nunc diligentia emendationis moratur.' Ut ex hoc deverticulo, in quod me verba ad finem librorum Livii in codice Leidensi primo obvia pellexerunt, in viam redeam, codex Livii Chifletianus postea ad Focaltium pervenit; in cujus bibliotheca eum Parisiis a. CIↃIↃCCXIV. primum versavi. Postea in Belgium allatum, et Hagæ Comitum voci præconis subjectum ære suo sibi vindicavit Samuel Hulsius, vir apud Haganos consularis. Verum neque diu apud eum hospita-

tus est. Quum enim a. cIↃ IↃ cc xxx. bibliothecam proscripsisset, facta auctione, Livium cum multis aliis insignioribus Mss. Petrus Burmannus ὁ μακαρίτης bibliothecæ Batavæ, quæ Leidæ est, emit. Antequam vero in digniorem et augustiorem banc sedem migraret, Academiæ Hollandicæ curatoribus et urbis Leidæ consulibus id singulari benignitate permittentibus, usui meo concessus præclarum hujus editionis ornamentum est.

VIII. *Leidensis Secundus* est codex chartaceus, forma majori, vetusto satis charactere exaratus, sed qui ratione bonitatis Leidensi priori longe cedit. Hunc olim Justus Lipsius possedisse videtur: postea ad Zulichemium pervenit. Cujus supellex libraria quum auctione publica distraheretur, eum cum plurimis aliis Mss. imprimis vero cum tribus spissis Epistolarum Lipsianorum voluminibus postea a se editis, bibliothecæ Batavæ, quæ Leidæ est, coëmit Burmannus. Quo suffragante, ejus excutiendi facultatem perquam benevole mihi concesserunt curatores et urbis Leidæ consules.

IX. *Lipsiensis* est codex membranaceus, qui servatur Lipsiæ in bibliotheca Senatoria, legibili satis manu, sive eleganti litera exaratus, sed paullo recentior, vel non nimis antiquus, continens omnes, præter quinque posteriores, libros, quemadmodum Livius sub initiis artis typographicæ edi solebat, id est, deficientibus etiam lib. XXXIII. et ultima parte libri XL. a capitis 12. § 16. verbis 'imponererent Macedoniæ regem,' ut Goetzius testatur in Descript. Biblioth. Lipsiens. Senatoriæ p. 27. insuper addens, codicem hunc primas literas auro ac figuris, pro ætatis, qua effictæ sunt, modulo, fulgidas ostendere. Hic primum mihi innotuit ex τοῦ μακαρίτου Cortii literis, qui simul se omnem lapidem moturum promisit, ut ejus excerpta acciperem. Rem etiam perfecisset, nisi invida mors eum non mibi magis, quam universo orbi literato mature in ipso ætatis flore præripuisset. Ei defuncto mox benigne successit Paullus Daniel Longolius, qui primo specimen submisit, unde didici, codicem hunc maximam partem convenire Gebhardi Palatino primo; cui et Gebhardus et J. F. Gronovius haud postremam laudem tribuerunt. Ad libri igitur collationem sese accingens, quatuor priorum librorum excerpta submisit. Verum quum ulterius pergere conaretur, quædam insperata intervenere, quæ effecerunt, ut subsistere coactus fidem datam liberare non potuerit. Quum igitur per eum non steterit quo minus integri codicis variantes lectiones habere potuerim, æque me ipsi obstrictum agnosco ac si rem ex voto confecisset.

X. *Lovelianus Primus* est codex admodum spissus, formæ majoris, non tantum primam, sed insuper tertiam ac quartam decadas librorum Livii continens, deficiente tamen lib. XXXIII. et ultima parte libri XL. scriptus in pergameno purissimo, qualibet ejus pagina in duas columnas divisa, et non tantum in superiore et inferiore cujusque parte, verum etiam in interstitio, inter duas paginarum columnas medio, picturis exornata. Hunc librum ad Alphonsum, Sapientem dictum, primum stirpis Arragonicæ regem Siculum ac Neapolitanum, pertinuisse, ejusque manu notatum esse, eumdem postea ordine ad Cujacium, Lipsium, ac Wouwerium pervenisse, hæc verba, recentiori manu in initio ejus adscripta, testantur: 'Titi Livii Patavini historiæ principis codex manuscriptus, Alphonsi regis Arrag. Sicil. Neapolis, &c. manu notatus; qui e Gallia in Belgium a Jacobo Cujacio ad Justum Lipsium

dono missus, Joannis Wouwerii Antwerpiensis in potestatem tandem pervenit. Spectator, codicis venerandam vetustatem et inclitam invicti regis eruditionem suspice.' Codicem hunc regis Alphonsi olim fuisse, Wouwerio, vel quisquis testimonium dixit, adfirmanti credo: non tamen existimo, esse illum regis Alphonsi codicem, quo 'nullum in omni Italia augustiorem occurrere; quemque æmulorum manu emendatum vel corruptum fuisse,' Valla testatur ad Livii XXIII. 18. § 12. non quoniam ornatus ac splendor, quem Valla commendat, ei desit, (merito enim inter splendidissimos codices refertur,) sed potius, quod ipsius Vallæ, non autem æmulorum ejus lectionem, quam tamen in eo receptam vel invectam esse testatur, eo loco præferat. Præterea quod codex ille augustissimus, quem Cosmus Mediceus vir primarius Florentia regi dono misit, et Antonius Panhormita, Bartholomæus Facius, et Jacobus Curlus emendarunt, dumtaxat bellum Punicum secundum continere Valla testatur lib. IV. Recriminat. in Facium p. 602. quum noster Lovelianus primus tres decadas librorum complectatur. Habuisse igitur videtur rex Alphonsus, insignis literarum suo tempore patronus, plures codd. Livianos. Certe exemplar regium, quod bellum Punicum secundum describens Florentiæ emendatum erat, et lectionem diversam ab emendatione Panhormitæ ac Facii præferebat, laudat Valla ad Livii XXII. 51. § 2. Codicem etiam regum Arragonum Neapolitanum, et a modo memoratis et a nostro diversum, Romæ vidit et contulit Latinus Latinius; eum enim tantum decem priores Livii libros exhibuisse inde verisimile fit, quoniam eorum tantum excerpta dederit, quum antea memorati etiam bellum Punicum secundum, noster adhuc insuper bella Macedonicum et Asiaticum describant. Neque mirum vel incredibile videri potest, regem primo illo renascentium literarum crepusculo, arte typographica nondum inventa, tot unius Livii codd. in bibliothecam suam recepisse: tanti enim Livium æstimasse constat, ut cadaveris ejus, quod in urbe sua superesse Patavini sibi persuadebant, brachium, misso Antonio Panormita legato, petere dignatus sit: vide Tomasini Livium Patavinum c. 10. ipsumque Livium 'regem librorum' appellare consueverit. Vide Panormitæ Epistolam apud Bayle in Diction. Histor. Crit. in voce 'Panormita.' Eumdem codicem a Jacobo Cujacio ad Justum Lipsium pervenisse, inde verisimile fit, quod se Cujacii Livios recepisse Petro Egmondo nunciat Lipsius in Epistola, quam edidit Burmann. in Syntagm. Epistol. tom. I. p. 56. Illis autem mittendis id forsitan occasionem dederit, quod ipse Cujacio scripserit, se aliquid in Livio exorsum, quod detexere pergeret, si paullo firmius librorum auxilium sibi foret. Vide ejus Centur. I. Miscellan. Epist. LXVII. Postea idem ille codex Alphonsinus migravit in Hispaniam, et illatus est in bibliothecam Caspari de Haro Marchionis Lichei, (Eliche,) qui filius erat Ludovici de Haro, Comitis Ducis Olivaresii, Philippi IV. Hispaniarum regis aulici ac primarii rerum administratoris, frater major Johannis Dominici de Haro, Comitis Montisregii, (Monterrey,) qui seculo proximo nomine Caroli II. Hispaniarum regis Belgii Hispanici præfecturam gessit. Verba sunt Jac. Gronovii in Epistola, Mantuæ in Carpetanis a. d. V. Nonas Julias anno CIↃIↃCLXXIII. ad Nic. Heinsium scripta, et a Burmanno edita in Syllog. Epist. tom. III. pag. 553. 'Quum publica fama nos excitasset ad videndam elegantiam Marchionis Lichei, (is filius Ludovici de Haro, frater major hodierni

Flandriæ præfecti,) quam in colligendas tabulas pictas pulcherrimi operis ex more horum procerum contulit, præter exspectatum inducti sumus in bibliothecam satis egregiam, ubi inter alia erant Mss. Plautus, Livius, quondam Alphonsi Arragonum regis, postea a Cujacio missus ad Lipsium, deinde Jani Wouwerii Antverpiensis; Cæsar, Ovidius cum commentariis, Plinii historia naturalis, Curtius, Suetonius, Claudianus, Donatus in Terentium, omnia non antiquissima.' Tandem hic codex illatus est in Magnam Britanniam, et adservatur in bibliotheca instructissima Thomæ Coke Baronis de Lovel, optime, si quis alius, de hac Livii ed. meriti, qui et hunc et reliquos Livii codices, *Lovelianos* a me appellatos, ut et vetustas edd., quas subinde memorabimus, insigni favore ac benevolentia in usus meos huc Trajectum transmitti consensit.

XI. *Lovelianus Secundus* itidem scriptus est in membranis, forma majori, cujus etiam quælibet pagina duas columnas continet. Hoc autem volumen pari modo decadas librorum primam, tertiam et quartam complectitur, cujus ultimæ subscriptionem suo loco infra exhibebimus. Prima hujus codicis pagina picturis, et postea cujusque libri initium pictis et variegatis literis excultum est. Ceterum præcedenti recentior esse videtur.

XII. *Lovelianus Tertius* est etiam codex membranaceus, forma majori, cujus titulus et primæ singulorum librorum literæ auro variisque coloribus eleganter pictæ erant. Liber hic fuit recentior, qui Vossiano secundo, inferius recensendo, in multis lectionibus adsentiebatur. In fine hæc verba minio adscripta legebantur : *Johan. Rainaldus Mennius Surrentinus scripsit.*

XIII. *Lovelianus Quartus* similiter codex est in membranis forma majori exaratus, cujus frons et primæ omnium librorum literæ auro variisque coloribus pictæ præfulgebant.

XIV. *Lovelianus Quintus* scriptus est in pergameno, forma majori, cujus pari modo frons et literæ singulorum librorum initiales auro et diversis coloribus depictæ sunt. Complectitur autem septem priores Livii libros cum parte libri octavi, usque ad c. 14. § 5. vocem 'abductus.' In libro septimo deerat etiam unum folium a capitis 26. § 10. voce 'concione,' usque ad c. 30. § 7. dictionem 'quandocumque.'

XV. *Portugallicus* est codex membranaceus in forma majori; cujus olim Hagæ Comitum in auctione, Sanphilippi Hispaniarum regis legati nomen præferente, venalis expositi usus, ut eum cum vulgatis edd. conferrem, benigne mihi concessus est. Eum autem voco *Portugallicum*, quia eum Portugalliæ regi plus offerenti cessisse renunciatum est.

XVI. *Vossianus Primus* codex est in membranis scriptus, forma majori, qualibet ejus pagina in duas columnas divisa, qui cum reliquis Vossianæ bibliothecæ Mss. a curatoribus Academiæ Batavæ redemtus, cum bibliotheca publica Universitatis Lugduno Batavæ coaluit; in cujus catalogo pag. 369. num. XXI. memoratur. De codd. Livii Vossianis in genere testatur J. F. Gronovius, a. d. IV. Non. Maias CIↃIↃCLXIII. Nic. Heinsio scribens, eos quidem secundi generis esse, tamen quibus carere nollet. Vide ejus epistolam in Syllog. Burmann. tom. III. pag. 485. Ipse observasse visus sum, eum sæpe Leidensi secundo et Loveliano primo consentire: vide quæ notavi ad

Livii IV. 3. § 9. Hunc et reliquos codd. Vossianos mei caussa excuti, ac cum vulgatis committi indulserunt Academiæ Batavæ curatores, quam laboris ac tædii plenam provinciam in se benigne susceptam diligenter perfecit Oudendorpius.

XVII. *Vossianus Secundus* codex itidem membranaceus est, majori forma, qui in bibliothecam publicam Academiæ Lugduno-Batavæ illatus recensetur in ejus Catalogo pag. 369. num. XX. In hoc codice ad finem cujuslibet libri Liviani, solo tantum ultimo excepto, adscripta erat formula in aliis nonnullis codd. obvia, *Victorianus V. S.* (in quibusdam locis pro *V. S.* legebatur *nunc;* sed emendandum videtur *V. C.*) *emendabam domnis Symachis.* Septimus vero liber hac formula claudebatur: *Emendabam Nic.* (vox illa *Nic.* delenda est) *Nicomachus Titi Livii terprãff* (lege *ter præf.*) *urbis apud Hennam, ab urbe condita. Victorianus V. C.* (lege *V. C.*) *emendabam domnis Symachis.* Eadem verba, sed longe emendatiora, itidem Livii libro septimo in codd. Florentino et Leidensi primo reperiri, supra notavi. Iisdem etiam codd. bonitate plurimum cedit. Vossiano hoc secundo J. F. Gronovius quidem usus est, sed demum eum adhibere cœpit ad Livii v. 3. § 5. ut ipse ad illum locum notavit.

Ad Decada tertiam his Codd. Mss. usus sum.

I. *Berolinensis* est Mstum in membranis, forma majori, quod ὁ μακαρίτης Maturinus Veyssiere la Croze ex bibliotheca regia Berolinensi, cui summa cum laude præfuit, officiose depromtum usibus meis indulsit. Erat autem codex paullo recentior, quem ferme cum priscis edd. convenire deprehendi.

II. *Cantabrigiensis* est codex membranaceus, qui Cantabrigiæ in bibliotheca Trinitatis adservatur. Eum Jac. Gronovius, quum Cantabrigiæ hiberna ageret, diligenter excussit, ac testatus est, se non meminisse alium propius ab archetypo Puteaneo dissidere. Ejusdem excerpta, ad oram ultimæ editionis Gronovianæ adscripta, benigne mihi obtulit Joseph. Wasse: unde testimonium, quod Gronovius ei dixit, verissimum, et librum hunc optimæ notæ esse passim expertus sum.

III. *Florentinus* est codex membranaceus, qui Florentiæ ad D. Laurentii in bibliotheca Serenissimi Magni Etruriæ Ducis exstat pluteo LXIII. num. 20. omnium hujus partis, post antiquissimum et sanctissimum Puteaneum, optimus. Hujus codicis librum primum et exiguam partem libri secundi olim Gudius in Italia degens cum vulgatis contulerat, et in Hollandiam redux excerpta sua cum Gronovio, Livium a. CIↃIↃCLXIV. edente communicarat: vide Gronov. ad Livii XXII. 6. § 4. Reliquorum librorum variantes lectiones opera Jac. Philippi D'Orvillii nactus sum, quæ insigni usui fuerunt, et in plurimis locis cum omnium præstantissimo Puteaneo amice conspirarunt. Postea Lovelius integri ejusdem codicis excerpta, quæ, erudita Salvinii manu facta, ex Italia in patriam deportarat, una cum multis aliis ad Livium facientibus subsidiis, benignissime ad me submisit. Id longe gratissimum accidit. Quum enim tantæ auctoritatis et fidei codex sit, ex duplici illa collatione, a diversis viris doctis instituta, eo certius de vera ejus lectione

dijudicare; et (quum nemo omnibus horis in negotio hoc tædii plenissimo ad quævis minima intento animo esse possit) quidquid alter forte neglexisset, ex altero supplere potui.

IV. *Gaertnerianus* ille est, de quo jam supra inter codd. quibus ad primam librorum decada usus sum, num. III. egi: in hac autem parte plerumque a primis edd. parum dissidet.

V. *Hafniensis* codex est membranaceus in forma majori, eleganti manu ante annos admodum trecentos quinquaginta scriptus, quemadmodum judicarunt qui eum viderunt. Hujus Msti primam apud me mentionem fecit Jac. Phil. D'Orvillius, optime de Livio meo meritus; qui, codicem illum in bibliotheca Friderici Rostgaardii, auctione publica anno hujus seculi vigesimo quinto vel sexto distrahenda, notans, eumdem suæ bibliothecæ eo consilio emere destinarat, ut mihi Livium edituro commodaret. Verum, vel mandatis serius Hafniam perlatis, vel aliis animosius licitantibus, se spe excidisse postea nunciavit. Anno deinde sequenti vigesimo septimo Fridericus Lutkens codicem hunc ex bibliotheca Rostgaardiana in splendidissimam Comitis Christiani Danneskiold transmigrasse indicavit, simulque obtulit, se eumdem mei caussa cum editis collaturum. Licet autem, officium ejus ambabus ulnis amplexus, id mihi gratissimum futurum rescripserim, aliquid tamen intervenisse (forsitan etiam responsum aberrasse) suspicor, ne deinceps promissis stare, et excerptas lectionum varietates mittere potuerit. Tandem vero J. Christophorus Wolfius, qui ultimo itinere, an. CIↃIↃCCXXXIV. una cum fratre Jo. Christiano in Belgium instituto, me alloquii honore dignatus Livium typis imprimi viderat, in patriam redux a Jo. Grammio, Græcarum literarum in Academia Hafniensi professore, ejusdem Msti collationem obtinuit; ex quo etiam didici codicem hunc, quem olim Rostgaardius possederat, nunc in bibliotheca regia Hafniensi adservari.

VI. *Harleianus* codex est Comitis Oxoniensis, quem circa artis typographicæ inventionem exaratum fuisse testes oculati retulerunt. Hunc una cum Hearnii Msto D. plerumque vitiosissimo Rhenani Spirensi consentire expertus sum.

VII. *Havercampianus* est codex Sigeberti Havercampii membranaceus, forma majori; quem, simul cum decadis primæ fragmento et alio codice primam librorum decada continente in idem volumen compactum, in auctione bibliothecæ Markianiæ sibi comparavit, ut in Mss. Decadis primæ num. II. supra monui, mihique petenti benigne utendum concessit. Codex est recentissimus, cujus calci hæc temporis nota adjecta est: *Finis. die* 24. *mensis Decembris* 1460. Quum autem characterum forma fidem faciat, adjunctos decem primos Livii libros, supra in Mss. Decadis primæ num. VI. memoratos, ab eadem manu profectos fuisse, eos etiam ad idem tempus referendos esse arbitror.

VIII. *Lovelianus Primus.* De hoc codice videndum est supra inter illos libros, qui mihi ad primos decem libros præsto fuerunt, num. X.

IX. *Lovelianus Secundus.* De hoc etiam Msto ibidem egi num. XI.

X. *Lovelianus Tertius* codex est scriptus in pergameno, forma majori. Est autem paullo recentior.

XI. *Lovelianus Quartus* codex est membranaceus, forma similiter majori, neque etiam admodum antiquus.

XII. *Lovelianus Quintus* pariter codex est membranaceus, forma majori, qui paullo tantum ante artem typographicam repertam exaratus esse videtur.

XIII. *Recanatianus* est codex, quem servat Joannis Baptistæ Recanati Patricii Veneti bibliotheca. Ejus excerpta Jac. Philippus D'Orvillius, quum in itinere Italico Venetias adiens ibidem moraretur, impetravit, et patriis laribus postea restitutus officiose ad me transmisit. Utrum codex ille in membranis, an in charta exaratus sit, nihil habeo quod dicam: neque certiora de ejus ætate adferre possum. Ex usu tamen mihi constitit, non inter integerrimos ac primæ auctoritatis referendum esse. In multis consentiebat codici bibliothecæ Bodleianæ inter Laudinos, quem Hearnius consuluit, et hac nota *L. I.* indicare solitus est. Præsertim vero solus ex omnibus meis exhibuit illam periodum, quem Hearnius ad XXII. 18. § 5. ex Laudino primo protulit, et Dodwellus Dissertatione, huic tomo p. 182. inserta, illustravit. Quum autem in notis ad eum locum uno verbo monuerim Recanatianum in paucis a Laudino primo dissentire, integram nostri codicis lectionem hic adscribere in rem fore visum est. Ita igitur præfert, *Et reparando subgressus haud magis Alifæ mœnia quum palans perveniens ex oppido bellua constă a Romanis erupit, quam consul vi captam, trucidatis, qui in ea constiterant, resservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut queis curæ pusillum inerat in diem altam umbonibus beluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque meliorem receptant. Et Alifas Rufrium quondam vocitatas ab dextro sequente sinisteriorum augurio nomen imponunt accolæ.*

XIV. *Vossianus* est codex scriptus in membranis, forma majori, conjectus in idem volumen, in quod Vossianus primus, decem priores Livii libros continens, de quo supra egi, codd., qui mihi ad primam decada præsto fuerunt, recensens num. XVI. Est vero ultima sui parte truncatus, et, amisso unico folio, desinit in libri XXX. cap. penult. § 6. in vocibus ‘risum esse.’

Ad Decada quartam opem tulerunt hi Codd. Mss.

I. *Gaertnerianus.* De hoc cod. supra dixi, quum illos codd. quibus in recensenda prima librorum Livii decade usus sum, describerem num. III.

II. *Harleianus* est codex Comitis Oxoniensis, hanc solam librorum decada continens; cujus cum vulgatis edd. comparandi potestatem mihi impetravit Jacobus Philippus D'Orvillius; cujus itidem officiis numquam satis prædicandis acceptum refero quod virum nobilissimum permoverit, ut etiam reliquorum bibliothecæ suæ codicum excerpta mihi parari liberalissime concesserit. Dicitur autem trecentorum admodum annorum fuisse.

III. *Lovelianus Primus.* De hoc codice supra vidimus, quum subsidia enarrarem quibus in decem prioribus Livii libris usus sum, num. IV.

IV. *Lovelianus Secundus.* De hoc etiam codice ibidem videndum est num. V. Ad finem autem libri XL. Livii, qui desinebat, (ut uno excepto reliqui omnes, in lib. ejus c. 37. § 3.) verbis ‘per omnia fora conciliabulaque edixerunt,’ sequentia adscripta inveni: *Periit hujus XL. libri finis, quemadmodum et ceteri omnes post hunc librum. Fiebat autem in hoc fine post quædam alia mentio de Philippo rege, qui ægritudine animi confectus, quod Demetrium filium, falsis*

Persei alterius filii in eum delationibus impulsus, veneno sustulisset, cum de pœna Persei cogitaret, velletque Antigonum potius amicum suum regni successorem relinquere, raptus e medio est. Perseus vero regnum excepit. Hic finem Decadis quartæ, id est libri XL. ab urbe condita Historiæ T. Livii Patavini ante operis ejus naufragium fuisse, Guinifortis invenit. Deo gratias amen.

V. *Lovelianus Tertius* est codex scriptus in membranis, forma majori, seculo, ut videtur, vel tertio vel quartodecimo. Sed erat mutilus. Quædam enim deerant ab initio, et demum incipiebat XXXII. 8. § 11. in vocibus 'ipsi præsidium.' Quædam etiam deerant a fine. Nam desinit XL. 27. § 7. in verbis 'manere jussi.'

VI. *Lovelianus Quartus* codex est membranaceus, forma majori, plerumque consentiens Loveliano primo. Scriptum esse seculo quintodecimo ineunte, hæc ad finem ejus adjecta verba testantur: *Gerhardus Magistri Lanfranchi de Bononia scripsit MCCCCVIIII.*

VII. *Lovelianus Quintus* est etiam codex membranaceus, forma majore, nata jam arte typographica exaratus. Ad calcem enim libri adscripta sunt hæc verba: *Finis. pro reverendissimo Domino Cardinali Theanensi Franciscus de Tianis Pistoriensis scripsit anno Domini MCCCCLXX.* Convenit plerumque cum Loveliano secundo, et cum edd. principibus; inprimis autem cum ed. Campani, quæ ex simili exemplari typis descripta esse videtur.

VIII. *Lovelianus Sextus* est codex chartaceus, forma majori, ac ferme cum cod. Vossiano, de quo mox num. XI. agam, convenire solet.

IX. *Meadianus Primus* est codex Richardi Mead, celeberrimi apud Londinenses medici, qui scriptis et editis variis libris insigne in orbe erudito sibi nomen paravit. Ejus codex hic, qui in pergameno scriptus quadringentorum admodum annorum esse dicitur, complectitur primam, tertiam, et quartam decadas librorum Livii, et in principio cujusque libri res, quæ in ipso libro describuntur, picturis exhibet. Præterea in cujusque Decadis initio contenta singulorum librorum præmittuntur, quibus in prima decade hic titulus appositus est: *Tabula inprimis de decem libris Titi Livii, edita a magistro Donato de Casentino Gramatico.* Harum Decadum ultimam, ut et codicem sequentem, mei caussa cum editis conferri, Jac. Philippo D'Orvillio, quum studiorum ergo per Angliam peregrinaretur, deprecante, possessor ejus benignissime permisit.

X. *Meadianus Secundus* est codex membranaceus modo laudati Richardi Mead, qui, quartam tantum Decada continens, trecentorum annorum ætatem præferre creditur. Hujus etiam Msti collationem munifice ab ejus domino concessam D'Orvilii, cui tot ac tanta Livius et ego debemus, beneficio debeo.

XI. *Vossianus* est codex chartaceus, forma majori, qui olim pars bibliothecæ Vossianæ exstitit, nunc vero in bibliotheca publica Universitatis Lugduno-Batavæ adservatur, continens solam decada quartam. De eo vide Catalogum Bibl. publ. Lugduno-Bat. pag. 373. num. LXVI. In limine hujus codicis sequentia reperiuntur: *Codex hic est Francisci Philelfi, et inprimis amicorum. Frederici Ceruti nunc est, dono Petri Nasarii, militum strenui præfecti, dum Veronæ esset anno MDLXXXVII.* Ad finem vero hæc adscripta sunt: *Titi Livii liber decimus de bello Macedonico feliciter explicit amen. qui liber est mei Petri de Compostellis notarii.*

Ad Epitomas Livianas hos Codd. Mss. adhibui.

I. *Bergianus* est codex chartaceus, forma majore, quem olim possedit Nic. Heinsius, a quo pervenit ad Johannem van den Bergh J. C. sæpius civitatis Lugdunensis consulem, summum Rhenolandiæ prætorem, et aggerum ac viarum publicarum ea regione præfectum, qui etiamnum possidet, ejusque usum benignissime mihi concessit.

II. *Boendermakerianus* est codex membranaceus, forma majori, olim pars bibliothecæ, quam in usus suos et amicorum collegit Theodorus Boendermaker, S. Martini apud Trajectinos canonicus. Hunc, præter Epitomas Livianas, etiam Plinium, sive, ut vulgo vocatur, Aurelium Victorem, de Viris Illustribus continentem, cum editis contulit Carolus Andreas Dukerus, ejusdem collegii et amicitiæ vinculo mihi conjunctissimus, et benigne mecum communicavit.

III. *Leidensis* codex est chartaceus, forma majori, optimæ notæ, cui subjuncti sunt multi alii scriptores, enumerati in Catalogo Bibl. Leid. p. 325. num. XIX. Eum cum sequentibus Vossianis ad libros editos in usum meum officiose exegit Franciscus Oudendorpius.

IV. *Lovelianus* est ille codex, quem inter eos quibus ad decada primam usus sum, num. XI. latius descripsi. Is enim præter tres decadas librorum Livii insuper complectebatur omnium deperditorum librorum historici nostri Epitomas.

V. *Vossianus* est codex membranaceus recentissimus, in forma quadruplice, omnium librorum Livii Epitomas continens, qui cum omnibus reliquis bibliothecæ Vossianæ libris in Leidensem migravit. Eidem C. Plinius, sive Aurelius Victor, de Viris Illustribus, et alia quædam subjunguntur. Vide Catalogum Bibl. Leid. p. 388. num. LIV. Hunc codicem in septem priorum librorum Epitomis, in quibus mihi etiam alii Vossiani ad manus fuerunt, *Vossianum primum;* postea, ubi reliqui desinunt, simpliciter *Vossianum* vocavi.

VI. VII. VIII. *Vossiani Secundus, Tertius, Quartus* tres sunt codd. bibliothecæ nunc Lugduno-Batavæ membranacei, quorum duo vetustissimi forma sunt quadruplice, unus paullo recentior forma octuplice. Hi omnes post L. Annæum Florum nobis exhibent septem primorum Livii librorum Epitomas, et quidem duplicem ac diversam libri primi. Recensentur autem in Catalogo Bibl. Leidensis unus p. 386. num. v. alter pag. ead. num. XIV. tertius pag. 389. num. LXXVII.

SYLLABUS CODICUM,

QUIBUS HEARNIUS USUS EST,

QUORUMQUE VARIANTES LECTIONES NOTIS MEIS INSERUI.

[Ex Editione Drakenborchiana.]

I. *B.* est codex Oxonii servatus in bibliotheca Bodleiana, decada primam continens.

II. *C.* est codex Oxonii in bibliotheca collegii Corporis Christi, decada primam continens.

III. *D.* est Codex K. Digbæi Oxonii in bibliotheca Bodleiana, decada tertiam continens.

IV. *L.* 1. est codex Oxonii in bibliotheca Bodleiana inter codd. Laudinos, decadas primam, secundam, et tertiam continens.

V. *L.* 2. est codex Oxonii in bibliotheca Bodleiana inter codd. Laudinos, decada primam continens.

VI. *N.* est codex Oxonii in bibliotheca Collegii Novi Oxoniensis, decadas primam, tertiam, et quartam continens. Complectitur etiam, si non omnes, certe quasdam Epitomas Livianas. Ejus enim Hearnius meminit usque ad Epitomen libri XXII.

VII. *Norvicensis* est codex Mstus, Epitomas Livianas continens, quem possedit admodum Reverendus Johannes Morus, olim Norvicensis, postea Eliensis Episcopus.

NOTITIA LITERARIA

DE

T. LIVIO.

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA
A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, TOM. I. CAP. II.

Livii Ætas.

TITUS LIVIUS A. U. C. 695,[a] natus Patavii[b] oppido vetustissimo Italiæ ad Timavum fluvium, Romæ postea Claudii Imperatoris studia moderatus, ut colligas e Suetonii Claud. c. 41. scriptor sublimi et lactea sermonis ubertate: unus res Romanas æquare feliciter ausus, obiit in patria septuagenario major, quarto anno Tiberii Imp. Urbis 770. post C. n. 17. Ab Augusto Livius dictus est 'Pompeianus,' quod tantis laudibus extulisset Pompeium: neque id tamen amicitiæ eorum offecisse testatur Tacitus Annal.

[a] Si Eusebio fides in Chronico.

[b] Hinc Asinius Pollio, teste Quintiliano l. I. c. 5. et l. VIII. c. 1. aiebat se in Livii scriptis Patavinitatem quandam, hoc est, dictiones nonnullas Patavinis proprias et Romanis auribus insolentes observasse, quarum tamen nulla in scriptis ejus, quæ hodie supersunt, vestigia superesse contendit Salmasius in Funere Linguæ Hellenisticæ p. 236. et Dan. Georgius Morhofius in libro singulari de Patavinitate Liviana, Kilon. 1685. et inter alias ejus Diss. Hamb. 1669. 4. In hujus libri cap. 3. Morhofius disserit etiam de sepulcro ac monumento Livii, quod Patavini hodieque ostentant, ac pluribus celebravit Jac. Philippus Tomasinus in T. Livii Vita (Patav. 1630. 4. Amst. 1670. 12.) cap. 9. Confer, si placet, Sertorii Ursati marmora erudita Epist. VIII. et Monum. Patav. p. 27. et 202. Trewenschrœderi Fastos Livianos p. 304. et Joannem. Mabillonium T. I. Musei Italici p. 30. Marquardus vero Gudius V. C. observavit, monumentum hoc non esse T. Livii, sed cujusdam ejus liberti, cui T. Livius Halys nomen erat, filiæ. De Liviana Patavinitate Ptolemæus Flavius Anconitanus cap. 45. Conjectaneor. editorum Anconæ 1522. 8. et in T. I. Lampadis Artium Gruterianæ p. 972. et D. Balthasar Stolbergius de Barbarismis et Solœcismis N. T. objectis c. 20. Nonnulla nuper in dictione Livii reprehendere ausus est Schurzfleischius præfatione ad Dissertationes Academicas; quemadmodum ejus scribendi genus et stylum defendit Jo. Tolandus in præf. ad Adæsidæmonem.

IV. 34. Cum viveret, paucis probatum, sed post fata demum meritos honores consecutum affirmat vetus auctor apud Suidam in Κορνοῦτος. Tamen nec vivi exiguam famam fuisse, fidem facit Gaditanus[c] ille, qui Livii nomine gloriaque excitatus ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venit, statimque ut viderat, abiit. Nec mortuo impetum[d] quorumdam, aut criticorum[e] rigorem constat pepercisse. ‘ Candidissimum omnium magnorum ingeniorum æstimatorem’ vocat M. Seneca Suasoria VII. et Tacitus Annal. IV. 34. ‘ eloquentiæ ac fidei præclarum inprimis,’ magno et vero elogio. Livii lectione a morbo convaluisse narrant Ferdinandum Catholicum, perinde ut Curtii Alphonsum Arragoniæ regem. Buchananus vero ut Livium nobis alterum exhiberet, libros ejus superstites a capite usque ad calcem traditur perlegisse non minus vigesies,[f] atque ita ad opus Historiæ Scoticæ componendæ se accinxisse. Alia in Livii laudem Augustus Buchnerus Dissert. Academica 393. Citatur a Livio Fabius Pictor, scriptorum antiquissimus, I. 44. II. 40. VIII. 30. X. 37. Tum Valerius Antias IV. 23. XXV. 39. XXVI. 49. XXIX. 35. XXX. 19. 29. XXXII. 6. XXXIII. 10. 30. 36. XXXIV. 15. XXXVI. 19. 38. XXXVIII. 23. et Macer Licinius IV. 7. 20. 23. atque Q. Tubero IV. 23. X. 9. Ex Græcis scriptoribus Polybius, quem non incertum auctorem appellat, XXXIII. 10. XXXIV. 10. XXXVI. 19. XXXIX. 52. Sæpe etiam mentionem facit librorum linteorum, quorum fide, tanquam auctoritate actorum publicorum, scriptores antiquissimi sunt usi, sed de illis dictum infra lib. IV. cap. 5. De defectu fide dignorum monumentorum[g] antiquioribus temporibus caliginem offundente queritur tum alibi, tum VIII.

[c] Refert Plin. Epist. II. 3. et S. Hieron. Epist. 103. ad Paulinum.

[d] Caligulam de scriptis T. Livii abolendis cogitasse narrat Sueton. c. 34. Idem de Gregorio I. Pontifice infra referam. Caligula vero Livium reprehendit ut verbosum in historia negligentemque, Gregorius ut prodigiorum nimis frequentem prædicatorem. Mentitum in quibusdam notavit etiam Vopiscus Aureliano c. 2.

[e] Jo. Brodæus ad III. 23. Anthолog. p. 379. ‘Livium citare quid attinet, sempiternum Gallorum adversarium (sicuti recte collegit Glareanus), cujus fides merito infamatur, atque ut invidiæ plena ab Antonino Pio;’ (respicit locum in Antonini Itinerario) ‘ ut gloriæ a Plinio;’ (Præfat. Hist. Nat.) ‘ ut mendacii ab Augusto, Liviomastige scilicet, Pompeianum eum appellante;’ (Tacit. Annal. IV. 34.) ‘ ut perperam cum Halicarnasseo, Diodoro, Polybio, a multis; ut secum pugnans, a Laurentio Valla; ut fabulosa, veluti de Caco et Evandro liquet, notatur lactea illa ubertas, etc.’ Jac. Palmerius in Exerc. ad Optimos Auctores Græcos p. 188. seq. carpit, ut aretalogum et Romanorum mancipium, plagiarium Polybii, Galli nominis inimicum, &c.

[f] Elias Francus præfat. Programmatum editorum Islebiæ 1699. 8.

[g] Hinc ‘ frequentissime dubitare’ Livium scribit Quintilian. lib. II. c. 4.

40. ‘ Et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa, nec quisquam æqualis temporis illius scriptor extat, quo satis certo auctore stetur.’

Historiæ Romanæ libri CXLII.

Historiam Romanam, sive, ut ipse XLIII. 13. et Julius Firmicus[h] appellat, *Annales*, ab Urbe condita ad bellum Germanicum mortemque Drusi, h. e. ad annum 744. persecutus est libris CXLII.[i] quos scripsit aliquot et forte pluribus, ut videtur,[k] annis post clausum ab Augusto Imp. prima vice templum Jani, cum ille A. U. 725. in pugna Actiaca M. Antonium vicisset. Ex his non extant plures hodie quam 35. in quorum secundi capite 21. queritur, haud facile fuisse etiam illis temporibus certi quid et explorati de antiquioribus Romanorum ætatibus tradere. ‘ Tanti,’ inquit, ‘ errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum, dicere possis.’ In temporum notatione Livius, perinde ut Dionysius Halicarnass. secutus est rationes Catonianas, quæ æram Urbis Varroniana biennio faciunt recentiorem. Vide H. Dodwelli Dissert. x. de Cyclis § 59. 80. 87. ad initium Tab. XIII. et Appendice ad Prælect. Cambdenian. atque in Apparatu ad Dionysii Halicarnassei Chronologiam, et in Chronologia ipsa, quæ Dionysio in editione Oxoniensi subjicitur, Liviique singulis paginis ed. a Thom. Hearne curatæ est ascripta. In re militari Romana peccasse aliquando Livium, confundentem tempora ac diversas ætates, notavit Salmasius lib. de Re Militari

[h] Vide Jo. Frid. Gronovii Monobiblon Observationum in Scriptores Ecclesiasticos p. 95.

[i] Epitomas habemus librorum tantummodo CXL. Sed libri CXXXVI. et CXXXVII. epitome desideratur, ut observatum Sigonio, qui in Ms. Codice vacuum intervallum deprehendit, adeoque assentitur Petrarchæ, libros non CXL. sed CXLII. a Livio scriptos esse testanti. Vide tom. III. ed. Gronov. pag. 1076.

[k] Lipsius lib. I. cap. 20. Electorum, Vossius de Hist. Lat. et Hanckius V. C. lib. I. de Scriptoribus Rer. Rom. cap. IX. ante Cantabros A. U. C. 729. domitos scriptum librum saltim primum Historiarum Livii non dubitant. Sed Joannes Masson, historiæ et chronologiæ veteris peritissimus, lib. de Jani Templo Christo nascente Reserato pag. 51. seq. et 165. serius Livium in Historiam scribendam incubuisse non absurdis contendit argumentis. A. U. 725. cœpisse scribere Livium, et a. 745. ultimam Historiæ suæ manum imposuisse, H. Dodwelli conjectura est in Annalibus Velleianis p. 65.

Rom. p. 1295. 1300. 1302. 1310. 1319. seq. 1416. &c. T. x. Thesauri Antiquitatt. Rom. Græviani.

Ex his supersunt XXXV.

Ex illis XXXV.[1] libris, quos dixi extare, sunt primi decem, qui origines Urbis historiarumque usque ad annum 460. complectuntur. Deinde vicesimus primus, et qui sequuntur, usque ad quadragesimum quintum, quibus historia ab initiis belli Punici secundi, quod a. 536. cœpit ad a. 586. perducitur. Symmachi et Sidonii ætate, Livii quos hodie desideramus libri adhuc extabant. ‘Revolve,’ inquit Symmachus Epist. IV. 17. ‘Patavini scriptoris extrema, quibus res C. Cæsaris explicantur.’ Sidonius Epist. IX. 14. Burgundioni, panegyricum Julii Cæsaris meditanti, commendat ‘quæ titulis dictatoris invicti scripta Patavinis sunt voluminibus.’ Librum centesimum tertium citat Serenus Sammonius, ubi de carbunculo morbo:

> Tertia namque tibi simul et centesima Livi
> Charta docet, ferro talem candente dolorem
> Exsectum, aut poto raparum semine pulsum.

Guilelmus Malmesburiensis lib. II. Rerum Angliæ pag. 183. ‘Julium Cæsarem Livius commemorat quinque solum cohortes habuisse, quando civile bellum inchoavit, cum quibus, inquiens, orbem terrarum adorsus est.’ Ex eodem Livio p. 162. videtur afferre dictum Scipionis: ‘Imperatorem me mater mea, non bellatorem, peperit.’ Livii Macedonica, quæ laudat Angelus Decembrius l. VII. Politiæ Literariæ p. 552. non alia sunt, quam quæ editis historiarum libris continentur XXXIX. sqq. Dolendum est, lucem non vidisse Lambecii, quam lib. II. pag. 944. 977. promisit, dissertationem de XII. Codicibus Mstis Livii, qui una cum duabus et triginta ejusdem Historici præcipuis editionibus in Bibl. Cæsarea Vindobonensi asservantur.

[1] Ita malui Libros quam Decadas numerare, quia Livium in Decadas non ipse qui scripsit, sed legentium ignavia scidit, ut pridem monitum Francisco Petrarchæ in Epist. ad Boccacium p. 1001. Vide Petrum Crinitum XII. 7. de honesta disciplina, et Sigonium in limine notar. Vossium Arte Historica p. 131. Ut Livius in Decadas, sic Olympiodori Historiarum libri in δεκαλόγους dividuntur apud Photium Cod. LXXX. Lib. CXXXVI. allegatur a Censorino cap. 17. Librum CXIII. bis citat Priscianus.

Epitomæ.

Epitome librorum Livianorum, sive *Breviarium T. Livii*, quod notis Sigonii, Martini Antonii Delrii,[m] Jo. Doujatii, et J. F. Gronovii illustratum habemus, etiam eorum librorum qui interciderunt, duobus forte 136. et 137. exceptis, a L. Annæo Floro scriptum esse vulgo existimatur, cum cujus libris quatuor epitomes rerum Romanarum sæpissime prodiit: etsi vel ideo, quod in his subinde a Livio dissentit, nonnulli duos diversos voluerunt Floros comminisci, ut Balthasar Bonifacius XV. 5. Hist. Ludicræ: alii vero, ut Dionysium Gothofredum facere memini, suspicati sunt, Livium ipsum, ex more veterum, epitomas illas, veluti indices, præfixisse singulis libris, quæ deinde cum altera epitome rerum Romanarum confundi, atque adeo ad Florum auctorem referri facile potuerint. Junium quoque Maximum, æqualem Statii poëtæ, Historias Sallustii Liviique in epitomen contraxisse, viri docti observant ex his verbis Silvar. IV. 7. ‘ Omne queis mundi senium remensus Orsa Sallusti brevis et Timavi Reddis alumnum.’ Notum præterea est ex Servio ad Æneid. X. 388. Rufum Festum Avienum totum Livium iambis olim expressisse. Sed et illa Avieni metaphrasis pridem intercidit.

Epitomæ hæ Livii cum Floro sæpius editæ prodierunt, etiam separatim Venet. 1521. 8. ap. Aldum, et Basil. 1590. 8. et cum Car. Sigonii atque Antonii Delrii notis Genev. 1606. 8. quam editionem Gervasiensem vocat Thomas Hearne, qui in Livio suo Oxonii edito, breviarium istud Livii summo studio ad Codices Mss. et impressos exegit, collatis etiam quæ Petrus Pithœus ad id annotaverat. Sed etiam in edd. recentioribus, ut Gronovianis, earum cura est habita, diligentissime autem in Drakenborchiana, in qua et Sigonii Delriique, et Dukeri ipsius notæ egregiæ accessere.

Vir eruditiss. Janus Vincentius Gravina Orat. I. de Instauratione Studiorum p. 12. Romanorum res gestas initio per compendium petere suadet ab hac Epitome Liviana, ut quæ longe simplicior et candidior sit Flori et Velleii libris, resque exprimat propriis et convenientibus verbis, absque fuco et argutiis, quibus

[m] Brevia Delrii in Epitomen Livii scholia prodierunt cum ejus notis in Solinum Antwerp. 1571. 8. Edita est etiam Epitome illa cum Sigonii et Delrii notis, Genev. 1606. 8.

non satis uterque illorum abstinuerit, e quibus periculum sit, ne puerorum animi fallacibus illis et meretriciis orationis ornamentis a nervosa et civili scribendi consuetudine abducantur. Præterea Johannes Jensius, consulturus juvenum studiosorum tempori, quorum plerique mole Livii deterriti, ultra primam decadem haud progrediuntur, atque adeo delibatis modo adolescentis populi Romani rebus, maturum adulti ejusdem populi vigorem intactum relinquunt, Epitomen novam historiæ Rom. totius Livii, verbis ejus contextam, neque multo grandiorem una Livii decade composuit, inscripsitque 'T. Livii Patavini Historiarum Corpus concinnius,' ex Gymnasio Dordraceno, typis Bramiis luculentis, anno 1711. 8. Ceterum Livium ipsum evolvere cupientibus hoc compendio suo neutiquam e manibus excutere voluit florentissimum scriptorem, sed tantum iis, qui magnitudine operis removeri se ab ejus lectione patiuntur, succurrere, ut Historiam Romanam Livianam totam intra brevius spatium absolvere possint. Speciem ista habent. Qui historiæ Rom. compendium requirant, iis vero ita consuli possit: nec ad notitiam generalem historiæ Rom. Liviana lectione opus sit. Qui autem Livium cognoscere velint, iis talibus libellis non consulitur: et possunt etiam juvenes longius progredi in Livio cognoscendo, si modo vera ratio in eo tractando in scholis adhibeatur; de qua videndus Gesnerus in præfatione ea, quam editioni Lips. a. 1735. præmisit. Sed opus est magistro, qui ipse intelligat, nec opus habeat ad singulas horas trepidare in præparatione ad locum intelligendum, quem explicare vult.

Supplementa.

Perditos Livii libros ingenio quodammodo restituit vir doctissimus Jo. Freinshemius, argumento eorum ex epitomis petito, et adhibitis Græcis et Latinis, quæ extant, monumentis, explicato tanta industria et felicitate, ut ipse non dubitet profiteri, se 'neutiquam metuere, ne quis ex omnibus his scriptoribus, qui sunt in hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copiosius, verius,' Primi decem libri Reginæ Christianæ dicati viderunt lucem Holmiæ 1649. 12. Libri sexaginta deinde Argentorati an. 1654. 4. quos Gallice etiam vertit Petrus Ryerus. Denique adjunctis XXXV. postumis, quos ab hæredibus Galli redemerant, universi libri XCV. Supplementorum vulgati sunt a Jo. Doujatio, in

editione Livii ad usum Delphini; sed vulgati tum sunt parum emendate, ut dolet Jo. Clericus V. C. tomo III. Bibl. Selectæ p. 366. correxit vero Crevierius. Ac dolendum est, ea hodie vix legi. Qui judicare possunt, fatebuntur, egregium opus esse, quale singulis sæculis vix singuli conficere possint. *Fragmenta* e libris Livii deperditis servavere Grammatici Latini veteres, interdum sub libri indicio, interdum simpliciter: quæ ad calcem edd. quarumdam, nominatim ed. Drakenborchianæ T. VI. reperiuntur. Est vero etiam e codice Laudino prolata ῥῆσις, quæ pro fragmento Livii esset. Id est hujusmodi, pertinetque ad lib. XXII. c. 18. post verba 'Allifas loco alto m. consedit:' 'et reparando suggressu manu haud magna Allifæ mœnia, quasi palans perveniens, ex oppido bellua instructa armamentis erupit, quam consul vi captam, trucidatis qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut quibus curæ pusillum inerat, in diem alterum umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque omine meliori receptant, et Allifas, Rufium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinistrum augurio, nomen imponunt accolæ.'—Super hoc fragmento legenda Dodwelli Dissertatio supra memorata, in Hearnii notis et T. VII. ed. Drak. qui historiam, quæ est in fragmento, explicat et defendit: nec tamen sibi satisfacit et pronuntiare audet, eam veram esse, vel fragmentum hoc esse Livii. Spurium recte judicat Cuperus lib. de Elephantis in nummis c. 4. ut et alii.

Scripta Livium illustrantia.

Sunt et alia quædam scripta recentiorum, quibus Livio, vel ejus rebus, aut scriptis lux nonnulla affertur. Sunt autem duplicis generis: alterum est criticum et grammaticum; alterum politicum. Ex illo genere, ut mittam eos qui non peculiaribus libris id fecere, sed per occasiones varias, ut Perizonius excellentibus et nunquam satis laudandis Animadversionibus Historicis, Pighius in Annalibus, Lipsius, et alii; ex illo igitur genere sunt F. Ursinus in Notis in Varios Hist. Antwerp. 1595. 8. Marcellus Donatus in Dilucidationibus, similis instituti, non tamen admodum probatis elegantibus judicibus; Latinus Latinius in Biblioth. tom. II. Jo. Velcurio, qui notas in lib. I. II. edidit; Petrus Nannius in lib. III. Lovan. 1545. 4. Jo. Saxonius ad lib. XXI. et XXII. Bas.

1547. (de quo v. Suffridus Petri Scriptt. Fris. p. 104.) ut taceamus eos quos T. VII. inseruit Drakenborchius: Faërnus in Censura Emendd. Sigonii, Averanius in Diss. XXXI. ad loca Livii T. II. Operum.

Ex genere altero sunt, Nicol. Machiavelli in Decadem primam Livii Dissertationes tribus libris distributæ, et Italice primum, deinde Latine, Gallice denique, atque in aliis forte linguis editæ, deque republica et religione Romanorum veterum, etiam de re militari, Folardo judice [n] acutissime disputantes. Casparis Facii Politica Liviana, quibus artibus comparatum auctumque, et quibus erroribus ac vitiis amissum Imperium veteris Romæ fuerit, Altenburg. 1617. 4. Ant. Cicarelli de Foligno Dissertationes in Livium, Rom. 1589. 4. Italice. Jo. Schefferi in lib. I. Livii Exercitationes VII. Upsal. 1665. 4. Nic. Belli sive Bellemontani [o] Dissertationes in Optimos Veteris ac Novæ Historiæ Scriptores, inprimis Curtium, Suetonium, Tacitum, Livium, &c. Francof. 1626. Jo. Gilleius in laudem Hannibalis apud Livium, Basil. 1550. 8. Georgii Martini Dorn Specimen Institutionis Politicæ Livianæ, Giessæ, 1657. 8. Justi Reiffenbergii Monita, Exempla, Consilia Politica Liviana, Francof. 1629. 8. Phil. Loniceri Icones Livianæ versibus illustratæ, ib. 1573. 8. Sebastiani Maccii de Historia Liviana volumen satis amplum laudat Erythræus Pinacotheca I. p. 277.

Ad prius genus referre possis et hos: Livium cum Thucydide, ut Tullium cum Demosthene, contulit Renatus Rapinus singulari diatriba, Gallice plus semel excusa, post ed. Paris. 1681. 12. De Polybii Liviique diversa scribendi ratione, et quantum hic illum imitatus fuerit, consulendæ sunt Jo. Henr. Bœcleri Lectiones Polybianæ p. 199. sq. Is. Casauboni præfatio ad Polyb. et Fulvius Ursinus in notis ad excerpta de legationibus, Is. Casaubonus in Casaubonianis p. 73. Vere prædicat Quintilianus lib. X. cap. 1. lacteam Livii ubertatem, aitque, eum cum in narrando miræ esse jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari possit, eloquentem. Quis unquam Camillum brevius vel dignius laudavit, quam ubi Livio est ‘vir unicus pace et bello?’ Quis Catonem, quam ex Livio Hieronymus Proœmio lib. II. in Oseam: ‘Cujus gloriæ neque profuit quisquam lau-

[n] Obs. in Polybium T. I. pag. 223. Thomas. de Plagio § 238. Liber ipse
[o] Nomen ut videtur fictitium: v. undique corrasus, nec magnæ adeo rei.

dando, nec vituperando quisquam nocuit, cum utrumque summis præditi fecerint ingeniis.' Inprimisque admirabilis est in narrationibus rerum majorum et ornatis, ut de Horatiis et Curiatiis; in descriptionibus porro rerum et locorum, denique in elogiis virorum magnorum, ut Hannibalis, Fabii, Scipionis, quæ solet vel in principio rerum ab iis gestarum, vel post mortis narrationem ponere. Henr. Chr. Crellii de T. L. Dictione Progr. prodiit Francof. ad Viadr. 1729. 4. Ejusd. de T. Livio aptissimo styli cultioris magistro, ibid. 1732. 4. De lactea Livii ubertate disp. scripsit J. H. Parreidt. Lips. 1746. De Livio ejusque virtutibus diss. Jo. Chr. Briegleb. Coburg. 1778. Orationes sive conciones 193. e Livio excerptæ cum notis Joach. Perionii, Paris. 1532. 8. Antv. 1535. 8. et Basil. 1545. 8. item e Livio et aliis Latinis tum Græcis quoque historicis excerptæ cura H. Stephani prodierunt a. 1570. f. Atque illæ quidem e Latinis historicis frequenter deinde recusæ sunt, Coloniæ et in Belgio, tum Lipsiæ, Joach. Gesenio recensente, denique ex accuratiore recognitione Christophori Cellarii V. C. Lips. 1699. 12. Sic in orationes e decade tertia rhetoricam et dialecticam analysin contexuit, et miscellanea, observationes, et apophthegmata a se enotata subjunxit Reinhardus Lorichius Hadamarius, Francof. 1537. 8. Orationes rectas in Livio et Sallustio olim reprehendit Pompeius Trogus, teste Justino XXXVIII. 4. nullas nisi obliquas in historia ferens. Neque dubium est, orationes ejusmodi Livium ex ingenio suo probabiliter composuisse, ut illustris Norisius diss. I. Cenotaph. Pisan. cap. I. demonstrat exemplo petito e Livii XXXIV. 5. ubi L. Valerius tribunus inducitur, M. Porcio Catoni 37. vix annos nato Origines ipsi scriptas objiciens, de quibus illa ætate Cato ne quidem cogitaverat. Sed tota hæc causa orationum in historicis Latinis hic accurate explicari non potest: quæ a paucis satis recte intelligitur. Metium vero Pompusianum a Domitiano Imp. interfectum narrat Xiphilinus pag. 222. quod conciones imperatorum ducumque apud Livium frequenter lectitans imperium affectare videretur. T. Livius (quem merito πολιτικώτατον scriptorem appellat Thomas de Pinedo, [p]) in aphorismos et porismata redactus est, in Recreationibus [q] Academicis Grosianis, Christiani Adami, liberi Baronis Gros de

[p] Pinedo notis ad Steph. Byz. pag. 557.

[q] De his Acta Eruditor. a. 1714. p. 81.

Torkau, Erlangæ 1713. 4. T. III. 'Sententiose'[r] a Livio dicta collegit Nic. Cragius, Hafniæ, 1582. 12. et Jacobus Corbinellius, Paris. 1694. 12. 'Les anciens Historiens Latins reduits en maximes. Premier volume, Tite Live.' Lexicon Livianum moliti sunt quidam, item Indices Latinitatis: ut G. P. Schulzius, Prof. Francof. Joach. Borghesius, Prof. Groninganus, et alii: nemo perfecit. Nunc Glossarium exquisitioris Latinitatis Liv. habemus in ed. nupera Lips. Cæsarem et Livium ex antiquis nummis 983. et inscriptionibus 542. insigni studio Henrici van der Borcht, Comiti Arundello familiaris, illustratum habebat Francofurti ad Mœnum Zacharias Conradus ab Uffenbach.

Msti Codices Liviani multi extant, quorum magno numero usus est Drakenborchius, item Hearnius, Crevierius, &c. imprimis insignis est Puteanus, literis uncialibus, et nulla ferme vocum distinctione exaratus: de quo Salmasius Epistola ad Sarravium p. 188. edit. Ultraject. post Epistolas Gudianas. Jani Gebhardi varias lectiones Codicum trium Mss. Livii Palatinorum ex auctione Bibl. Gudianæ nactus Henr. Leonh. Schurzfleischius[s] specimen illarum in librum primum vulgavit Halæ Sax. 1712. 4.

Libri deperditi frustra expectati.

Perditorum ex Livii historia librorum sæpe vana spes facta, vani sumtus impensi; qua de re legendus doctiss. Morhofius lib. de Livii Patavinitate cap. 1. Apud Arabes quidem libros Livii universos extare pridem affirmavit Thom. Erpenius Orat. 2. de lingua Arabica. Et in CPolitana Bibliotheca integrum fuisse Livium Arabice, non dubitavit Petrus de Valle, part. I. Itinerar. Epist. IX. sed oblatis a magno Duce Florentino 5000. piastrorum, et a legato Regis Christianissimi decies mille thaleris, inveniri nusquam potuit: longe majore etiam 50,000. scutatorum proposito præmio, vanus promissor fuit Justinianus Chius. Alii in Fessana Bibliotheca asservari scripserunt. 'Utinam ex Fessanis tenebris,' inquit Abr. Hinkelmannus præfat. ad Coranum Arabice editum lit. k. 'incomparabilis Livius integer erueretur, et vel rudi versione in lucem ederetur! sane qua felicitate Curtium Freinshemius,

[r] Laudavit merito Livium eo nomine Corbinellius, quod sententias non ita historiæ suæ intexuit, ut emineant extra corpus orationis expressæ, sed in texto vesti colore niteant. Cf. Bælii Lexicon in 'Theon,' nota C.

[s] Acta Erud. a. 1717. p. 406.

eadem, et forte majore, Livium illustris Gronovius nobis facile restitueret.' Richardus Montacutius præf. in Apparatum ad Origines Ecclesiasticas, negat 'Decades Livii unquam restaurandas, nisi forsitan, ut splendide mentitur Hispanus quidam παντονοράψωδος, apud ultimos hominum Æthiopes in montis Amaræ Βιβλιοταφίῳ.' Latina ipsa Livii traditur habuisse, et ex Bibliotheca Drunthemensi in Norvegia accepisse Martinus Grœningius, Cantor Bremensis Capituli, a. C. 1521. denatus. Aliud librorum Livii deperditorum exemplar scriptum in membranis fertur fuisse in Gallia in abbatia fontis Ebraldi, quod ab abbatissa thesauri ignara concessum pharmacopolæ cuidam, ab hoc venditum homini, qui membranis illis reticula sphærulis sive pilis volantibus mittendis et accipiendis obducebat, quod a viro aliquo docto forte observatum tunc demum est, cum membranæ illæ ad unam omnes essent consumtæ, ut ex ore Joannis Capellani accepit Colomesius in Opusculis p. 105. et in Bibl. Selecta pag. 31. seq. ubi etiam Epistolam ejusdem Capellani profert de hoc argumento. Idem relatum memini in Pithœanis, et in parte sec. Menagianorum p. 97. Bonnetus Bourdelotius in notis ad Bibliothecam selectam Colomesii, cum auctario recusam Parisiis 1531. 12. p. 41. 'L'an 1682. je vis à S. Germain des Grecs de l'Isle de Chio, qui venoient pour traiter avec Mr. Colbert d'un Tite Live entier, qu'ils disoient avoir dans leur isle, et qui avoit été sauvé de l'incendie de la bibliothèque de Constantinople. On dit, que le marché en avoit été conclu à 60,000. livres, et qu'on avoit envoyé dans l'isle pour le copier, de peur, que le vaisseau, qui l'apporteroit, venant par malheur à périr, la perte ne fût irréparable. On ne parloit dans ce temps là que du plaisir, qu'auroient les gens de lettres, de voir un Tite Live entier: car le roi, disoit-on, le faisoit imprimer à ses frais, et le donnoit au public à bon marché. Mais depuis ce temps-là on n'a point entendu parler ni des Grecs de Chio, ni du Tite Live.' Quod autem in Catalogo Mss. Bibl. Bodleianæ p. 60. inter libros Guil. Laudi n. 127. memoratur 'T. Livii Decas secunda,' error est, nam tertiam legi debere in præfat. voluminis annotatur. Porro Gregorio I. Pontifici Livianorum librorum jacturam tribuere non dubitat Rich. Montacutius præf. ad Analecta, quoniam in Antonini Summa legitur, Gregorium M. (ita Imp. Caligula olim cogitavit de Virgilii Liviique scriptis abolendis, teste Suetonio) quoscumque nancisci potuit Livii codices combussisse, quod nempe ab eo multa pro-

digia[t] narrarentur, quæ facerent ad idolorum superstitionem probandam. Hanc Antonini narrationem in dubium vocat Jacobus Gretserus lib. I. de Jure Prohibendi Libros malos c. XXX. Librorum Livii, qui extant, exemplum eleganter scriptum ut a. 1455. a Poggio Florentino sibi compararet, agrum, quem habebat, vendere non dubitavit Antonius Beccatellus, Panormitanus, ut ex ejus Epistola ad Arragoniæ Regem Alfonsum refert Gallæsius lib. de Bibliothecis p. 186. In Leibnitianis, sive Otio Hanoverano nobilissimi viri Jo. Frid. Felleri p. 156. legas, Patrem Zwenbruckium sancte affirmasse Patri Gamansio, se in manibus habuisse Bremæ Mstum Livii plenius, sed cum mercator justo carius vendere vellet, neglexisse: cum rursus quæreret, post mercatoris mortem, non comparuisse. His adde, quæ ex J. Renneri Chronico Bremensi ad an. 1521. de Martino Groningo, qui deperditos Livii libros habuerit, narratur in Bibliotheca Bremensi Historico-Theologica, tomo sive classe 2. fasc. 1. p. 143. seq.

Scripta ejus alia deperdita.

Scripta Livii etiam alia apud veteres memorantur, ut *Dialogi*, quos non magis philosophiæ quam historiæ annumerari potuisse, ait Seneca Epist. 100. *Libri Philosophici*, sive ex professo philosophiam continentes, id. *Epistola ad filium*, qua Demosthenem atque Ciceronem illi legendos unice suasit, brevissima et tutissima ad eloquentiam via, Quintil. X. 1. Fragmenta duo insignia Livii de Cicerone, quæ extant apud M. Senecam Suasor. VI. ex Hist. lib. CXX. petita sunt. Etiam Livii filii scriptis usum se profitetur

[t] Tot prodigia Livio commemorata, quibus integrum librum Julius Obsequens implevit, ita defensitavit homo minime superstitiosus e Gallis Mottanus Vayerus: 'Ce n'est pas dire qu'il ait eu intention de faire croire ce dont il n'éstoit pas lui-même persuadé; au contraire, il débite tous ces prodiges de telle sorte, qu'on voit bien qu'il n'a eu autre but que faire comprendre de quelles erreurs le peuple éstoit alors abusé, les loix de l'Histoire l'obligeant à cela.' Opp. T. I. pag. 117. edit. in fol. adde p. 227. et 371. Idem dicere liceat de Dione, Appiano, et Pausania, historicis Græcis, qui superstitione populari abrepti arguuntur. Uti e contrario palam prodigia illa flocci pendens Polybius contemtæ religionis reus audit, mediam sententiam probante Plutarcho, quo judice τοῖς τοιούτοις καὶ πιστεύειν σφόδρα καὶ τὸ λίαν ἀπιστεῖν, æque durum et periculosum est, in Camillo f. 132. Cf. si placet, J. Rualdum in Plutarchi Vita c. XXIX. Neque omnibus fidem habuisse se Livius ipse pluribus locis testatur, ut XXIV. 10. 'Prodigia eo anno multa nuntiata sunt, quæ quo magis credebant simplices ac religiosi homines, eo plura nuntiabantur.' Sic Tacitus Hist. III. 55. post prodigia quædam memorata: 'Sed præcipuum,' inquit, 'ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiæ, improvidus consilii.'

Plinius Hist. Nat. l. v. ‘ nisi locus mendosus est,’ inquit Harduinus, ‘ et ex præpostera Livii repetitione Livii filii conficta vox.’ Si Henr. Dodwellum audimus, desunt hodie in Livio præter tot libros integros, et quæ in quinque, qui extant, postremis a Jo. Doujatio ex ingenio suppletæ sunt lacunæ, etiam hinc inde quædam, ubi nulla sunt in editis codicibus neque in Mss. hiatuum vestigia: ‘ Desunt in rebus Coriolani bina consulum paria e Dionysio Halicarnasseo supplenda, Livii ipsius rationibus plane necessaria. Et anni quoque U. C. Catoniani 179. tribunos militares consulari potestate omissos ex ipso Livio evincimus. Et in censorum successione multa supponit Livius, frustra plane in hodiernis Livii exemplaribus quærenda. Deest etiam in eodem locus, quo tertii inierint decemviri, cum tamen tertium illius magistratus annum supponant ejus rationes. Sic etiam in tribunorum plebeiorum decennali seditione et magistratuum curulium anarchia deest annus, quem tamen non agnoscunt modo, verum etiam exigunt ejus calculi recte et pro ipsius mente positi.’ Hæc Dodwellus Diss. 10. de Cyclis et in Chronologia Dionysii Halicarnassei, et in Diss. de Fragmento Livii, quod e Ms. Laudino primum editum est. De reliquiis corporis T. Livii, si Diis placet, inventis Patavii, ad animum lectoris recreandum juvat ascribere hæc ex Paralipomenis ad Propylæum Papebrochianum Actis Sanctorum Maii præmissum p. 145. ‘ Abhinc duobus circiter sæculis [u] nescio quo casu in quodam angulo nobilis monasterii S. Justinæ Patavii detecta est plumbea sandapila, ossa quædam servans. Additum erat Epitaphium T. Livii nomen præferens. Mox desiderium honorandi memoriam scriptoris tam clari impulit Patavinos, ut depositum tam carum in Curiæ atrium transferrent, ubi magnificum erexere monumentum. Andreas Dandulus, senator Venetus, tresque simul aut quatuor equites læti humeros feretro subjecere ; Zacharias Trevisanus, et Leonardus Mocenigus, duo reip. magistratus, funus inclytum prosequebantur, solenni cum pompa, per nobiliores urbis vicos circumductum. Alphonsus rex Arragonum, literatorum amator insignis et æstimator, simul atque thesaurum hunc erutum agnovit, transmitti sibi brachium postulavit per Antonium Panormitanum [x] inclytum poëtam, qui legatione pro rege ordinaria

[u] A. 1541. Giornale de’ letterati d’Italia T. XIV. p. 358.

[x] Idem Panormitanus ad eundem Alphonsum p. 118. Epist. ‘ Sed et illud a prudentia tua scire desidero, uter ego an Poggius melius fecerit: is ut villam Florentiæ emeret, Livium vendidit, quem sua manu pulcherrime scripserat: ego ut Livium’ (120. aureis) ‘ emam, fundum proscripsi.’

apud remp. fungebatur. Datum id precibus regis; missum brachium, cui longo post temporis intervallo monumentum statui curavit Jovianus Pontanus, erepto rebus humanis Alfonso, priusquam Neapolim navis appelleret tanto insignis munere, quod avide princeps erat præstolatus.'

Ridetur Livius a Lancelloto, quod scripsit saxis pluisse. Et tamen lapides de cœlo subinde cadere testatissimum est, et multis exemplis comprobatum ab Antonio Vallisnerio, in Diario Veneto, Giornale de' letterati d'Italia T. v. p. 201. et T. xxvii. p. 173. seq. Alienum Livium fuisse a credulitate superstitiosa, facile etiam testantur hæc loca: lib. v. cap. 21. ' Hæc ad ostentationem scenæ gaudentis miraculis aptiora quam ad fidem, neque affirmare neque refellere operæ pretium est.' Et viii. 6. ' Nam et vera esse, et apte ad repræsentandam iram Deûm ficta possunt.' Male de religione ac pietate, pessime de Livio meritus est Jo. Tolandus, qui ut illum a superstitionis culpa, quod multi jam ante illum fecere, absolveret, astrinxit invitum irreligiositatis et ἀθεότητος crimine, veluti nihil possit esse medium inter modestum contemtorem anilium, quales erant pleræque Romanæ, superstitionum, et impudentem atque impium conculcatorem Numinis et omnis in universum religionis. Tolandi liber inscribitur, ' Livius ἀδεισιδαίμων, sive de Superstitionis Culpa Livio falso impacta Dissertatio,' Hagæ Comitis a. 1709. 8. Scripsit adversus eum D. Jacobus Fayus Ultraj. 1709. 8. Scripsit et Elias Benedictus, Gallice, Delphis 1712. 8. scripsere item alii. Sed non opus puto multis cum eo contendere, cui ita periit frons, ut non erubescat Mosen venditare pro assertore Spinosismi.

Livii alii scriptis clari.

Alius ab utroque fuit 1. Livius patria Pœnus, quem Valerius quidam in Epistola ad Rufinum, de non ducenda uxore, quæ legitur inter Opera S. Hieronymi, ' gravem et uxoratum historiographum' vocat, (forte confundens eum cum T. Livio,) refertque his verbis reprehendisse Cannium, a Gadibus Herculis poëtam facundiæ lenis et jucundæ, (Martiali, qui ejus sæpe meminit, æqualem) quod multarum gauderet amoribus; ' Nostram philosophiam participare non poteris, dum a tot participaris: ' non enim eo jecore Junonem amat Titius, quod multi vultures in multa divellunt.' Hujus Livii nullam fieri mentionem in præclaro Vossii opere de

Historicis Latinis, miratur Colomesius notis ad Gyraldum de Poëtis p. 235. Alius 2. Livius, Poëta Christianus, sæculo v. post n. Chr. clarus, cujus meminit Honoratus in vita Hilarii Arelatensis. Vid. Casp. Barthii Advers. XLVIII. 16. Prætereo 3. Livium Andronicum Tragicum Latinum antiquissimum, de quo infra lib. IV. et de quorum scriptis nihil constat, ut 4. Livium, Augusti tabularium Atalianum in veteri inscriptione apud Laur. Begerum V. C. in Spicilegio Antiquitatis p. 78. vel denique recentiores, ut 5. Titum Livium Burattinum, Regis Poloniarum Architectum, cujus literas ad se scriptas exhibet Athanasius Kircherus T. 2. Œdipi Ægypt. part. II. p. 303. 6. M. Livium Sanutum, cujus Geographia Italice prodiit Venet. 1588. 8. 7. T. Livii Forojuliensis lib. de Vita Henrici V. Angliæ Regis, ad Henricum VI. ejus filium, non ita pridem vulgavit V. C. Thom. Hearne, Oxon. 1716. 8.

Ut Flav. Josephus ab Hieronymo Epist. 22. ad Eustochium dictus ‘ Judæorum Livius,’ sic Baronium, ‘ Livium Ecclesiasticum ’ appellare non dubitavit Secundus Lancellotus[y] Hieronymi Suritæ Epitaphium :

Livius Arragonum jacet hoc Surita sepulcro,
Nil magis hoc dignus nomine notus erit.
Historicum studiis, annales nomine vicit
Ipse suum nomen, seque suosque libros.

[y] Oggidi T. II. p. 568.

RECENSUS EDITIONUM

T. LIVII,

POST DRAKENBORCHII, FABRICII, ERNESTII, ET HARLESII CURAS,

AUCTIOR ET IN VI. ÆTATES S. CLASSES DIGESTUS.

[EX ED. BIPONT. 1784—1786.]

ÆTAS I. AUTOGRAPHARIA.
1469—1518.

PRÆIVERE princeps Jo. Ant. Campanus et Jo. Andreas Aleriensis episcopus, ille Romanæ I. hic II. curator. Inter hos, qui maxime Andream secuti sunt, denuo textum recognoverunt, Petrus Justinus Philelphus, qui Mediolanensi II. Lucas Porrus, qui Tarvisinæ II. tribus post annis repetitæ, præfuit, M. Ant. Sabellicus, cujus Livius ad vetustum exemplar collatus inde a Veneta II. obtinet edd. et Jod. Badius Ascensius, qui Sabellicanas curas suarum edd. basin fecit, sed et ipse collationibus cum X. codd. Mss. per Gerhardum Vercellensem factis usum se profitetur in Ascensiana II. an. 1513.

1469 Romana I. fol. 2. tom. sine nota anni, cura Ant. Campani, per Udalricum Gallum. Hanc esse editionem principem, ut verbis utamur cl. Harlesii, multis probat argumentis Laire in Specimine p. 137—141. et primam quidem Decada 1469. duas autem ultimas decadas non serius, quam ineunte anno 1470. primum vidisse lucem. Anno 1471. assignant illam ed. Maittairius in Annal. Typogr. tom. I. p. 72. Gronov. in præf. Drakenb. in Elencho edd. Ernestius in Fabricii B. L. Contra Clericus et Hearne referunt

illam ad an. 1472. At Laire destruendo has suspiciones docet p. 141. Campani versus solitos, in hoc quoque exemplo conspicuos,

> Anser Tarpeii custos Jovis : unde : quod alis
> Constreperes : Gallus decidit : Ultor adest
> Vuldricus Gallus : ne quem poscantur in usum,
> Edocuit pennis nil opus esse tuis.
> Imprimit ille die, quantum non scribitur anno :
> Ingenio, haud noceas, omnia vincit homo.
>
> CAMPANUS.

significare, quæcumque editio illos habeat adjectos, eam a medio anno 1469. usque ad finem Decembris a. 1470. prodire debuisse, quia toto eo tempore, nec ulterius, officinæ Ulrici Han præfuit Campanus, quo profecto, ineunte a. 1471. alia usus est Ulricus formula. Aliud argumentum ducit ex charactere minuto, quo versus Campani in hoc exemplo exarati sunt; quo quidem impressi libri prius exierunt ex Ulrici officina, quam charactere majore descripti, et quem, profecto Campano, atque a. 1471. societate inita, proprium sibi reservavit. Ceterum hanc ed. Gruterus in notis ad edit. suam 1628. vocat posteriorem, uti Romanam, quæ ab Jo. Andrea Aleriensi curata sequitur, priorem putavit.

. . . . Romana II. fol. sine anni nota, per Conr. Schweinheim et Arn. Pannarz, cura Jo. Andr. episcopi Aleriensis, qui ed. hanc a se recognitam, addita præfatione, quam pleræque edd. sæculo XV. et initio sæculi XVI. excusæ servarunt, dedicavit summo Pontifici Paulo II. Veneto, et Marco Sancti Marci Cardinali.—Hujus ed. 275. exempla excusa traduntur in indice librorum per dictos artifices impressorum, subjuncto epistolæ Jo. Andreæ ad Xystum IV. d. 20. Mart. an. 1472, in Maittairii Ann. Typogr. T. I. p. 48. et Bibl. Lat. Fabricio-Ernestiana T. III. p. 564. sq. n.°. Eam autem a. 1471 antevertisse, eo argumento probat Jo. Frid. Gronovius in Præf. quod illo anno Paulus Pontifex, cui dicatur, mortalitatem explevit. Hinc Fabricius in B. L. eam retulit ad an. 1470. similiterque viri clariss. Thom. Hearne et Jo. Clericus in Indice præcipuarum Livii Editionum. Vid. Laire Specim. p. 160. Verum Maittairius in Annal. Typogr. tom. I. p. 66. et tom. IV. p. 283. potius referendam contendit ad an. 1469. quia Veneta Livii editio, quæ sequitur, et lucem aspexit a. 1470. ean-

dem, quam hæc Romana, Episcopi Aleriensis epistolam præfert, et huic posterior, quam illa, censenda est. Aleriensis enim epistola indicat, eam editioni, quæ Romæ excusa est, dedicandæ conscriptam esse: neque facile credi potest, utramque editionem, alteram Romæ, alteram Venetiis, eodem anno exiisse.—Sed quoque de ipsius editoris nomine non convenit. Vide Drakenb. in Elencho, qui præcipue de nomine Episcopi Aleriensis, quod Ughellus in Ital. Sacra tom. III. p. 503. 'Joannem Antonium de Buxiis' perperam scripsit, multus est. Plura et certiora de vero nomine Jo. Andreæ tradit Freytag in Apparat. Liter. tom. III. p. 619. sqq. Præterea monendum est, in hac edit. undetriginta libros esse, nempe I.—X. et XXXI.—XL. sed sine libro XXXIII. qui et ab omnibus abest, usque ad edit. Moguntinam: etsi in nonnullis exemplis numerus denarius plenus videtur.

1470 Veneta I. fol. per Vindelinum Spirensem, sive de Spira. In hac editione denuo apparere epistolam Jo. Andreæ, episcopi Aleriensis, quæ jam in precedenti Romana data erat, monuit Maittairius in Annal. Typogr. tom. I. pag. 69. et tom. IV. p. 289. Ad finem hujus ed. ascribitur annus MCCCCLXX. et subjiciuntur sex et quadraginta versus, quos ex exemplo hujus raro obviæ editionis in Bibl. Senat. Lips. extante ascribimus:

Proderat haud multum, Livi, abs te scripta fuisse
  Maxima, si Romæ facta pari eloquio:
Quæ seu desidiis, alio seu crimine quovis,
  Sive et temporibus cuncta fere occiderant:
Quæque superfuerant opera, hæc tam rara videri,
  Ut pene ipsorum copia nulla foret.
Et Vindelino debebis tu quoque, formis
  Egregie impressit has modo qui decadas:
Atque ipsas iisdem scævis (sic) velut hostibus acri
  Bello oppugnatas fortiter eripuit.
Hac etenim studiis non tantum Romulidumve
  Historiis opera, quam tibi, consuluit:
Quippe tuo hac in re cum Romæ nomine juncto,
  Alterutrum servans servat utrumque simul.
Ergo tua ut perdens opera est invisus habendus,
  Horum servator sic tibi amandus erit.

Magna loquar, sed vera tamen. Conferre putatur
Ad famam natos progenuisse probos.
Non parvo majora tamen monumenta putanda
Sunt opera, excellens quæ parit ingenium.
Nec vero tantum fluxi quia corporis illi
Existunt fœdus, perpetui hæc animi:
Verum etiam nati quia non a patribus omnes,
Sunt quibus affecti dotibus, accipiunt.
Si qua autem gravis atque ornata oratio, qualem
Cernimus esse tuam, composita extiterit:
Huic nihil est prorsus, quod non suus afferat auctor:
Sive ejus formam, sive alia aspicias.
Ipse hanc effingit, polit hanc, atque induit ipse,
Ipse, anima tanquam, sensibus instituit.
An natos igitur servanti cuncta putares
Te debere, nihil hæc opera eximia?
Adde, quod et perpulchra effinxit et optima, cunctis
Hoc (sic) etiam ut placeant, hæc monumenta tua,
Atque tot impressit, totum bis jam possit in orbem
Diffundi, atque ævum nomen in omne tuum.
Sed tua quæ probitas, dignas non ambiget ullus
Quin habeas grates ipse tuo artifici.
Id superest, quando nulla est tam digna supellex, (sic)
Quæque tot ac tantis usibus esse queat.
Si neque jam magno sumtu magnove labore,
Sed sibi quam minimo quisque parare valet:
Historias quisquis, quisquis sua commoda curat,
Impressa hæc frustra non sinat esse opera.
Verum sic etenim sua quemque industria multum
Juverit, ipsa paret, lectitet ipsa diu.

Hanc edit. Augustæ Vindelicorum eodem anno repetitam esse, hujusque exemplum extare in Bibl. Senat. Lips. falsum est.

1472 Romana III. fol. per Conr. Schweynheim et Arn. Pannartz. Iterata editio Andreæ, cujus tamen epistola deficit. Ad finem Livii hi versus leguntur:

Aspicis, illustris lector, quicumque libellos,
Si cupis artificum nomina nosse, lege.

Aspera ridebis cognomina Teutona, forsan
Mitiget ars Musis inscia verba virum.
Conradus Schweynheim Arnoldus Pannartzque magistri
Romæ impresserunt talia multa simul.

In domo Petri de Maximis MCCCCLXXII. die XVI. Julii. vid. Laire p. 179.—qui idem pag. 230. de versione Ferrarii Italica 1476. Romæ, indeque orta controversia, pluribus disserit.

1478 Mediolanensis I. fol. arte et impensis Philippi de Lavagnia. In plerisque Andreæ sequitur editionem.

1480 Mediolanensis II. fol. per Anton. Zarothum: quam recognovit Petr. Justinus Philelphus. In fine ascripta sunt hæc verba: 'Has tris Titi Livii Decadas Petrus Justinus Philelfus, ut amicis quibusdam suis morem gereret, quam diligentissime recognovit. Impressit autem Mediolani opifex consummatissimus Antonius Zarothus, opera et impensis Joannis Legnani, decimo Kalendas Novembres: regnantibus illustrissimis Mediolani ducibus Bona, et Joanne Galeacio Maria Sphortia, anno a natali Christiano millesimo quadringentesimo octogesimo.'

— Tarvisina I. per Michaelem Manzolinum, Parmensem. In fine hæc ascripta inveniuntur: 'Titi Livii Patavini historici illustris decadis quartæ libri finiunt, quos Michael Manzolinus Parmensis ductu, impensa, solertique diligentia viventibus posterisque imprimi curavit anno salutis MCCCCLXXX. pridie Kalendas Novembres.' Locus, ubi liber impressus est, non additur. Monet autem Maittairius in Annal. Typogr. tom. IV. p. 406. librum impressum quidem esse a typographo Parmensi, non tamen, ut Orland. pag. 148. putabat, Parmæ; putat autem eum deceptum esse a Cornelio Beughemio pag. 85. quem sæpius describere solet. Eodem inductus errore Drakenborchius hanc editionem in notis Parmensem vocavit, sed perperam. Nam ex Maittairii Annal. Typogr. tom. I. p. 84. et tom. IV. pag. 235. disci potest, Michaelem Manzolinum Parmensem typographiam Tarvisii exercuisse, ibidemque ab anno 1477—1481. varios libros emisisse; ut Cæsarem, nobis ad an. 1480. annotatum. Ex his patet, hanc Livii editionem esse primam Tarvisinam.

1481 Paris. fol. Hanc editionem memorat Maittairius Annal. Typogr. tom. V. part. II. pag. 532. sed ex aliena et incerta traditione.

1482 Tarvisina II. fol. per Jo. Vercellium. Ad calcem hæc leguntur: ‘Has Titi Livii decadas a Luca Porro quam diligentissime recognitas, Tarvisii Joannes Vercellius impressit anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo secundo.’

1483 Tarvisina III. fol. per Michaelem Manzolinum Parmensem. —Hanc edit. ex Biblioth. Hohendorfiana laudat Maittairius in Annal. Typogr. tom. IV. p. 450. Ex illis, quæ ad similem ed. anno 1480. excusam, dicta sunt, constat, hanc quoque impressam esse Tarvisii.

1485 Tarvisina IV. fol. Titi Livii Patavini Historiarum Decas I. III. et IV.—Præmissa, I. Epistola Nuncupatoria Jo. Andreæ episcopi Aleriensis ad summum Pont. Paulum II. Venetum, et Marcum Sancti Marci Cardinalem. 2. L. Flori Epitoma Decadum quatuordecim T. Livii Patavini Historici in CXL. libros distinctum.—In fine: ‘Has Titi Livii Decades a Luca Porro quam diligentissime recognitas Tarvisii Joannes Vercellensis impressit. Anno salutis millesimo quadringentesimo quinto.’ Perraram hanc editionem diligentius descripsit Cl. Denis in Merkwürdigkaiten der Garell. Biblioth. pag. 113—114. Maittairius, eumque secutus Ernestius, (cujus tamen in bibliotheca extabat,) hanc ed. quidem memorant, sed nullam Flori mentionem faciunt. Vid. Annal. Typogr. tom. I. pag. 180. T. V. part. I. voce ‘Flori,’ et part. II. voce ‘Livii’ et ‘Flori’ pag. 21. 22. 519. 532. 568. 570. Cf. Jo. Frid. Gronovii præfat. edit. c. n. var. ap. Elzev. 1679. 8. T. I. J. A. Fabricii B. L. Venet. 1728. 4. tom. I. pag. 194—195. et 204.

— Paris. fol. Memorat hanc edit. Maittairius in Annal. Typogr. tom. V. part. II. p. 532. sed ex aliena et incerta traditione.

1491 Veneta II. fol. cum annotationibus Sabellici. Hanc edit. ex Fabricii B. L. memorat Maittairius in Annal. Typogr. T. I. p. 309. Sed T. IV. p. 532. addit, ad ejus calcem hanc formulam adjectam esse: ‘Impress. die V. Novembris MCCCCLXXXXI. regnante Augustino Barbadico duce Venetiarum.’ Cujus vero typis excusa fuerit, neutro loco memoratur. Ipse Sabellicus in præfatione refert, se Livium ad vetustum exemplar, ex bibliotheca Benedicti Cornarii Patricii Veneti depromtum, contulisse, petente Bernardino Herasmio Novocomensi, homine fide et industria singulari, ut clarissimam historiam aliquanto integriorem novæ impressioni subjiceret. Verum licet plures circa annum hunc typographi Bernardini Venetiis floruerint, nullus tamen

memoratur Bernardinus Herasmius Novocomensis. Habuit hanc ed. quoque Chr. Gottl. Schwarzius, teste indice librorum sæc. XV. impressorum, quos possidet Ch. G. Schw. conciunatus a J. C. H. et J. P. R. Norimb. 1727. Part. II. pag. 38.

1492 Veneta, fol. Hæc edit. ex Bibl. Adr. Pauw recensetur apud Maittair. in Annal. Typogr. tom. I. p. 314. et tom. IV. p. 545. Suspicio tamen est, hanc et præcedentem eandem esse, earumque alteram, et quidem hanc ex solo operarum errore natam esse.

1493 Veneta III. fol. per Matthæum Capcasa Parmensem. Memorat hanc edit. Maittairius in Annal. Typ. tom. V. part. II. pag. 23. ex Orland. pag. 418.

1495 Mediolan. III. fol. per Uldericum Scinzenzeller, impensis Alexandri Minutiani. Editionem hanc memorans Maittairius in Annal. Typogr. T. I. pag. 332. et tom. IV. pag. 590. testatur, ad finem ejus hæc verba legi: ‘Impressit Uldericus Scinzenzeler, impensis Alexandri Minutiani; ex quam emendato exemplari, si cum ceteris conferes, quam facillime intelliges, candidissime lector; cui etiam librariorum culpam, quantum licuit, idem Alexander præstare conatus est. Mediolani pridie quam Lud. M. SF. Anglus princeps sapientissimus hujus incliti imperii sceptrum et ducalia insignia a Maximiliano imperatore per legatum acciperet. Anno salutis MCCCCLXXXXV. die XXV. Maii.’

— Veneta IV. Pincii I. fol. cum figg. ligno satis nitide excusis. T. Livii Decades. Præmittitur epistola nuncupatoria Jo. Andreæ episcopi Aleriensis ad summum Pont. Paulum II. Venetum, et Marcum Sancti Marci Cardinalem—L. Flori Epitoma, Decadum quatuordecim T. Livii Patavini Historici in CXL. libros distincta.—Accedunt M. Antonii Sabellici ad magnificum et præstant. virum Benedictum Cornarium, Patricium Venetum, Epistola præfatoria. 2. M. Antonii Sabellici brevissimæ in Livium Annotationes, locis suo ordine aut in integrum restitutis, aut in fronte, ne quid temere offenderetur, brevi indice relatis. In fine: ‘Titi Livii Patavini Decades expliciunt. Venetiis per Philippum Pincium Mantuanum summa cura et diligenti studio impressæ. Anno ab Incarnatione Domini MCCCCXCV. III. Nonas Novembris. Imperante Serenissimo Augustino Barbadico, Venetiarum Duce fœlicissimo.’ Registrum excipiunt insignia typographica, quibus postea Juntæ usi sunt, lilium scil. et literæ L. A. Vid.

Maittairii Annal. Typogr. tom. I. pag. 333. et tom. V. l. citt. Fabricii B. L. Venet. 1728. 4. et Ernestii edit. qui autem de Floro nullam facit mentionem. Liber XXXI. s. primus quartæ Decadis, qui in superioribus editionibus in duas partes scissus erat, in hac edit. in suum ordinem restitutus est, finiturque verbis, ' in Hispania jussit.' Liber igitur XXXIII. desideratur. Raritatem h. e. testantur Bauer in Biblioth. Libr. Rar. Univers. tom. II. pag. 297. Biblioth. Schwarz. II. 236.

1498 Veneta V. fol. per Bartholomæum de Zanis de Portesio. —Recensuit hanc ed. Maittairius in Annal. Typogr. tom. I. pag. 353. et tom. IV. p. 662. addens, eam sine notis prodiisse. Hoc falsum: nam exemplar in biblioth. Trajectina servatum Sabellici annotationes habet repetitas. Ad calcem h. e. hæc aseribuntur verba: ' Titi Livii Patavini Decades expliciunt, Venetiis per Bartholomæum de Zanis de Portesio summa cura et diligenti studio impressæ. Anno ab Incarnatione Domini 1498. die XX. Junii.'

1501 Veneta VI. fol. per Georgium de Rusconibus Mediolanensem. In fine: ' Titi Livii Patavini Decades expliciunt, Venetiis per Georgium de Rusconibus Mediolanensem summa cura et diligenti studio impressæ, anno ab Incarnatione Domini 1501. die 4. Decembris.' Extat in locupletissima bibl. Leidensi, in Catal. Bibl. clar. J. Aug. Ernesti Lips. 1782. p. 173. n. 2567. atque eadem continet, quæ ambæ præcedentes.

1505 Mediolan. IV. fol. apud Alexandrum Minutianum. Huic ed. præfixa Minutiani epistola data est ' Mediolani Idibus Sept. 1505.' ad finem autem libri hic temporis character invenitur: ' Apud Alexandrum Minutianum Nonis Quinctilibus mense Julii.' Ex his conjicitur, hanc ed. referendam esse ad an. MDV.; ac verisimile videtur, excusam esse Mediolani. In ea enim urbe Minutianus tabernam librariam etiam sæculo præcedente exeunte exercuit, et impensas in editionem Livii, quæ anno MCCCXCV. in ea urbe prodiit, contulit, ut supra vidimus. Ipse etiam hoc sæculo XVI. ineunte ibidem varios libros typis impressit: anno MDII. Justinum, vid. Maittairii Annal. Typogr. tom. II. pag. 156.; anno MDIII. Bernardi Corii Historiam Mediolanensem, vid. Maittairium ibid. pag. 163. et 165.; anno MDXIII. Josephi opera Latine, et Egesippum, vid. Maittair. ibid. p. 247. Livium hunc a se editum Minutianus dedicavit Jaffredo Carolo Jurisconsultissimo, Delphinatus ac Mediolanensis senatus Præsidi sapientissimo, testatus, ' se non

imitatum esse eorum temeritatem, qui, ut scire videantur, omnia corrigere ac emendare profitentur: sed quæ sibi aut dubia aut obscura visa fuerunt, ea se intentata reliquisse, ut per pristina dictionum aliqua vestigia vera et sincera lectio investigari possit.'—Verum ut pateat, quid de hoc sive editore sive typographo sentiendum sit, ascribamus locum ex Parrhasii Epistola, qua Commentarium in Claudiani libros de Raptu Proserpinæ eidem Jaffredo Carolo dedicat. Ita inquit: ' Non est (ne nobis blandiamur) hodie, non est Horatio bene monenti parere, scriptaque vel in paucos menses, nedum (quod illi placet) in annos novem comprimere, nisi laboris sui fructu fraudari quis velit. Adsunt enim ignavissimi quidam fuci, qui favis alienisque mellificationibus insidiantur: et quæ multo longoque studio comperta sunt ab aliis, impudentissime pro suis ostentant. Ut iste vix satis idoneus impressor, qui castigationes in Livium meas ex magna parte surripere, tibique nuncupatim dicare non erubuit: in quo non minus existimationi tuæ, quam mihi, fecit injuriam: quasi vero divinus tuus animus interceptis gaudeat rebus, et in hoc etiam Superos non imitetur, quibus (ut Porphyrius auctor est) furta non litant. Ego, vir integerrime, triennio jam Livii bellum Macedonicum, frequenti professus auditorio, singulis lectionibus emendavi, quod ante nos (absit verbo invidia) nemo tentavit: ostendique certissimis argumentis, ab eo, quam dixi, Decada depravatam locis amplius mille. Veritus itaque, ne sua laniena per nos in publicum proderetur, editione prævenire festinavit, eamque rem dissimulanter me laturum speravit, si sub umbra tui nominis emitterentur: ac si non eadem gratiora tibi futura sint a proprio justoque domino, quam ab inverecundo plagiario. Cum præsertim nusquam ille potuerit afferre correctionis alienæ rationem, quod nos inter legendum fecimus, quæ propediem sub tuis auspiciis exibit in publicum, sex in toto Livio vulnerum millibus a me curatis, aut splenio contectis.'

1506 Veneta VII. fol. per fratres Joannem et Bernardinum Vercellenses, c. Sabellici annotationibus (omissa tamen ejus ad Cornarium præfatione). In fine hæc leguntur: ' Titi Livii Patavini decades expliciunt, Venetiis per Joannem ac Bernardinum ejus fratrem Vercellenses summa cura et diligenti studio impressæ, anno Domini MCCCCCVI. XXVII. Nonas Januarii, imperante Serenissimo Leonardo Lauridano Venetiarum duce felicissimo.' Cf. Maittair. Annal. Typogr. tom. v. part. II. pag. 21.

1510 Ascensiana I. fol. impensis Jo. Parvi et Ascensii. Præ-

fixa est huic edit. Jodoci Badii Ascensii epistola ad Georgium Aloinum, hanc temporis notam præferens: ‘ Ex Chalcographia nostra apud Parrhisios, pridie annuntiationis atque incarnationis dominicæ MDX.’ Præterea Sabellici in Livium Annotationes, deficiente tamen ejus ad Cornarium præfatione, tum ipsius Badii Ascensii in Livianam lectionem Isagogen cum procemii primi expositione. Ad calcem hæc verba reperiuntur: ‘ Diligentiore cura, in ædibus Ascensianis, in illustri Parrhisiorum Academia, impensis Joannis Parvi et ipsius Ascensii. Anno salutis Christianæ MDX. ad Idus Martias.’ Vid. Maittair. Annal. Typogr. tom. II. pag. 216. et Freytag Apparat. Liter. III. pag. 616. sqq. ubi hæc editio uberius describitur.

1511 Veneta VIII. Pincii II. fol. T. Livii Patavini Decades cum figuris noviter expressæ. Adversam tituli paginam occupare incipit, ‘ Jo. An. Episcopi Aleriensis ad summum pont. Paulum II. Venetum et Marcum Sancti Marci Cardinalem Epistola:’ quam sequitur L. Flori Epitoma Decadum XIV. T. Livii in CXL. libros distinctum, fol. II. b—XVI. incl. et a fol. XVII.—XX. incl. M. An. Sabellici brevissimæ in Livium Annotationes, &c. Finitur ipsa Liviana historia fol. CCLIII. b. his verbis: ‘ Titi Livii decades fœliciter expliciunt: Venetiis a Philippo Pincio Mantuano Impressæ Anno Domini MCCCCCXI. die XXVII. Septembris. Incliti Domini Leonardi Lauredani Venetiarum Ducis Serenissimi tempestate.’ Registrum, ‘ Defende nos beate pater Antoni.’—Hæc editio a Maittairio in Annal. omissa servatur in bibl. publica Amstelodamensi, et Gymn. Bipontini, cui eam addidit ven. Jo. Christianus Tatsch, consiliarius et eccl. A. C. pastor primarius.

. . . . s. l. et a. 8. 2 voll. Editio exscripta literis currentibus, quales fuere Aldinæ, cum Augustini Becharii alloquio ad studiosos. Fuit penes clar. Jo. Aug. Ernesti, teste Catal. n. 2860. p. 190. Male vulgo fertur ap. Badium Ascensium edita, cum potius Venetiis prodiisse videatur; cf. quæ monuimus ad Justini ed. 1510. in Indice ejus edd. p. XVI. Ernestius in Bibl. Fabr. inter Livii edd. eam memorans inquit, ‘ quam Parisiensem Ascensii faciunt et assignant vel anno 1501. ut Jo. Frid. Gronovius, vel 1511. ut Drakenborchius; sed forma literarum est, quam cursivam dicunt, quæ an. 1501. nondum nota extra Italiam fuit (v. edd. Virgilii), estque ipsa talis qualis est in ed. Quintiliani per Jo. Rossellum, et

Plauti per Carpentarium, qui Lugduni artem typographicam exercuit.'

1513 Ascensiana II. cum L. Flori in omnes libros epitome recognita et annot. M. Ant. Sabellici fol. Titulus præfert signum Jo. Parvi, quem Jod. Badius Ascensius socium sibi sumserat; nempe duo leones, scutum lilio et literis J. P. inscriptum sustinentes, adjecto subtus nomine ejus JEHANN PETIT. Sub signo leguntur hæc verba: 'Venundantur ab Johanne Parvo et Jodoco Badio Ascensio.' In hac editione, quam etiam Maittairius in Annal. Typogr. omisisse videtur, continentur eadem omnia, quæ in antea memorata an. MDX. extabant; ita tamen, ut Ascensii in Livianam lectionem Isagoge auctior prodierit, et insuper addatur vocabulorum Livianorum compendiaria explanatio. Præterea, contextum Livianum cum decem diversæ monetæ aut scripturæ codicibus (per Gerhardum Vercellensem Burgundum) collatum esse, nova Ascensii præfatio priori subjecta docet, quæ hanc notam chronologicam præfert: 'Pridie natalis Dominici MDXIII.' In calce libri hæc formula ascripta reperitur: 'Ex ædibus Ascensianis longe accuratiore, quam pridem, vigilantia, collato videlicet exemplari cum decem venerandæ vetustatis codicibus, et non oscitantis judicio recognito, atque plus quam sexcentis locis illustrato, in illustri Parrhisiorum Academia, impensis Johannis Parvi, et ipsius, qui impressit, Ascensii, anno redemtionis humanæ MDXIII. ad Nonas Decembres.'—Vid. Catal. Bibl. Bunav. T. I. vol. I. p. 296.

1516 Ascensiana eadem recusa ab Gotfrido Hittorpio, cive et typographo Coloniensi. Quæ editio, a Maittairio in Annal. Typogr. non recensita, cum eadem omnia exhibet, quæ Ascensiana Parisina II. eique quam simillima est, adeo ut utraque totidem foliis absolvatur, (absolvitur autem hæc III. foliis CCLXXX.) tamen a priori differt. Ipsa hæc Coloniensis pro Parisina habetur Drakenborchio, Fabricio s. Ernestio, et Harlesio: sed falsi videntur; quod titulus ipse a Drakenborchio descriptus, et ratio vocum in Parisinis Ascensii omnibus literis exaratarum per compendia scribendi prodit. Titulus præfert enim binos leones, scutum bipartitum sustinentes, in cujus superiori parte conspiciuntur tres coronæ, æquali ordine aliæ ad latus aliarum dispositæ, pars autem inferior pellis murinæ imaginem imitatur, addito subtus nomine LODOVICVS HORNKEN. Infra legitur: 'Vænundantur ab

Gotfrido Hittorpio.' In fine libri: 'Ex Ædibus Ascensianis longe accuratiore quam pridem vigilantia: collato videlicet exemplari cum decem venerandæ vetustatis codicibus: et non oscitantis judicio recognito: atque plus quam sexcentis locis illustrato: in illustri Parrhisiorum Academia: rursus opera et accuratione Ascensiana: Anno redemptionis humanæ MDXVI. ad nonas Junias.' Cf. Cat. Bibl. Bunav. T. I. vol. I. p. 296. Godofr. enim Hittorpius, quod omnibus notum est, Coloniæ librariam rem docte exercuit; Lodovicus vero Hornken, cujus insigne in titulo expressum est, bibliopola tum fuit celebris, cujus sumtibus etiam an. 1519. A. Gellius Basileæ ap. Andr. Cratandrum excusus est; uti an. 1526. idem Gellius sumtu et ære Godfr. Hittorpii ab Euch. Cervicorno repetitus est. Socii igitur tum fuisse videntur L. Hornken et G. Hittorp, qui infra ad an. 1528. redibit. Est hujus ed. exemplum sine titulo penes G. C. Crollium; unde ordinem edendi huc transcribere lubet: Post folium titulo inscriptum, (quod deest) 1. Tabula Alphabetica. Rerum et verborum accuratione, M. Ant. Sabellici in marginibus sequentis operis annotatorum, et industria Ascensiana auctorum index serie alphabetica ab Ascensio recentius recollectus. fol. 2-7. (a.) 2. Jod. Badii Ascensii in Livianam lectionem Isagoge: cum proœmii primi expositione ante ipsam ponenda: a. Regulæ T. Livio observatæ, b. Vocabulorum Livianorum explanatio Ascens. (aa 5 foliis.) 3. Tabula in Epitomen L. Flori (bb 4 fol.) 4. Epitome L. Flori (bb-dd f. 7.) 5. T. Livii Decades, &c. cum marginalibus Sabellici.

1517 Lipsiæ, Primæ Decadis Livianæ lib. I. per Jac. Thanner. 4. Memoratur in Sam. Engelii Bibl. Selectissima, Bernæ 1743. edita, p. 44.

1518 Lipsiensem L. I. Dec. I. edit. et quidem juventuti dicatam 4. alii ad hunc annum referunt.

ÆTAS II. MOGUNTINA.
1518—1531.

Quamvis enim Ascensianam secutæ sint maxime Parisinæ, laus tamen prima manet Moguntinæ, quæ ex Cod. Bibl. Mog. præstantissimo L. XXXIII. et XL. explevit, et ex eodem varietatem lectionis in XL. libros a Nic. Carbachio excerptam habet; unde profecere Aldinæ, curante Asulano, et Aldinarum simia, Juntina. Laudabilis vero etiam fuit cura ab Jac. Sobio in Livium collata,

qui non solum hac ætate Coloniensibus edd. ornamenta attulit, sed et sequenti ætati bene præivit.

1518 et 1519 Moguntiæ, fol. Titus Livius Patavinus historicus, duobus libris auctus, cum L. Flori epitome, indice copioso et annotatis in libros VII. belli Macedonici. Cum privilegio Decennii. In fine: ‘ Moguntiæ in ædibus Joannis Scheffer, mense Novembri anno MDXVIII.’—Præmissum est Imperatoris Maximiliani privilegium, datum ‘ die nona mensis Decembris an. MDXVIII.’ (quod typis renovandum curavit Jo. Beckmann in Beytrægen zur Geschichte der Erfindungen, Gœtting. et Lipsiæ part. I. 1780. ubi pag. 85-94. de privilegiis agit.) Privilegium sequitur primo Ulrichi Hutteni equitis Præfatio ad Albertum Brandenburgensem, Cardinalem, Archiepiscopum Moguntinum et Magdeburgensem, principem Electorem; tum Erasmi data VII. Kal. Mart. an. MDXIX. ad Misobarbaros atque eosdem Philomusos Præfatio. Post indicem deinde in Livium ejusque epitomas, et consules in Livio et epitomis occurrentes, ordine Chronologico dispositos, sequuntur epitomæ Livianæ, et ipsius Livii contextus. Admodum autem memorabilis est hæc editio, quia prima omnium exhibuit maximam partem libri XXXIII. a cap. XVII. § 6. usque ad libri istius finem, qui integer antea pro deperdito habitus est, et ultimam partem lib. XL. a cap. XXXVII. § 3. usque ad finem: quæ operis Liviani particulæ in lucem protractæ sunt ex bibliothecæ Moguntinæ, quæ est in æde maxima ac metropolitana (divi Martini) perquam vetusto codice, characteribus Longobardicis in membrana scripto. Cum autem codex ille, omnium hujus partis præstantissimus, qui partem lib. XXXIII. ultimam et libros sequentes usque ad finem libri XL. continebat, passim a vulgata priorum editionum lectione diversus abiret, Nicolaus Carbachius eum dignum censuit, quem diligenter cum olim excusis committeret, ejusque excerptas variantes, quarum 2000. notavit, huic Livii editioni subjiceret, præmissa præfatione, Idibus Mart. an. MDXIX. data, qua consilii rationem reddidit. Eo autem facto optime de Livio meritus est, atque hunc thesaurum, aut certe ejus partem nobis servavit; qui utrum hodie adhuc supersit, aut ubi lateat, incertum est. Idem Carbachius cum Jac. Micyllo Livium Germ. versum edidit an. 1533. Moguntiæ ap. eundem Jo. Schefferum. De præstantia et raritate hujus ed. vide Maittairii Annal. Typogr. tom. II. pag. 333—334. tom. V. part. I. voce ‘ Flori.’ Bunemanni

Catal. Mss. et Libror. Rariss. Mindæ, 1732. 8. p. 31. sqq. Fabricii B. L. Venet. 1728. tom. I. p. 195-196. et Ernestii edit. tom. I. p. 282. Hamberger zuverlæss. Nachr. tom. I. pag. 532. Harlesii Introd. in Notit. Literat. Romanæ, tom. II. pag. 417. Harwood's Uebersicht verschiedener Ausgaben der Griechischen und Rœmischen Classiker, übersezt von Fr. Carl Alter, Wien 1778. Biblioth. Schwarz. I. 105. Bauer. Biblioth. libr. rar. univers. tom. II. p. 297. Catal. Bibl. Uffenbach. tom. II. append. p. 105-106. Catalogue de la Biblioth. de feu M. le Duc de la Valliere, part. I. n. 4859. et Prix des Livres, &c. n. 4859.

1518-1521-1533 Aldina I. 8. voll. 5. Ex XIV. Titi Livii Decadibus. Prima. Tertia. Quarta, in qua præter fragmenta III. et X. Libri, quæ in Germania nuper reperta, hic etiam continentur, multa adulterina expunximus, multa vera recepimus, quæ in aliis non habentur.—Epitome singulorum librorum XIV. Decadum.—Historia omnium XIV. Decadum in compendium redacta ab L. Floro.—Polybii lib. V. de rebus Romanis Latinitate donati a Nicolao Perotto. Index copiosissimus rerum omnium memorabilium. —Ne quis alius, aut usquam locorum Venetæ ditionis impune hos libros imprimat, Senatus Veneti decreto cautum est—Præmisso hoc titulo, volumen primum exhibet Francisci Asulani (vel potius Francisci Torrisani s. Turresani de Asula, Aldi affinis) Epistolam ad lectores—Inscriptiones II. Patavii repertas—Elenchum Regum, Dictatorum, Coss. cet. et aliorum quæ hac I. Decade continentur—Indicem rerum omnium vel scitu opportunarum vel lectu dignarum, quæ prima hac continentur Decade, &c.—Indè sequitur novus titulus: Titi Livii Patavini Decas Prima—Francisci epistola ad Andream Naugerium, Patricium Venetum. Hanc epist. sequuntur decem libri primæ Decadis—Errata—Registrum s. series plagularum. In fine: 'Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ' (Torresani s. Turresani de Asula) 'Soceri, Mense Decembri MDXVIII.' Volumen II. præ se fert titulum: 'Index Decadis tertiæ: Syllabus Dictatorum, Consulum, &c.—Index rerum omnium vel scitu opportunarum' (ut supra) Decem libri Decadis tertiæ, quibus præmissus est titulus: 'Titi Livii Decas tertia. Hunc excipit Epistola Francisci Asulani ad Jo. Baptistam Rhamnusium.' In fine sequuntur Errata—Registrum, et subscriptio: 'Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri. Mense Februario MDXIX.' Volumen III. inscribitur, Index Decadis quartæ. Sub-

jicitur Syllabus Dictorum et Index rerum memorabilium (ut supra). Tum sequitur novus titulus: Titi Livi Patavini Decas quarta—Francisci Asulani ad Jo. Baptistam Turrianum Patricium Veronensem epistola, quam excipiunt Libri x. hujus Decadis, (ut in ed. Moguntina) et Registrum. In fine: ‘Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri, mense Novembri MDXX.’ Voluminis quarti titulus est: Titi Livii Patavini Decadum Epitomæ. Lucius Florus. Sequuntur, Epitomata—inde alius titulus: Lucius Florus. Hunc excipit Francisci Asulani ad Raymundum Turrianum Patricium Veronensem epistola, et ipsius Flori textus. Pagina 69. novus titulus occurrit: Polybii historiarum libri quinque in Latinam conversi linguam, Nicolao Perotto interprete. Versionem ipsam præcedunt Francisci Asulani Epist. ad lectorem et Nicolai Perotti in Polybii historiarum libros proœmium ad L. Pont. Max. In fine voluminis separato folio extat Registrum et subscriptio: ‘Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri. Mense Martio MDXXI.’ Volumen v. s. appendix hujus editionis. Titulus: Titi Livii Patavini Decadis quintæ libri quinque. (scil. lib. XLI.-XLV.) Inde sequuntur epitomata et textus Livianus—Syllabus Prætorum—Consulum cet.—Index rerum—Registrum. In fine: ‘Venetiis in ædibus Hæredum Aldi Manutii Romani et Andreæ Asulani Soceri, mense Maio MDXXXIII.’—Raritatem ed. hujus præstantis variorum eruditorum, qui eam commemoravere, satis probant errores, nec non bibliothecarum catalogi, in quibus rarissime integra invenitur. Ex supra dictis, uti ex Catalogo Crevennianæ Bibliothecæ, in quo de hac edit. perquam diligenter disseritur, indice Drakenborchiano, et Ernestii editione Bibliothecæ Fabricianæ corrigi possunt Maittairius, Fabricius, Debure, Harwood, Alter, Pinelli, Jagemann, Bauer, &c. Vide Catalog. &c. de M. Crevenna tom. v. pag. 127-128. Ernestii edit. Fabricianæ Bibl. Lat. tom. I. p. 282. Maittairii Annal. Typogr. tom. II. p. 316. 335. 598. 613. 787. et tom. v. part. I. p. 404. tom. v. part. II. p. 22. Fabricii B. L. Venet. 1728. tom. I. p. 196. Debure Bibliograph. instructive, n. 4806. Harwood, a View of the Greek and Roman Classics, &c. the second edition, corrected, London, 1778. pag. 182. Harwood's Uebersicht verschiedener Ausgaben, übersezt von Fr. Carl Alter. Wien 1778. p. 250. Pinelli Prospetto di varie editioni, &c. Venet. 1780. p. 209. Jagemann's Geschichte der freyen Künste und Wissenschaften in

Italien. Leipsig, 1777. tom. I. p. 343. Hieron. Tiraboschi Storia della Litteratura Italiana. Modena. 1772. tom. I. pag. 313. Baueri Biblioth. Libror. Rar. Univers. tom. II. p. 298.

1520 Venet. fol. Memorat hanc Maittairius in Annal. Typograph. tom. II. pag. 598. eamque excusam esse dicit per Melchiorem Sessam et Petrum de Ravanis socios, die III. Maii. Sed neque Hearnius, neque Clericus, hanc memorat.

1521 Aldina II. Venetis, fol. apud Aldum. Recensent hanc ed. Hearnius et Clericus, Gesneri Catalogus librorum, qui in officina Aldi Manutii Venetiis excusi sunt; tom. III. Annal. Typogr. inseruit Maittairius, in quo pag. 245. memorantur Livii omnia, accurate denuo impressa, in folio (1521). Occurrit etiam in Catal. Henr. Hadr. van der Marck, pag. 21. inter edd. Aldinas fol. ubi tamen et alia an. 1520. edita memoratur, parum curate. Nos inde et ex Indice librorum ex typogr. Aldina editorum, quos possidebat Chr. Gottl. Schwarz, Prof. Altorf. an. 1725. (etiam inserto Frid. Jac. Beyschlagii Syllogæ variorum opusculorum T. I. fasc. III. n. X. p. 663.) titulum ed. hujus pleniorem damus: T. Livii Decas prima, tertia, quarta, cujus tertio libro prima pars, quæ desiderabatur, et decimo, quicquid fere in calce non habebamus, additum est, verum præter hæc veluti fragmenta quartæ Decadi adjuncta. Duplex epitome, quarum altera per singulos XIIII. decadum libros summatim explicantur, quæ in illis continebantur; altera est L. Flori qui omnem historiam ex T. Livio excerpsit. Polybii lib. V. de rebus Romanis in Latinum traducti a Nicolao Peroto, quos in locum secundæ Decadæ substituimus, quia multa in illis leguntur, quæ secunda decade continebantur. Index copiosissimus rerum magis memorabilium. Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Scceri. MDXXI.—Præfatio hujus ed. habet plura ad typographicam illorum temporum rationem pertinentia, ut propterea lectu digna sit, inprimis querelas de Juntis, qui et ipsi edidere Livium ex Aldina.

1522 et 1533 Juntina: Florent. 8. ap. hæredes Philippi Juntæ. —Hanc ed. habuit et consuluit J. Fr. Gronovius, qui in Præfatione testatur, eam per Aldina vestigia incessisse, carmine etiam in laudem Asulani præposito. Eandem recensuit etiam Maittairius in Annal. Typogr. tom. V. part. II. pag. 22. qui docet, singulis tomis, Decadas I. III. et IV. continentibus, ad calcem adjectam esse hanc formulam, ‘Florentiæ per hæredes Philippi Juntæ

MDXXII. septimo Idus Augusti.' Postea vero repertos quintæ Decadis priores quinque libros, sive eorum fragmenta, itidem ex Juntarum officina prodiisse, hac subscriptione ad finem addita, ' impress. Florentiæ in ædibus Bernardi Juntæ, anno XXXII. supra M. et D. duodecimo Kal. Maias.'

1525 Colon. fol. ap. Joannem Soterem. cum Floro. Hujus edit. titulus testatur, Livii libros triginta, qui soli ex centum quadraginta supersunt, auctore Jacobo Sobio, castigatiores, quam antehac unquam visi sunt, prodire anno MDXXV. mense Septemb. Dedicatio Sobii subscriptas præfert ' Kalendas Septembres an. Domini MDXXV.' Denique ad calcem libri hæc verba adjecta extant: ' Coloniæ apud Jo. Soterem, impensis honesti civis Petri Quentel auno MDXXV. mense Augusto.' Sobium, Livii editorem, laudans Sturmius in Epist. dedicator. ante tom. II. Orat. Ciceronis dicit, Coloniæ literas floruisse, cum in ea Sobius aliique docerent, Sobium vero tunc vim morbi abstulisse. Editionem hanc Livianam, quam curavit Sobius, ut ceteris castigatiorem, laudat Rhenanus ad Livii lib. XXVII. cap. XVI. § 10. et ad cap. XVII. § 11. Ejus conjecturam, quam in contextum recepit, quamvis præter Mstorum auctoritatem, nihilominus ut ingeniosam prædicat Gruterus ad Livii lib. I. c. XXIII. § 6. Perperam Fabricius in B. L. editionem hanc Basileensem vocavit, dicens ' Livium anno MDXXV. Basileæ ex Jacobi Sobii castigatione prodiisse.'

1526 Haganoæ, 4. T. Livii Patav. Hist. Rom. Ex catal. Bibl. S. J. Mont. pag. 139.

1527 Paris. fol. ap. Pet. Vidovæum. Recenset hanc ed. Maittairius in Annal. Typogr. tom. II. pag. 688. ac testatur, eam venumdatam fuisse a Joanne Parvo bibliopola ascriptitio, impressam vero a Petro Vidovæo mense Aprili, MDXXVII.

1528 Colon. fol. ap. Euch. Cervicornum. Huic editioni locus, ubi prodiit, ascriptus non apparet, sed tantum excusa esse dicitur ab Euchar. Cervicorno. Eum vero chalcographiam et ante et post annum 1528. Coloniæ exercuisse, ibique varios libros Godefrido Hittorpio, civi et bibliopolæ Coloniensi, typis suis descripsisse constat. Maittairius nullam hujus ed. mentionem in Annal. Typogr. facit, eam tamen memorarunt Fabricius in B. L. et Hearnius ac Clericus in Indice Editionum Livianarum. Eandem tantum se vidisse, sed consulere non potuisse, Jac. Frid. Gronovius in Præfatione testatur. Præfat. h. edit. promittit textum castigatiorem,

et est ille paululum diversus a superioribus, quod e variis lectionibus is, qui curavit, delegit eas quæ meliores videbantur. Sed non est id magnum.

1529 Paris. f. ap. Nicolaum Savetier. Recensuit hanc edit. Maittairius in Annal. Typogr. tom. II. pag. 721. et auctor est, ei hanc notam additam esse: ‘Veneunt in ædibus Ambrosii Girault, in vico divi Jacobi, sub insigni regis David, imprimebat Nicolaus Savetier mense Aprili 1529.’ Contra exemplaris, quod Drakenborchii oculis subjectum fuit, initium hæc ascripta habuit: ‘Veneunt in Clauso Brunelli apud Nicolaum Crespin, sub signo Divæ Catharinæ;’ finis vero: ‘Imprimebat Nicolaus Savetier mense Aprili 1529.’ Hinc colligitur, vel Nicolaum Savetier Livium, suis impensis excusum, distrahendum dedisse duobus bibliopolis, Ambrosio Girault et Nicolao Crespin; vel ambos illos, inita societate, Livium opera Savetierii imprimi curasse, et quemque eorum recepta exemplaria suis nominibus notasse. Editionem hanc Levescatium curasse, J. Fr. Gronovius in præfat. Fabricius in B. L. et Hearnius ac Clericus in indice editt. Liv. testantur. Certe ejus Dedicatio ad Jo. de Tartas J. U. consultissimum in capite hujus ed. extat. Vix tamen aliquid de suo contulit, sed ubique ferme ed. Ascensianam a. 1513. vel a. 1516. secutus est, et lectiones illis solis proprias adoptavit.

1530 Paris. fol. ap. Bad. Ascensium. In titulo libri hæc nota conspicitur, ‘Vænundantur ipsi Ascensio 1530.’ Dedicationis subscriptio his verbis concipitur: ‘E Chalcographia nostra apud Parrhisios rursum ad sextum Kalendas Novemb. MDXXX.’ Ad finem autem libri XL. hæc formula additur: ‘Sub prelo Ascensiano ad VI. Kal. Novemb. 1530.’ Cum autem anno sequenti MDXXXI. Simon Grynæus quinque postremos Livii libros, a se in Msto vetusto repertos, opera Frobenii primum Basileæ edidisset, mox eodem adhuc anno Ascensius non modo recens inventos ac publicatos Livii libros typis suis Parisiis descripsit, hoc temporis charactere post libri XLV. finem addito, ‘Sub prelo Ascensiano anno MDXXXI. mense Julio;’ verum etiam chronologiam Glareani, quæ in eadem ed. Basileensi primum lucem adspexit, in ordinem literarum digessit, ac libro XLV. subjecit, addita hac subscriptione: ‘Sub prelo Ascensiano ad Idus Julias anno MDXXXI.’ Insuper hæc editio eadem omnia complectitur, quæ edd. priores

Ascensianas annorum 1513. et 1516. continere antea suo loco diximus; nec quicquam novi boni habet.

ÆTAS III. primo BASILIENSIS, tum ALDINA et FRANCOFURTENSIS, 1531—1588.

Quæ ab an. 1531. nova Livio supplementa ex Cod. Laurishamensi attulit præfante Des. Erasmo Roterodamo, administrante Sim. Grynæo, unde edd. Basilienses Frobenianæ, Episcopianæ et Hervagianæ auctiores, ac simul, primo B. Rhenani, Sigism. Gelenii, Henr. Glareani, curis instructæ; dein etiam opera Cælii Secundi Curionis, qui textum denuo cum melioribus exemplaribus contulit, ab an. 1549. emendatiores, additisque porro variorum notis, ampliores. Profecere hinc etiam Venetæ, Parisinæ, Lugdunenses, maxime Gryphianæ, etiam Glareani, Theod. Morelli et Jo. Velcurionis, Jo. Saxonii cet. vel emendd. vel notis adauctæ, unde rursus Basilienses evasere locupletiores. Sed hos mox superavit Carolus Sigonius, felicitate et emendandi et illustrandi Livii, quam Aldinæ ab an. 1555. tres suam fecere. Basiliensium (Grynæi et Curionis) et Lugdunensium Glareani, et Aldinarum cum Sigonii scholiis bona conjunxere tandem Francofurtenses Feyerabendinæ 1568. et 1578. ad quas ornandas etiam noviter contulere Joach. Grellius Chronologiam T. Livii post Glareani et Sigonii curas congestam, et Wilh. Godelevæus suas in Livium observationes docte conscriptas. Tacemus Jac. Gohorrium, qui Parisinæ 1573. cum notis varr. suas præmisit.

1531 Basil. 1. fol. in sex partes divisa. In fronte legitur: ‘ En magnis impendiis, summisque laboribus damus amice lector T. Livii Patavini Latinæ historiæ principis quidquid hactenus fuit æditum, sed aliquanto quam antea, tum magnificentius, tum emaculatius. Accesserunt autem Quintæ Decadis Libri quinque, nunquam antehac æditi, quos adjecimus ex vetustissimo codice, cujus copiam nobis fecit celebre Monasterium Lorsense. Addita est Chronologia Henrici Glareani, temporum supputationem, et personarum nomina, in quibus antehac ingens erat confusio, dilucide commonstrans. Adjunctus est et index copiosissimus. Fruere lector, favens illorum industriæ, qui nec sumptu nec labore de-

terrentur a provehenda re literaria. Basileæ in officina Frobeniana mense Martio anno CIↃIↃXXXI. Cautum est privilegio Cæsareæ Majestatis, ne quis intra sex annos has T. Livii decadas, aut partem earum, intra Ro. imperii fines excudat, aut alibi excusas importet.' Hunc titulum excipit: ' Des. Erasmi Roterodami ad Carolum Montiojum epistola nuncupatoria (variis postea editionibus adjecta).' Sequuntur: 1. L. Flori Epitome Historiarum T. Livii Patav. (Libb. I—X.) 2. T. Livii Patav. Historiarum ab U. C. Decadis primæ Libb. I—X. pagg. 244. Pars II. T. Livii Patav. Decas tertia. Hunc titulum excipiunt: 1. T. Livii Patav. Historiarum ab urbe condita Decadis tertiæ Libri primi Epitome. (Libb. I—X.) 2. T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Decadis tertiæ (Libb. I—X.) pagg. 243. Pars III. Titi Livii Patav. Decas quarta. Titulum sequuntur: 1. T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Decadis quartæ Libri primi Epitome. (Libb. I—X.) 2. T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Decadis quartæ (Libb. I—X) pagg. 210. Pars IV. T. Livii Patav. Historiarum ab U. C. Decadis quintæ Libri quinque, nunc primum excusi. In officina Frobeniana, anno CIↃIↃXXXI. Cum gratia et privilegio Cæsareo ad annos sex. Sequuntur: 1. T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Libri quadragesimi primi Epitome (Libb. XLI—XLV.) 2. T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Decadis quintæ liber primus acephalus. (Libb. I—V.) pagg. 91. In fine: ' Basileæ, in officina Frobeniana per Hieron. Frobenium, Jo. Hervagium, et Nic. Episcopium, CIↃIↃXXXI.' Pars V. T. Livii Patav. Decadum XIV. Epitomæ. Inde sequitur textus epitomarum, foliis XX. sine paginarum numeris. Pars VI. Chronologia s. temporum supputatio in omneis T. Livii Decadas, multa diligentius expendens, quæ superiores fugerant, per Henr. Glareanum Helvetium, poëtam laureatum, publicum in celebri Friburgensium Academia honestissimarum disciplinarum professorem. Basileæ ex offic. Frobeniana CIↃIↃXXXI. mense Martio. Cui præmittitur, Epistola nuncupatoria auctoris ad Rev. et Illustr. Balthasarem Episcopum Constantiensem, &c. data Friburgi Brisgoiæ CIↃIↃXXXI. Volumen claudit, Index trium cum dimidia Decadum T. Livii, foliis 16. in quorum ultimo comparent insignia typographiæ Frobenianæ. Folio 15. legitur Allocutio ad Lectorem: ' Si forte cupis nosse, quantum quoque loco desit in his quinque recens repertis libris, scito archetypum universum quaternionibus triginta quatuor constare, quorum singuli

folia octo habuerunt. Unius folii modum intelliges ex primi Libri duobus deinceps fragmentis, quorum alterius ‘ deduxit’ initium est, alterius ‘ more :’ nam ea singulis foliis continentur. Ex eo quaternionum numero primus periit. Proximi duo exstant integri. Ex quarto et quinto supra memorata fragmenta dumtaxat supersunt. Sextus et alii deinceps usque quintum decimum exstant integri. Decimus quintus et tres proxime sequentes interciderunt. Sex ordine proximi habentur integri. Ex vigesimo quinto quaternione perierunt duo extrema, item duo media folia : ex sequenti quatuor media : ex vigesimo septimo duo media : ex sequenti unicum, quo quartus liber clausus fuerat : atque tot foliis liber is diminutus est. Reliqui sex quintum librum continentes integri sunt, præter trigesimum duobus extremis foliis, et ultimum primo dumtaxat, mutilos. Nam omnium postremum vacaverat.’ De hoc codice Laurishaimensi, qui nunc est in Bibl. Aug. Vindobonensi vid. Lambecius in Comm. de illa Bibl. L. II. p. 493. sqq. qui ostendit, multa adhuc ex eo corrigi posse. Ceterum de edit. hac classica videsis Præf. edit. Gronov. T. I. Amst. 1679. Indicem edd. Drakenborchii, repetitum in ed. Ernestii 1769. T. III. Fabricii B. L. T. I. p. 283. Harlesii Introd. in Notit. Lit. Rom. II. p. 421.

1532 Venet. fol. ap. Lucam Antonium Juntam. Hanc edit. recensuit Maittairius in Annal. Typogr. tom. II. pag. 771. et hoc modo descripsit : ‘ T. Livius ; accesserunt Decadis V. libri quinque, nunquam antehac editi, cum Chronologia Henrici Glareani, in ædibus Lucæ Antonii Juntæ Florentini MDXXXII.’ In initio additur, ‘ mense Februario ;’ in fine, ‘ die decima Januarii.’

— Paris. 8. ap. Sim. Colinæum prodierunt conciones Livii c. n. Joach. Perionii Benedictini Cormœriaceni. Hanc ed. memorarunt Crenius Animadv. Philol. et Hist. P. VIII. p. 32. Hulsii aliorumque Catalogi. Vid. etiam Maittairii Annal. Typograph. tom. V. part. II. pag. 23.

1533 Aldinæ volumen V. additum, ne quid deesset isti editioni, 8. Exhibet vero illud Decadis V. libros recens editos a Sim. Grynæo in ed. Basil. Froben. cf. supra ad an. 1518—1521.

— Juntina (an. 1522.) pariter aucta est volumine, quo repertos Decadis V. libros V. priores s. eorum fragmenta contineri supra jam annotavimus.

1535 Basil. II. fol. T. Livii Patavini Latinæ Historiæ Principis Decades tres cum dimidia, longe tamen quam nuper emacu-

latiores, quod nunc demum ad vetera contulerimus exemplaria, ubi quantum sit deprehensum mendorum, facile indicabunt doctissimæ in hunc auctorem Beati Rhenani et Sigismundi Gelenii adjunctæ annotationes. Addita est Chronologia Henrici Glareani, ab ipso recognita et aucta, cum Indice copioso. Basileæ in officina Frobeniana anno MDXXXV. In fine: 'Basileæ in officina Frobeniana per Hieronymum Frobenium et Nicolaum Episcopium mense Decembri an. MDXXXIV.' Continet autem hæc ed. ferme eadem, quæ Frobeniana a. 1531. nisi quod in hac jam primum appareant B. Rhenani et Sigism. Gelenii in Livium notæ; et quod Glareani Chronologia, ab ipso recognita, auctior prodeat, a Troja capta usque ad Justinianum Cæsarem. Testatur insuper titulus h. l. historiam Livianam longe, quam nuper, emaculatiorem prodire, quod nunc demum ad vetera exemplaria collata sit.

. . . . s. l. et a. 8. voll. III. Livius. Decas III. IV. V. it. Epitomæ Historiarum Livii. Acc. Chronologia in omnem Romanam historiam per Henr. Glareanum et Gregor. Haloandrum. Vid. Cat. libr. in Bibl. Gœtt. in duplo extantium.

1537 Lugd. 8. voll. IV. part. VII. T. Livii Patavini Latinæ historiæ principis Decas prima cum Epit. L. Flori antrorsum appositis, accuravimus doct. quorumcunque virorum annotationes: subinde indicem adnectere placuit. Pari commoditate reliquas, quæ manifesto exstare creduntur, in omnium gratiam seorsim excusimus: id ante nos nemo unquam. Fruere feliciter. Lugduni apud Hæredes Simonis Vincentii MDXXXVII. In fine: 'Excudebant Lugduni Melchior et Gaspar Trechsel fratres 1536.'—Titi Livii Patavini Decas Tertia. Cum indice rerum magis insignium ad finem posito. ibid. eod. —T. Livii Patav. Decas Quarta cum Indice cet. ibid. eod. In fine: 'Excudebant Lugduni Melchior et Gaspar Trechsel fratres 1537.'—Titi Livii Patavini Decadis quintæ libri quinque. Index præterea appositus. ibid. eod. In fine, ut supra.—Titi Livii Patavini Decadum XIV. Epitome. ibid. eod. In fine, ut supra.—Chronologia sive temporum supputatio in omnem Romanam Historiam a Troja capta ad millesimum ducentesimum octogesimum tertium ab Urbe condita annum, qua auctor ipse Livius, simulque Romana historia multum accepit lucis, per Henricum Glareanum P. L. ibid. eod. In fine, ut supra. Annotationes Beati Rhenani, et Sigismundi Gelenii, Doctiss. virorum, in exstantes Titi Livii libros, ibid. eod.—Editio hæc satis nitida literis Italicis ad modum Seb. Gryphii excusa est. Annotationibus

præmittitur Epistola Erasmi Roterod. ad Carolum Montiojum, data ap. Friburgum Brisg. Kalend. Martiis anno MDXXXI. (ex edit. Basil. Frobeniana ejusdem anni.) Alii ex una hac ed. male fecere duas, alteram Trechseliorum, alteram Sim. Vincentii.

— Francofurti. 8. Hæc edit. memoratur in Biblioth. Crenianæ Catal. pag. 68. forsan convenit cum seq.

— Livii orationes omnes e Libris de II. bello Punico artificio dialectico et rhetorico illustravit Reinhardus Lorichius Hadamarius, &c. Francof. 8. Cf. Crenium Animadv. Philol. et Hist. P. VIII. p. 32.

— Basil. III. 8. cum Rhenani et Gelenii notis et Glareani Chronologia. In hac, notante Fabricio, decimo libro subnotata hæc leguntur verba, quæ et alii viri docti in inscriptis Livii codicibus deprehenderunt: ‘Nicomachus Dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symachis.’

1538 Paris. 4. ap. Vascosanum. In una Bibl. Hulsiana tom. II. num. 5535. hæc ed. memorata invenitur, et ex typographia Vascosani prodiisse et tres decades continere dicitur.

1539 Basil. IV. fol. ex officina Hervagiana. Ed. hæc eadem continet quæ Basileensis Frobeniana a. 1535. Vid. Catal. Bibl. Bun. tom. I. vol. I. p. 296.

1540 Henr. Loriti Glareani Adnotationes in Livii historiam Rom. cum chronologia in Rom. historiam Vallæ; acc. Badii elenchus et judicium de quibusdam locis apud Livium. Basil. fol.

— Lugdunensis Glareani. Memoratur hæc ed. in Indice edd. Livianarum Hearnii et Clerici.

1541 Venet. fol. ap. hæredes Lucæ Antonii Juntæ. Repet. edit. a. 1532.

— Paris. 8. ap. Sim. Colinæum. Editio nitidissima.

1542 Lugd. Glareani II. s. Gryphiana 8. voll. IV. ap. Seb. Gryphium. Tres priores tomi continent superstites Livii libros: quartus Glareani notas, præmissa ejus ad Carolum V. Imperatorem Præfatione, ‘data Friburgi Brisgoiæ, anno a Jesu Christi natali MDXL. Kalend. Maiis;’ tum Laurentii Vallæ de Tarquiniis adversum Livium disputationes, ejusque emendationes ad sex libros priores Livii de bello Punico secundo; deinde Glareani Chronologiam per Jodocum Badium Ascensium in seriem literarum redactam; et ultimo loco ipsam Glareani Chronologiam auc-

tam, cum Præfatione ad Ferdinandum Cæsarem, 'data Friburgii Brisgoiæ, anno a Christo nato MDXL. Kalend. Septembribus.' Gesnerus in Pandectis lib. de Historiis duodecimo apud Maittair. in Annal. Typogr. tom. II. pag. 572. refert, hac editione contineri Annotationes Beati Rhenani, Sigismundi Gelenii, Henrici Glareani, ac Chronologiam ejusdem Glareani. Editio extat in Bibl. Trajectina: verum Rhenani et Gelenii Annotationes non adsunt.

1543 Paris. fol. ap. Mich. Vascosanum. Appositus quidem titulus testatur, Livium hunc prodiisse Parisiis apud Audoenum Parvum sub Lilio aureo ad Divum Jacobum MDXLIII.' verum privilegium, ut Livius hoc modo imprimeretur, senatus Parisiensis anno 1542. nono Kalend. Novemb. concessit Michaeli Vascosano et Audoeno Parvo. Titulus etiam, qui annotationibus adjunctis præmittitur, desinit hac formula, 'Parisiis imprimebat Michael Vascosanus sibi et Odoino Parvo.' Unde colligo, editionem hanc excusam esse typis Vascosani, venditam autem fuisse partim ab eo, partim ab Odoino Parvo. Hæc autem editio non modo continet omnia, quæ præcedens Lugdunensis Gryphiana anni 1542. verum etiam Sabellici pauculas annotationes.

— Basil. v. fol. Titi Livii Pat. Latinæ historiæ principis Decades tres cum dimidia, longe tamen quam nuper emaculatiores, quod nunc demum ad vetera contulerimus exemplaria, ubi quantum sit deprehensum mendorum, facile indicabunt doctissimæ in hunc auctorem Beati Rhenani et Sigismundi Gelenii adjunctæ annotationes. Addita est Chronologia Henrici Glareani, ab ipso recognita et aucta: cum gemino Indice, quorum alter, qui est Orationum hujus auctoris, jam primum accessit. Basileæ per Joan. Hervagium. Anno MDXLIII. Ergo est repetitio ed. 1535. Præmittuntur Sig. Gelenii, Erasmi Roter. an. 1531. epistolæ dedicatoriæ, B. Rhenani et Sig. Gelenii annotationes p. 1—65. Dein cum Flori epitome hist. Livii, tum Livii Decades I. III. IV. Alterum quasi tomum constituunt singulari hoc titulo; T. Livii Patavini Historiarum ab U. C. Decadis V. Libri V. Basileæ per Jo. Hervagium. Claudit tomum, Chronologia ab Troja capta ad 1282. ab U. C. per Henr. Glareanum. Basil. MDXLIII. (alteram hujus Chronol. partem ab an. 773. Tib. Aug. IV. ad an. 1287. Justiniani IV. s. annum Chr. 537. ex Greg. Haloandro mutuatus erat.) Index rerum et verborum est per Nic. Episcopium con-

gestus. Servatur hæc ed. in Bibl. Gymn. Bip. unde eam curatius descripsimus.

1544 Argent. 8. prodierunt Jo. Velcurionis Notæ in Livii lib. I. et II. quæ postea sæpius aliis editionibus insertæ sunt. Memoravit hanc ed. Fabricius in B. L.

1545 Lovanii. 4. lucem vidisse Notas Petri Nannii in Livii lib. III. testatur Fabricius in B. L.

1548 Lugd. 12. voll. 4. ap. Seb. Gryphium. Edit. Lugdunensem Gryphianam hujus ejusdem anni, sed in 8. memorant Hearnius et Clericus in Indice Editt. Livian.

1549 Basil. VI. fol. ap. Jo. Hervagium. Titulo hujus editionis illa ascripta est formula, ' Basileæ per Joannem Hervagium, anno MDXLIX. mense Martio :' quæ eadem ferme in fine libri occurrit. Recensuit hanc edit. Cœlius Secundus Curio, qui in præfatione, data Basileæ Kal. Jan. MDXLIX. affirmat, se Livium contulisse cum veteribus et novis aliquot melioribus exemplaribus, atque Livii ad ducenta loca emendasse et pristino restituisse nitori. Adjectæ sunt Rhenani ac Gelenii annotationes, et Glareani Chronologia. Perperam Hearnius et Clericus in Indice Editt. Livian. referunt, editionem hanc recensuisse Hervagium, qui eam tantum typis suis descripsit. Quod vero Drakenb. ad annum 1554. quo Frobeniano-Curion. editio repetita est cum notis, ut in Fabricii B. L. I. p. 284. traditur, L. Vallæ, Sabellici et Curionis, negat, Curionem ullas unquam castigationes aut notas in Livium conscripsisse, in eo errasse videtur. Saltem in Athenis Rauricis pag. 292. dicitur Curio edidisse in Livium notas et præfationem de mensuris, ponderibus, reque nummaria Romanorum et Græcorum. Basil. 1549. fol. Omittitur tamen ibi in catalogo scriptorum Curionis editio Livii.

— J. Perionii in omnes Livii conciones Notæ. Basil. 8. rep. ed. Colinæi Paris. 1532.

1552 Paris. fol. ap. Mich. Vascosanum. Maittairius in Annal. Typogr. tom. III. p. 613. refert, Mich. Vascosanum hanc ed. dedicasse Jacobo Varadeo, in supremo Parisiensi Senatu regio consiliario, epistola data X. Kal. Jun. MDLII. Prodiisse autem cum annotationibus diversorum, et in Glareani annotationum fronte legi, typis descriptam esse apud Mich. Vascosanum et Audoenum Parvum.—Vascosanum tantum priorem edit. a. 1543.

repetiisse, suspicatur Drakenb. et Ernest. affirmat in Fabricii B. L. Hanckius jam antea in libro de Scriptt. Rerum Rom. P. I. c. IX. p. 59. n. 6. Livium cum Vallæ emendd. Sabellici, Rhenani, et Gelenii annott. Parisiis an. 1552. prodiisse retulit.

1553 Lugdun. fol. cum Vallæ emendd. Sabellici, Velcurionis, Rhenani, Gelenii, Glareani annotat. Theod. Morelli emendd. Saxonii scholiis. Lugduni apud Antonium Vincentium MDLIII. In ejus fine, 'Lugduni, excudebat Johannes Frellonius MDLIII.'

1554 Lugd. 8. voll. IV. ap. Seb. Gryphium. Hanc ed. memorat etiam Maittair. tom. v. Annal. Typogr. part. II. pag. 22. ex quo, ut et ex Bibl. Henr. Hadr. van der Mark, Toparchæ in Leur, part. II. p. 59. constat, anno sequenti ibidem ex eadem officina, quasi hujus editionis appendicem, novum tomum prodiisse, continentem Rhenani, Gelenii, et Glareani in Livium annotationes. Sed Fabricius in B. L. Gryphium eo anno in 8. excudisse refert notas Rhenani, Gelenii, Sabellici, Jo. Velcurionis, et Jo. Saxonii, cum Chronologia Glareani.

— Lugd. 12. voll. III. ap. Seb. Gryphium. Hæc ed. recensetur etiam in modo laudata Bibl. Marckiana, et ap Fabric. in B. L.

— Basil. VII. 8. voll. IV. ap Nic. Episcopium juniorem. Idem Episcopius anno MDLVI. huic ed. tanquam appendicem, adjecit tomum V. qui continet Scholia et Chronologiam Sigonii.

— Basil. VIII. 8. voll. II. ap. Jo. Hervagium: cum notis et castigationibus Vallæ, Sabellici, et Cælii Secundi Curionis. Vid. edit. a. 1549. et Maittair. in Annal. Typogr. tom. v. part. II. p. 22.

1555 Basil. IX. fol. per Joannes Hervagios. Hæc ed. continet omnia, quæ viri docti ad Livii emendationem vel illustrationem hoc tempore in lucem emiserant; ita tamen, ut Vallæ, Sabellici, Rhenani, Gelenii, et Theodorici Morelli in Livium castigationes in ipsis annotationibus Glareani suis locis insertæ sint, atque editor, se illas, quas futiles et nullius momenti judicarat, inde rejecisse testatus fuerit, ne inutili labore lectorem gravaretur.

— Aldina, Sigonii I. fol. ap. Paullum Manutium, Aldi filium. Hæc editio prima exhibet egregia Caroli Sigonii scholia, quibus Livii historiæ et earum epitomæ partim emendantur, partim explanantur: ut et ejusdem Sigonii in eosdem libros Chronologiam, ipsorummet auctorum verbis confirmatam. Erravit itaque Hearnius, qui scholiis Sigonii Chronologiam Glareani junctam in hac

et aliis Sigonii editionibus credidit, quem ejus errorem improvide adoptavit Jo. Clericus.

1556 Sigonii Scholia in Livium prodiere Basileæ per Nic. Episcopium. 8. tanquam v. tomus s. appendix Basiliensis an. 1554. ap. eundem. 8.

1562 Paris. fol. ap. Mich. Vascosanum. Repetit. edit. a. 1543.

1566 Aldina, Sigonii II. auctior, Venet. ap. Paul. Manutium, Aldi filium. fol. In hac ed. repetita sunt Sigonii scholia in Livium, ejusdemque, non vero, ut Hearnius et Clericus affirmant, Glareani Chronologia Liviana. In scholiis autem Sigonius multa mutavit, meliora sive sponte, sive a Faërno, Robortello, aliisque edoctus.

1568 Francofurt. I. Feyerabendina s. Godelevæi. fol. Titi Livii Pat. Rom. hist. principis Libri quotquot ad nostram ætatem pervenerunt: una cum doctissimorum Virorum in eos lucubrationibus, post omnes aliorum edd. summa fide ac diligentia et veterum et recentiorum collatione recogniti, et artificiosis picturis, præcipuas historias apte repræsentantibus exornati, inque duos tomos distributi, quibus quæ contineantur, post præfationem patebit. Francofurti ad Mœnum MDLXVIII. cum gratia et privilegio Cæsaris.— In præfatione tomi I. Alberto Duci Bavariæ inscripta Georgius Corvinus et Sigism. Feyerabend. consilium historiæ Livianæ a se editæ sic exponunt: ‘Toties vero ea prelis Variorum excusa, ut exteri Veneti et Galli, cum nostris hominibus in hac edenda certasse videantur, nobis diligens accurataque circumspectio adhibenda fuit, ut eas rationes sequeremur, quibus nostra editio, si non ceteris melior ornatiorque, aliis tamen et bonitate et ornatu par esset. Ideoque omnium quotquot habere potuimus editionum exemplaribus collectis, lectionem quæ omnium emendatissima, ac Livianæ ubertati convenientissima videretur, imitati sumus, nihil in eo facientes, cujus ex diligenti exemplarium inter se collatione probabilis ratio lectori facillime apparere non queat. Deinde cum quam plurima apud hunc Authorem loca essent, quæ erudita enodatione ac diligenti illustratione indigerent, non solum ei, quæ antea doctorum virorum in eum vel Observationes vel Annotationes exierant, adjunximus; sed et cum variis in locis ab iis, quasique aliud agentibus, quam plurima ad sententiam Livii recte assequendam perquam utilia annotata, vel in adversaria relata perspiceremus, ea collecta atque in unum veluti corpus redacta, tanquam

novam accessionem ei adjecimus—præcipuas historias eximiis picturis effingi, rerumque, quæ a Livio lacteo eloquentiæ fonte illustrantur, expressas imagines, vivamque effigiem eorum oculis subjici curavimus.' Præfationi subjunctus est catalog. librorum, annotationum, emendationum, observationum, scholiorum, aliorumque opusculorum, quæ in duobus hisce Livianis tomis continentur: Priore Tomo Epist. Erasmi ad Car. Montiojum. Sim. Grynæi de utilitate legendæ historiæ, præfatio. Barthol. Marliani de Origine Urbis Romæ, caput. Messalæ Corvini libellus ad Octav. Aug. in quo Rom. historia ab exordio quam brevissime describitur. Sexti Ruffi de hist. Romanorum brevis libellus. Tabula concionum atque orationum omnium T. Livii velut generis divisionem in species complectens, &c. (agnationes familiarum ex Comm. Eliæ Veneti Santonis in Eutropium scriptis, Scipionis Afr. II. Porcii Catonis, Octav. Cæs. German. Cæs.) Cœlii Secundi Curionis libellus de mensuris, ponderibus, reque numaria Græcorum et Rom. L. Flori Epit. in singulos T. Livii libros. T. Livii—libri omnes—(c. figg.) Historiarum—accuratissimus Index. Chronologia nova in T. Livii Hist. accommodata ad tabulas Capitolinas Verrii Flacci (a Joach. Grellio, qui præfatus est Kal. Nov. 1568.) Franc. Robortelli de convenientia supputationis Livianæ ann. cum marmoribus Rom. quæ in Capitolio supersunt. Tomo Posteriore (cui et singularis titulus præfixus est cum nominibus auctorum) Pomponii Læti de Antiqq. U. Rom. libellus. Jo. Barthol. Marliani Antiquæ Romæ Topographia epit. Pub. Victoris de U. Romæ regionibus et locis. H. Loriti Glareani—Annott.—Car. Sigonii scholia, quibus T. L. Historiæ earumque Epitomæ partim emendantur, partim etiam explanantur, cum Glareani responsionibus. Ejusd. Chronologia. Laur. Vallæ Judicium de quibusdam Livii locis, &c. Ejusd. Emendationes in VI. libros de Bello Punico II. M. Ant. Sabellici, B. Rhenani, Sig. Gelenii doctissimæ annott. Jo. Velcurionis Introd. in universam Rom. Hist. Jo. Saxonii Commentarioli duo ad L. XXI. et XXII. Wilh. Godelevæi in omnes libros Obss. doctissimæ ex variis auctorum scriptis collectæ. Hæ vero cum in singulari suo titulo dicantur 'nunc primum in lucem editæ,' et ipsa Godelevæi ep. Eusebio Episcopio, typographo Basil. inscripta sit 'Midenæ d. XV. Jan. 1568.' nihilque a Franc. Modio, qui anno demum 1586. advenit, in hanc ed. collatum, eam male inter edd.

Modianæ recensionis vulgo referri, potiusque Godelevæi ob recens adjunctas obss. dici posse patet. Quin ipse scribit ad Episcopium, se hanc suam opellam ipsi, quippe cui Livii impressio ex Hervagiana hæreditate delatam esse compererit, primo transmittere in animo habuisse. ‘ Ceterum,’ pergit, ‘ cum Francofurtenses typographos, viros optimos, studio rei literariæ juvandæ te in ea antevertisse cognovissem, quidquid hujus opellæ fuit, ipsis tradidi.’ Unde simul colligimus, Godelevæi Obss. mendose ab aliis ad priores annos referri, ut in Indice Drakenborchiano ad an. 1551. Ceterum quis textum rexerit, aut id temporis a Sigism. Feyerabendio adhibitus sit corrector operarum typogr. nobis haud repertum; nisi is fuerit Joach. Grellius, Chronologiæ Livianæ auctor. Franc. certe Modium an. demum 1586. adhibere cœpit Sig. Feyerabendius, teste Melch. Adamio in vita Modii inter vitas Philosoph. edit. III. pag. 198. Servatur autem hæc edit. in Bibl. principali Bipontina.

1572 Aldina III. Sigonii iterum auctior. Venetiis in ædibus Manutianis, fol. cum Sigonii scholiis ab auctore multis in partibus auctis, et Chronolog. Liviana. Continet etiam Defensiones Scholiorum Sigonii contra Robortellum et alios.

1573 Paris. fol. II. partes. Titi Livii Patavini Historiæ Romanæ ab urbe condita libri XLV. quotquot ad nostram ætatem pervenerunt, cum commentariis omnium interpretum ad explicationem locorum difficilium, e regione insertis. His adjecimus, ultra brevem Livii L. etiam Flori Epitomen, Sigonii Chronologiam, Pomponii Læti de Antiquitatibus Romanorum, et pleraque alia ad Romanam historiam pertinentia, quæ pagina VI. docebit. Lutetiæ Parisiorum, apud Michaelem Sonnium via Jacobæa, sub scuto Basiliensi MDLXXIII. cum privilegio Regis. In fine, ‘ Lutetiæ, cudebat, typisque mandabat Joannes Charron, typographus, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, quarto Idus Junii MDLXXIII.’ Verso titulo pag. 3. legitur, ‘ Jacobi Gohorii ad Reverendum Carnutum antistitem D. Nicolaum Thuanum epistola dedicatoria data Lutet. Paris. MDLXXIII. Idibus Junii.’ ‘ Itaque,’ ait Gohorius, ‘ T. Livius, meis animadversionibus paucis licet instructus, primum prodit in lucem, qui si quando iterum dabitur, multo prodibit instructior.’ (Hæc Gohorii verba probant, Ernestium in B. L. aliam Parisinam edit. 1572. per Jac. Gohorium cum multorum notis memorantem errasse.)—

Dedicationem excipit Joannis Charronnii, typographi, de hujus operis statu et ordine ad lectorem. Subjicitur, ut in titulo promissum est, enumeratio contentorum hujus edit. scil. Des. Erasmi epistola—Sim. Grynæus de Utilitate legend. Histor.—Barth. Marlianus de Orig. Urbis Romæ—Messalæ Corvini lib. in quo omnis Romana historia &c. complectitur—Sexti Ruffi de Hist. Romanor. lib.—M. Ant. Sabellici de Laudibus Historiæ Oratio—Phil. Beroaldi Oratio continens historiæ laudationem in T. Livium—Stephani Nigri Præfatio in T. Livium—De Historia T. Livii, quod in libros, non in Decades, ab auctore divisa sit &c.—Laurent. Vallæ Disputatio de Tarquiniis adversus Livium.—Elias Vinetus de Agnationibus Familiarum—Henrici Glareani Brev. Compend. Hist. Romanæ—Jo. Velcurionis in T. Livii Historiam Argumentum—Car. Sigonii in sua Scholia Præfatio.—L. Flori Rerum Romanarum libri IV.—Jac. Gohorii in III. libb. Titi Livii animadversiones—Titi Livii Patavini Historiæ ab urbe condita libb. qui exstant XXXV. cum annotationibus DD. VV. insertis e regione ipsius historiæ foliatim : videlicet Henr. Glareani Loriti in omnes libros—Car. Sigonii, quibus Liv. historiæ et earum epitomæ partim emendantur, partim etiam explanantur—Laur. Vallæ in VI. primos libb. de bello Punico—Jo. Velcurionis in duos primos libros ab urbe condita—Beati Rhenani et Sigismundi Gelenii in omnes libb. T. Liv.—Jo. Saxonii Hattestedii in lib. XXI. et XXII.—Wilhelmi Godelevæi in omnes libros T. Livii observationes ex variis auctorum scriptis collectæ.—Accedunt ad calcem operis absolutæ cognitionis historiæ Romanæ gratia, ne quid, quod ad rem faceret, prætermitteretur, M. Ant. Sabellici Annotatt. in Liv.—Chronologia in T. Livii histor. accommodata ad tabulas Capitolinas, Verrii Flacci annott. utiliss. varietatem seu dissensionem auctorum circa consulum Romanorum nomina demonstrantibus illustrata.—Car. Sigonii Chronolog. in T. Liv. historias ab urbe condita.—Ejusd. in Chronologiam Scholia—Pomponii Læti de Antiquitatt. Urb. Romæ libellus—Jo. Barth. Marliani de Antiquæ Romæ Topographia Epitome in sept. libb.—Pub. Victoris de Urbis Romæ Regionibus et Locis lib.—Romanæ LiquorumMensur. Maj. in Minor. distributæ.—Tabula Concionum atque Oratt. omnium T. Livii &c.—Index locupletissimus tam nominum proprior. quam rerum et materiarum &c.

1578 Francof. II. Feyerabendi s. Godelevæi, fol. ap. Jo. et

Sigism. Feyerabendt, duobus tomis. In tomi I. hujus edit. titulo illâ adscribitur nota, ‘ Francofurti ad Mœnum apud Joannem et Sigismundum Feyerabendt. MDLXXVII.’ Ad finem dedicationis, inverso ordine, memorantur ‘ Sigismundus et Joannes Feyerabendt cognati.’ Eodem iterum modo ad finem primi et secundi tomi, ‘ Impressum Francofurti ad Mœnum, apud Georgium Corvinum, impensis Sigismundi et Johannis Feyrabendinorum MDLXXVIII.’ Repetitio est mera ed. Francofurt. I. Feyerabendinæ.

ÆTAS IV. MODIO-GRUTERIANA, 1588—1645.

A Franc. Modio, qui ab an. 1586. corrector typographiæ Feyerabendinæ Livium denuo ad Mss. Codd. in his Moguntinos, recensuit, suasque notas Feyerabendinæ III. c. n. varr. adjecit, sed et duas alias minoris formæ eodem anno curavit; tum a Jano Grutero, qui ab an. 1608. Livium ex Codd. Pal. et edd. principibus suaque doctrinæ ratione recensuit, inque capita divisit, iterum an. 1619. utrumque sine notis, et 1628. tertium recensuit notisque auxit criticis et politicis, quarum primam inepte expressit Parisina an. 1652. tertiam aliæ dein, etiam Elzeviriana 1634. cui Dan. Heinsius præfatus est. Novam post illos duumviros recensionem instituit Jo. Frid. Gronovius, novæ ætatis Princeps futurus.

1588 Francofurt. Feyerabendina III. s. Modii I.: T. Livii Pat. Historicorum Rom. Principis Libri omnes superstites, recogniti et emendati ad Mss. Codicum Fuldensium, Moguntinensium, et Coloniensium fidem a Franc. Modio. fol. impensis Sigism. Feyerabendii et sociorum. Ex titulo, Grellii Chronologiæ, et aliorum virorum doctorum Annotationibus præfixo, et ex nota ad calcem operis obvia constat, librum hunc excusum esse typis Joannis Wechelii, et impensis Sigismundi Feyerabendii, Henrici Thackii, et Petri Vischeri, sociorum. Ceterum continet quidem eadem omnia ferme, quæ præcedentes editiones anni 1568. et 1578. nisi quod huic insuper accesserunt notæ ipsius Modii, una cum fragmentis vetustiorum historicorum (per. Anton. Riccobonum collectis), quos Livius secutus est.

— Francof. 8. voll. III. ex Modii recognitione. Laudarunt

hanc ed. Fabricius in B. L. Hearnius et Clericus. Fuit in Bibl. Hulsiana. Vid. ejus Catal. tom. III. num. 5917.

1588 Francof. 12. Voll. III. Memorat hanc Fabricius in B. L. Extat etiam in Appendice Bibl. Leidensis pag. 519.

1589 Londini, 4. cum chronologia Verrii Flacci ac notis Robortelli et Godelevæi.

— Lugd. 8. Memorarunt hanc ed. Hearnius et Clericus, ac testati sunt, ei additam esse Chronologiam, accommodatam ad tabulas Capitolinas Verrii Flacci, (forte intelligitur illa, quam Joach. Grellius ex prioribus Glareani et Sigonii composuit) et Annotationes Godelevæi.

1592 Aldina, Sigonii IV. fol. ap. Aldi Nepotem. Repet. ed. 1572.

1595 Antv. 8. ex offic. Plantiniana ap. Viduam et Joan. Moretum prodierunt Fragmenta Historicorum, dudum ab Anton. Augustino collecta, et a Fulvio Ursino emendata: quibus subjunctæ sunt ejusdem Ursini in varios historicos, et inter illas etiam in Livium, notæ.

1599 Francof. 8. vol. III. Memoratur hæc ed. in Catal. Bibl. Huls. tom. III. num. 5918.

1608 Gruteri I. Francofurti ad Mœnum fol. ex offic. typogr. Joannis Saurii, impensis hæredum Petr. Fischeri. Titulus alteri operis parti additus refert, prodiisse quidem ex officina Sauriana, sed impensis Jonæ Rhodii anno MDCVII. Jonas Rhodius autem a Grutero in præfatione Jonas Rosa vocatur. Hanc Livii ed. recensuit Janus Gruterus, et notas virorum doctorum ferme omnium, quas priores editiones continebant, exhibuit, exceptis tamen illis Velcurionis et Saxonii: recenter vero addidit notas Fulvii Ursini et Marcelli Donati. Bene etiam instituit Gruterus libros in partes minores secare, quæ capita vulgo dicunt.

1609 Eadem. Francof. 8. Memorant hanc ed. Hearnius et Clericus, testati, adjunctas esse Godelevæi observationes. Præmissa est huic ed. epistola dedicatoria ad Fridericum juniorem Com. Pal. Principem juventutis (Fridericum dein V. inter Electt. regni Bohemiæ æmulum) quam in Gruteriana III. omissam repetiere Francofurtenses juniores, in iisque illa an. 1659.

— Aureliæ Allobrogum (Genevæ) ap. Petrum la Roviere, fol. in Corpore Scriptorum Latinorum veterum Historiæ Romanæ.

1612. Francof. fol. Titi Livii Patavini libri omnes superstites

recogniti pridem et emendati ad Mss. Codd. Fuldensium Moguntinensium et Coloniensium fidem (a Francisco Modio) nunc vero etiam ad membranas Bibliothecæ Palatinæ Electoralis a Jano Grutero. Accedunt in eundem Livium observationes, emendationes, annotationes denique variæ variorum Laur. Vallæ, M. Ant. Sabellici, Beat. Rhenani, Sigism. Gelenii, Henr. Lorit. Glareani, Caroli Sigonii, Guil. Godelevæi, Franc. Modii, Fulv. Ursini, Marcelli Donati. Quorum interim scriptis admixta plurima e monumentis Cælii Rhodigini, Alex. ab Alexandro, Guiliel. Budæi, Desid. Erasmi, Petri Nannii, Lazari Baifii, Hadr. Turnebi, Lilii Giraldi, Ant. Augustini, Jacobi Cujacii, Franc. Robortelli, Gabr. Faërni, Onufr. Panvinii, Jacobi Revardi, Barnab. Brissonii, Petr. Pithœi, Justi Lipsii. Cum indice rerum ac verborum locupletiss. huic novissimæ ed. adaptato. Cum gratia et privilegio sac. Cæs. Maj. ad decennium. MDCXII. Francofurti ad Mœnum ex officina typogr. Jo. Saurii, impensis Jac. Fischeri. In fine, 'Francofurti ex offic. Sauriana, sumptibus Jonæ Rhodii MDCVII.'—Annotationes Sigonii, Godelevæi, Modii, Ursini, et Donati in titulo promissæ in nostro exemplo desunt. Unde, et ex diverso in fine ascripto anno suspicamur, hanc ed. nihil novi habere præter titulum, eandemque esse cum ed. a. 1608.

1613 Gruteri. Francof. 12. ex ed. Jani Gruteri, 3 voll.

1614 Lugd. 8. Hanc ed. memorat Fabricius in B. L.

1616 T. Livii Historiarum ab U. C. Lib. XXXIII. præcipua parte, quæ desiderabatur, expletus ex Cod. Msto. Venetiis 8. Memoratur in Catal. Bibl. Uffenbach. 1729. T. I. p. 628. n. 84.

— Romæ 8. ap. Barth. Zannettum. Hæc ed. continet tantum librum XXXIII. Livii, et in ea primum nunc e codice Biblioth. Cathedralis Bamberg. Caspar Lusignanus evulgavit principium hujus libri sive XVII. priora capita, quæ antea desiderabantur, additis Francisci Bartholini Urbinatis, qui ex codice descriptum Romam attulerat, et Antonii Quærengi Castigationibus. Observat autem Fabricius in B. L. male in fronte atque per omnes paginas inscribi librum XLIII. Error tamen ab editore, libro jam absoluto, deprehensus est, unde etiam pag. ultima sive 79. hæc verba adduntur, 'Ubicumque impressum est lib. XLIII. lege XXXIII.' Quin etiam, divenditis jam aliquibus exemplaribus, primum folium recusum, et error emendatus est. Liber ille XXXIII. etiam separatim editus est Venet. 1616. 8. Castigatius

Paderbornæ 1617. 8. ab Jo. Horrione cum ejusdem notis, et Parisiis 1616. 8. Inde post in aliis editionibus insertum hoc supplementum, ut Francof. 1619. 8. &c.

1619 Gruteri II. Francof. 8. Hanc denuo a se eo tempore recensitam, et a tutoribus Fischerianis impressam esse, testatur Gruterus in præfatione ed. anni 1628.

1621 Lugd. 4. cum Chronologia et Indicibus. Memorant hanc edit. Hearnius et Clericus.

— Ebroduni, fol. in Corp. Hist. Romanæ Scriptt. Latt. vett.

1622 Genev. 8.

1623 Genevæ, fol. in Corp. Hist. Rom. Scriptt. Latt. veterum.

1625 Paris. fol. In calce libri hi quinque bibliopolæ, tanquam socii, memorantur, Josephus Cottereau, Sebastianus Chappelet, Jacobus Quesnel, Dionysius Moreau, et Samuel Thiboust. Hi primam Gruteri ed. a. 1608. et omnia in illam recepta, eo inscio et non consulto, tanta superstitione exprimere conati sunt, ut paginæ paginis responderent. Verum pessime a librariis habita innumeris eorum negligentia commissis erroribus scatet; quos insuper Gruterus in Præfat. ed. tertiæ anni 1628. eo nomine traduxit, quod, curis suis secundis relictis, primas secuti sint, quasi frugibus repertis adhuc glandium amarore delectarentur. Insuper observat, nihil boni in tam vasti operis progressu expectandum esse de illis, qui in ipso statim titulo, sive, ut loquitur, in frontispicii meditullio tantopere impegerunt, ut ridiculis solœcismis se prostituerint. In fine hujus ed. conspiciuntur Excerpta ex Livii Decadibus moralia, politica et historica, cum aliis Latinorum et Græcorum scriptorum locis et Eclogis collata ordine alphabetico, Fred. Morelli Professorum et Interpretum regiorum Decani opera ac studio. Perperam Hearnius hanc ed. retulit ad annum 1623. quem tamen secutus est Clericus.

1628 Gruteri III. fol. T. Livii Pat. Historicorum Rom. Principis Libri omnes superstites recogniti et emendati ad Mss. Codd. Fuldensium, Moguntinensium, et Coloniensium fidem a Franc. Modio. Nunc etiam comparati cum Membranis Bibliothecæ Palatinæ Electoralis, melioresque facti cura tertia Jani Gruteri. Cujus accedunt notæ criticæ et politicæ, nec non quinquaginta aliquot in Corn. Tacitum discursus, aut auctiores longe prioribus, aut nove vulgati. C. priv. S. C. Maj. Francofurti ad M. Excusi typis Guolphgangi Hofmanni, impensis hæredum Jacobi Fischeri.

In Præfatione ad Lectorem Gruterus sic orditur: 'Quale fatum fuit Franc. Modii in Livio publicando sub annum 1588. tale etiam fere meum, hoc est, tantum non capitale. Bis vulgavimus Patavinum istum an. scil. 1607. fol. et an. 1619.; sed utrumque absque notis, quod nunquam aut ocii tantum, aut temporis datum fuisset.—Unde factum, ut ante plures annos excitaverim disciplinæ meæ alumnum Janum Gebhardum—ut post me prioresque Criticos Historici hujus non versus modo singulos, sed et verba syllabasque et diligentius et exactius—ad fidem auctoritatemque Mss. Pal. aliarumque Bibliothecarum monumenta examinaret.' (Cf. literas ab ipso Gebhardo ad Chstph. Hœflichium JCtum Reipubl. Norimberg. a secretis, d. 24. Jul. an. 1617. scriptas in doctiss. Jo. Henr. Andreæ Rectoris Gymn. Heidelberg. Iterato Specimine de Jano Gebhardo Palatino a. 1780. p. 18. § VIII.) 'Eo in opere dum sedulo versatur; ecce tibi decumana bellorum etiam nunc insanientium tempestas: ea Gebhardum quoque extra patriam longius ejecit. (an. 1621.) Quare postquam Livium Fischeriani tutores tertium revocare cupiunt sub præla sua, tertioque opem operamque nostram implorant, rejeci eos ad viridia Gebhardi genua, cui tantum non facem meam antea tradidissem, rudem profecto meritus—Verum quid? dum ipsi hæc atque illa causantur—id ipsum denegare non potui, quin eisdem præter notas veteres, deproperatas ante annos 20. ad hunc nostrum, polliceor insuper recentiores politicas e naufragio librariæ meæ adhuc reliquas.'—Increpata dein Parisina ed. 1625. quæ Gruteri recensionem præ se ferebat, nequidem secundæ, sed primæ traduce totum Livium a se relectum emendatumque a capite ad calcem confirmans pergit, 'Multa certe in textu emendavi, plura etiam delevi, sed præeuntibus semper aut libris scriptis, aut edd. omnium primis Jo. Andreæ et Joan. Campani, ideoque paribus dignitate autographariis, unde manarunt: parcius nihilominus postremis his aurem præbui; gnarus quantum etiam religiosorum morum Critici ingenio suo permittere soleant. Quæ in Livianis delevi, ea si erant momenti majoris, fideliter semper indicavi in Notis meis: sin erant minoris, silentio involvi. Cui enim bono jactare se de particula aliqua ejecta, quam vel luscitioso appareat natam in officinis interpretum?—Tales dictiunculas pluribus adhuc locis perstare, non semel queror in notis; sed non etiam ausus sum tollere, nullo velificante codice pluteario. Quæ in Livio

mutavi, pendent aut a libris nostris aliorumve; aut a judicio certissimo excellentium in his literis virorum, qui lectt. antiquas ad cotem limatæ veritatis serio explorarunt. In nominibus propriis non fui admodum scrupulosus; arbitratus parum referre, exarareturne Tybris an Tibris, Æmylius an Æmilius. Ne tamen hæc quis putet me fecisse affinem negligentiæ, is sciat excusisse et Panvinii, et Goltzii et Sigonii et Ursini et Pigii libros: quæque proxime accedere videbantur ad Tabulas Capitolinas, ad ceteros historicos recepisse ultro in contextum. Quid enim superstitiosius, quam recedere nolle a chirographariis schedis, eisque adhærere in omnibus per omnia; quum experientia clamet plerasque depictas, aut ab hominibus linguæ Latinæ tantum non rudibus, aut sæculo illo, quo eadem lingua interpolabatur vel barbariæ fæcibus, vel aliter pronunciabatur, quam florente imperio &c.—Hactenus de Livii textu. Simile quid utinam pronunciare possem de notis.' Incredibile sane est, quantis laboribus et ærumnis conflictatus sit optimus Gruterus, qui in ipso opere morbo graviori, rursus Heidelbergam migratione, belli tumultibus in iisque facta Amanuensis cæde &c. interpellatus affectusque tandem ex opere toto ipse notulas requirere ac seligere necesse habuit, quas urgenti typographo daret: cetera tacemus. Ita vero finitur hæc ejus epistola: 'Deproperabam animo ac corpore æger, fine Augusti mensis, CIↃIↃCXXVII. Heidelbergæ.' Neque diu supervixit huic ed. Gruterus; sed obiit d. XX. Sept. eodem anno. Maluimus vero Gruteri curam in hac ed. positam ipsius verbis defendere, quam aliorum iniqua judicia huc admittere. Plurimum sane ei debet lectio Liviana, quod cuique pateat, qui eam cum Gronoviana contulerit. Sed et accessere ad hanc ed. (quam nobiscum communicavit optimus Collega Marc. Ern. Henr. Berkmann, Prof.) alia, quorum est post præf. et Elogia Livii Catalogus: Tabula Concionum &c. Cælii Secundi lib. de Mensuris &c. Pomp. Læti Antiqq. Romæ. Marliani de Ant. Romæ Typogr. Epit. P. Victoris de U. Romæ locis ac regionibus. Epit. in singulos Livii Libros attributa L. Floro. Atque hæc præmittuntur libris Livii. Hos sequitur C. Sigonii Chronol. Index Livii accuratissimus ad libros et capita. Wilh. Godelevæi Obss. (quas Bibliopolæ suo eonsilio additas proprio ornarunt titulo) Fragmenta vetustiorum historicorum &c. quos Livius secutus est &c. collecta per Franc. Riccobonum.

Apparatum hunc claudunt J. Gruteri Notæ in T. Livium. Gruteri in Tacitum discursus ed. II. auctiores ibid. ap. eosdem eodem.

1633 Amsterd. 12. ap. Guil. Blaeu.

1634 Elzeviriana I. Gruteri s. Dan. Heinsii, Lugd. Bat. 12. III. Nihil præfatus est, nec in dedicatione institutum et rationem edendi declaravit Heinsius. Enimvero illa ed. est mera repetitio exempli Gruteriani a. 1628. mendis novis aucta.

— Gruteri ex recens. Francof. 8. voll. III.

ÆTAS V. GRONOVIANA, 1645—1735.

A Jo. Frid. Gronovio, qui cum an. 1645. Livium a se recognitum cum notis seorsim excusis edidisset, an. 1679. denuo atque ita curavit, ut in eo exemplum tractandi auctoris ederet; hinc princeps novæ ætatis extitit. Accessit Supplementorum Livianorum egregius scriptor Jo. Freinshemius; quæ primus corpori Liviano adjunxere Jo. Doujatius in usum Delphini, et J. Clericus, quorum operam conjunxit Veneta Doujatii melior proles. Francofurtenses interea Gruterianam vel II. vel III. inconsulti propagarunt.

1645 Elzeviriana II. Gronovii I. Lugd. Bat. vol. IV. ex offic. Elzeviriana. Prima hæc est editio, eaque portatilis, quæ prodiit ex recensione J. Fr. Gronovii. Ejus autem quartus tomus, qui etiam seorsim venit, continet J. Fr. Gronovii notas in Livium. Accessit Ismaëlis Bullialdi Epistola de Solis Defectu, cujus Livius lib. XXXVII. meminit. Fabricius in B. L. Venet. excusa pag. 200. de hac edit. sic habet: 'Ex recens. Jo. Frid. Gronovii. Lugd. Bat. 1645. 12. tribus voll. apud Elzevirium (Elzevirios) emendata et nitidissima editio, capitibus etiam, quod in Heinsiana desideratur, distincta.' Et ead. pagina: 'In editione notarum Gronovii patris ad Livium Lugd. Bat. 1645. 12. s. T. IV. hujus edit. extant nonnulla, quæ in posterioribus Livii edit. an. 1665. et 1679. cum notis variorum frustra quæras.' Hæc omnia, (quo vero instituto, nescio) in Ernestii editione Fabriciani operis desiderantur. Vid. Ernestii ed. Fabricianæ B. L. T. I. p. 285. Emendandus est et Debure, (in nota ad num. 4808.) ubi Heinsiana edit. an. 1634. Gronovianæ an. 1645. præferri dicitur.

1649 Supplementorum Livianorum Jo. Freinshemii Decas. Holmiæ. 12.

1654 Elzeviriana III. Gronovii. Lugd. Bat. 12. voll. III. ap. Elzevirium. Recusus est solus textus ex recensione Gronoviana a. 1645.

1659 Francof. ap. Joh. Beyerum, Ammonium, et Serlinum, 8. ad fidem vetustiss. Mss. Bibl. Pal. castigatus a Jano Grutero. Acc. Index copiosissimus. Editio IV. et melior. Præmittitur Gruteri dedicatoria ad Fridericum (V.) Palatinum principem Juventutis (ex edit. 1609.) et separatim additas habet Wilh. Godelevæi observatt. ibid. eod. Mentitur vero editionem meliorem illa Gruteri III. an. 1628. eaque ultima.

1661 Elzeviriana IV. Gronovii. Amstelæd. 12. voll. III. ap. Lud. et Dan. Elzevirios.

1665 Elzeviriana V. Amstel. 8. voll. III. ap. Lud. et Dan. Elzevirios. Cum perpetuis J. Fr. Gronovii et Car. Sigonii variorumque notis sub textu. Neque tamen Gronovius, summus criticus, sibi aut Livio semper cavere potuit, monente Drakenb. præf. pag. 69.

1674 Jo. Freinshemii vetus Rom. Historia s. supplementorum Livianorum Libri LX. Argentorati. 4. ap. Sim. Paulli.

1677 Romæ prodiit Bibliotheca sacra et profana Latini Latinii: cujus parti secundæ insertæ sunt ejus observationes et correctiones in T. Livium, in fol.

1678 Elzeviriana VI. Amstel. 12. voll. III. ap. Daniel. Elzevirum, ex recensione J. Fr. Gronovii. Repet. Gronovianæ a. 1654. aut 1661.

1679 Elzeviriana VII. Amstel. 8. voll. III. T. L. Historiarum, quod exstat, cum perpetuis Caroli Sigonii et Jo. Frid. Gronovii notis. Jac. Gronovius probavit suasque et aliorum notas adjecit. Amst. ap. Dan. Elsevirium. In fine T. I. nova paginarum serie sequuntur, Car. Sigonii Chronologia in Liv. histor. Ejusd. in Chronologiam Scholia. Ejusd. Livianorum Scholiorum Defensiones. Secundo tomo, nova pagin. serie subjiciuntur, Jacobi Jo. Fr. F. Gronovii Epistolæ, in quibus multa Titi Livii loca geographica emendantur et illustrantur. Tertio tomo accedit Ismaël. Bullialdi Epistola de Defectu Solis &c. Singulis vero tomis Indices adjecti sunt. Hæc ed. habetur optima, et insigne exemplum scriptorum Latinorum diligenter accurateque tractandorum, et tamen sine ostentatione doctrinæ. Addendus autem est Liber

novus Observationum Gronov. Daventr. 1652. 12. sive Liber quartus Observationum in altera Gronovianarum ed. a Frid. Platnero Lipsiæ 1755. 8. curata: in quo permulta Livii loca copiosius et diligentius excutiuntur et explicantur.

— Cantabrigiæ, 8. voll. II. Repetit. præcedentis.

1679—1682 Paris. 4. voll. IV. T. Livii Patav. Historiarum Libri qui extant: interpretatione et notis illustravit Jo. Doujatius, Antecessorum Paris. et Regiorum Profess. Primicerius. Jussu Christianissimi Regis, in usum Ser. Delphini. Accessere librorum omnium deperditorum Supplementa per Jo. Freinshemium, quæ magna ex parte nunc primum prodeunt in lucem. Paris. ap. Fredericum Leonard. Cum privilegio Regis. In hac ed. Freinshemii Supplementa primum corpori Liviano adjuncta sunt. Sed Doujatii opera idoneis judicibus parum probata est. Ipse etiam lacunas quasdam librorum posteriorum explere tentavit, non satis feliciter.

1694 Patavina I. 12. voll. V. recensente ad optima exemplaria Jacobo Giacometto, qui capitum argumenta, chartasque geographicas, et analysin rhetoricam concionum, M. Ant. Feracii studio compositam, indicesque legum, magistratuum ac sacerdotiorum Romanorum adjunxit.

1696 Francof. 8. 3 tomi ap. Frid. Knochium: T. Livius Patav. tertia Jani Gruteri cura recognitus curante Jo. Gerardo Arnoldo, Gymnasii Francofurtani Rectore. In hac capitum quoque distinctio et anni Urbis in ora libri notati comparent, præmissa editoris dissertatione de Livii vita et scriptis.

1703 Lond. 8. voll. II. Fabricius in B. L. testatur, hanc edit. ad Gronovianam recensitam, lemmatibus historicis ad paginarum oras notatis, tabulisque geographicis instructam esse.

1707 Patavina II. 12. voll. V. Memoratur hæc editio in Catal. Bibl. Hulsianæ, tom. III. num. 5920.

1708 Oxon. 8. voll. VI. ex recensione Thom. Hearne. Singulis paginis subjectæ sunt variæ lectiones e Codd. Mss. sex recens et aliis pridem collatis, atque ex impressis, tum in suprema paginæ parte semper notatur annus U. C. et ante Christum natum, denique tomo VI. subjuncta præter novos satisque locupletes atque accuratos indices, lacunarum in libris quinque postremis supplementa a Jo. Doujatio composita, et novæ editorum in Livium notæ: item Dodwelli dissert. de Fragmento Liviano, de quo post. —Textus est Gronovianus.

1710 Amstel. 8. vol. x. ap. Henr. Wetstenium. Tit. Livii Histor. quod extat, c. integris Jo. Freinshemii supplementis emendatioribus et suis locis collocatis, tabulis geographicis et copioso indice. Recensuit et notulis auxit Jo. Clericus. Tomus x. habet Geographiam Livianam (XIV. tabulis comprehensam) et Indicem Rerum locupletissimum in Livii Hist. et Suppl. Freinsh. Textus est Gronovianus. Notæ haud magni sunt momenti, et editio usibus tironum scholasticis destinata videtur. Freinshemii supplementa paulo minoribus literis, quam in Doujatiana, excusa sunt, sed quod multi credo factum nollent, omissa loca auctorum, quæ in marginibus Doujatianis annotata ubique leguntur, e quibus Freinshemius sua repetiit. Servatur in Bibl. Gymn. Bipontini.

1715 Venet. 4. voll. VI. Doujatiana in usum Delphini a. 1679—1682. recusa est curante Carolo Banarrigo. In calce additæ etiam breves notæ Jo. Clerici, indexque locupletissimus Weststenianus. Ad Freinshemii vero supplementa scriptorum veterum loci diligentius allegati, quam in Parisiensi editione. Tomus vero septimus, quem additurum editor promisit, vocum omnium Livianarum phrasiumque, lucem non vidit. Adest in Bibl. eadem.

1718 Patavina III. 4. voll. IV. Tit. Livii Patavini Histor. Romanæ Libri, qui supersunt.

— Patavii 12. Livius c. Epitome L. Flori, variis lectt. Chronologia, Indicibus &c. 5 tomi 4 voll.

1722 Lond. 12. voll. VI. sine nomine editoris. Forte repetitio est ed. Clerici a. 1710. (cura Maittairii.)

1727 Patavina IV. 12. tomis V. a Jacobo Jacobetto et M. Ant. Feracio procurata.

1735 Lips. 8. III. tomi, omissis supplementis, ad Clerici editionem, sed vitiose expressa; cum Jo. Matth. Gesneri præf. lectu dignissima de cursoria et stataria auctorum Latinorum lectione in scholis, præsertim Livii.

ÆTAS VI. CREVIERIO—DRAKENBORCHIANA, 1735—1784.

1735—1740 Paris. 4. voll. V. T. L. Historiarum ab Urbe condita Libri, qui supersunt, XXXV. cum supplementis librorum amissorum, a Jo. Freinshemio concinnatis. Recensuit et notis

illustravit J. B. L. Crevier, Prof. Rhet. in Coll. Dormano-Bellovacensi Univ. Paris.—sumt. Gabr. Franc. Quillau et Jo. Desaint. cf. Catal. Bibl. Bunav. T. I. vol. I. pag. 297. Textus basis est Gronovianus, sed locis, etsi perpaucis, correctus e Mss. et edd. pr. conjecturis in notas rejectis, quæ sunt non adeo multæ, breves et sine ostentatione doctrinæ, interdum tamen leviores et tironibus quam viris aptiores. In iis conficiendis usus est superioribus interpretibus, imprimis Sigonio et Gronovio; sed quæ ab iis sumsit, sub eorum nomine dedit; ubi longiore et exquisitiore disputatione opus erat, rem rejecit ad calcem operis. Explevit et lacunas, in ipso textu positis suis supplementis. Recognovit etiam supplementa Freinshemii, nonnullis locis emendavit, et notulas addidit: uno loco etiam aliquid addidit L. CXXII. Indicia denique auctorum in margine sæpe correxit. Accessere Indices, Geographicus et rerum in textum Livii et Suppl. Freinsh. qui e Clerici editione sumtus est. Indicem Latinitatis, promissum in præfatione, non dedit. Sed de instituto viri doctissimi qui velint diligentius cognoscere, adeant præfationem, in qua et de Livio et ejus editoribus et interpretibus dixit.

1738—1746 Amstel. 4. T. L. Patavini Historiarum ab Urbe condita Libri, qui supersunt, omnes, cum notis integris Laur. Vallæ, M. Ant. Sabellici, Beati (Bildii) Rhenani, Sigism. Gelenii, Henr. Loriti Glareani, Car. Sigonii, Fulvii Ursini, Franc. Sanctii, Jo. Frid. Gronovii, Tanaq. Fabri, Henr. Valesii, Jac. Perizonii, Jac. Gronovii, excerptis Petri Mannii, Justi Lipsii, Frid. Modii, Jani Gruteri, nec non ineditis Jani Gebhardi, Carol. Andr. Dukeri, et aliorum, curante Arnoldo Drakenborch, qui et suas adnotationes adjecit. Accedunt Supplementa deperditorum T. Livii librorum, a Jo. Freinshemio concinnata. Tomi VII. Amstel. ap. Jac. Wetstein et G. Smith, Lugd. B. ap. Sam. Luchtmanns. Tom. I. et II. 1738. III. 1740. IV. 1741. V. 1743. VI. 1744. VII. 1746. 4. maj. In longa doctaque præfatione, volumini ultimo præfixa, diligenter persequitur Drakenb. Vallæ vitam, interpretes atque editores Livii, suique instituti rationem. Basis quidem est contextus Gronovianus, at quam plurimis locis vel purgatus a mendis typographicis, vel ad optimos codd. quorum plus triginta contulit, atque editiones correctus atque emaculatus. Quicquid ad emendationem melioremque expositionem Livii tam criticam, quam grammaticam atque historicam conferre potuit, id sedulo

congessit et largissima manu effudit Drakenb. atque reliquit in notis exquisitæ Latinitatis artisque criticæ thesaurum, conjunctis animadversionibus Sigonii, Gronovii, Perizonii, et Dukeri. Neque tamen diffitendum est, immensam Gronovii ac Drakenborchii diligentiam studiumque maxime laudabile nondum effecisse, ut nulla omnino ulcera residerent: immo vero multi quædam viderunt, iisque sanandis admoverunt manus. Ultimus tomus, præter præfationem Drakenb. et multorum superiorum editorum præfationes atque dedicationes, nec non indices utiles et copiosos, habet varios libellos, partim ad historiam Livii, partim ad loca quædam illustranda pertinentes: quorum significationem nonnullis, qui caro illo carent exemplo, haud ingratam fore arbitramur. 1—3. Vita Livii ex G. J. Vossii Historicis Latinis, et ex Balth. Bonifacii Historiæ Romanæ Scriptoribus, tum Jac. Phil. Tomasini Livius Patavinus; 4. Sertorii Ursati interpretatio Inscriptionis Monumenti Liviani; 5. Laur. Pignorii Defensio Liviana; 6. Chr. Gottl. Jœcher de Suspecta Livii Fide; 7—9. Dan. Georg. Morhof, Jo. Buherius, et Jac. Facciolatus de Patavinitate Liviana; 10. Jo. Henr. Bœclerus de Polybii Liviique Diversa scribendi Ratione et hujus Imitatione; 11. Carol. Sigonii Chronolog. Liviana; 12. ejusdem Livianorum Scholiorum aliquot Defensiones adversus Glareanum et Robortellum; 13. Gabr. Faërni Censura Emendationum Livianarum Car. Sigonii; 14. Car. Sigonii ad Epist. Faërni Responsio; 15. Jac. Gronovii Epistolæ, in quibus multa Livii loca geographica emendantur et illustrantur; 16. Laur. Vallæ Disput. duo Tarquinii, Lucius et Aruns, Prisci Tarquinii filiine, an nepotes fuerint; 17. Perizonii cap. VII. Animadversionum Historicarum; 18. Jo. Frid. Gronovii cap. XIV. ex libro IV. Observationum; 19. Henr. Dodwelli Diss. ad fragmentum e Msto Laudino, Livii lib. XXII. cap. 18. § 5. memoratum; 20. Jo. Frid. Gronovii nota ad Livii libr. XXIX. cap. 18. § 9. excerpta ex prima editione notarum ejus in Livium; 21. Henr. Glareani Genealogia Scipionum; 22. Ism. Bullialdus de Defectu Solis, cujus meminit Livius lib. XXXVII. cap. 4. 23. Matth. Ægyptii explicatio Scti de Bacchanalibus; 24. Variorum Annotationes ad Livii lib. XXXIX. cap. 19. § 5. 25. Excerptum ex Petri Lambecii Bibl. Vindobonensi de antiquissimo Livii codice Msto. 26. Excerptum ex Livii ed. Basileensi a. 1531. de lacunis ejusdem codicis; 27. Excerptum ex Henr. Leon. Schurzfleischii Notitia

Bibliothecæ Vinariensis, ad Livii libr. XLV. cap. 29. § 5. pertinens.—Post nubem dedicationum &c. sequuntur, 1. Præfatio Henr. Leon. Schurzfleischii ante specimen notarum Gebhardi in Livium; 2. Elogia et Judicia Auctorum de Livio; 3. et 4. Syllabus Mstorum, qui in hac editione adhibiti sunt, atque præcipuarum editionum, quas diligentissime recenset; 5. Collatio Fragmenti, ut existimatur, Livii, et particulæ Polybii ex lib. I. interprete Leonardo Aretino; 6. Addenda et Emendanda.

1740 Patavii 12. ap. Jo. Manfré, V. tomi. Opera quæ supersunt, periochis insuper, variis lectt. chronologia et rhetoricis exercitationibus illustrata. Accedunt capita XVII. quæ hactenus desiderabantur. Adnotationes variorum excerptæ ex ed. Oxoniensi an. 1708. cum mappis.

— Basil. 8. voll. III. ap. E. et J. R. Thurnisios fratres. Repet. Gronovianæ a. 1679. Est in Bibl. Gymn. Bip.

1743—1748 Heidelbergæ, fol. in collectione Scriptorum veterum Latinorum Historiæ Romanæ: curante Bennone Caspare Haurisio. Tom. I. Is vero suo consilio L. XI—XX. ex Suppl. Jo. Freinshemii adjecit, et lacunas hinc inde ex Suppl. Jo. Doujatii explevit; sed post L. XLV. cetera Freinshemii supplementa omisit. Textui subjecit lectionum quandam varietatem, passim notas aspersit; fastos præmisit; opus figg. æneis nummisque ornavit. Neque tamen sic ed. suam approbavit.

1747 Paris. 8. voll. VI. ex priore recensione Crevieriana 1735—1740. cum notis usui scholarum accommodatis.

1751 Venetiis, V. voll. Repetitio Crevierianæ per Remondinium, additis Chronologiis, Rhetoricis Exercitationibus, universæ Romanæ Historiæ Epitomis, XVII. capitibus Livio ascriptis, necnon variorum, præsertim Jo. Clerici, annotationibus.

— Patavii, typis Seminarii: T. Livii Pat. Opera, obscuriorum locorum interpretationibus et selectis annotationibus illustrata, cum supplementis in postremos libros, ex rec. Arn. Drakenborchii. VI. voll. quorum postremum prænotatur: Exercitationes Rhetoricæ in Orationes T. Livii, quibus accedunt Jo. Clerici animadversiones, et ex aliis auctoris Patavinitas, Vita et Elogia.

— Berolini (Ulmæ) 8. voll. III. curante Jo. Petro Millero.

1752 Edinburg. 12 maj. voll. IV. T. L. Historiarum ab Urbe condita Libri, qui supersunt, cum omnium Epitomis, ac deperditorum fragmentis: ad optimas editiones castigati, accurante Tho.

Ruddimannio, A. M. Edinburgi, in ædibus T. et W. Ruddimanni. Prostant autem Amstelædami, apud Jacobum a Wetstein. MDCCLII. De accurata et nitida hac edit. videsis Harlesium pag. 427. et Harwood a View—(edit. II.) pag. 183. item Alterii versionem primæ edit. Harwoodiani operis l. c. Ex typographi Præfatione ad Lectorem Tomo I. hujus Livii editionis præmissa, hæc delibamus: 'Ad illam' (edit.) 'Drakenborchii præcipue—editionem quam damus exigere visum est—Non adeo tamen arcte nos constringi passi sumus, ut ne latum unguem quidem ab eo recedere auderemus, ubi ratio id poscere videbatur: quædam enim mutanda monuit et ostendit cl. Kennethus Mackenzie causarum patronus in collegio Edinb.—quæ absque hæsitatione in textum recepimus.'—Inde confitetur typographus id factum esse partim 'ex aliorum emendatt. jam publicatis, partim ex varr. Mss. Codd. per ipsum Drakenborchium notatis.'

1759 Patavii, 8. min. VI. voll. T. Livii Opera quæ supersunt, obscuriorum locorum interpretationibus et selectis annotationibus illustrata, cum Suppl. in postremos libros, J. B. L. Crevier editio postrema. Vol. V. et VI. præter indicem Rerum continentur, Index Descriptionum, Index Legum, Tabula omnium Magistratuum P. Rom. eorumque ministrorum, Tabula omnium Sacerdotiorum, Exercitationes Rhetoricæ in Orat. T. Livii, Index Locorum communium, ex quibus oratt. argumenta desumta sunt, Index Affectuum juxta Aristotelis præcepta, Index Morum, Variæ Lectt. ex duobus Mss. Mutinensibus, T. Livii fragmenta, Jo. Clerici animadversiones, Annotationes in T. Liv. partim excerptæ ex ed. Oxon. 1708. partim nunc additæ a F. A. Z. Car. Sigonii Chronologia, alia Chronologia, Compendiaria Expositio Ponderum Mensurarumque, Car. Sigonii Ordo Hist. Lat. T. Livii Vita, libri, editiones &c. ex Jo. Alb. Fabricii B. L. Laur. Pignorii Defensio Liv. Jo. Buherius et Jac. Facciolatus de Patavinitate Liv. Elogia et Judicia Auctorum de T. Liv.

1759—1761 Halæ. 8. voll. III.

1768 Paris. 12. voll. VI. ex rec. et c. not. Crevierii.

1769 Lipsiæ. 8. voll. III. T. Livii Patavini Historiarum Libri, qui supersunt omnes, ex recensione Arn. Drakenborchii cum indice rerum locupletissimo. Accessit præter varietatem Lectt. Gronovianæ et Crevierianæ Glossarium Livianum curante Augusto Guil. Ernesti.

1771 Lemgov. 8. Livius pro prima classe Gymnasior. Scholarumque Latinarum ita excerptus, ut intra anni spatium prælegi possit, a M. Mart. Sœrgel. Vide ad a. 1784.

1773 Hamburgi, fol. Fragmentum ex libro XCI. Historiarum T. L. primum erutum ex cod. Ms. Vaticano, quondam Palatino, a cel. Paul. Jac. Bruns. quod eodem anno prodiit Lipsiæ. 8. cum præfat. J. A. Ernest. Item Romæ cum scholiis Giovenazii (s. Juvenatii) cura Franc. Cantellerii.

1775 Paris. 12. voll. VII. cura Lallemandi, typis Jo. Barbou.

1778 Bamberg. 8. voll. IV. T. Livii Patav. Histor. Libri, qui supersunt omnes, ex recensione Drakenborchii ed. Ernesti.

— Wirceburgi. 8.

1779—1783 Manhemii. 8. voll. XII. ex recensione Drakenb. cum variis lectionibus ex Gronov. et Crevier.

1780 Lips. 8. T. Livii Operum Pentas I. II. et III. scholarum in usum animadversionibus illustravit Fr. Andr. Stroth, Gothani Gymnas. Rector. Basis est ed. Drakenb. interdum tamen discedit Strothius, et dissensus rationem reddit in notis, in quibus præterea de lectione aut sensu verborum modo parcius, modo liberalius, disputat.

1784 Livius excerptus a M. Mart. Frid. Sœrgel. Prof. P. Ord. Coll. Carolini et Gymn. Brunsvic. Rectore dirig. Editio novissima totum Livium comprehendens. Tom. I. et II. 8. Tomus I. ex ed. 1771. recusus XX. libros priores habet, alter ceteros excerptos, ita ut series historiæ servata sit; qua de causa non solum consules, et argumentum eorum, quæ prætermissa sunt, sed et epitomæ librorum deperditorum, fastique Liviani additi sunt. Ita quidem Liviana lectio curriculo annuo in scholis absolvi potest, quo consilio ipse editor quædam de operis usu magistros maxime in præf. monuit; sed quod adolescentum pecuniæ s. inopiæ quam oculis parcendum magis videbatur, typis justo minoribus excusus est hic Liviolus. Sic Comm. Gœttingenses dicti Gelehrte Anzeigen. partic. 178. d. 6 Nov. 1784. Sed vide, quæ in Notitia Lit. p. 12736. adversus Jensianam epitomen monuit Ernestius.

VERSIONES.

GERMANICÆ.

1505 Rœmische Historie uss Tito Livio gezogen. In fine, ‘ Gedruckt und geendet in der loblichen Stadt Mentz durch Vleiss Johan Schœffers Buchtrucker daselbst am sechsten tag des Monedts Marcij Nach Christi unsers Hernn Geburth tausend fünffhunderth und im fünfften Iare.’ III Part. fol. c. figg. ligno incisis. Prima pars continet versionem prioris Decadis Liv. auctore Bernh. Schœfferlin J. U. D. Cæs. cum præmissa dedicatione ad Maximilianum Imp. Secundæ insunt Supplementa in T. Liv. ab eodem Schœfferlinio Germanice conscripta: qui cum operi immortuus esset, versionem absolvit Ivo Wittigius J. C. D. et Canonicus apud St. Victorem Moguntiæ, cujus præfatio legitur in fronte Part. III. Rarissimum hunc librum possidet perill. Heideggerus Trib. Tigur. Ceterum Fabricius annotat, quædam ejus exempla excusa esse in membrana. Extabat quoque in Bibl. Uffenbach. Cat. T. II. App. n. 230. p. 80.

1514 Rœmische Historie Titi Livii meniglich kurzweilig und dienstlich zu lesen. Mentz, bei Joh. Schœffer. fol. c. figg.

1523 Rœmische Historien Titi Livii mit etlichen newen translationen, so kurtzuerschienen jahren im hohen thum zu Mentz im latein erfunden, und vorhin nit mehr gesehen sein. Davon such im endt des Registers. fol. c. figg. Præfixum habet privilegium Maximiliani Imp. datum a. CIↃIↃXVIII. In fine legitur, ‘ Gedruckt und geendet zu Mentz durch Johann Schœffer: nach Christi unserss hernn geburt, tausent fünffhundert und zwanzig drey jare.’ Hæc eadem continet, quæ superior an. 1505. addita tamen nunc primum versione librorum recens Moguntiæ repertorum, auctore Nic. Carbachio, cum ejusdem Epistola ad Lectorem, in qua queritur de difficultate vertendorum auctorum Latinorum, unde particulam huc transcribere libet: ‘ Wie ich auch vornæmlich entpfunden hab in disen zweyen teyln des hochberümpten geschichtschreibers Titi Livii, under welchen das erst begreifft schier das ganz XXXIII. buch der Rœmischen historien von Livio beschriben. Das ander inhelt das hinderst und letst stück des XL. buchs,

die inwendig in vier jaren erstmals, und vor nie, ussgangen sein im truck, und im hohem thumstifft hie zu Mentz newlich gefunden sein worden. Dan in dem ursprünglichen exemplar vil wort also unfleissig geschriben stehn, das man jnnemer muss nachgedencken, und sich uff sie besinnen, wan sie zu lesen sein, zu zeiten etlich wort, etwan auch viel zeil ussgelassen sein, von denen die meynung und verstandt gantz verdunckelt würt. Derenhalben niemant mich verdencken mag des unfleiss &c. Gegeben zu Mentz uff Mitwochen nach dem tag der gebererin gots Marie im fünftzehen hundertsten und im drei und zwentzigsten jar Christi unsers Heylandts.' Servatur in Bibl. Ducali Bip. cf. Joh. Gottl. Schummels Uebersetzer Bibliothek. Wittenb. u. Zerbst. 1774. pag. 240. sq. et Cat. Bibl. Uffenb. T. II. App. II. n. 328. p. 110.

1533 Eadem—auctior: Titi Livii des aller redsprechisten und hochberümtesten Geschichtschreibers Romische historien mit etlichen neuwen translationen &c. durch Nic. Carbachium und Jac. Mycyllum. Getruckt zu Meynz durch Joanem Schœffer MDXXXIII. fol. Eadem in Bibl. Uffenbach. Catal. T. II. App. II. n. 333. p. 111. sq. additur incunabulis artis typogr. ob insigne de ejus inventione testimonium, quod in fine dedicationis ad Reg. Rom. his verbis legitur: ' Solch Werck, allermechtigster Konig das zuvor an ewer Koniglichen Maj. zu Ehren, dazu Fürsten und Herren auch Gemeynden und Stetten Deutscher Nation zu Nuze in Teutsch bracht und in der lœbl. Statt Meynz gefertiget und gedruckt ist, woll Euwer Ko. Ma. genediglich aufnemen, in welcher Statt auch anfangklich die wunderbare kunst der Truckerey und im ersten von dem kunstreichen Johann Guttenberg do man zalt nach Christi unsers Herren geburt tausent vierhundert und funffzig Jar erfunden und darnach mit Fleiss, Kost und Arbeyt Johann Fausten und Peter Schoeffers zu Meynz gebessert und bestændig gemacht ist worden. Darumb dieselb Statt nicht allein bey Teutscher Nation, sonder auch bey aller Welt in ewige Zeyt (als wol verdienet) gebreist und gelobt sol werden, und die Burger und Einwoner daselbst des billich geniesen.'

1541 Ead. repet. ibid. fol.

1546 Ead. ibid. fol.

1551 Eadem: Titi Livii dess aller Redsprechisten und Hochberümptesten Geschichtschreibers Rœmische Historien jetzundt mit gantzem fleiss besichtigt, gebessert und gemehret. Welche

allen Rittermessigen, Gewaltigen, Regierern der Landt und Stett, so sich inn Tugent, Mannheyt, oder Ritterlichen thatten understehn zu üben, nit alleyn zu lesen lüstig, sonder jnen, auch eynem jeden menschen gemeynes stands, vast nützlich und zu wissen noth seindt. Getruckt in der Churfürstlichen Statt Meyntz, durch Ivonem Schœffer, im Jare CIↃIↃLI. fol. c. figg. in IV. Part. divisa. In fine, ‘ Vollendet am neundten tag dess Winthermonats, Als mann zalt nach der Geburt unsers lieben Herrn Jesu Christi CIↃIↃLI.’ Extat in Bibl. Ducali Bip.

1562 Argentor. fol.

1568 Livius et Florus Germanice per Zachar. Müntzerum, Francof. fol.

1571 Eadem, ibid. fol.

1574 h. a. Argentoratensem memorat Fabricius, forte eandem cum sequente.

1575 Titus Livius und Lucius Florus von Ankunfft und Ursprung des Rœmischen Reichs, der alten Rœmer herkommen, Sitten, Weissheyt, Ehrbarkeyt, lœblichem Regiment, Ritterlichen thaten, Victori und Sig, gegen ihren Feinden &c. Jetzund auff dass newe auss dem Latein verteutscht, und mit ordentlicher verzeychniss der fürnemsten Historien, Jarrechnung, kurzer Livischen Chronica, Register, und schœnen Figuren gezieret, dessgleichen vorhin im Truck nie aussgangen. Mit Rœmischer Key. Maist. Freiheyt. fol. charta maj. In fine, ‘ Getruckt zu Strassburg, durch Theodosium Rihel. 1575.’ Præmittitur dedicatio ad Max. II. Imp. in qua Rihelius agit de consilio suo, complures veteres historicos, Germanice versos, edendi; data d. 18. Martii, 1574. Extat in Bibl. Duc. Bip.

1594 Argentor. fol.

1605 Argentor. fol.

1616 Argentor. fol.

1776—1782 T. Liv. Rœmische Geschichte, aus dem Lat. übersezt von Joh. Fr. Wagner. Lemgo. 4 Th. 8 maj.

1777—1779 T. Liv. Rœmische Geschichte übersezt von M. Cilano, mit Anmerkungen von Adler. Hamb. 8 Th. 8 maj.

Singulas particulas s. orationes T. Livii ex Latino in Germanicum sermonem transtulerunt Jo. Petr. Miller, Jo. Mich. Heinze, Jo. Eust. Goldhagen, Schwabius, Lindnerus, Kinderlingius, Auc-

tor libri inscripti der Lehrmeister, et Mayus: de quibus vid. si placet, Schummelius l. supra cit.

GALLICÆ.

1515 Les grandes Décades de Tit. Livius, translatées de Latin en François, (p. Pierre Bercheure ou Berchoire) nouvellement corrigées et amendées: et en suivant les faits du dit T. Livius aucunes additions de plusieurs grands historiographes si comme Orose, Salluste, Suetone, et Lucain. Paris. Guillaume Eustache 1514. et François Regnault 1515. fol. 3 voll.

1530 Les grandes Décades de Tite Live, avec des additions de plusieurs grands Historiographes, si comme Dion, Salluste, Suetone, et Lucain. Paris. x. livres. fol. (charact. Goth.)

1553 Primæ Decadis liber secundus interprete Henr. Sallenovano prodiit Pictavii.

— Idem ex versione Jac. Gohorrii, Lugd.

1562 T. Livius, Claudio Guichardo interprete. Paris.

1568 Les concions et harangues de Tite Live, traduites en François par J. de Amelin. Paris. Vascosan. 8.

1582 Les Décades de Tite Live traduites en François par Vigenère Hamelin et Antoine de la Faye: à Paris. fol.

1583 Eadem versio rep.

— T. Livius Gallice versus a Blasio de Vigenère. Paris. 2 voll. fol. Præter Livii textum continet notas Vigenerii in primam Decadem.

1584 Ant. Fayi versio rep. 3 voll.

1606 Blasii de Vigenère versio rep. Paris. 2 voll. fol.

1617 Eadem, ibid. 2 voll. fol.

1653 Les Décades de Tite Live, depuis la naissance de Rome jusqu'à la reduction de la Macedoine, avec les Supplemens de Freinshemius: traduits du Latin en François par Pierre du Ryer: à Paris. 2 voll. fol.

— Eadem versio rep. Lugd. 14 voll. 12.

1700 Eadem rep. Roterod. 8 voll. 12.

1723 Traduction du XXXIII. livre de Tite Live par François de Malherbe: vid. ej. Opp. Paris. 12. T. II. Hanc Malherbii interpretationem pro insigni exemplo commendat Sorellus in Bibl. Gallica.

ITALICÆ.

.... per Christoph. Landinum. Memorat hanc Fabricius T. I. Bibl. Lat. p. 289. ed. Ern. sed sine a. et l. nota.

.... Diece libri della prima Deca di Tito Livio, tradotti di Latino in lingua volgare, con epistola dedicatoria da Luca di Giovani Bonacorsi Cartolajo Fiorentino (in Firenza, Luca Bonacorsi): fol. circa annum 1472.

1476 interprete Rugero Ferrario. Romæ. fol. 3 voll. vid. Lambecius lib. II. de Bibl. Vindob. pag. 947. Sed dubitavit Maffejus, num hic auctor esset Italicæ versionis, an potius exscriptor. Interpretem Maittairius fuisse docet.

1478 Eadem per Ant. de Bononia. Venet. fol.

1481 Eadem, ibid. fol.

— Eadem: Le Deche di T. Livio. In Vinegia, per Octaviano Scoto, adi XXIII. de giuguo. fol.

1490 Eadem, ibid. ap. Barthol. de Zanis. fol.

1493 Eadem: Le Deche, cioe la prima, terza et quarta di T. Livio vulgare historiate; con uno certo trattato de bello Punico, composto da M. Leonardo Aretino. In Vinegia, per Zouane Vercellese. fol.

1511 Eadem, ibid. fol. una cum Leonh. Aretini libro de bello Pun.

1535 Le Deche di Tito Livio. Vinegia. 4.

1544 interprete Jac. Nardi Florentino, Venet. fol. ap. Juntas.

1547 Eadem, ibid. ap. eosd. fol.

1554 Eadem: Le Deche di T. Livio delle historie Romane, tradotte nella lingua Toscana de Jac. Nardi, cittadino Fiorentino, et nuovamente dal medesimo gia la terza volte rivedute et emendate &c. In Vinegia, nella Stamperia de Giunti. fol.

1562 Eadem, ibid. ap. eosd. fol.

1574 Eadem: Le Deche de T. Livio Padovano dell' Istorie Romane, divise in due parti. Tradotte in lingua Toscana da M. Jac. Nardi, cittadino Fiorentino. Con le Postille, che dichiarano secondo i nomi moderni, i paesi, le citta, i fiumi, i luoghi, le monete e molte altre cose, degne d'esser notate, per intelligenza del Lettore. Con la tavola de' Re, Consoli, Tribuni, Dittatori, Pretori, Edili curuli, Censori, Auguri, Pontefici, Interregi, e delle cose notabili. Dichiaratione di molti vocaboli Toscani, dal

Traduttore in molti luoghi usati, con l'indice delle Sentenze che nell' opera si contegno. In Vinegia, al segno del Seminante. II. voll. 4.

1575 Eadem : Deche di Tito Livio, già tradotte da M. Jac. Nardi, cittadino Fiorentino : et hora, oltra quello, che è nella sequente faccia notato, rivedute, corrette, accresciute de Sommarij a ciascun libro, et de gli anni della città nella margini d'esso, et del Supplemento della seconda deca, da M. Franc. Turchi Trevigiano. In Vinegia d'i Giunti. fol. Versio excellens, eoque multum æstimata : vid. Fontanini Bibl. dell' eloquenza Italiana &c. Venez. 1753. T. II. pag. 287.

BELGICÆ.

1541 Antwerp. fol.

1562 Colon. ap. Jo. Gymnicum. fol.

1571 ibid. ap. eund. fol.

1614 Titi Livii Romensche Historien. Amst. fol.

1635 De Romensche Historie door Titus Livius. Amst. fol. c. figg.

ANGLICÆ.

1600 The Roman History, written by Titus Livius, translated by Philemon Holland. Lond. fol.

1745 Londini. Recensetur in Ephemer. Trivult. a. 1745. mense Martio art. XXII.

SUECICA.

1626 Holmiæ, fol. Erico Benedicto Schrœdero Nycopensi interprete.

HISPANICÆ.

1550 Compendio de las catorze decadas de Tito Livio Paduano. Argent.

1553 Colon. ap. Arn. Birkmannum, fol. ad Philippum Principem.

GRÆCA.

Livium Græcum lingua vulgari fecit Maurocordatus de Scarlati, interpres et consiliarius Portæ Ottomanicæ, qui a. C. 1712. diem obiit : sed necdum edita est illa interpretatio.

ARABICA.

De Arabica versione dictum supra pag. 12740.

TANTI fuit historicus, qui ‘ Romanam quasi condidit gentem;’ et tanti sunt editiones Livianæ. Nonnulla tamen manent, post editam Bipontinam, notatu digna.

Bene explicant et recte distinguunt Bipontini duas primarias editiones, nisi quod non recte forsan ordine ponantur. Res multum agitata est; sed firmis tandem argumentis stabilitum est, editionem Romanam I. a. 1469. quæ e prelo Sweynheym et Pannartz prodiit, et cujus Jo. Andreas, episcopus Aleriensis, curator fuerat, omnium editionum Livii esse principem. Campani editioni tertium locum tribuit Drakenborchius, et secundum editioni quæ a Vindelino de Spira exarata est: quosdam editores hunc ordinem secutos esse notaverunt Bipontini; ipsi vero eundem non sequuntur.

Alia Romana editio notatur a Christophoro Harlesio in Breviori Notitia Literaria, nempe Decas prima, ex emendatione Antonii Campani, 1471.

Gallica primæ Decadis versio prodiit Paris. 1486. 4to; a Brunet notata, et vix notata: amplius vero descripta est in Les Esprits des Journaux, Jan. 1779. par Abbé Mercier.

Les Decades de Tite Live translatées en Françoise, par Pierre Bercheure (ou Berchoire). Paris. 1486. et 1487. 3 voll. fol. Hæc est omnium Gallicarum versionum antiquissima. Difficile est tria volumina in unum colligere: ultimum est sine anno. Explicit cum Bello Punico. Versa est e textu Leonardi Aretini. Hæc interpretatio correcta et emendata vulgata est a. 1514. 1515. Paris. 3 voll. fol. Literis Gothicis. Editores erant Gulielmus Eustace et Fr. Regnault.

Las Decadas de Tito Livio traducidas en Lingua Castillana por D. Pedro Lopez de Ayala. Salam. 1497. fol. Hæc versio Hispanica in Ensayo d'una Bibliotheca, por Pellicer, prætermittitur. Sed vide Nicholæ Antonio Biblioth. Hispan. Vet. vol. II. p. 120. Hæc est antiquissima versio alicujus partis Livii in Lingua Hispanica.

Versio Hispanica, Zaragoça, 1520. fol. interprete P. de la Vega; et alia Cologn. 1533. fol. notantur ab J. Gul. Moss in ejus Manuali Classicæ Bibliographiæ, vol. II. p. 221.

Non notantur hæ versiones a Pellicer in Ensayo d'una Bibliotheca de Traductores Espanoles.

Titi Livii Historiarum ab Urbe condita Decadis quintæ Libri quinque, nunc primum excusi. Venet. 4to. in ædibus Lucæ Antonii Juntæ. Florent. MDXXXI. Nonis Augusti. Sic legitur in Catalogo cell. Bibliopolarum Londin. Payne et Foss, et sic in libro ipso. Rara est, ut videatur. Alia est editio notata a Bipontinis a. 1532.

The first Five Books of Titus Livius, translated into Scottish language. By John Bellenden, archdeacon of Moray and canon of Ross. Hæc versio e codice sæc. XVI. in Bibliotheca Advocatorum Edinb. servato deducta est: et nulla alia versio Classicorum in antiqua Scotica Dialecto extat, si Virgilium per cel. Gawin Douglas, episcopum Dunkeld. excipias. Hic idem est interpres, qui Boycii Historiam Scotice vertit; de quo vide Pinkertonum de Poëtis Scoticis vol. I. pp. CIX. CX. quippe idem fuit poëta. Versio hæc Liviana primum prodiit circa annum 1533. et paullo post repetita est. Rarissimæ sunt hæ editiones. Iterum in lucem emersit inter Opera Jo. Bellendeni, Edinb. 1822. 3 voll. 4to.

The Historie of two of the most noble Captaines of the Worlde, Annibal and Scipio, &c. Lond. cum Privilegio, 1544. 4to. Hæc Historia ex Livio et aliis auctoribus derivatur, et Hen. VIII. dicatur: rara admodum est, et repetita est in ædibus Thomæ Bertheleti, regii impressoris typis, et excusa a. 1548. Lond. 1590. 8vo. a Gulielmo How. Herbert. Typograph. Antiq. vol. I. p. 446—452. et vol. II. p. 1038. Hæc quorumdam Livii operum versio omnium est prima quæ apud Britannos vulgata est, si forsan primos quinque libros a J. Bellendeno Scotice versos excipias.

Titi Livii Hist. Basil. 1545. 8vo. edidit Joach. Perionius.

Gallica versio Paris. 1554. Bibl. Brit. Mus. et Appendix Liviana: ibid.

Iis quæ Bipontini notaverunt de editt. Hervagianis, a. 1554. 1555. hæc ex Harlesio subjungantur: 'In Livii editione Hervagiana 1554. 8vo. (cujus exemplar habet Bibliotheca publica Noriberg.) legitur Chronologia Liviana Gittoloandri, a Glareano edita. In serie dell' Ediz. Ald. Tit. Liv. cum Scholiis Sigonii præter memoratas editt. indicantur editt. a. 1558. 1571. et 1591. fol.' Harlesii Supplem. &c. vol. I. p. 311.

Tite Live, &c. Venet. 1567. 4to. di nuovo tradotte. Nomen præ se fert, F. Sunvino. Sed quisquis fuerit interpres, ipsa versio bene audit.

Orationes, &c. ex Livio collectæ per Henr. Stephanum. Paris. 1570. 8vo.

Titi Livii, &c. Francof. apud J. et S. Feyerabend. 1578. 2 voll. fol. Recte explicatur in loco hæc editio a Bipontinis: hic vero loci repetita mentione digna est, eo quod in Bibliotheca Musæi Britannici extat cum notis Mss. viri docti Isaaci Casauboni.

Versio Italica; in qua additur singulorum librorum Summarium, et Comparatio cum aliis historicis. Per Curzio Marinelli. Venet. 1581. 4to.

Versio Philemonis Holland, quæ primum vulgata est a. 1600. (ut recte Bipontini) repetita est Lond. 1659. fol.

Titi Livii, &c. Epitome, Basil. 1606. 8vo. cum notis Sigonii, Delrii, et aliorum: et Francof. 1690. Biblioth. Bodl.

The Historie of Publius Sulpicius, consull, according to Titus Livius, by Thomas Wylson, Doctor of the Civil Lawes. Impress. Lond. per Henr. Denham 1670. 4to. Hæc Historia præfigitur versioni trium orationum Demosthenis, nempe Olynthiacῶν, per eundem Henr. Denham.

Versio Anglica 1686. fol. cum Freinshemii et Joannis Doujatii Supplementis, et figuris: repetita editio Philemonis Holland.

Quatre Harangues, avec des Notes. Par M. de Crousaz. Groning. 1725. 12mo. M. de Crousaz opinatur ex-

empla illustria plus valere ad instruendum oratorem quam præcepta rhetorica : et dat Un Essai de cette Methode sur quatre Harangues de Tite Live ; l'une d'Annibal à Scipion, la seconde du Scipion à Annibal, la troisième du Vieux Caton, la quatrième est la reponse de Valerius au discours de Caton. Journal des Sçavans, Avril 1727.

Tite Live, &c. Venet. 1734. fol. Italica versio. Hæc est versio antiquissima ; non vero adhuc antiquata ; sed valde æstimata. Jac. Nardis fuit civis Florentinus, cujus primæ editt. supra (in Notit. Liter.) a Bipontinis indicantur. Hæc editio emendata est et ampliata per Francis. Turchi Trevigeano cum Supplemento secundæ Decadis. Prodiit eadem Bresciæ 1814. 8vo. par Louis Mabil ; et inde tandem editio in triginta et tribus voluminibus, in 1816.

Tite Live traduit du Latin en Françoise par M. Guerin. Paris. 1739. 1740. 10 voll. 12mo. Hæc versio multum laudatur tam ob integritatem quam ob stylum. Vulgata est iterum multum emendata per Cosson, Paris. 1769—1771. 10 voll. 12mo. et prioribus editionibus hæc præfertur.

Tite Live, trad. en Françoise avec les Supplemens de Freinshemii, dediée à Monseigneur le Dauphin par M. l'Abbé Brunet. Paris. 1742. 3 voll. 12mo. Hæc versio textum sequitur Latinum M. Crevierii, qui fuit omnium tunc temporis existentium accuratissimus.

Titi Livii Historiarum ab Urbe condita Libri qui extant, cum Supplementis amplis ex Freinshemio, Crevierio, Sigonio, et aliis. Londini, 1749. 7 tom. 8vo. min. Repetita editio (n. a. 1722), nisi quod prior editio sex tantum tomos exhibuit, hæc posterior septem. Typographi erant Tonson et Watts ; quis vero editor non apparet. Maittairius, qui vulgo pro editore receptus fuit, se editorem esse, et satis modeste, pernegavit. Vide Biographical and Literary Anecdotes, by J. Nichols, vol. IV. p. 558.

Historiarum Libri, qui supersunt, cum notis Crevierii, Lond. 1750. 6 voll. 12mo.

Opera T. Livii illustrata ab J. B. L. Crevierio, Venet.

1751. notantur a Bipontinis; sed prius edita sunt Paris. 1735—1741. 6 voll. 4to.

Titi Livii, &c. Edinb. 1761. 8 voll. 12mo. Nova est hæc et accurata editio, sed repetita tantum ex Lond. a. 1745. 8vo. Complectitur textum Drakenborchii, et integrum Freinshemii Supplementum: per varios interpretes concinnata est; et geographicis chronologicisque annotationibus illustratur.

Historiarum Livii Libri, qui extant, omnes, cum notis variis illustrati, inveniendi sunt inter Car. Henr. de Klettenberg. Scriptores Hist. Rom. tom. I. p. 1.

Editio Taurinensis Titi Livii, duplici versione distincta, variis insuper lectionibus illustrata: ad usum Scholarum. Augustæ Taurin. 4 voll. 8vo.

Titi Livii, &c. Lips. 1769. Ex recensione Drakenborchii. Præclara hæc editio Ernestina, a. 1769. 3 voll. 8vo. Bipontinis jam notata, iterum prodiit Lips. 5 tom. 8vo. a. 1785. et tertium emendatior, 1801. 4 tom. 8vo. tomo quarto subjungitur index rerum notabilium locuples. Postea Henricus Schæfer Glossarium Livianum, partim ex Schedis Ernestinis, partim ex suis absolvit: volumen hoc amplectitur dictum Glossarium. Lips. 1804. 8vo.

Ruddimanni editio notata Bipontinis (1752) repetita est Edinb. 1772. 4 voll. 8vo. min.

Libri quinque priores Livii. Edinb. 1761. et 1783. 4 tom. 12mo.

Livy's Roman History translated into English, by Mr. Gordon, Glasgow, 1783. 12mo. 2 voll. Cum annotationibus selectis.

Morceaux choises de Tite Live trad. en Françoise, par l'Abbé Paul. Paris. 1784. 2 tom. 12mo.

Titi Livii Patavini Historiarum Libri qui supersunt, cum integris Jo. Freinshemii Supplementis. Præmittitur vita Livii a Jacobo Philippo Tomasino conscripta; cum Notitia Literaria. Accedit Index. Studiis Societatis Bipontinæ. Biponti, ex Typogr. Societatis, 1784—1786. 13 voll. 8vo. Sequitur textum Drakenborchii, collatum cum edd. Grynæi, Sigonii, Gruteri, Gronovii, et Crevierii. Notitia Literaria,

si non in omnibus numeris absoluta, copiosa est, et eam, ut solemus, in hac nostra editione inseruimus. Index, qui finem operis coronat, ampla et locuples est. Hujusce editionis Bipontinæ repetita est editio Argentor. 1806. 13 voll. 8vo. in cujus Notitia Literaria nihil novi repertum est. Non minus laudis obtinuit hæc Bipontinorum editio Liviana, quam aliæ eorundem editiones supra descriptæ reportaverunt.

Titi Livii Patavini singularum quæ supersunt Decadum Liber prior, ex editione Drakenborchii, cum notis ejusdem selectis. Lond. 1789. 8vo. Compendium in Usum Juvenilem.

Titi Livii Hist. Hal. 1789—1795. 7 tom. 8vo maj. Germanica versio, per Godofr. Grosse. Majore vero laude, ait Harlesius, celebranda videtur versio J. P. Ostertagii cum animadversionibus, Francof. ad Mœn. 1790—1798. 8 voll. 8vo.—Versionis Wagnerianæ plurimum, et ante omnes Germanicas laudatæ, editio repetita est 1816. 1 vol. 8vo maj.

Titi Livii Hist. Lips. 1791—1804. 5 voll. 8vo. Hæ sunt repetitæ editiones A. G. Ernesti, quæ valde sunt in pretio, tam ob textum ex Drakenborchio constitutum, interdum emendatiorem, quam ob alia quæ Drakenborchius non suppeditat, videlicet eximium Glossarium, Fragmentum jam notatum Vaticanum libri XCI. et tabulam chronologicam ex Crevierio inductam.

Historiam Livii notis illustravit Jo. Walker. Dubl. 1792. 2 tom. 8vo. Textus recensionem Drakenborchii secutus est: notæ sunt breves, sed ad rem pertinent.

Titi Livii Hist. &c. Lond. 1794. 8 voll. 8vo. edidit Henr. Homerus. Homeri Romanorum Classicorum editiones inter accuratissimas, ut omnes agnoscunt, numerandæ sunt; et hæc omnium Homeri est accuratissima: nec in apparatu minus elegans. T. F. Dibdin. in his rebus eximius formarum spectator et judex, de hac editione asserere ausus est, omnium Latinorum Classicorum in 8vo. quæ e prelo prodierunt, hanc Homeri esse emendatissimam et pulcherrimam. Introd. &c. ad Gr. et Lat. Scriptores, vol. II.

pag. 172. edit. 1827. Textum Drakenborchii sequitur: desunt annotationes: index vero amplissimus subsequitur.

Historisches Lesebuch aus des Livius Werken gesammlet für obern Classen der Gymnasien, Von Chr. Wilhelm Snell, Prorect. des Gymnas. zu Idstein, Gissæ, 1795. 8vo.

Varia etiam sunt Excerpta Livii, in usum Scholarum concinnata, ut a Bauero, Sœrgel, et aliis Germanis, quæ laudem ex suæ gentis bibliographis reportaverunt.

Titi Livii, &c. Gothæ 1796. et Lips. 1800. et deinceps. Jos. Andreas Stroth. primum edidit unum Livii volumen a. 1780. (ut recte Bipontini); postea vero, nempe a. 1783. et 1784. duo alia volumina, et hæc tria exhibent Libros quindecim priores; quæ Guil. Doering in repetita editione publici juris fecit sub hoc titulo, ' Titi Livii Opera omnia animadversionibus illustravit Fridericus Andreas Stroth.; recensuit et suas observationes adspersit Fridericus Guilielmus Doering. Accedit Index Historicus.' Voll. I. et II. Gothæ 1796. Vol. III. Gothæ 1801. Deinde secutum est a. 1806. vol. IV. Vol. V. 1808. Vol. VI. 1813. Voluminis postremi nova editio, aucta et emendata, prodiit Gothæ 1816. 8vo.

Titi Livii Hist. &c. 1816—1818. Hæc editio Doeringii repetita est, ad septem volumina producta, iterum emendata, et notulis quibusdam ampliata.

Quod ad has editiones spectat, profitetur Stroth. in Præfat.: ' Quum in constituendo verborum contextu summum judicii acumen adhibuisset cl. Drakenborchius, se non nisi raro ab illo discedendum putare, adjectis fere semper rationibus, quibus permotus aliam adhibuerat lectionem.' Præterea, varietatibus lectionum e codicibus Drakenborchianis bene perpensis, duobus aliis codicibus primum usus est, quorum alter primam, alter tertiam Decada exhibuit; et varietates in iis lectionum ante oculos ponit. Iisdem pæne passibus sequitur Doering.

Livii Hist. Lib. I—X. Hafniæ, 1815—1819. 2 voll. 8vo. cum Strothii, Doeringii, aliorumque animadversionibus suas adjecit editor E. Moeller.

Livii Historia, Anglica versio, Lond. 1797. 8vo. cum annotationibus et observationibus a Georgio Baker. Hæc est versio simplex, et Livianis elegantiis non abundans, sed satis clara et fidelis, et ad auctorem explicandum idonea ; ideoque aliis Anglicis versionibus anteponenda. Notæ sunt rarissime inspersæ. Index vero ei subest utilis et locuples.

Præter editionem Oxoniensem, a. 1708. (a Bipontinis notatam) ex recensione T. Hearnii, et cujus textus est Gronovianus, variæ sunt editiones Oxonienses nuperius vulgatæ: nempe a. 1800. 7 voll. 12mo. a. 1813. 6 voll. 12mo. a. 1814. et a. 1818. in 4 voll. 8vo. iterum etiam Oxon. 1821. 6 voll. 8vo. Omnes hæ editiones nitidæ sunt et correctæ, ut expectandum foret, e prelo Clarendoniano exeuntes; inter omnes vero eminet editio a. 1821. sequitur Drakenborchii recensionem, et sub imo textu currunt notæ Crevierianæ.

Titi Livii Historici Libri, ex recensione Drakenborchii, cum Indice Rerum: accedunt Familiæ et Gentes Romanorum, auctore R. Streinneo ; necnon Ernesti Glossarium Livianum auctius et emendatius. Lond. 1800. 6 voll. 12mo.

Titi Livii Hist. &c. Hafniæ, 1801. sqq. 8vo. per Erasmum Moeller. Danici non abundant Classicorum editionibus, nec versionibus: hæc vero versio Danica magnam laudem obtinuit.

Titi Livii Historiarum Libri qui supersunt, ex recensione Drakenborchii, cum variantibus lectionibus : cura Aug. Guil. Ernesti. Editio nova, emendata a God. Henr. Schæfer, Lips. 1801—1804. 5 voll. 8vo. Hæc editio, valde laudata, tertia est earum quas edidit Ernesti. Glossarium Livianum, quod in quinto libro continetur, multum auctius est et emendatius.

T. Livii Patavini Historiarum Libri, qui supersunt, omnes. Editio nova, et emendatior. Hal. 1802. sq. 3 tom. 8vo. repetita 1811. atque iterum 1815.

Titi Livii Libri, qui supersunt, Hal. 1802. 3 tom. 8vo.

Præbet textum solum hæc editio; sed ad optt. editt. constitutum. Hujusce editionis est repetitio a. 1811. et 1814.

Titi Livii Pat. Historiarum Libri, qui supersunt, cum deperditorum Fragmentis et Epitomis omnium, ad optimorum exemplarium fidem recogniti, et procœmio, breviariis etiam librorum, indice rerum locupletissimo, tabulis chronologicis historicisque, et commentario perpetuo seorsum edito, instructi a Georgio Alex. Ruperti. Gotting. 1807. 6 voll. 8vo min.

Titi Livii Historiarum Libri XCI. Fragmentum; recensuit Jo. Theoph. Kreyssig. Chemnit. ap. Kretsmar. 1807. 8vo. ex Apographo quod Bruns Romæ confecerat, accurate expressum.

Histoire Romaine de Tite Live, traduction nouvelle par Dureau de la Malle, et par M. Noel; avec le Latin. Paris. 1810—1812. 15 voll. 8vo. 'Traduction,' ait Brunet, 'la plus estimée,' 5 voll. 8vo.

Excerpta Liviana, per Car. Lud. Bauerum, adolescentibus commendanda sunt ob annotationes partim exegeticas, partim criticas. Nova hæc est editio eorundem: nihil vero novi additur. Lips. 1813. 3 voll. 8vo.

Livii Historia, notis ad usum Scholarum. Textus sequitur recensionem Crevierii. Lond. 1813. 3 voll. 8vo.

T. Livii Hist. &c. ex editione Arn. Drakenborch. Recensuit et accuravit Johannes Carey, LL. D. 5 voll. 18mo. Lond. 1819.

Excerpta ex Livio, cum Crevierii notis integris aliorumque selectissimis. Lond. 1821. 12mo.

Titi Livii Historiarum Lib. XXXIII. cum F. Jacobs suisque notis edidit F. Goeller. Francof. 1822. 2 voll. 8vo.

Titi Livii Patavini Historiarum Libri quinque priores ad optimas editiones castigati. Cura Jo. Hunter, in Academ. Andreana Litt. Hum. Prof. Cupri Fifanorum, 1822. 8vo min. Textus, ut in aliis Hunteri editionibus antehac notatis, est studiose perpensus, et bene concinnatus. Annotationes, etsi paucæ admodum et raræ, sunt pro incita-

mentis, (sic in consilio editoris,) quæ alios criticos provocare possent ad ampliora tentamina.

Titi Livii, &c. Lips. 1823. 5 voll. 8vo. Ab Jo. Theoph. Kreyssigio. Hæc editio multa profert, quæ alibi non invenienda sunt; nempe variæ lectiones quædam non parvi momenti, ex Bamb. Vindel. et Lips. Bibliothecis nunc primum erutæ : multaque quæ bonæ frugis visa sunt ex præcedentibus editoribus, Gronovio, Crevierio, et Drakenborchio, ad hanc editionem accommodandam et ornandam transferuntur.

Titi Livii, &c. Lips. et Lond. 1825. 3 voll. 12mo. Editionem curavit, et brevem annotationem criticam adjecit C. G. Baumgarten-Crusius.

Hactenus de editionibus Livianis; nunc breviter quædam ex scriptis miscellaneis, quæ aliquid momenti de Livio et rebus ad eum pertinentibus protulerunt, subjungimus. Pauca de his jam bene tractaverunt Bipontini.

Icones Livianæ, Francof. 1572. 8vo. (notatæ, at vix notatæ, a Bipontinis) cum gratia et privilegio Cæsareæ Majestatis. Præcipuas Romanorum Historias oculis repræsentant, et versibus nitide expressis eas explicant: e. g.

In Romuli et Remi Nativitatem, Expositionem, et Conservationem.

Lucinâ plaudente, sacros enixa gemellos,
Belligerum Martem Sylvia prole beat.
Amne jubet mergi, contemptor Amulius æqui,
Iliadas Fratres; sed fugit unda nefas.
Mox Lupa mitis adest; geminos, mirabile dictu,
Et fovet, et lactis munere blanda cibat.
Faustulus inventos tollit : Laurentia tantæ
Fit nutrix sobolis : sic pia fata jubent.

Comparationem Thucydidis cum Livio plus semel Gallice editam esse per Rapin innuerunt jam Bipontini. Obtinuit hæc Comparatio versionem Anglice constitutam, Lond. 1694. 8vo.

Discursus de Erroribus qui Tito Livio vulgo ascripti

sunt, continetur in The Lives and Characters of the most eminent Scottish Writers, by George Mackenzie, Edinb. 1708. fol. Inveniendus est in Blakateri Vita, qui Dissertationem contra Livium scripserat.

Henrici Dodwelli Dissertatio de Fragmento Liviano in membranis Laud. in Biblioth. Bodl. reperto in editione Livii per Hearne (Oxon. 1708.) invenienda est: quæ Dissertatio egregie audit ab editore Oxoniensi.

Adeisidæmon, sive Titus Livius a superstitione vindicatus, auctore J. Toland. Hagæ Comitis, 1709. 8vo. In hac Dissertatione demonstratur, Livium in sacris et prodigiosis enarrandis minime credulum esse et superstitiosum; ipsamque superstitionem non minus reipublicæ (immo magis) exitiosam esse quam atheismum. Annexæ sunt ejusdem Origines Judaicæ. Huic Tolandi Vindicationi opponi solent quæ Christ. Guil. Bosius profert in ejus Schediasmate, in quo Livium de hac re argumentis oppugnat. Lips. 1739.—Jo. Gerhardi Schelleri Specimen Animadversionum Criticarum in Titi Livii quatuor priores Libros, Lubec. 1769. 4to.—Essai de Rhetorique dans la traduction de quatre Harangues de Tite Live avec les notes par Mons. Le Crousaz, Prof. de Mathemat. et de Philos. dans Université de Groninque, Groning. 1725. 12mo. —Pope-Blount, 91-94.—Exercitationes Rhetorices &c. in Livium, Patav. 1783. 8vo.—Vossius de Latinis Historicis, c. XIX. p. 85-88.—Fabricii Bibl. Lat. l. I. c. XI. tom. I. p. 276. et deinceps, edit. Ernest. et Saxii Onomast. pars prima, p. 196-198. et Anal. p. 567. et omnes quidem Bibliographi usque ad Brunet, Manuel du Libraire, Paris. 1820. cum multis istis scriptoribus Fabricio notatis, vol. III. p. 278. qui de Historiarum Fragmentis et collectionibus scripserunt.

Brucker. in Hist. Crit. Philos. tom. II. period. II. et alibi, pauca profert de Livii Philosophia.—Crenii Philolog. Animadversiones, pars VIII. cap. 1.

Appendix Liviana, Oxon. 1746. 1768. 12mo: continet

hæc varias Mstorum et antiquarum editionum lectiones, cum doctorum emendationibus, et Livii Supplementis. Huic Appendici apte possint conjungi quæ vir cl. Jac. Harris Anglice tractavit de Mss. in Escuriali Hisp. Bibliotheca, in Philologicis suis Disquisitionibus, duobus partibus, Lond. 1781. 8vo. nec minus quæ Chr. Theoph. Wernsdorf disseruit de Livii aliquot codd. Helmstadt in Novis Actis Societatis Jenens. Lips. 1806. 8vo. N. VI. de quibus sic Klugling: 'Variis illorum codicum lectionibus inspersæ sunt doctæ clari editoris (Eickstadt) observationes, futuro imprimis Livii editori magnopere commendandæ.'

The Course of Hannibal across the Alps, ascertained by J. Whittaker, B. D. Lond. 1794. 2 voll. 8vo. Hic liber viri ingenio et doctrina præditi opus est, et laudes magnas obtinuit: ut et F. Gu. Ebrenfr. Rost progr. continens explicationem quorundam locorum Livii difficiliorum; necnon Observationum in Auctores Romanos Classicos Specimen, auctore Kreyssig. Schneeberg. 1810. 8vo.

Abundant porro, præcipue inter Germanos, Disputationes, Programmata, Prolusiones, et si quid alia de rebus ad Livium pertinentibus, quorum pauca, post Harlesium, sic breviter describimus: 'Morhofii de Patavinitate Liviana Liber, Kilon. 1685. est inter ejus Disputatt. Academ. Hamb. 1699. et in ultimo tomo Drakenborchii.—Dan. Guil. Mulleri Disp. de Tito Livio, Aldorf. 1688. 4to.—W. Godelevæi Obss. in Titum Livium Francof. 1659. 8vo.—Car. Lud. Baueri Chrestomathia Liviana, sect. I. II. III. Lips. 1785. 8vo.—Jo. Sam. Mulleri Progr. pro Livio aliisque scriptoribus, P. Scipionis Africani continentiam laudantibus contra anonymum Gallum, Hamb. 1743. fol. repet. in Bidermanni selectis Scholasticis, vol. II. fasc. I. n. 8. p. 166. seq.—C. V. Bosius de reis ampliatis circa illustranda Livii loca, Lips. 1743.'—Et quidem varia alia hujusmodi, et quædam alicujus momenti et recentioris ævi, in Theoph. Christ. Harlesii Brev. Notit. Lit. Rom. Lips. 1788. 8vo. p. 201. sqq. et Supplementa ejusdem, pars prior, Lips.

8vo. 1798. p. 317. seq. et Klugling in Addit. ad C. H. Harlesii Brev. Notit. pp. 85. 86. quibus subjungatur qui hos in eodem Marte nuperius secutus est, J. W. Moss, in ejus Manuali Classicæ Bibliographiæ, Lond. 1825. vol. II. p. 205. sqq.

Et quidem ut non modo Livii editiones, et observationes, &c. in Livium, sed etiam versiones adeo sunt multiplices, et in omnibus pæne linguis hodiernis datæ, singulas ante oculos lectorum ponere esset grave, et pæne opus operatum. Si vero quis majora quærat, adeat generatim Fabricium et Harlesium, et dictum Harlesium de Germanicis speciatim, ad quos sæpe jam in hoc recensu appellavimus; de Italicis Pactoni in Biblioth. multum commendata, tom. II. p. 204—218. de Gallicis Brunet in Manuel du Libraire p. 355—361. et Denis; de Anglicis, Bruggeman p. 634. quibus addantur quæ G. Baker obtulit, in sua versione Oxon. 1797.

Multi sunt, porro, præter eos a Bipontinis notatos, et iidem docti viri, qui contra veritatem tam Græcorum quam Latinorum, et contra Livii, ex sua ipsius confessione, contenderunt; ut Nachtigall in Deutsche Monatschrift a. 1790. C. G. Joecher. Dissertatio de Suspecta Livii Fide, Lips. 1743. 4to. Hinc Krauzius de Fide Livii recte æstimanda (Lips. 1812. 4to.) varia tractavit. Et nuperrime Godfredius Higgins, vir haud vulgariter eruditus, (in The Celtic Druids by Godfrey Higgins Esq. Lond. 1827. 4to.) contendit, Græcos et Latinos Historicos, et, inter alios, Livium, gentium suarum et linguarum plane nescire originem; quod et antea vir doctus Jacobus Bryant in ejus Ancient Mythology libere affirmaverat, et distincte probaverat.

E contra multi sunt qui Livii testimonio magnam dant fidem, et qui in scriptis suis strenue defenderunt, ut J. F. Eschenbachius in dissertatione qua fides Livii defenditur adversus Joecheri aliorumque objectiones, Lips. 1773. 4to. item M. Jo. Fred. Ekhardt, director Gymnasii Isenensis, in Prolusione facta Isenæ 1760. 4to. et G. Mackenzie

supra dictus, scilicet qui Livium contra Blakaterum defendit.

Et huc usque de iis quæ omiserunt Bipontini, et de iis quæ sub suis temporibus non adhuc in lucem prodierant. Multa sunt præterea, quæ et nos ipsi proculdubio omisimus; talia, partim, quæ nos aufugerunt; et talia, quæ ante oculos posita, tamen pro consilio dimisimus; nimirum ne quid nimis tentare, et lectores usque ad tædium morari videremur.

RECENSUS CODICUM MSS.

T. LIVII,

QUI IN BIBLIOTHECIS BRITANNICIS ASSERVANTUR.

Codices in Museo Britannico.

Reg. Bibl. 15. D VI. Tit. Liv. des Excel. Faits des Romains. Cod. fol. Gall. immensæ magnitudinis et splendoris; membran. Continet integram versionem Gallicam Bercheurii; de cujus antiqua editione inter editiones in suo loco dictum est, ut mox etiam de alio ejusdem codice.

Codd. Harleii, N. 2493. Livii Hist. ab Urbe condita, quæ extant. Cod. bonæ famæ et magni pretii, literis Gothicis min. exaratus. Membran. fol. sæc. XIII. In prima pag. scribitur, 'Olim Collegii Agenensis.' Desunt duo primi Libri cum dimidio tertii; quædam etiam desunt in fine. Index cursivus in marg. Sine gloss.

N. 2663. Cod. sæc. XV. Decas prima T. Livii. Membran. fol. pulcherrime illuminatur. Sine gloss.

N. 2671. Decas quarta. Cod. membran. sæc. XV. desunt vero quædam paginæ.

N. 2672. Titi Livii Hist. Libri VIII. Dec. 3. Membran. fol. sine gloss. Sæc. X.

Septem alii sunt hic codd. Lat. una cum versione Bercheurii in lingua antiqua Gallica (Languedocensi), et Epitoma Titi Livii. Cod. membran. sæc. XV. Sine gloss. aut variis lectt. sed fini subjungitur Compendium Hist. Liv. typis excusum.

Codd. Lansdown. N. 1178. continens decem libros priores de Tite Live trad. par Pierre Bercheure. De hac Gallica versione antiqua par Bercheure in suo loco dixi-

mus. Quod ad codicem spectat, illustratur historicis picturis, et forte fuit filii regis Joannis II. Gall. Dedicatio ad Regem gravis et elegans præfigitur, et totus apparatus tam picturarum quam typorum magnificus et regius est. Membr. fol. maj. Bercheurius obiit a. 1362.

Codd. Burneii, N. 200. Cod. Ms. chartaceus. Fol. ingens, sæc. XIV. collat. ad varias paginas editionis Drakenborchianæ, Lugd. Bat. 1738. Sunt ei indices cursivi, sed nullæ annotationes aut variæ lectiones.

Tres alii sunt codices Livii in hac Collectione collati ad varias pagg. editionis Drakenborchii; et inter eas codex est Librorum Livii Epitomarum, ab anonymo Grammatico.

Codices Oxonienses.

Editor Oxoniensis (Hearne, edit. 1708.) indicat ‘ Nostras (Bibliothecas Oxonienses) sex suppeditare, et in hoc ordine eos offert Lectori: 1. In Biblioth. Novi Collegii, Epitomas, ex quibus ipse collegit multas varias lectiones. 2. Cod. Ms. in Biblioth. Corp. Christi, Decada primam continentem. 3. Cod. Ms. inter Digbæos, Bodl. 4. Inter Laudinos, Bodl. L 1. Decada primam, tertiam, et quintam; L 2. Decada primam. 5. Cod. Novi Collegii amplectentem primam, secundam, et tertiam Decada. 6. Præter hos usus est duobus aliis; quorum unus saltem nunc est apud Cantabrigienses.—Ex his Codicibus multas varias lectiones transtulit in suam editionem a. 1708. cl. Hearnius, et, ut quæ bonæ frugis erant, ad suum commodum bene vertit in sua ponderosa simul et eruditissima editione Drakenborchius, a. 1746.

Inter codices et impressos libros D'Orvillianos offertur, X. 1. 1, 15. Ms. chartaceus in quarto, continens collationem Titi Livii ad ed. Ald. sec. cum scholiis Sigonii, Venet. 1566. cum codice Laurentino. Sic in Catal. Gaisford.

Post Hearnii editionem sequentes hi codices Liviani Biblioth. Bodl. adjecti sunt, videlicet, Inter *Canonici* Lat. Codd. N. 296, Libri XXI.-XXXI. N. 297. Libri XXXII.-

XL. N. 298. Libri I.-X. N. 299. Libri XXI.-XXXI. N. 300. Libri XXI.-XXXI.

Notitiam hanc præcedentem canonici codd. acceptam referimus ad amicitiam viri docti apud Oxonienses, nobismet absentibus. Dicti omnes codd. sunt ejusdem characteris, nempe sæc. XV. membran. fol. sed non audivimus magni esse momenti.

Codex Cantabrigiensis.

Nullus codex se offert, præter tertiam Decada T. Livii, quem, ut jam notavimus, T. Hearnius usus est, et de quo sub fin. vol. VII. sic Drakenborchius: 'Cod. est membran. Eum Jac. Gronovius, quum Cantabrigiæ hiberna ageret, diligenter excussit, ac testatus est, se non meminisse alium propius ab archetypo Puteaneo dissidere. Ejusdem Excerpta, ad oram ultimæ editionis Gronovianæ ascripta, benigne mihi obtulit Jos. Wasse; unde testimonium, quod Gronovius ei dixit, verissimum, et librum hunc optimæ notæ esse passim expertus sum.'

Codex Edinensis.

In *Bibliotheca Advocatorum* Edinb. versio est quinque priorum Librorum Livii, chartacea, nitida manu scripta, interprete Joanne Bellendeno, et in Dialecto Scotica a Jo. Bellendeno, jussu Jacobi V. Regis. Notatur a Joanne Leyden, M.D. in Præf. to The Complaints of Scotland, Edinb. 1818. Hic Bellendenus non idem est, cujus (Gulielmi) librum, De Statu Libri tres, vir doctus Samuel. Parr. Anglice vertit; sed *Joannis*, de quo magis sub Editionibus.